

ec fecit proximo suo mal
et obprobrium non accepit ad
sus proximos suos. Sicut.
te bea tissimo

F. 5

Assistentia Germania S.J.

DE FLORENTI STATU RELIGIOSORVM, EORVMQVE VIRTUTIBUS PRÆSERTIM

S. BENEDICTI, S. DOMINICI ET FRANCISCI, BRUNONIS, AUGUSTINI, CARMELITANI ET ALIORUM,

AD NOSTRA VSQVE TEMPORA, PER CONGEMINATAM VOCEM TVRTVRIS, DECLARATO, DEDVCTO ET EXHIBITO,

Per

Admodum Rever. Fratrem Dominicum Gravina, Ordinis Sancti Benedicti Theol. Doctor. Sancti Officii Consultorem & Professorem Primarium

PROSTAT

Francofurti apud Ioannem Godefridum Schönwetterum,

M. DC. LIII.

F. THOMÆ DE SARRIA, ORDINIS PRÆDICAT. S. THEOLOGIÆ MAG.

ARGUMENTUM

DE CONGEMINATA VOCE TURTURIS GRAVINIANI,

Pro Sacris Religionibus SS. Augustini, Benedicti, Brunonis, Dominici, Francisci, Carmelitan. Theatin. Barnabit. &c. Descriptionis, atque in Germania recussionis causa,

AD LECTOREM.

Oratione I. de Theolog.

CVM *linguæ morbum* (ut cum Nazianzeno loquar) *hac tempestate grassantem conspicio. Sapientesque diei unius momento exortos, ac manuum impositione Theologos factos, quibus ad sapientiam comparandam satis superque esse videtur, solam voluntatem afferre.* Occurrit Phormio ille Peripateticus, quem merito, orator ille Summus, aliique quam plurimi, ab Hannibale derisui habitum censent; qui cum nunquam aciem, nunquam castra vidisset, nunquam publici muneris functor extitisset, coram eo Imperatore, qui toties cum nobilissimis Ducibus infestis signis commisisset, tot urbes obsidione cinxisset, arces expugnasset, exercitus debellasset, *Romanos rerum dominos gentemque togatam*, tantum non ad extremum desperationis adegisset, tam multas horas de re militari, deque Imperatoris officio, ut sibi quidem, aliisque videbatur, ornate sane, atque copiose deseruisset; ut Hannibal sentiebat, loquaciter ac arrogànter nugatus est. Non negandum proinde hominis esse nimiopere se amantis præsidentisque præcepta iis tradere, qui factis dudum docuerint, quam facile instructione ac formatione istiusmodi carere possint: Eum verò Magistrum, & monitorem omnibus esse anteferendum, qui docte, accuratè ac sine felle, quidpiam pertractans, artis, quâ alios à se instruit, insigni cum laude sit peritus. *Ne ante infundere quã infundi velit: loqui quam audire, paratior, & promptior docere quod non didicerit (ut inquit Bernardus)* quam discere quod ignorarit: Quamobrem exoptatius, nihil hoc in genere accidere potest, quam si eos magistros, atque exortatores naciscamur, qui in ipsis emineant, quę ab aliis observanda monent, viamque ac modum, quo ad eum excellentiæ gradum pervenerunt, nobis commonstrent. *Primus ardor addiscendi, nobilitas est magistri*, ait & recte Ambrosius. Plena passim patent Patrum sanctissimorum volumina reprehensionibus eorum, qui & ipsi vitiis pleni, vulgi flagitiis nõ attẽdentes illud Domini medice cura teipsum) medicinam adhibere student. Quid ni ergo, eas quisque artes scientissime tradat quas ipse apprime calluerit? eo sane magis, ubi præter ipsas artes, rationem quoque ac semitam tenuerit, qua dicentium animos facili negotio, ipso tamen ordine imbuantur. Neq; hercle quis id præstiterit nisi disserendi scientia & non mediocri dicendi facultate præditus cæteris præluceat, bonũ etenim (sanctissimi ac eruditissimi viri vulgo celebre dictum est) *ut perfectũ numeriq; omnibus absolutum sit; integra omnia, & ad regulam congruentia esse oportet, vitiatur vel minima labecula: hoc igitur quia difficultatem summam habet, ita omnia velut dolando exæqua-*

Serm. 1. in cantica.

exaequare, ut nihil usquam promineat, nihil proturbet, nihil subsidat, nihil hiet. Si quis autem est omnino hominum qui laudem eam hac ætate promeritus sit, neminem arbitror fore hoc eximij P. M. Gravinæ opere inspecto, quod ille pro sacrarum religionum defensione inscripsit, quin sapientissimum illum veritatis Athletam in eo numero censendum, & plane classem ducere fateatur: ipse imprimis Turturis assumptus titulus, præclaram & amplam admodum animis nostris ingerit notionem, hos sacros ordines ex Nazianzeno *Dei servos & discipulos, & cælestium rerum contemplatores, has gregis Domini primitias, has columnas, has fidei coronas, has pretiosas margaritas, hos templi illius lapides cuius fundamentum lapis angularis est* CHRISTVS novimus & prædicamus eum Turture quotquot pij Catholici sumus: ipsi verò qui foris sunt desertores hostes latrones dum istam nobilissimã Dei portionem allatrant, fœdissimis convitijs quasi furijs quibusdam perciti proscindunt, omnibus modis quanta in eam immanitate odij ferantur significantes. Hanc quã nunc patitur, ab exordio nascẽtis Ecclesiæ experta est contradictionem Monasticæ disciplinæ professio totius humani generis bono usque ad hæc nostra tẽpora producta. Cũ sui odio lumen inspexit & nõ secus ac ipsamet Christiana religio vix orta, ad cruces, ad ignes, ad amphiteatra, ad bestias est proclamata; *Christiani ducebant ad leonem.* Inde utriusq; tot hostes quot extranei, & quidem ex Tertulliani Apologetico, *proprij ex concussione tyranni, ex æmulatione haeretici, at ex natura infirmitate*: interdum domestici nostri qui ob paucorum defectus, religiosorum vitam in crimen adducunt, ut apud pusillos suam eleventauthoritatem. Si namque tyrannos inspiciamus illico occurrunt Iuliani temeritas, Valentis audacia, Constantini Copronymi crudelitas. Leonis Armenij sævitia, Habdalæ Regis Saracenorum irreligiositas, Henrici VIII. & Elisabethæ tyrannis qui hæc Ecclesiæ Dei selectissima castra variè exagitarunt, vexarunt, trucidarunt. Periculosius bellum nihilominus intulerunt primipili religiosorum detractores Hæresiarchæ, argumentorum, & disputationum telis statum religiosum impetentes, & in vituperationem monasteriorum & monachorum linguas armantes, ut Donatistæ Circumcelliones in Africa, Jovinianus in Italia, Vigilantius, Guilelmus, Gyraldus, & Calvinus in Gallijs; Wicleph in Anglia, Lutherus, Melanchon in Germania, veræ fæces mundi & alimenta gehennæ, quibus adiungitur novus Lucianus Vindicianus Anonymus, manuum impositione Theologus factus, unius diei momẽto sapiens exortus, à quo sacri ordines simul cum nobilissimo Turture, florentissimum eorundẽ statum per Europæos, & Americanos tractus volitando decantante expostulantur. Publicam causam simulavit Anonymus, caveam extruxit, larvam prætexens, ex cavea clypeum, Eminent. Card. Bellarm. suæque Matri inclytæ Societati Iesu prætendere machinatus, ut majori scandalo Religiosorum asserta scãdala evulgaret, antiquissimos sacrarũ religionũ ordines sugillaret, mores traduceret, ipsamq; Societatẽ adulatorie super omnes extollendo dejiceret, jurgia & discordiarum zizania inter antiquas novasq; ordinũ familias disseminaret, non prima hæc astutia, nam teste P. Jacobo Gretzero in opusculo *vespertilio haereticus* ab Anonymo, altero, ante aliquos annos prodiit epistola Italo-Latina, ubi sub velo, & pallio laudandæ religionis PP. Iesuitarum, insignem familiam Soc. impugnat: Hoc & præstat Anonymus sub patroni & advocati pallio sicam occultans, ut mactet & perdat. In silvis tanquam fera immitis versutè ac malitiosè latitabat insidiosus accusator, ut verbum vel dogma capiens obtrectationibus, & calumniis saluberrimam doctrinam discerperet; sed ecce,

lapidibus opprimitur & exossatur, à Turture, & voce congeminante canorâ obturatur, *lapides* puta (*ex Nazianzeno*) *belluinis hominibus veros ac solidos esse sermones!* Attente advigilabat Anonymus, cui non aures dumtaxat verum etiam lingua atque manus quoque ipsæ pruriebant (ut in cavea videre est) prophanis videlicet vocum inanitatibus, & inflatis buccis falsò nominatæ Theologiæ; utinam verò quemadmodũ linguam volubilẽ habuit, atque nobilioribus probatioribusq; religionibus insectandis acrẽ & vehementem, ita etiã circa res ipsas simul & legem Dei ac charitatis præceptum nonnihil operæ collocaret, quod si fecisset, minus appareret fortasse Britanus nec tã insolenter, in verbis perinde, atque in aleæ ludo hæreticorum linguas armans, versaretur; nec omnis pietatis viâ sublatâ, atque deletâ hoc unum sibi (crediderim) propositum stabiliret, ut sacras religiones diffamaret, ac calumniaretur; genera certaminum instituens quæ non juxta palestræ CHRISTI leges, ad victoriam ferunt, sed pusillos imperitorum dumtaxat oculos perstringunt, ut vanam quandam è spectatoribus laudis auram captet.

Orat. 2. de Theol.

Quam uberem verò dissidiorum segetem Anonymus subministret, quot paradoxa effutiat, jam in ipso operis limine, nullo negotio deprehendere licebit: In eo totus est Anonymus, totus versatur Vindicianus, ut vitia regularium aut propalet, aut effingat, de charismatibus doleat, de austeritatibus murmuret, de assumptis ad Tyaras, infulas, purpuras, & titulis doctorum inquisitorum sinistre sentiat. Novum Magdeburgensem revixisse Pytagoras diceret; è cuius caveata cavea iisdem capitibus, quibus Magdeburgenses religiosorum & Prælatorum Ecclesiasticorum, exaggeratis defectibus, suas centurias implerunt, supplementa succenturiatis contexta sunt, & materia in Sanctos Domini detrahẽdi, abunde præparata: hic finis ficti propugnatoris Venerabilis Societatis; eiusdem, & omnium ordinum veri oppugnatoris. Restitit furori isti nefario Turtur, & ut eius impietatem retundat obiectos criminum ronchos voce congeminata exsibilavit. Sine partialitate omnes defendit, zelo zelatus pro domo Dei exercituum; veterum Ecclesiæ procerum æmulator virtuosus, fervidæ charitatis, Nazianzenum, Chrisostomum, Hieronymum, Augustinum, Thomam Aquinatem, Bonaventuram, Ægidium, Waldensem, studioso passu imitatur. Et sicut illi Iuliano, Valenti, Manicheo, Donatistæ, Ioviniano, Guillelmo de S. Amore, Hus, Wicleph, Luthero, Calvino, heroice sese opposuerunt, pariter sapientissimus Magister Gravina Anonymo os obduravit, & ad caveam, quam Religioso Turturi præclarè (si superis placet) se extruxisse opinatur, compulit. Nec mirum novum Phormionem posthac omnium ludibrio exponi, siquidem cum nunquam aciem, nunquam castra Dei, nisi lippis forsan oculis, aspexisset, in nulla muneris scholastici parte vel minimum versatus, coram eo Doctore sapientissimo fidei Athleta, ac profundissimo veritatum Theologicarum Magistro, qui toties cum nobilissimis Sapientiæ Ducibus, collatis disputationum signis congressus, tot Calvinistarum arces, latronum specus expugnavit, tot Chymericas errorum tenebras dissipavit ut verè eius aurea DE CATHOLICIS PRÆSCRIPTIONIBUS abundè doctrina testatur: hic garrulam illam loquacitatem, Anonymi malitia suffarcinatam non ferens, ne magnũ fidei nostræ damnum, ex cavillosæ dicacitatis rostro religiones sacras (falso licet & irrito conatu) acci ocitando, efflueret, manum calamo apposuit. Accedit religiosissimi viri ingenium acre, studium continuum, labor pertinax, lectio assidua, maximarum artium cognitio, & quod caput est TIMOR DEI, Monastica observantia; hæc aliaque quam plurima

mà (ne adulationis quoque redarguar) subtilissimum Magistrum Gravinam exornare, non mea sed Christiani orbis pars insignis Europa probat: quibus ille ornamentis instructus, simulque & veritate & justitia, & causæ honestate fretus, animum ad respondendum Anonymo adjecit; ne volitaret cancellata cavea & inclusus caveæ crederetur Turtur, vocem mirabili concentu, quem orbis universus obstupescit, congeminavit. Inde partus hic aquilinus prodijt; quem si pluribus pro dignitate verbis commendare instituero, & authorem, & meipsum, & librum ignorare videbor. Illud nihilominus subjecisse non abs re erit, ringente licet & vindictam obtrudente Vindiciano. Nemo (ausim dicere) de rebus sacris loquitur Religiosius, de publicis gravius, de periculosis circumspectius, de odiosis lenius, de Lubricis constantius, de obscuris clarius, de implicatis planius: Non curuatur adulatione, non effertur licentia, non frendet invidia, non illum Sapientiæ Majestas à religiosa humilitate: nec veritatis libertas à modestia Catholici Doctoris abducunt, quod temperamentum cum in omni vita difficile sit, tum maxime in fluctibus & procellis, quibus Religio, veritas, Iustitia, & author cōquassantur, magni ab omnibus faciendum. Quo quidē loco cum prudentissimi viri generosam moderationem submissamq; animi altitudinem admiter, talem aliquē mihi ex Anonymorū grege dari vehementer cuperem, quorum omnis facundia in eo sita apparet, ut Religiosos traducant, & in selectam Christi Domini partem linguas, maledictis & convitijs lixatas extendant. Enim vero ij nisi Deum abjecissent, vel ex hoc libro convincerentur, tantum ea à religiosa aliena esse conversatione, quæ sacris ordinibus calumniose imponuntur; quantum à Christiana charitate maledici talia effutientes sunt remoti. Iam illud mihi consideret aliquis cum industria, qua rimas omnes observat latebras & Cavernas excutiat, atque scrutetur, per quas elabi nonnulli aliquando consueverunt, diligenter investiget, investigatas demoliatur, dumque illi tumori suo aliisque paucis animi motibus, pudorem, obedientiam, vitio alicui in sermone aut memoria, aliisque id genus innumeris quasi velum obtendunt. Theologi aut Catholici officium minime præstant; quæ omnia rectius ex hoc ipso libro cognosci dantur, explicantur quippe orationis genere puro, nitido, simplici, aperto non picto aut larvato, nec Calamistrato vel attramento, sed mundo, sed candido, sed liberali (ut verbo dicam) sincerè religioso, religiosè modesto, tum ordine ac seriè quæ Lectorem nō tam afficiat æque ac delectet, quam vinculis constringat, & codici affigat, atque ægre absistere patiatur, donec totum evoluerit, locosque omnes ab initio propositos, absolutos plane viderit. Quod si post homines natos unquam tempus fluxit, quo religiones piis integrisque defensoribus egerent, hoc profecto sæculum esse quis dubitet, quando nedum omne in præcipiti (quod affirmat ille) vitium stetisse videatur, verum exorti sint magno numero Phormiones quidam non Ephesini, fani & futiles, sed Terentiano illo multo nequiores, ac atriores, qui sponte currētibus calcar adderent, ruentes impellerent, & quasi parum per se pronis ad scelera pectoribus, stimulos insuper admoverent; volitant passim libelli (quo spiritu nescitur) capitalibus & pestilentibus referti sententiis, *jus, pium, fas, nefasque speciosa nomina, sesquipedalia verba, tropos* (horresco referens) *dolis refertos, adulationibus illitos, &c.* quæ sunt alioqui vulgo notiora quam rebus humanis expediat, quæ impurissilli in Religiones evomunt. Quibus venenis vix dum omnium mentes, (colubrinis passibus studiose insistens) Vindicianus contra Religiosos imbuere moliebatur, ita ce-

[I]teriter nefarium dogma sectatores multos nactum est, ita subito virus teterrimũ in multorum corda sese insinuavit, ut religiosos traducendi jam quasi mos quodammodo inoleverit. Ast signum posuit Deus super Cain, timorem scilicet & tremorem, & super Vindicianum, amentiam qua correptus ut fertur (dum insanierat satis) insaniæ pœnas dedit; ut qui peccatum Cain imitatus, Fratres, quos charitate non ficta diligere tenebatur, mactare sacrilego prorsus ausu attentavit, fratricidio quidem animus abfuit, sed non defuit; dum nobilissimam vitam (famam puto & honorem) illis auferre conatus est. Utinam mortales reliqui exemplo tali edocti, tandem insanire desinerent, nec in perfidia plus præsidij quam in virtute ac fide collocarent! O Tyrannis! cuius principium, *quicquid pulchrum est, in regno cadat*, ut sola illa persistat & omnibus dominetur. Porro cum his cerebris valentissime luctatur disertissimus Gravina omnia ad virtutem, sanctimoniam, religionem revocat, ad veritatis & Iustitiæ normam omnia dirigit, contrarias artes refellit; Salutare igitur Sydus Ecclesiæ futurus est, qui ex hac schola prodierit, ne Catholicus animus recti cupidus talibus hominibus septus à monstris illis in fucatam utilitatis speciem & fraudem se indui patiatur.

Hi luminum radii ita scintillantes in hoc libro perspecti, maximum apud pios nudæ veritatis cultores desiderium eius inflammarunt, cum tamen Germaniæ polum non illustrassent, ubi cavea per omnes omnium divulgabatur manus, cuius figmentis quamplurimi imbuti, Turturem cum suo authore deplumare nitebantur, in animum induxeram CATHOLICAS PRÆSCRIPTIONES ADVERSUS OMNES VETERIS ET NOSTRI TEMPORIS HÆRETICOS quæ verè sunt turris Bethel contra Damascũ ab eodẽ authore elaboratas, è Germanicis prælis luci dare, ne rubiginẽ contraherent tam præclara Ecclesiæ arma ad veritatis inimicos evincendos, ubi bella Domini prælianda quotidie sese offerunt. Atque hæc sunt præcipua rationum capita, quæ ad huius operis recussionem me adduxerunt, ut, cum doctrina, ab opinione & fama Doctoris authoritatẽ hauriat, quâ per Europam plurimâ pollet Gravina, eadem illibata atque immota haberetur, atque ita contra Ecclesiæ hostes Catholicarum præscriptionum valida consisteret, ut Religiones defensæ, & illarum causæ ad triumphum usque propugnatæ omnibus innotescant, ut constaret Gravinæ mens, intentio, & sapientia, (quam adversarii cum ratione non possint, dicteriis & cavillationibus imperunt) ut in offenso pede scripta eius per hasce Germaniæ oras, sicut & per amplas illas Italiæ, Hispaniarum, Indiarumque regiones, currerent. Hæc itaque in Religionum tutelam authoris reverentiam, tui commodum collecta & excerpta, Lector, benignis oculis lege. Venerare, amplectere, memor tamen illius.

S. Bern. ser. 59 in cant.

VOX TURTURIS NON PRINCIPATUM TENET, SED CONSORTIUM, AMICOS HABET, NON SERVOS, NEMINEM SUSPICIT AMOR, SED NEC DESPICIT, IN SEIPSOS CELSOS, HUMILESQUE CONTEMPERAT, NEC MODO PARES, SED UNUM EOS FACIT.

Vive & Vale.

PIIS
LECTORIBUS
RELIGIOSORUM ORDINUM
DOMINIS MEIS, S. ET
Spiritus fervorem.

FERVET *quotidiè ab Aquilone succensa olla fumos putidos calumniarum, sycophantiarum, detractionum exhalans: nulla enim in re, sicut in epotandis calicibus Novatores Lutherani, Calviniani desertiores, quam cum de Catholicorum moribus obloquuntur, & impudenti, effrenique licentia, magnaque lingua lubricitate facta infecta, fanda infanda, in Cœnobitas præsertim, Moniales, in Cœnobia, & Deo dicatorum hominum collegia evomunt, suorum tamen scelerum immemores. Vt quando in uno vel altero, aut pluribus Cœnobitis, ut quidam eorum Pseudopropheta dixit, congererentur luxus, libido, ambitio, avaritia, & si quid præterea criminum est, totam hanc vitiorum lernam una superat hæresis.*

At benedictus Deus, quod eodem tempore, quo ollam succensam videmus; Virgam vigilantem (vel ut alii vertunt) virgam amygdalinam quoque inspicimus florentium adhuc Religionum: & primitias spiritus, quas patres eorum acceperant innovare senescente iam mundo: & ossa Patrum; quasi herbam germinare in filiis suis experimur, ut etiam manus Domini in servis suis agnoscatur; & vocet eos Populus sanctus, redempti à Domino: illudque etiam adimpleatur: Sicut terra profert germen suum, & sicut hortus semen suum germinat, sic Dominus Deus germinabit justitiam & laudem coram universis gentibus. *Adhuc, ut scripsit Nazianzenus, Vigiliæ, preces, lachrymæ, collisa genua, pectoris converberationes, suspirium ex imo manans pernox statio; mentis ad Deum peregrinatio; tenuis inter orandum fletus; audientium animos ad compunctionem incitans, psallentes, Dei gloriam celebrantes, legem Domini die noctuque meditantes; & ut scripsit Augustinus, in communem vitam castissimam, sanctissimam congregati simul ætatem agunt, viventes in orationibus, in lectionibus, in disputationibus: & ut dixit Eusebius: Quasi quidam cælites reliquorum hominum vitam despiciunt: quippe qui pro universo genere supremo omnium Deo sacrati sunt, idque non boum mactationibus, non cruore, non libationibus, aut nidore ullo, nempe fumo, aut ignis devoratione, consumptioneque corporum, sed rectis veræ pietatis sententiis,*

& purgati

& purgati animi affectione : ad hac operibus quoque ac verbis, quæ à virtute proficiscantur : quibus rebus divinitatem ipsam placantes, suum, & pro seipsis, & pro aliis, qui eiusdem sint generis, administrant sacerdotium. Et, quod caput est omnium, & in maximam huius sæculi gloriam cedit, ab altiss. Deo, hoc frigescente sæculo destinati sint ex omnium fermè ordinum cætu viri selectissimi ad insulas, quæ non audierant de illo, adducentes filios de longinquo, & ab extremis terræ; dilatantes territorium eius & barbaras nationes cum novo pœnè orbe, Christi suavi iugo iam fermè subiugarint. Illius planè opus, cuius manus abbreviata non est. Cuius (ut scripsit Greg. lib. 29 mor. c. 16.) *solius virtutis est disiunctis temporibus missos in fidei prædicatione coniungere, & dissimilibus virtutibus præditos fulgore intentionis unire; & ab ipsa mundi origine usque ad eius terminum de præconum iustitia successione providere; eo tamen ordine, ut novella plantationes è radice sitiente succum hauriant, illamque vicissim comis vestiant : nascitur enim una Religio ex altera, & veterum maxima laus est, quod novas parturiant, iisque tanquam filiis thesaurizent; & novarum maxima pietas quod senescentes parentes adiuvent, & instaurent : ut nihil adimatur laudi parentibus virtute præditis, si filios paternarum virtutum heredes commendare contigerit. Gloria enim patris est filius sapiens : Magnumque sit miraculum quòd antiquatæ familiæ, quasi ex morte propria reviviscant, fortioresque resurgant, & tanquam recisum lignum rursus comam faciant, sicut primo plantata sunt, ut sic nova, & vetera sponso serventur producentia fructum, unaquaque in genere suo, Veris prius amœnitate vestita.*

Quare non est, quod istis nebulonibus suffragetur, si obiiciant, quod à quibusdam Ecclesiasticis tractoribus; tum veteribus, tum recentibus claustralis disciplina relaxata deploretur. Nulla enim est quamvis lassata, & defatigata congregatio, (ut B. Matri Teresiæ in eius vita revelatum est) magno non sit Ecclesiæ adiumento. Bos lassus fortius figit pedem (scripsit Hieron. ep. ad Aug.) *Et in illa parte, quam pro exemplo perditionis ponunt Hæretici* (dicit Augustinus lib. de Unit. eccl.) *id est, in Israel : fuerunt Sancti Prophetæ, ibi erat ille memorabilis Elias, ut de aliis taceam : Unde & se solum Dei servum existimantem, dum diceret ?* Relictus sum ego solus ? *blanda obiurgatione à Domino reprehensum legimus, dicente Domino :* Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genu ante Baal. *Ut magnum fuerit divinæ virtutis opus, in idololatra populo atque rebelli multitudinem iustorum reconditam habere, quos nec Propheticus obtutus posset inspicere. Grande certè Religiosi pallii beneficium est, sub cuius recogitatu improbi mores vel erubescunt, cuius nullum præiudicium est, si non erubescant impudentes; contra quos cum indignandum est, sic indignemur, ut & illos, & nos homines esse meminerimus. Porro scribentium Catholicorum intentio à malignantium fine longo intervallo secernitur : illi enim scribunt aut loquuntur, ut medeantur; hi obloquuntur, ut criminentur : illi commiserando, hi sufflando : illi aliquot : hi omnes perditos pronunciant : illi institutum laudantes in aliquorum persona invehuntur, isti viros cum instituto involvunt. Aliud est ergo, quod agitur typho calumniæ, aliud quod zelo disciplinæ. Dices interdum in nonnullis tractatoribus est excessus; nam &* Petrus Venerabilis l. 4. epist. 8. *quendam Antistitem reprehendens, quod è publico suggestu Cluniacenses Monachos suggillasset, ait (Non ita Episcopus Augustinus vera, vel falsa fratrum mala populo prædicavit, vel in suis scriptis prædicanda mandavit, cum dixit,* Ubi oritur peccatum ibi moriatur, ne ad plures eius notitia, quam correctio extendatur. Transeat. *Sed in hoc excessu etiam supereminet charitas : est quidem virga rerum correctio, sed quæ consolatur : amor, sed non emolliens; zelus, sed non immoderate sæviens : pietas, sed non plus quam expediat parcens, Et ut scripsit* Gregorius 2. *cura past. cap.* 10. (Simpliciter ligna succidimus, cum delinquentium vitia pia intentione

intentione resecamus. *Sed securis manum fugit, cum sese increpatio plusquam necesse est in asperitatem pertrahit, ferrumque de manubrio prosilit, cum de correptione sermo durior excidit*] *Sic Paulum excessisse, dum Pontificem Ananiam reprehenderet acriter putauit* Hieronymus 3. cont. Pelag. *idemque cum August.* (Sigiberto teste) *in contentione de legalibus vsque ad simultatem disceptauit, & ab Augustino punctus, cur itidem Augustinum pungat, reddidit rationem.* (Si in defensionem mei aliquid scripsero, in te culpa est, qui prouocasti, non in me, qui respondere compulsus sum.) *Non ergo mirandum est de doctissimorum & virorum pientissimorum excessu, cum in Ecclesia columnis similis obseruetur, quem nihilominus absorbet charitas, quæ operit multitudinem peccatorum. Solum, vt aduertit quoque* Gregorius Nazianzenus orat. 3. de pace, *cauti esse debemus, ne Ecclesiæ perduelles nostris massis pascamus. subditque:* Parum tutum esse arma hosti committere hominique (*Christianæ religioni maxime infesto*) verba Christianum lacerantia committere. Nam quod hodie probro obiecimus, idem nobis postero die obijcietur: iactatisque sermonibus hostis arridet, non quod probet, sed quia acerbè, atque amarulentè recondit, vt oblata occasione aduersus eum qui concredidit, virus euomat atque effundat) *etiam incauto vulgo prouidendum est, ne dum horum opuscula legit, sub pietatis specie, detractionis quoque spiritum in se concipiat. Nam & Vespæ suos quoque fauos faciunt, non mel, sed fel distillantes, quippe qui suauissimos flores libando, dulcedinem in amaritudinem vertunt. Duplex enim malum illi obrepere potest* (*sua non scriptorum culpa*) *præiudicium scilicet Religiosorum bonorum, cum omnes tales existimare posset, quales aliquos, vel multos reprehensos legit tanquam relaxatos, aut scandalosos: insuper & proprium offendiculum à bono proposito virtutis, quod elegerat recedendo, praua opera perpetrando exemplo alieno, è quibus fontibus iuxta geniorum diuersitatem, diuersitas mordentium, obloquentium, imitantium oriri potest, vnde tristantur boni, lætarentur mali, medij cum scrupulo dimitterentur. His rationibus adductus, nimirum, vt calumniantium Hæreticorum ora obstruerem, piorum tractatorum excessus* (*si qui sunt*) *excusarem, infirmorum & pusillorum incautè obloquentium offendiculo prouiderem, proximo præterito æstiuo tempore, cum à lectionibus legendis in Vniuersitate nostra Neapolitana vacarem, à multis rogatus præsens opusculum edidi in omnium Religiosorum gratiam, quod volui sub titulo Turturis* (*Chrysostomum imitatus*) *prænotare, vt ex vna parte gemitus edendo, ad feruoris in aliquibus remissionem intendendum excitemur, & innouentur dies nostri sicut à principio. Ex alia parte laudes deploratorum decantando, erubescat Hæreticus pia intentio tractatorum Catholicorum excusetur, pusillus instruatur, cum florentissimas inspiciat in hoc libello ad hæc vsque nostra tempora sacras Religiones, & quod cum semine fundatorum* (permanent bona, & hæreditas sancta Nepotes eorum, & in testamenti sterit semen eorum, & filij eorum propter illos vsque in æternum manent, & semen eorum, & gloria eorum non derelinquetur.) *Sit præsens ergo opusculum aduersus Ecclesiæ hostes gladius, non enim tam priuata contra inimicum & vltorem, quam publica debet esse defensio. Sit scutum sustinendo propter religiosos aliquos imperfectos, reprehensionum ex zelo proficiscentium ictus, cum Ecclesiæ enim filijs* [*Scuto non gladio opus est.*] *Vnde in Turri Dauidica Clypei solum pendent, qui sunt omnis armaturæ fortium. Sit tandem panarium pro vulneribus medendis, per compassionis affectum, etiamsi matres nostras detrahendo flagello linguæ, detractores quidam mali laici percutiant; quando & Hircanus ille Summus Sacerdos Iudæorum* (*cum Ptolomæo iubente ab armata militum copia ad Castri inuasionem accincta, matres, & fratres, loris cædi cerneret*) *non manum ad vindictam, sed solum cor ad commiserationem armauit. Et quoniam scitè pronunciauit Ambrosius* [Vnumquemque fallunt sua scripta, & aurem prætereunt, atque vt filij etiam de-

formes,

formes delectant, sic etiam scriptorem indecori sermones sui palpant] *propterea sapientum, & doctorum iudicio examinandum, probandumque offero, vt si quando incautius aliquid promitur, aliquid exit ambiguum; corrigat, interpretetur, ignoscat, legentis sapientia, & charitas. Religiosos verò vniuersos idem opusculum, vt gratanter legant obtestor, nedum in signum animi mei erga omnes Sanctos, & Beatos Fundatores deuinctissimi, sed etiam quia in eo, tanquam in breui tabella exhibeo etiam præsentium temporum gloriosos Martyrum agones, Confessorum victorias, florentissimam undequaque eorum gloriam ad maiorem* DEI *gloriam.*

Fr. Dominicus Grauina.

APPROBATIONES
PRO VOCE TVRTVRIS.

TVrturis vocem nedum audiui, sed (quod mirum est) legi quam libentissimè. Digna est quæ publici iuris fiat vt surgant properent, & veniant quos vocat Sponsus, & gaudeant quos vocauit, quia ver est. Nil turpe, aut inconcinnum in hac voce, imo quod rarum in trunco licet crucis, haud gemit sed canit Turtur, nimirum arbos olim arida præcellit syluarum laudes.

Fronde flore, germine.

Audiant ergo, & legant hilariter Sponsi sodales. Ita voueo. In S. Thom. super Mineruam. Romæ prid. Kal. Octob. 1624.

Fr. Nicolaus Riccardus S.T.M. & Collegij Thomæ Regens.

EGo Fr. Io. Matthæus Rispolis S.T.P. Regens. Collegij S. Sixti de Vrbe ex commißione Reuerendiss. P.N. Gener. librum inscriptum Vox Turturis, vidi, & vt in propugnationem Sacri Religiosorum status in lucem prodeat, dignum censui. Nil enim in eo legitur, quod emunctio & erudito calamo modestiam auctoris, & zelum fidei non redoleat. In quorum fidem manu propria subscripsi. Dat. Romæ 28. Septemb. 1624.*

Fr. Ioannes Matthæus Rispol. Licentia Reuerendiss. P. Generali, M. Ord. Præd.

VIsis attestationibus RR. PP. Mag. Nicolai Riccardi, & M. Matthæi Rispolis, damus, quantum ad nos attinet, Licentiam typis mandandis libris hunc. Romæ die 28. Septemb. 1624.

Fr. Serap. Mag. Ord.

Approbatio Illustr. & Adm. RR. Deput. Curiæ Archiep. Neap.

OPus hoc suo dignum auctore, & ad Religiosorum solatium, & ad compescenda item ora in easdem obmurmurantium quamprimum prælo dandum.

P. Andreas Lanfrancus Cler. Regul. Deput.

TVrturis vocem à peritissimo viro artificiosè formatam percepi, eamque vt ab alijs audiatur censeo publicè proponi debere.

Alexander Ruffus Canonicus Deput.

Imprimatur.

Lalius Tast. Vic. Gen.

APPROBATIONES PRO CONGEMINATA VOCE TVRTVRIS.

Approbatio, & superiorum Licentia.

CONgeminatam vocem Túrturis, opus ex manuscriptis tractatibus A. R. P. Magistri F. Dominici Grauina eruditissimi pariter, & doctissimi Theologi excerptum, summa cum voluptate percepi, qua ostenditur florentissimas Ordinum religiosorum vineas etiam nostris temporibus dedisse odorem suum. Ideò ad excitandam in animis fidelium pietatem, quæ publicè audiatur dignissimam, censeo. Dat. Neap. die 10. Augusti 1632.

Felix de Ianuario S.T.D. Deputatus.

Imprimatur.

Felix Tamburellus Vic. Gen.

VIsis hisce Approbationibus, & perlectis ijs, quæ de nouo accesserunt, censui hoc opus vtiliter recudi posse. Act. Duaci 15. Iunij, Anno 1634.

GEorgius Coluenerius S. Theol. Doctor, & eiusdem Regius Ordinariusque, & primarius Professor, Collegiatæ Ecclesiæ S. Petri Præpositus & Canonicus, Duacensis Academiæ Cancellarius, & librorum Censor.

IMprimatur resonans Turturis concentus Coloniæ in Conuentu S. Crucis Ordinis Præd. 27. Martij 1638.

F. Ioannes Philippus Fridt S. Theol. Doctor, & hæreticæ prauitatis Inquisitor.

ADM.

ADM. R. P. D. HIERONYMI STELLÆ Clerici Regularis.

EPIGRAMMA.

EN ferit innocua cunctas Vox Turturis aures,
Vna multa tamen guttura voce sonant;
Florentes signa campos florere papyrum
Nunciat ipsa tuam, dum gemebunda canit;
Gratius altisonas, nunquam sic fama dedisset
Quales fusa tibi vox canit ipsa notas:
Nec magis occinuit dulcis vox lapsa per auras,
Vt tua concelebrat Relligionis opes.
Sat tua vox cunctis non cuncta sunt satis ipsi,
Vincit vox omnes, scilicet vna sonos.
Funde igitur vocem, nam sic quoque vocibus atræ
Non erit inuidiæ, docte Grauina, locus.

P. FR. ANTONINI FAVREAV, Galli Ordinis Prædicatorum.

DE TVRTVRE CARMEN AD AVTHOREM.

ECce columbinis glaciata in fletibus arua
Sunt: Turtur, Zephyris tam resoluta tuis.
Queq; piè madido pollebat germina planctu,
Nunc rident placido Sole oriente tuo.
Pergito casta pios Turtur depromere cantus:
His etenim Zephyris nostra refloret humus.
Lustralem pergas oculum versare per orbem:
Hoc etenim est nobis Sole renata dies.
Aucta dies nobis, casta de Turture, factus
Sol inter flores sydera facta micas.

INDEX CAPITVM
Huius Libri Primæ Partis.

Cap. 16.

SECVNDÆ PARTIS.

Cap.26.

VOX TVRTVRIS, SEV DE FLORENTI VSQVE AD HÆC NOSTRA TEMPORA,

SS. Benedicti, Dominici, Francisci, & aliarum sacrarum Religionum, statu.

PARS PRIMA.

CAPVT I.

Gementis Columbæ ratio proponitur.

ISRAELITICÆ Gentis calamitates molestè ferens Hieremias (vt verbis Sancti Gregorij Nazianzeni vtar) *fontem lachrymarum requirit, atque extremum quendam recessum exoptat, solitudinemque complectitur, quò libere, nulloque obturbante Israelem defleat, sicque magnam sui mœroris partem exhauriat, vt vulneris in pectore hærentis dolore quodammodo leuetur. Consimilem in modum Dauid multis ante Hieremiam annis, calamitates suas acerbè ferens, Quis,* inquit, *mihi dabit pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?* Horũ vestigia secuta insignis quædã Columba (cuius *pennæ deargentatæ* ob sapientiæ claritatẽ, & *posteriora dorsi eius in pallore auri* ex rutilanti claritatis fulgore, satis orbi innoscunt) *in solito suo recessu,* se, & suos, ad pias lacrymas excitãs, materiã gemitus colũbini assumit, in sexto lacrymarum fonte, consideratione Ord. Relig. sic, post multa Sacrorum Ord. encomia, ex PP. desumpta, plorare incipiens. *Quæ autem SS. PP. Nazian. Chrys. Hier. & Aug. de monachis sui temporis dicunt, possumus etiam nos dicere de primordijs omnium Ordinum Religios. Nam & SS. Benedicti, Dominici, & Francisci, & omnium aliorum SS. qui Religiosos Ordines instituerunt, Filij, & Nepotes, per multos annos, ita sanctè, piè, perfecteque vixerunt, vt vel omnes, vel eorum pars maxima insigni sanctitate floruerint. Postea tamen multiplicari cœperunt Regulares sine numero, & multi non à Deo vocati ad statum perfectionis, sed alijs rationibus adducti Monasteria repleuerunt, & impletum est illud Isaiæ: Multiplicasti gentem, nõ magnificasti lætitiam. Inde nata sunt scandala grauia & multiplicia omnibus nota, quæ materiam vberem præbent Columbæ gemendi, & plãgendi relaxationem, ne dicam corruptionem Ordinum Religiosorum, &c.* Et in fine sic concludit. *Ex quibus omnibus colligitur, agendas esse gratias Deo, cum ingenti lætitia pro tot sanctis hominibus, quos ordines Religiosi Ecclesia Catholica pepererunt, & indies pariunt; & simul etiam fundendas lacrymas copiosas pro deformatione, quam passa est tam illustris portio Gregis Christi, & simul orandum assiduè Deum, vt cõuertat corda Patrum in filios, & relaxatos filios ad prudentiam spiritualem, & feruorem cordium Patrum iustorum.* Suæ autem Matri, quæ ipsum aluit, & educauit, spirituales isto

Nazianz. orat. ad ciues.

Lib. 2. de gemitu columbæ c. 6.

fœtus dedicando (quam etiam secum ad plangendum assumit) rationem reddit. *Quia*, ait, *ipsa societas, vt membrum viuum, & verum gementis Ecclesia, non solum gemere non cessat, sed etiam Columba velocitatem imitata, ab ipso suo exordio, ad extremas vsque Mundi partes volare non dubitauit; & Columba fœcunditatem Diuino munere nacta, breui sic excreuit in gentem magnam, vt Prouincias Orbis Terra penè omnes complexa esse videatur, ac denique more Columbino, iram sine felle in corde, & in lingua ferens, & irascitur vitijs, & bellum cum erroribus gerit.* Hucusque gemitus Columbæ, deploratorum, & plangentium distinctionem apertissimè tradens. Sed ne infirmi ex his verbis occasionem detrahendi Sacris Ordinibus sumant, aut hæretici maiorem ansam debacchandi accipiant, maximè cum protoparens ipsorum Lutherus in quodam articulo damnato pronunciatit, (*præstare omnes saccos mendicitatis delendos*,) neuè etiam aliqui ex plangentibus vanæ gloriæ tentatione pullentur ad efferendum se super alios ordines; his malis obuiandum est, non meis dictis, sed Scripturæ sacræ, & Sanctorum documentis: & zelus gementis Columbæ quoad fieri potest excusandus, & exponendus.

In art. damnatis art. vlt.

CAPVT II.

Turtur deploratorum cœtum repræsentans, Columba, charitatis arctissimo vinculo colligata, gemendo pariter tepidorum fatetur infirmitatem, & spiritalis veris Religiosi status, amœnitatem enunciat.

A Columbino gemitu vniuersus deploratorum cœtus excitatus; instar Turturis, dum præsentium temporum statum, conditionemque miratur, reciprocos edit gemitus; & dum cælestium charismatum affluentiam, quibus adhuc in senecta vberi diuina repletur gratia considerat, spiritualis veris amœnitatem canendo significat; vt si inde gemat Columba, quod vineam Domini fere exterminarit aper de sylua, & singularis ferus depastus sit eam; hinc quia *Vox Turturis audita est in terra nostra*, occinatur, *Ficus protulit grossos suos, vineæ florentes dederunt odorem suum*, illud diuinæ pietatis erga Turturem argumētum amplificans, quod in granis in botro relictis ex vindemia calamitatum hostilium, dissipatio diuina voce prohibeatur; *quia Domini benedictio est*; nec vindemiata vinea à furore inimico, inferior sit nouis vineis Engaddi. Et quamuis Religiosorum Familiæ tanquam Turtures viduatæ maritis (Sanctis videlicet illis, qui eas fundarunt viduitatem, & sterilitatem passæ plangantur; nihilominus in amore coniugum perseuerantes, tanquam eremi incolæ conuallia penetrantes, solis ardores, aeris inclementiam, persequentiū insidias sustinentes, primæuam institutionem adhuc retinentes, in præruptis rupiū cubile fundantes, sine timore suos volare prouocant pullos. Nec desertas se putant, quia non vident Basil. Aug. Benedictum, Bern. Romualdum, Brunonem, Dominicum, Francisc. illos inquam per quos fundatæ sunt, quia eis meritò dici potest. *De prole tua tibi creuit paternitas, pro Patribus enim tuis nati sunt tibi filij*: vt in oculis Dei fortasse multò plures esse possint filij eius, quæ vocatur sterilis, & deserta, quàm eius, quæ vt fœcunda celebratur, & ex Monachorum multitudine, *Nonnullos, id est paucissimos piè victuros, & saluandos, plurimos autem neglecturos, & salutem perdituros*, deplorat. Et vt ordinatè procedamus; Primò singultum Turturis, mox exultationes in gutture eius attendamus.

Cant. 2.

Isa. 65. Ex Chrys. hom. 8. de Turture tom. 5. in principio.

Aug. in Psal. 44

CAPVT III.

Eiusdem Turturis gementis singultus primò expenditur.

PRimò ergo singultus Turturis occurrit, conditionem naturæ lapsæ, & si per gratiam instauratæ (ne inueniatur inimica gratiæ sub laude naturæ) deplorans, & de pulchritudine ex dono Dei, casto timore exultans, siue admirantibus, siue insultantibus, aut illam non secus, ac Æthiopissam, Moysis vxorem traducentibus, vel æmulātibus: aut etiam aliquibus imperfectis se super alios efferentibus, blandè, & dulciter alloquitur: & non tam humili, quàm veraci confessione vocem illam in Canticis Canticorum descriptam, assumit, dicens. *Nigra sum, sed formosa filiæ Hierusalem, quasi tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.* Nigra sum per culpam (iustus enim in principio est accusator sui) formosa per gratiam. *Nigra puluere sæculari, quem certando collegi: decora oculo spirituali, quo mundi huius puluerem, squaloremque detersi. Nigra per lapsum, decora, quia dilexit me sol, & prior facta sum congregatio Dei.* Nigra in quantum tenebras mortalitatis porto, nigredine corruptionis inficior. Formosa dum Sanctos, qui ad imitationem Christi se mortificant, imitari non negligo. *Non prius quod spirituale, sed quod animale*, atque mortale intuendum exhibeo: quæ etiam si pauonis instar, elata ceruice, pennisque in orbem concinnatis, atque oculis aureo quodam, gemmantique fulgore in aceruum contractis, fastuoso incessu, me velut in theatro ostentandam, & spectandam proponerem, tamen pedes intuendo, infirmos scilicet fratres, illud adaptare necesse est. *Sordes eius in pedibus eius*, & cum sanctis pueris, qui (ex Chrysostom.) *vt iusti flammam calcauerunt, vt humiles autem peccatores se vocauerunt, dicere cogor. Peccauimus, iniquè egimus recedentes à te, & nunc non possumus aperire os, confusio, & opprobrium facti sumus serui tui, & his qui colunt te.* Exterius ventis, pluuijs, spiritibus procellarum variarum tentationum, tabernaculorum Cedarenorum more exposita, deformitatem contraxisse videor: sed *qui extendit cælum sicut pellem*, pellibus Salomonis aulæis, seu tapetis picturatis, seu tentorijs bysso, & purpura, auro, serico versicoloriter contextis, assimilauit me: ior enim SS. ac Beatorum splendoribus illustror, ab eo qui *amictus est lumine sicut vestimento*, vt his tanquā ornamento vestiar, & *vestitu deaurato* procedā, *circumamicta varietate*: multoque magis omnis gloria ab intus refulgeat, nō foris, hoc est, ex Bern. *non in flore fœni, aut in ore vulgi*, sed in domino. Nigra ergo vestro, formosa diuino, Angelicoque iudicio: & si nigra forinsecus sum: *mihi autem pro minimo est, vt ab hominib. iudicer*, aut qui secundū faciem iudicant; nā & de operibus idē Bern. *Sæpe incerta, & ob hoc periculosa sententia fertur, cum multoties minus iustitiæ habeant, qui magis operantur.* Sunt autē fateor nonnulli, in omnibus nedum in oculis Dei, sed in oculis hominū, quorū facies denigrata est super carbones: sed *Audi*, ait Bern. *quid per Prophetam Deus promittat, istiusmodi nigris, quos aut humilitas pœnitentiæ, aut charitatis zelus, tanquā solis æstus decolorasse videtur. Si fuerint*, ait, *peccata vestra vt coccinū, quasi nix dealbabūtur &c.* Verūtamen propter auersos, & nondū cōuersos, *non dico fusca fui, vt tabernacula Cedar, & speciosa sum, vt pelles Salomonis, sed vtrū que esse dico, propter vnitatē intra vna retia piscium bonorū & malorū: tabernacula enim Cedar ad Ismaelem pertinent qui non erit hæres cū filio liberæ.* Non est præsentis vitæ omni vitio, seu nigredine, & deformitate carere: cum *ne quis sibi, quasi innocens placeat, & se extollendo plus pereat, instruitur, & docetur se peccare quotidie dum quotidie pro peccatis* iubetur

Cant. 1. ex Chrysost.
Ex Ambr. de Spirit. Sancto
Ex Orig. in Cant.
Aug. in Psal. 44
Serm. in C[...]
Apo[...] Gui[...]
Serm. Can[...]
Aug. doct. Christian.
Cypr. Aug. bono pers.

iubetur orare. Alterius vitæ ſtatus eſt, cum erit glorioſa Eccleſia non habens maculam, neque rugam; quæ peregrinans in terris, & militans, impios, & ſcandaloſos portat. Quærere ergo velle in quacunque congregatione, quæ ſub cœlo eſt: ſpeciem ſine næuo, aream ſine paleis, triticum abſque lolijs, nodum in ſcirpo quærere eſt. Si autem is, cui tribuitur officium plangendi, tanquam verum, & viuum membrum Eccleſiæ celebrari audit, meminerit, vt nõ in ſe, ſed in Domino glorietur, & ſit quoque in iſta ſancta gloriatione diſcretio, vt non ad omnes, & ſingulos profeſſores ſuos hoc dictum extendatur, ac ſi omnes, & ſinguli eſſent vera, & viua membra, ſed ad eos ſolos, qui apud oculos ſponſi vera, & viua charitate informantur tale dictum pertineat, qui & infirmos quoque portãt, & plangunt. Facta autem omnium cauſa communi, vt in omni congregatione ſint deplorantes, & deplorati, vniformis, atque communis ſit omnium deploratorum gemitus *Nigra ſum, ſed formoſa filiæ Hieruſalem.* Quod ſi plures in Turture habeat quos plangat Columba, ſaltem (vt ſcribit Aponius) populos, & puſillos, & factioſos, qui ex huiuſmodi gemitu obloquendi materiam accipiunt in compitis, in theatris, in Academijs, propter paucorum imperfectionem, in vniuerſum omnes Religioſos tales exiſtimãtes inſtruat, his comparationibus ſponſæ, (*Nullam perſonam execrari quam maximè, qui præeſt populo Chriſtiano, etiamſi minus ſplendeat conuerſatio eius in ſanctis operibus, ſed propter præcelſum ordinem venerandum, quia non ad eum reſpicit honor, ad ſancta Sanctorum Martyria, quæ intrinſecus contingere ordo Sacerdotalis cognoſcit. Arca enim teſtamenti, quæ typum corporis Chriſti gerebat, cui fluenta Iordanis, cui muri Hiericho, cui Allophylorum ferocitas ceſſiſſe legitur, viliſsimis pellibus erat contexta, & viliſsima ſunt papyro* *Lib.1. com. in Cant.* *contexta tabernacula Cedar, ſed magni de ſtirpe Patriarchæ. Abraham enim generauit Iſmaelem de Agar, & Iſmael inter cæteros genuit Cedar* (Et ſubdit Aponius eodem loco) *Filia Hieruſalem non vileſcat vobis extrinſecus minus, & pulcher aſpectus, qui tabernaculis Cedar, & pellibus Salomonis aſsimilatur, quia licet vilia ſint, magni tamen Patriarchæ* (BENEDICTI, ſeu DOMINICI, ſeu FRANCISCI) *contegunt prolem, cui benedixit Deus in auo, in quo benedicta ſunt omnes nationes terræ.)* Quod ſi populi ſupradicti factioſi inſtrui non patiuntur à gemente Columba, ſaltem iſtas animas æmulas, laceſſentes, quæ de numero adoleſcentularum eſſe videntur, & non ſunt, deplorati turturis mitis vox moueat. Studens enim eſſe pacifica, ſciens pariter omnibus ſe eſſe debitricem, non maledictum illis pro maledicto reddidit murmurantibus, aut obloquentibus, ſed benedixit potius fauorabili demulcens vocabulo, Filias Hieruſalem appellando, quia curæ eſt etiam Turturi, & ſi languenti, *infirmorum potius operam dare ſaluti, quàm propria vltioni, parando aduerſus phreneſim animæ, non vindictam, ſed medicinam.* *Ex Bern. ſerm. 25. in Cant.* Vnde & eaſdem ab admiratione nigredinis, & ſcandalorum repellendo, & inſtruendo pariter contubernales, & factioſos, & huiuſmodi homines, aut ægrè ferentes, ſeu æmulantes forte, quod prior in cellam vinariam delitiarum ſponſi fuerim admiſſa, vel paritatem, vel ſuperioritatem, in ea parte, quam diligunt affectantes, ac proinde ob id nigredinem objicientes, non tam hortor, vt ad nigredinem, ſed etiam ad venuſtatem oculos dirigant, & deformitatis pariter rationes attendant.

* * *

CAP.

CAPVT IV.

Impugnatur prima causa tepiditatis infirmorum, quae tamen paucorum Religiosorum, ex mutatione, & rerum inconstantia, humanae naturae conditione, & similibus euentibus.

NOlite ergo *me considerare, quod fusca sim, quia decolorauit me sol*, cuncta enim quae sub sole fiunt, solisque circuitionibus sunt subiecta, mutationi, varietati, incõstantiae sunt obnoxia: *res* enim *humanae, velut orbe quodam voluuntur fratres*, ait Nazian. & infra, *nihil motus expers est, nihil planum. & aequabile, & in finem vsque sibi constans. Non laeti & tranquilli animi affectio, non agritudo, non opes, non egestas non vires, non infirmitas, non humilis, aut abiecta vitae conditio, non principatus, non praesens, non futurus rerum status non nostra, non aliena non parua, non magna, nec denique quidquid dicere quisque possit, atq; aequale hoc vnum habet ipsa inaequalitas, quod in omnibus rebus huiusmodi vicissitudo reperitur; omnia quippe facili quodam circuitu feruntur, atque recedunt, sibique inuicem aduersantur vt ventis tutius, aut lineis in aquis descriptis, fides haberi posse videatur, quam hominum felicitati.*

Nec species sua cuique manet rerumq[?]e nouatrix,
Ex alijs alias reparat natura figuras.
dixit ille.

Et in operibus iustitiae) *nec in eodem statu mens hominis potest iugiter permanere. nec in hac carne consistens, ita virtutum apicem possidebit quisquis ille Sanctorum, vt immobilis perseueret: necesse est enim, aut aliquid adijci illis semper, aut minui, nullaque in omni creatura talis poterit esse perfectio, quae mutabilitatis non subiaceat passioni, secundum illud quod in libro B. Iob legitur. Quid est homo vt immaculatus sit, & vt iustus appareat natus de muliere, ecce inter Sanctos eius nemo immutabilis, & caeli non sunt mundi in conspectu eius. Solum namque Deum immutabilem confitemur)* Quod si illi Coelestes spiritus *esse ex se incommutabiles nequeunt, qui nulla carnis infirmitate deprimuntur, qua temeritate*, ait Greg. *se homines in bono permanere constanter existimant, quos in eo quod intellectus ad summa euehit, carnalis infirmitas aggrauans praepedit, vt per corruptionis vitium in semetipsis habeant, vbi ad intima nouitate veterascant?* Quid dicit Iob? *Ecce qui seruiunt ei non sunt stabiles, & in angelis suis reperit prauitatem, quanto magis hi, qui habitant domos luteasq ui terrenum habent fundameetum consumentur velut à tinea?* Si tineas vides, nempe peccata, & scandala, vestimentum considera vnde exoriuntur. *Quasi enim quadam sua tinea, vestis nostra consumitur: cum caro corruptibilis tentationem gignit, & per hanc ad interitum peruenit.* Conditio ergo mutabilitatis humanae cordatos viros admonere debet, non oportere mirari super asserta scãdala, siue quia sunt, siue quia pusillorum corda conturbant, nam si sunt, futura esse praedicta sunt, & ex veteris, & exterioris hominis corruptione, qui de die in diem corrũpitur, materia subministratur, vt sint: quorum euentu si pusilli offendantur non expauendum, adhoc enim sunt; ad probationem, & exercitationem piorum, & vt frumenta dominica solida charitate ponderosa, à leuissimis paleis aduenientε ventilatione dignoscantur. Sicut ergo permissionem ex parte Dei, causalitatem ex parte hominis habent vt sint, sic finem quoque sortita sunt ob quem sint, ne esse non possint, quia & *Dominus noster nostrorum Ducum contra scandala exuscitauit, & armauit excubias dicens. Impossibile est vt non veniant scandala.* Sicut autẽ nullus mirari debet de morbo, vel morte, quia est, vel quod hominem interimit, ad id enim est: sic non expauendum, quod scandala oriantur, & pusillis sint offendiculo, cum oporteat ea esse, quae dum sunt hoc possunt, & solum vigilandũ

S.Greg. l.5 Mora. c.19.

Ca.4.

Greg. ibid.

Chrys. ser. 27.

est ne possint, & tanquam muscipulas à pedibus insipientium remouenda, nam hoc ipso, quod scãdala in religionibus esse proponeremus, scandali materiam assumerēt pusilli, quæ tollitur prorsus dum reticētur, atque eadem tanquam monstruosi partus ab hominum ablegantur aspectu.

CAPVT V.

Ex vetustate, & antiquitate Religionum in tepidis decoloratio processit, quam Monarchia quoque passæ sunt.

IPsæ quoque multiplices cœli, solisque conuersiones, quibus hominum metiuntur ætates, sicut senectutem tandē in humano corpore causant, & cum senectute morbos, & interitum, sic in omni Reipublicæ corpore varij status, atque vicissitudines inspiciuntur, dum Regna Regnis succedunt, omnibus tandem sicut aquæ bullis euanescentibus. Mirū ergo esse non debet (si non in eodem statu permanēdo) decolorauit me sol. Aspice quæso dicam cū Philone, quanta (*ante Macedonum Imperium, inclyta fuerit Persarum felicitas, sed vna dies tam ingenti Regno finem attulit. Fuit Aegyptiorū perampla, & magnifica potentia, sed nubis in modū eius felicitas perijt. Quid Aethiopes? Quid Carthago? Quid Africa? Quid Pontici Reges? Quid Europa, Asiaque? & vt compendio dicā totus orbis habitabilis? Nonne more nauis susque deq; iacta tæ marinis fluctibus, nunc aduersis ventis, nunc secūdis vtitur? Nam verbum diuinum choreas in orbe ducit, & omnes gentes circumlustrando, nūc his, nūc illis imperia vel tribuit, vel adimit. Nihil igitur est in humanis rebus præter vmbram, auramq; leuissimam, sine mora prætervolante, eunt enim vltrò citroque tanquam æstuaria.*) Nonne temporis rabie, quæ omnia absumit, *Transire fecit Samaria Regem suum, quasi spumam super faciem aquæ?* Vnde (vt commentatur Hieronym.) sicut spuma quæ super aquam est cito dissoluitur; sic regnum decem tribuum velociter finitum est. Eadem temporis vetustas Monarchias Monarchijs adiunxit, in argentum auro, in ferrum, argento, in æs ferro, extremis in lutum declinantibus eadem Troianos cantare coegit.

Lib. quod Deus sit immutabilis. — *Os. 10.*

Nos fuimus Troes, fuit Ilium, & ingens.
Gloria Dardanidum,) & ille.
Quid numerem euersas vrbes, regnûmque ruinas,
In rogo Crasum, Priamumque in littore truncum?
Cui nunc Troia rogus? &c.

Virg. Æn. *Manil. l. 4. Astronom.*

Sed, vt dicebat Aug. *Multum est ad nos, & valde superat vires nostras hominum occulta discutere, & liquido examine merita dijudicare regnorum. Ille igitur vnus verus Deus, qui nec iudicio, nec adiutorio deserit genus humanum, quādo voluit, & quantum voluit Romanis regnum dedit Assyrijs, vel etiam Persis &c.* Ille idem, *qui Mario, ipse Caio Cæsari: qui Augusto, ipse & Neroni: qui Vespasianis, vel patri, vel filio suauissimis Imperatoribus, ipse & Domitiano crudelissimo: & ne per singulos ire necesse sit, qui Constantino Christiano, ipse Apostatæ Iuliano.* Præcipuè autem Imperium Romanum, longè, lateque diffusum legimus, quia, vt dicit Aug. *Omnibus artibus tanquam vera via, nisi sunt ad honores, imperium gloriam, honorati sunt in omnibus ferè gentibus; Imperij sui leges imposuerunt multis gentibus; hodieque litteris & historia gloriosi sunt penè in omnibus gentibus.* Quare non est quod de summi, & veri Dei iustitia conquerantur, *perceperunt mercedem suam* non eam, quæ Sanctorum copiosa est in cœlis, & apud Deum habet gloriam, quæ in voce, & fama posita est, ad hoc enim anhelabant, vt etiā post mortem viuerent in ore laudantium, nec est in terris perfecta eorum merces, nam fama permanante, ipsa Romana Respublica in ipsa sua felicicitate corruit, quā industria humana illibatam seruare satagebat.

5. de Ciuit. Dei c. 21. *Lib. 5. de Ciu. c. 15.*

gebat Ipsa vero Ecclesia Catholica Christi Domini regnum, quod omnes Monarchias longè lateque exuperat (cuius non erit finis) suas habuit ætates, & nunc in senium declinans expetitur sanguinis frigiditatem in dilatatione tentorij sui, vnde illud completur, *& quoniam abundabit iniquitas, & refrigescet charitas multorum.* Quid mirum si decolorauit me sol? an maior pars toto? An dignior vna aula palatio? Quid si hoc ipsum patiantur tot membra Ecclesiæ præcipua Sanctorum videlicet diuersi ordines, cum in suo vastissimo corpore, hæc & maiora propter malos patiatur Ecclesia? Nihil mirandum quod tam breui tempore sodales sponsi non asserantur obfuscati, cum non nisi octuaginta circumuolutiones solares aspexerint. Debilitatem illam membrorum, tam sancta sodalitas, non adhuc potuit experiri, quæ adhuc in adolescentiæ flore subcrescit. Sed si senectam exoptat, & vsque ad senectam & senium perduci, similes, aut fortasse maiores pati posset ærumnas. Quod si nouam adhuc inauditam priuilegiatam, Ecclesiæ inconcessam prætendit ætatem, vt in nullo suorum caliget oculus, eius membra non vacillent, ingrediaturque in abundantia sepulchrum, sicut infertur aceruus tritici in tempore suo, & in nidulo suo moriatur, & tanquam Phœnix dies multiplicet, iam vt scribit Lactantius de Phœnice,

Matt. 24.

Convenit Aegyptus tanti ad miracula visus.
Et raram volucrem turba salutat ouam.
Protinus insculpunt sacrato in Marmore formam.
Et signant titulo remque, diemque nouo.

Quam tamen existimationem non putandum est, hos Dei famulos habere, qui cum Psalmista canunt. *Non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei, neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me.*

Psal. 130

CAPVT VI.

Prodigij loco habendum, quod vetustæ Religiones alacriter currant, non secus, ac iuuenculæ in Euangelicæ prædicationis stadio, vt apparet in nouissima Indorum conuersione, & quod non in se, sed in Domino Euangelij Prædicatores gloriari debent.

IMitatur certè animarum religio corporum rationem, quòd sicut parua sunt lactentium membra, robustiora iuuenum, debiliora senum, sic & in spirituali profectu regulariter iuuentutis feruor ætatem senilem exuperat, & excedit. Non est ergo æqua comparatio iuuenculæ (quæ processit quoque parata, & ornata sicut sponsa viro suo) cum ea quæ viuidis annis iam consolidata in maturam processit ætatem: potuit enim tam breui tempore diuina ope primum feruorem iuuentutis hucusque seruare, earum calamitatum expers, quibus, vel corpus totum intercidere, vel prodigiosum fieri, vel certè debilitari poterat. Illud certè prodigiosum, quod aliorum sacrorum Ordinum corpus Benedicti, Dominici, Francisci, &c. vsque in senectam, & senium productum, vltimam adhuc sperans senectutis periodum, in misericordia vberi robustissimum perseueret, & in Euangelicæ prædicationis stadio cū iuuenibus, etsi athletis fortissimis pari, ne dicam maiori cursu contendat, nec sudoribus fatigatum ante, & hoc etiam tempore per vniuersum orbem excurrat, disseminans Euangelium Christi. Anno 1541. S. Pater Franciscus Xauerius Societatis Iesu, Vir Apostolicus Vlyssipone soluit in Indiam Orientalem, ad Iapones vsque penetrauit,

trecenta

trecenta infidelium millia ad Christũ adducendo, primus in Iapone Fidei plantator; Inde viâ factâ in mari equis suis eandem Iaponis oram, vbi Catholicæ fidei fundamenta iecit Beatus iste Pater, Anno 1549. Deinceps penetrarunt pientissimi Patres, Cosmas Turrianus, Ioannes Ferdinandus, Petrus Alcaceua, & alij eiusdem Societatis viri. Sed primus omnium, qui in Indijs Occidentalibus Christi fidem annunciauit, fuit Pater Bucil. Cathalanus Ordinis Sancti Benedicti, cum duodecim socijs eiusdem Ordinis. Ea enim orbis parte inaccessa, & innauigabili, sub Regibus Ferdinando, & Isabella, à Christophoro Columbo patefacta, & omnium primâ insulâ illa (quam cum sancti Dominici die festo inuenissent, eiusdem nomine nobilitarunt) ab Alexandro VI. ijs duodecim Sacerdotibus præfectus ad eas oras destinatus Bucil. longe lateque Christianam Religionem propagauit. Postea anno 1497. immẽsa Regna Occidentẽ versus, ab Americo Vespusio reperta, nomine suo Americæ sunt appellata. Porrò in Perù amplissimo Regionis Americę Regno primus creatus est Episcopus Frater Vincentius è Valle Viridi Ordinis S. Dominici, Martyr illustris, Gẽtilibus innumeris, à Fratribus eiusdẽ Familiæ, suaui Christi disciplinæ subiugatis. Cuzcho Peruanæ Prouinciæ Metropoli, Ioannes Solanus Dominicani instituti Episcopus præficitur. Ibidem Ioannes Osias Dominicanum, & Sebastianus Frãciscanum Cœnobium primi omnium cõstruxerunt. In Ciuitate quam vocant Pacis, quæ Episcopo Cuzchi subijcitur, Franciscus de Angelis Monasterium S. Francisci fundauit primus: in Cinquito verò primus Monasteriũ Dominicanum, extruxit Thomas è Sancto Martino. In Villâ Argẽtiante alios Cœnobium S. Francisci erexit Hieronymus; In Chinquana aliud Dominicanorũ Martinus Squinellus: aliud Religiosorum Mercedis, seu Redemptionis Captiuorum, Sebastianus. Qui omnes per conuicina loca dispersi, plurimos Christo pepererunt. Vrbi Regũ primus ex Ordine sancti Dominici Hieronymus assignatur Episcopus, vbi primus familiam S. Frãcisci constituit Franciscus de S. Anna, Dominicanorum Ioannes Osias, aliamq; Michael Orensis: Petrus Vlloa vnam in Arequiqua, alteram in Ciuitate Leonis, Guanuoi, ambas Ordinis Dominicani. In Prouincia Quitensi anno 1530. Fratrum Prædicatorũ ministerio annũciatus est Christus populis Burgensibus, Popayanensibus, Quilicẽsibus, Pupilianẽsibus, Hipialẽsibus, Chimbensibus. Primus verò omnium in eadem Prouincia, Alphonsus è Mõte Nigro Ord. Prædicatorum Cœnobium: Ludouicus Belga Franciscanorum, Martinus de Victoria Mercedis, fundauerunt. Et ex his ait Bozius, *quasi quibusdam doctrinæ, & sanctimoniæ castris, procedunt variæ ad profligandas impietates, & belluinos hominum mores, Christiani exercitus acies inuictæ.*

Tho. Bozi. de signis Eccles. l. 4. c. 3.

Fr. Alphons. Fernandez in concertat. Prædicatoria.

De signis Eccl. sup.

Post Columbum, & Vespusium, Ferdinandus Cortesius latissimas Oras Mexicanas reperit, qui multis sibi adiunctis socijs è Familia S. Francisci, innumeros Christo Populos acquisiuit. Sanctus verò Francisc. (ait Bozius) hoc est meritus, vt prius huiusmodi Indiarum Mexicanen. primus ex ordine ipsius crearetur Episcopus Ioannes Cabedus. In Ciuitate vero Mexicana passim constructa visuntur Monasteria Religiosa Sanctorum Augustini, Dominici, Francisci, & Societatis Iesu. Hæc scilicet tẽtoria à nostris fixa, hæc domus Iacob ad quam fluunt omnes gentes, & quotidie ad amplectendam Catholicam fidem inuitantur populi de longinquo, & ab extremis terræ.

Age verò, qui cupis in Orientalibus

Indijs

Indijs curiositatem exercere, percurre quæso remotissimas eas oras, antiquis inuias, sub Emanuele Lusitano, & Rege Ioanne eius filio nobis peruias, & videbis Prædicatorum, Franciscanorum, Augustinienſium, & aliorum Ordinum, vocem tanquam buccinam fortiter, vsque in hanc diem personantem, nam & si maxima laus debeatur S. Patri Francisco Xauerio, & Patribus Societatis, qui Euangelium per eos tractus indefesse, & laudabiliter disseminarunt, plurimi alij etiam pro gentium Orientalium conuersione, quibus nihil de Euangelio nunciatum erat, sedentibus in tenebris, & in vmbra mortis, vt boni cooperatores multiformis gratiæ Dei collaborarunt in Euangelio disseminando, & euntes ibant, & flebant mittentes semina sua, inter quos enituit Hēricus, postea Septēsis Episcopus, magnæ sanctitatis vir, cū quinque socijs, ex Ordine sancti Francisci. Proxima est tibi Goa ad Gangem sita, hic nedum illustre Collegium Societatis reperies, sed multas Familias ex Ordinibus Sanctorum Augustini, Dominici, Francisci vni operi intendentes, vt ex ea Metropoli, Christi cultus per Indiæ totius oras maximè amplificetur. Si in Malacham, quæ olim aurea Chersonesus, pedes protendas, similes tibi occurrent Angeli veloces, destinati ad reparandam gentem conuulsam, & dilaceratam. Si ex eo maris tractu, qui ex Chersoneso aurea circumadiacentibus Insulis Moluchis extendit ad Sinas vsque excurres, & Philippinas adibis, omnium Ordinum myriades fidem Catholicam plantantes, rigantes, excellentes occurrent.

Laborabant ergo prius antiquorum Ordinum Viri, & paucis exceptis Regnis, & prouincijs, primi omnium, & soli torcularia calcabant, & gaudent, quod ipsi laborauerunt, & alij Religiosi diuersorum Ordinum post eos in labores eorum intrauerint, nondum enim in maiori, tam Orientalium, quam Occidentalium parte nouissimi operarij disseminauerant Euangeliū, nec Ecclesias fundarant, quæ cum nostris antiquioribus postea confœderatæ sunt eiusdem fidei Sacramento, & consanguinitate doctrinæ. Quare antiquorum Ordinū Familia illud dicere posset. Prior est nostra Indiarum possessio, olim possideo, sed non sola possideo: priuatam nolo gloriam, quæ publica, & Dei est, priuatā nolo esse prædicationem, quæ ad publicam destinatur vtilitatem per publicos legitimosque præcones: communem volo esse non priuatam veritatem, ne priuer ea; solam prioritatem, vt tesseram antiquitatis exhibeo, priorem nostrorum cursum fuisse contendo. Quis autem velocior, vel fructuosior, ille iudicet, qui operatus est, vt velociter curreret sermo eius, & prædicatores, vt Aquilæ volarent, & non deficerent. Sed vide iuniorum fratrum modestiam, quod nullo modo de prioritate, vel de cursus velocitate palmam referre contendant, etiamsi cursus velocior appareret; scriptum enim legunt quod, & cum omnibus tanta modestia obseruant. *Honore inuicem præuenientes.* Quare etiam Petrus, & Ioannes currebant ambo simul, & ille alius discipulus præcurrit citius Petro (tamen omissis alijs titulis, & prærogatiuis Petri) ob venerandam canitiem Petrus prius monumentum ingreditur. Rom. 12.

Verum non quærenda ab hominibus gloria, sed à Deo, qui probat corda nostra, *vnde non ei dignè seruit soliditas, firmitasq; virtutū, &c.* si vnde *placeatur hominibus, ventosæ gloriæ seruiatur*, religiosus enim homo Dei cultor, *plus intendit in ea in quibus sibi displicet, quam in ea si qua in illo sciat, quæ non tam ipsi, quàm veritati placent. Neque id tribuit vnde tam potest placere, nisi eius misericordia, cui* Lib. 5. de ciu. c. 20

 me-

metuit displicere, qui, & si nouissimos operarios in merito, & gloria pares faciat ijs, qui portauerunt pondus diei, & æstus, Dominus est; nulli iniuriam irrogat, taliter sua bona distribuens secundum mensuram donationis Christi, & secundùm proportionem meritorum, quæ non tempore, sed charitatis feruore mensurantur, sicut pariter retributio, & remuneratio. Non æmulatur charitas, quod alij æquale, vel maius accipiant, & si ipsa æmuletur charismata meliora: *hoc enim* (ait Chrysostomus) *proprium inuidiæ* (quam suppono, ex omnium religiosorum perfectorum cordibus relegatam) *quando alteri aliquid additur, sic dolent inuidi, quasi illis sit aliquid subductum quod illi est additum; vt puta, si viderit fieri aliquem ditiorem, putat inuidus se pauperem factum: si alter sapientior fuerit factus, ita dolet, quasi ipse sit insipiens factus, intelligis, quia ex vana gloria nascitur inuidia: Nam ideo dolet esse secundus, quia desiderat esse prior.* O quam multi, ait idem Chrysost. imperfectos Christianos plorans, & tepidos sacræ religionis professores, *tabescunt & per eum cum alios se præclarè gerentes, cum omnem Ecclesiam, vel verbo, vel quopiam alio modo adiuuari viderint, &c. Cum diabolo tales Ecclesiam impugnant, fortassis autem & Diabolo peius; nam ab hoc quidem caueri potest: illi verò dilectionis induentes personam, clanculum ignem accendunt; sæpius in fornacem immittentes, & morbo laborantes, qui non solum haberi misericordiæ possit, verum multum habeat risum. Quid enim quæso palles, & tremis, & trepidus factus es? & quid mali factum est, quod splendidus frater, & illustris est, & probabilis? Non itaque coronari fuit opus, & gaudere, atque Deum glorificare, quod membrum tuum est splendidum, & illustre? Sed doles, quod Deus glorificatur. Vides, quo tendit impugnatio? sed non quod Deus, inquit, sed quod frater glorificatur. At per hunc ad Deum gloria redundat, igitur & impugnatio tua. Verum hoc, inquit, me non contristat, sed per me Deum vellem glorificari. Gaudeas igitur se gloriosum exhibente fratre, & per te rursum Deus glorificabitur, & omnes dicant. Benedictus Deus, qui tales habet seruos ab omni liberatos inuidia, mutuò congaudentes bonis. Et quid dico fratrem? Nam licet hostis esset, & inimicus, si tamen per hunc Deus glorificaretur, amicum fieri propter hoc oporteret: tu verò amicum facis inimicum, quoniã propter illius prosperitatem Deus conglorificatur. Si quis corpus tuum malè se habens curauerit, licet sit inimicus, ipsum tam de primis amicorum esse censebis. Christi verò corpus amantem, id est, Ecclesiam & amicum ducis inimicum, quomodo contra Christum pugnam aliter pratulisses? Propterea siue quis signa faciat, siue virginitatem, siue ieiunium, siue humi stratum excolat, siue ipsos Angelos virtute præueniat, omnium erit scelestissimus hunc habens defectum, & adultero, lenone, & latrone, ac fure iniquior.* Ergo ne in has vitiorum inanis gloriæ, & æmulationis voragines præcipitemur (quod Deus ob suam misericordiam non permittat in Religiosis pectoribus) qui maior est, fiat sicut minor, & primi nouissimi: pusillo enim gregi Apostolico complacuit dare regnum; *acquisiuit enim humilitas, superbia quod amisit, & grex pusillus, ac mitis totus, & varias edomuit propria mansuetudine feritates, pusillus grex vicit, & fregit tot genera bestiarum, quot diuersitates subdidit iugo Christi nationum.* Quare & si prioritate temporis alios antecederem in Apostolicâ culturâ, pusillam in meritis, atque nouissimam me existimo & fateor, non inuidens ex Dei gratia fraternæ charitati, nec de gratia, & charitate, Deique donis me extollendo, & inaniter gloriando. Qui, & si alios operarios maiori voluerit rutilare splendore, hoc ipsum fulgere est, quod tam vniformiter difformiter inaccessibile lumen effulgeat. Et si respectiuè comparatam me nigram voluerit

In imperf. c. 20. hom. 34.

Hom. ad pop. Antio.

Chrysol. ser. 23.

rit appellari, iam dicere possum ad sodales sponsi. *Nolite me considerare quod fusca sim, quia decolorauit me sol.*

CAPVT VII.

Ex doctrina S. Bonauenturæ aliæ causæ assignantur tepiditatis aliquorum imperfectorum Religiosorum, quæ cautionis, timoris, & humilitatis fructus subministrant, ne superbi incidant in foueam perditionis.

Sed etiam nigredinis meæ aliam accipe rationem ex sancti Bonauenturæ doctrina; qui varios ardores, quibus obfuscari potest vnaquæque Religio elegantissimè tradit.

Ad Generales Ministrum, & custodem oppresi.

Epistola S. Bonauenturæ.

Sanè perquirenti mihi causas, cur splendor nostri Ordinis quodammodo obfuscatur, ordo exterius inficiatur, & nitor cōscientiarum interius deseratur, occurrit negotiorum multiplicitas, qua pecunia nostri Ordinis paupertati super omnia inimica, auidè petitur, incautè recipitur, & incautius contrectatur.

Occurrit quorundam Fratrum otiositas, quæ sentina est omnium vitiorum, qua plurimi consopiti monstruosum quēdam statum inter contemplatiuam, & actiuam eligentes, non tam carnaliter, quā crudeliter sanguinem comedunt animarum.

Chrysol. ser. 1

Occurrit euagatio plurimorum, qui propter solatium suorum corporum, grauando eos, per quos transeunt, non exempla post se relinquunt vitæ, sed scandala potius animarum.

Occurrit importuna petitio, qua omnes transeuntes per terras, adeò abhorrent fratrum occursus, vt eis timeant quasi prædonibus obuiare.

Occurrit ædificiorum constructio sumptuosa, & curiosa, quæ pacem fratrum inquietat, amicos grauat, & hominum peruersis iudicijs multipliciter nos exponit.

Occurrit multiplicatio familiaritatum, quam regula nostra prohibet, ex qua suspiciones, infamationes, & scandala plurima oriuntur.

Occurrit improuida commissio officiorum qua fratribus, nondum vsquequaque probatis, nec carne maceratis, nec spiritu roboratis imponunt officia vix portanda.

Occurrit etiam sepulturarum, & testamentorum auida quædam inuasio, non sine magna turbatione Cleri, & maximè Sacerdotum.

Occurrit mutatio locorum frequens, & sumptuosa cum quadam violentia, & turbatione terrarum, cum nota inconstantiæ non sine præiudicio paupertatis.

Occurrit tandem sumptuositas expensarum, nam cum Fratres paucis nolint esse contenti, & charitas hominum refrigerit, facti sumus omnibus onerosi, magisque fiemus in posterum: nisi remedium velociter apponatur. Hæc S. Bonau. aliquorum sui temporis tepiditatem, neque totius sui Ordinis, sed paucorum in tanta multitudine statum deplorans, ad nostram, & tuam etiam cautelam sodalis sponsi. Nam si ex Dei gratia, & non tua industria omnes tui liberi, & exempti ab his malis à nonnullis celebrantur, cautus esto & vigilans ad rimulas omnes præcludendas, ne aquæ te mergant in profundum. Ante languorem adhibe medicinam. Si verò agnoscis in aliquo hos defectus, & ita excusare tentatis, vt occultare, vel confiteri erubescas: iam scis contra hanc tentationem (si irreperet) quod scripsit Chrysologus serm. 30. *Et quis est peccator, nisi qui se peccatorē negat? magis ipse peccator est, & vt verius dicam, ipse iam peccatū est qui se iam non intelligit peccatorem.* Si autem humiliter confiteberis aliquem saltem

imperfectum sodalem à feruore primo priorum Heroum, & Sanctorum virorum tuorum vestigijs, nonnihil declinasse; virgulam censoriam, cum de elatione tentaris, ne assumito, animaduersionem tempera: nam vt dicit Bernardus Epistola 252. *hoc nec licere vllatenus puto: vbi communis est causa, personæ reatus præiudicare non debet, etiamsi vera essent, quæ in nos dicitur.* Nec leuis etiam est iactura Religionum cum decentibus senibus primææ institutionis, & feruentis vitæ conseruatoribus, virtutum prototypis iuuenes succedant vagi, garruli, inconstantes, delicati, ambitiosi sub specie discretionis rigorem primum relaxantes, vnde posteritas non habendo prima exemplaria, vel saltem ab his exemplata secunda, vel tertia, minima quoque negligens paulatim corruit, & vt scripsit ille:

Horat. oda 6. l. 3.

AEtas Parentum peior auis tulit,
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Hoc malum lue grassante per vniuersam Europam experta sunt anno 1348. cum enim ciuitates ipsæ hominibus destituerētur, ipsa quoq; Monasteria facta sunt sicut vmbraculum in vinea, & sicut Ciuitas, quæ vastatur, pro virore calami, & iunci, totum repleuerūt spinæ, & vrticæ, vnde delicatis puerulis Cœnobia oppleta sunt, & rigor disciplinæ ex ætate lētescere cœpit, & morbo; & senibus de medio iam per mortem sublatis, quos imitaretur iuuentus delicata, & relaxata non habuit; vnde & consimilem causam multorum abusuum Ciuitatis Constantinopolitanæ assignās Chrysostomus dixit. *Exemplaria disparuerunt: propterea iuuenes non fiunt admirabiles.* Verum qui se existimat stare videat ne cadat. *Vlula abies*, ait Zacharias, *quia cecidit cedrus, quoniam magnifici vastati sunt. Vlulate quercus Basan, quoniam succisus est saltus munitus*, &

Hom. 40. ad popul.

Cap. 11.

si ager noster diuina manu consitus cœlestibus aquis prædictionum, visionum, miraculorum perenniter irrigatus, continuo aratro legis, & disciplinæ claustralis, & iugi opera Sanctorum excultus, tandem posterorum incuria hic, vel illic syluescit, & solis, & æstus ardoribus alicubi exsiccatus non semper respondeat gernini, vel labori, sed pro tritico quandoque lolium reddit, & auenas pro frumento; timeant alieno casu, tam primi, quam nouissimi vineæ cultores, quia & si diuinis quoque donis mirificè fuerit dotata eorum portio, quæ illis contigit prædestinationis funiculo, non ampliori gratia præ nostra portione decorata cognoscitur, videlicet vt sola sit præ cæteris benedicta spinas, & tribulos nequaquam germinatura: timeāt ergo abietes cadentibus altissimis cedris, & quercus Basan paueant, saltu nemoroso succiso. Sed quamuis sodalium sponsi illustri titulo, re, & nomine meritò decorentur, salubrem timorem minimè abijciunt, nam iugiter legunt intimiores cubicularios, quia inaniter superbiētes & supra sydera cęli sedes collocare volentes ad ima deiectos, & gloriantibus dē templo, *Templum Domini est*, per Hieremiam quoque responsum. *Repulit Dominus altare suum, maledixit sanctificationi suæ.* Cōtinua meditatione legi Dei incumbētes, ijdē Iesu Nazaræni imitatores, diuinis charismatibus repleri animaduertunt, quid de eodem populo superbiente descripsit. *Candidiores Nazaræi eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores Denigrata est facies eorum super carbones*, super quæ verba S. Gregorius. *Quid enim Nazaræorum nomine, nisi abstinentium, & continentium* (dicamus, & perfectorum Religiosorum) *vita designatur, quæ niue, & lacte nitidior dicitur? Quid per niuem nisi candor vitæ cœlestis? Quid per lac, nisi temporalis dispensationis administratio* demon-

Th. 2.

Cap. 4.

32. Mor. c. 17.

demonſtratur? & quia plerumque continentes viri Religioſi in Eccleſia tam mira opera faciunt, vt ab eis multi qui cæleſtē vitam tenuerant, multi qui terrena bona diſpenſarunt ſuperari videantur & candidiores niue, & nitidiores lacte referuntur. Quia etiam quia feruorem ſpiritus antiquorum, & fortium Patrum nonnunquam vincere vitam videntur, rectè dicuntur, rubicundiores ebore antiquo, dum enim rubens nomen imponitur ſancti deſiderij flamma ſignatur. Sapphiro pulchriores, ætherei quippe coloris eſt Sapphirus & quia præcedentes multos, atque ad ſuperna tendentes per cæleſtem conuerſationem videntur vincere, narrantur ſapphiro pulchriores extitiſſe; ſed plerumque dum virtutum copia etiam plus quam expedit properatur, in quandam ſui fiduciam mens abducitur, & decepta præſumptione propria repente peccato ſurripiente fuſcatur. Vnde repente ſubiungitur, denigrata eſt facies ſuper carbones & quia poſt amoris ignem ad frigus teporis veniunt, extinctis carbonibus ex comparatione præferuntur. Ergo (vt ad infirmos ſi qui ſunt ſermonem dirigam) elationis tentatione obrepente, cum ſodalibus ſponſæ te adiunge, ne denigreris ſuper carbones, & vnum chorum cum illa conſtitue; omnes enim è gentibus peccatores, *& omnes peccauerunt, & egent gloria* Th.1
Dei. ergo alacriter occinamus. *Nigra ſum &c. Nolite me conſiderare, quod fuſca ſim, quia decolorauit me ſol.*

CAPVT VIII.

Ex perſecutione quoque Gentilium, & Hæreticorum, & aliis calamitatibus quibus ne dum illu- Cap.4.
ſtres perſonæ trucidatæ, ſed & cænobia ſolo æquata, decolorationem non minimam, ſe paſſum eſſe Turtur de- 12.Ma.
monſtrat. c.17.

SED, & perſecutionis ſol pellem quoque meam decolorauit; rapti enim ad tribunalia Gentilium, & hæreticorum teſtimonium fidei reddentes, igne, ferro, flammis abſumi potius paſſi ſumus, quàm veritatem in tantillo temerare, & ſolo potius æquari domos, cœnobia, quàm opes, & fortunas vniuerſi Orbis poſſidere. Perluſtra Germaniam, in Angliam oculos dirige Poloniam, Gallias percurre, noui etiam Orbis Prouincias excurre: hic furentibus Gentilibus cadauerum aceruum, ibi graſſantibus hæreticis Caluiniſtis, & Lutheranis ſanguinis torrentes aſpicies: hic fumātes cineres, ibi ſalientes fauillas. Neſcio ſi tot ſint domus veſtræ ædificatæ, quot noſtrorum euerſæ. Ob deſtructionem quoque noſtram omnia noſtra impleſtis, Vrbes, Inſulas, Caſtella: vobis etiam reliquimus templa, & adhuc tepentes noſtrorum quoque ſanguine conſecratas. Quid mirū? lux enim quotidie interfecta reſplendet, & tenebræ pari vice decedendo ſuccedunt; Sydera defuncta viueſcunt: te[illegible] bi finiuntur incipiunt, fructus con[illegible]antur, & redeunt: certè ſemina nonniſi corrupta, & diſſoluta fœcundius ſurgunt, omnia pereundo ſeruantur, omnia de interitu reformantur. Vnde *niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit ipſum ſolum manet, ſi autem mortuum fuerit multum fructum affert. Hæc eſt victoria noſtra, ex* Tertullian. *vincimus cum occidimur, euadimus cum abducimur,* Tertull. Apolog.
obtinemus cum expellimur; multiplicamur, cum morimur. Hic eſt habitus victoriæ noſtræ. Hac palmata veſte tali curru triumphamus, quod ex deſtructione noſtra, orta ſit multiplicatio veſtra. *Semen enim*, ſcripſit idem, *eſt ſanguis Chriſtianorum.* In noſtro, & de noſtro collegia veſtra fructificarunt, ſicut ſi à præcedentium Heroum barba, vſque ad oram veſtimenti ſanguinis non *deſcendiſſet vnguen-* Auguſt.
tum, modò monaſteria non haberemus, ſed quia Pſal.132.
deſcendit in oram veſtimenti ſecuta eſt Eccleſia, de veſte Domini peperit monaſteria. Triumphamus penè quod nedum vita noſtra, ſed & mors noſtra ſit in obſequium veſtrum, omnia

omnia vestra sunt, siue Paulus, siue Cephas, siue mors, siue vita, dicamus, siue Basilius, siue Augustinus, siue Benedictus, siue Bernardus, siue Dominicus, siue Franciscus, siue vita quæ cedit in exemplum, siue mors, quæ vos protraxit in lucem. Omnia nostra vestra sunt, & vestra pariter nostra caritatis glutino, quo, vt decet, sodales sponsæ B. Virginis, complectimur sponsi sodales. Omnia, inquam, vestra sunt, sicut & vestra nostra sunt, siue silentij disciplina, siue feruens oratio, siue contemplatiua vita, siue actiua. Vestra nostrorum Sanctorum exempla, quæ in vestris mensis, scholis, cōgregationibus quotidie lectitantur. Vestra nostra doctrina Sancti Augustini, Thomæ, Bonauenturæ è quorum fonte potati indies tot vestra commentaria omni eruditione referta in lucem prodeunt. A nostris quoque pro vestris Collegia fabricata, tale est illud, quod Fr. Bartholomæus Bracharensis Archiepiscopus, Hispaniæ primas, instituti S Dominici à fundamentis copiosis redditibus erexit. Nostrorum quoque paleæ sint vestræ, vbi reponatis pullos vestros, *Discite iustitiam moniti.* Afferta nostra scandala, quæ tanquam paleæ virtutum triticeo sunt permixta, vestra sint, hoc est, seruiant vobis pericula nostra, vt nunc seruit Deo præseruatio vestra: memores tamen Prophetæ, nos & vos admonentis. *Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta*, & vt dicit August. *paleas nostras nobiscum copiosissimè ferre ne recusa, & si sola frumenta desideras, geme in labore agri gaude in spe horrei, tolera malos, in communione Sacramentorum Christi.*

1. contra Parm. c. 15. 3. contra Cre. c. Gram. c. 31

CAPVT IX.

Maiorem decolorationem rursus Turtur se passam ostendit à contradictione linguarum hæreticorum, personas cum statu religioso exsufflantium, & (quod valdè dolendum est) domesticorum aliquorum filiorum Ecclesiæ, qui ob vnius, vel alterius lapsum, in totam religiosam familiam linguas armarunt.

DEcolorauit me quoque sol hæreticæ persequutionis in contradictione linguarum, instituta Cœnobitica damnando, nec statum à personis distinguendo, & Religiosorum defectus populis propalando. Hic impius ille monasteria vocat (*Conuenticula schismaticorum, porcorum haras:*) ibidem eorundem (*mores peruersos impre bos.*) Ibi alter nebulo religiosos vocat (*superstitiosos, voratores, superbos, otiosos, gulosos, amphoras potius, quàm homines, ignorantes, blasphemos, inuidos, ambitiosos, proditores, homicidas.*) & monasteria vocat (*lustra, & teterrimarum, ac monstruosissimarum libidinū officinas, vel fœdissimas potius cloacas,*) & quid mirum si in Monachos inuehantur cum patris sui diaboli desideria expleant? nam de dæmonibus loquens magnus Antonius dicebat, quod illis hostile bellum contra monachos, & Virgines Christi est. Et iisdem idcirco *displicet nomen Monachorum*, ex August. *quia illi nolunt in vnum habitare cum fratribus*, & eorundem est (vt contra Petilianum idem scribit) *in vituperationem monasteriorum, & monachorum*, linguam armare. Leuius ferrem, si soli hæretici haberent professores vitæ monasticæ, vt feras belluas, ac portenta horrenda humanæ formæ lineamentis adumbrata, dæmonesque nequissimos: quod enim inimicus maledicat, vtique sustinendum existimo; sed quod traducere me velint nonnulli sæculares domestici Dei, & filij Ecclesiæ, magis adurit

Calu. 4. inst. c. 13. §. 15. 16. 17. Beza in Confess. c. 7. & 14.

Apud Athan. in vita Anton. in Ps. 132. lib. 3. c. 40.

adurit me sol per diem, quàm luna per noctem. Et certè videtur, vt scribit Chrysostomus, quod *nequissimus aliquis spiritus omnium simul animos occuparit, atque repleuerit, per cunctorum ora hæ fabulæ, & erga religiosos dicteria, sermonesque vertuntur. Siue enim in forum irruperis, eam concionem offendis, aspiciesque in tabernis medicorum, vel in qualibet vrbis parte, vbi sedem habere solent hi, qui nihil operari volunt, ingentem risum ab omnibus moueri. Risus autem huius, & comœdiæ ratio ac materies omnis est eorum, quæ aduersus viros gesta sunt (vel lepida lapsus eorum (iocunda, ac festiua narratio,* & vt descripsit August. *ad nihil aliud student, neque quid aliud captant, nisi vt quisquis Episcopus, vel Clericus, vel Monachus, vel Sanctimonialis ceciderit, omnes tales esse credant, sed non posse manifestari.* Et tamen ipsi, subdit idem Augustinus, *cum aliqua maritata inuenitur adultera, nec proijciunt vxores suas, nec accusant matres suas. Cum autem de aliquibus qui sacrum nomen profitentur, aliquid criminis, vel falsitatis sonuerit, vel sciri potuerit; instant, satagunt, ambiunt, vt de omnibus hoc credatur. Hos ergo de nostris doloribus suauitatem malæ linguæ captantes, facilè est illis canibus comparemus, si in malo intelligendi sunt, qui lingebant vulnera pauperis illius, qui ante ianuam diuitis iacebat, & quousque veniret ad requiem sinus Abrahæ, laboriosa, & indigna omnia tolerabat.* Vnde hi quoque reprehendendi, qui religiosorum sopitos cineres profana manu ventilante, & quæ silentio sepeliri oportebat rediuiua opinione diffamant, sequentes omnino vestigia auctoris sui Cham, qui nuditatem venerandi Noe, non modò operire neglexit, verùm quoque irridendam cæteris enunciauit, vnde tantam læsæ pietatis meruit offensam, vt etiam posteri ipsius peccati sui maledictis obligarentur, beatis illis fratribus longe què dissimilibus, qui nuditatem ipsam reuerendi Patris neque suis temerare oculis, neque alienis patere voluerunt, sed auersi vt scribitur texerūt eum, quod est erratum viri sancti nec approbasse, nec prodidisse: atq; idcirco beata in posteros benedictione donati sunt, vt eleganter S. Vincentius Lirinensis loquitur.

Lib. 1. adu. vitup. vitæ Monac.

Epist. 137.

Can. 4 in 8. 1 ... 15 ... Bez ... Cassif. c. 7. & 14.

Apud Adrian in vita Anton. in ... 132. lib. 4. c. 40.

Audite & alii laici diffamatores, dilaceratores præcipuorum membrorum Christi. Et si peccata, & scandala in quibusdam aduertatis, nihil vniuersitati, & communitati sanctorum de bonitate, & existimatione deperit. Non me, sed S. August. vos eum dicentem attendite. *Quantumlibet autem vigilet disciplina domus meæ, homo sum, & inter homines viuo. nec mihi arrogare audeo, vt domus mea sit melior, quam arca Noë, vbi tamen inter octo homines reprobus vnus inuentus est, aut melior sit, quàm domus Abrahæ, vbi dictum est. Eijce ancillam, & filium eius: aut melior sit quàm domus Isaac, cui de duobus geminis dictum est: Iacob dilexi, & Esau odio habui: aut melior sit quam domus ipsius Iacob, vbi lectum Patris Filius incestauit: aut melior sit quam domus ipsius Dauid, vbi filius eius cum sorore concubuit: cuius alter Filius contra Patris tam sancti mansuetudinem rebellauit: aut melior sit quàm cohabitatio Pauli Apostoli qui si inter omnes bonos habitaret, non diceret, quod superius commemoraui, foris pugnæ, intus timores: nec diceret cum de sanctitate, & fide Timothei loqueretur: neminem habeo qui germane de vobis solicitus sit: omnes sua quærunt, non quæ sunt Iesu Christi: aut melior sit quam cohabitatio ipsius Domini nostri Iesu Christi, in qua vndecim boni, perfidum, & furem Iudam tolerarunt: aut melior sit postremo, quàm cælum, vnde Angeli ceciderunt. Simpliciter autem fateor charitati vestræ coram Domino Deo nostro, qui testis est super animam meam: ex quo Deo seruire cœpi, quomodo difficile sum expertus meliores, quam qui in Monasterijs profecerunt, ita non sum expertus peiores, quam qui in Monasterijs ceciderunt, ita vt hinc arbitrer in Apocalyp.*

scriptum::

scriptum: iustus iustior fiat, & sordidus sordescat adhuc. Quapropter, & si contristamur de aliquibus purgamentis, consolamur etiam de plurimis ornamentis.

Præclarè de nostro quoque sæculo scripsit Bozius lib. 9. cap. 8. *Nullibi magis Religio floret, vt inter Catholicos, inter quos præstantissimi quoque Religiosi, & qui inter Religiosos dignitate, & sanctitate præcellunt, ijs est sanctitas præcipua, atque eminentissima, non quidem si respicias singulos, sed si vniuersos, nō enim potest, aut debet negari è Clericis, Monachis, &c. esse aliquos scelestos, sed hic non agimus de aliquibus, verum de vniuersitate tota Religiosorum, alioquin ex Angelis nonnulli mali, & ex Apostolis Iudas.* Hæc ille: hæreticorum, & malorū catholicorum linguam detrahentem compescens, quæ propter paucorum defectus totam Religiosorum vniuersitatem traducere non formidat. Sed lingua eorum dum transit in terra, nulli ordini, vel sexui, vel conditioni parcens ponit tandem in cælū os suum, in Deum, & Sanctos eius detractionis verba profundens.

CAPVT X.

Quod videntes malos in religiosis castris, & tacentes de bonis, Balac imitantur, qui ad maledicendum populo Dei Balaam incitabat, partem Israelis, non totam multitudinem ostendendo.

ALiud autem est quorundam malorum laicorum filiorum huius sæculi decolorantium, seu denigrantium genus, qui videlicet, vel adulatoriè laudant, de quibus dicebat Dauid, *qui laudabant me,* Psal. 101. *aduersus me iurabant*: vel saltem, qui incautè laudant, nimirum, vt communitatem laudantes, taceant de malis, vel intuentes malos sileant de bonis. Vnde sponsa ex parte laudata, & ex parte denigrata clamat, gemit, *nolite me considerare, quod fusca sim, quia decolorauit me sol.*

Ductus fuit Balaam à Rege Balac ad excelsa, vt malediceret Israel, cumque ibi solum intuitus esset extremam partem populi, assumpta parabola sua dixit. *De Aram adduxit me Balac Moabitarum, de montibus Orientis. Veni*, inquit, *& maledic Iacob, propera, & detestare Israel. Quomodo maledicam, cui non maledixit Deus? Qua ratione detester, quem Dominus non detestatur? De summis silicibus videbo eum, & de collibus considerabo illum. Populus solus habitabit & inter gentes non reputabitur. Quis dinumerare possit puluerem Iacob, & nosse numerum stirpis Israel? Moriatur anima mea morte iustorum, & fiant nouissima mea horum similia.* Cumque ad votum Balac non successisset maledictio, eo quod totum Israelem considerasset Balaam, & non è vallibus, sed è summis silicibus eundem esset intuitus, dixit Balac ad Balaam *quid est hoc, quod agis, vt malediceres inimicis meis vocaui te, & tu è contrario benedicis eis?* cui ille respondit. *num aliud possum loqui nisi quod iusserit Dominus? Dixit ergo Balac, Veni mecum in alterum locum vnde partem Israel videas, & totum videre non possis, inde maledicito ei.* At quid respondit Balaam? Attendite. *Ad benedicendum adductus sum, benedictionem prohibere non valeo, non est Idolum in Iacob, nec videtur simulachrum in Israel. Dominus Deus eius cum eo est, & clangor victoria Regis in illo*, iterumque ductus in verticem montis Phogor tantum abest, vt malediceret, vt in hæc benedictionis verba prorumperet. *Quàm pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Israel, vt valles nemorosa, vt horti iuxta fluuios irrigui, vt tabernacula, quæ fixit Dominus, quasi Cedri prope aquas.* Num. 23.

Quid per Balac ad propositum nostrū, nisi detractor, vel adulator, vel incautus laudator significatur? qui maledictionem, communitati Religiosorum imprecari intendens extremam partem populi, vel partem eiusdem, non totum considerare

Quid

Quid per Balaam, nisi cautus, discretusque laudator innuitur, qui non singulos, vel seorsim de communitate considerans, sed singulos in communitate respiciens, nô de imis locis defectus prospicit singulorum, sed de summis montibus, & collibus totius communitatis pulchritudinem, & ordinem intuens, benedictionem super illam semper effundit. Quatenus, & per hoc discamus non ad ima descendere, vt nostrorum fratrum minutias consideremus, & defectus aspiciamus, qui ex vicinitate, & obseruatione noscuntur (*obseruat siquidem peccator iustum, & quarit mortificare eum,*) sed procul à curiositate, & obseruatione ex supremo mentis, & rectæ intelligẽtiæ, & pietatis vertice, & colle intuendũ totum cômunitatis corpus exhibeatur, cuius pars si videretur, maledictionis, & reprehensionis esset capax, vbi cum toto coniuncta, & incorporata, nonnisi elogia, & encomia audit. *Non est idolum in Iacob, nec videtur simulachrum in Israel.* Sicut enim per aquarum diluuium vna Domus Noe remansit ad reparandum genus humanum, sic in diluuio multarum superstitionum per vniuersum mundum, vna remanserat domus Tharæ typus Ecclesiæ, in quâ custodita est plantatio Ciuitatis Dei, cuius illustres portiones sunt Sanctorum ordines, & inter eos illo, qui Aquinatem mundo dedit, qui cunctos aboleuit errores, cum vniuersis superstitionibus, vocum nouitatibus, nouis opinionum, & phantasmatum idolis; illis vsque in hanc diem bellum inferens. Vnde, & omnes ordines quia côueniunt in eiusdem fidei vnitate, rursus Rhinocerotis fortitudini assimiliantur. Nec sanctitatem, vel pulchritudinem amittunt, quod intra se peruersos nonnullos contineant: imo, ex hoc quod eosdem validâ charitatis compage custodiunt, nec à toto abijciunt, ne in parte, & seorsim aliquis eas inspiciat, atque discutiat, meritò audiunt illud elogiũ. *quàm pulchra tabernacula*, & iterum, *Ecce quàm bonum, & quàm iucundum, habitare fratres in vnum.*

Num. 23.

Quantum verò damnum afferat partes sine toto côsiderare, hoc est, malos seorsim à bonis, vel bonos à malis, & nô totũ continẽs malos, & bonos, accipiamus ab August. sic dicente. *Hinc autem fallũtur homines, vt vel non suscipiant meliorem vitam, vel temere aggrediantur, quia & cum laudare volunt sic laudant, vt non ibi dicant mala, quæ mixta sunt, vt & qui vituperare volũt, tã inuido animo, & peruerso vituperant, vt claudãt oculos aduersus bona, & sola mala quæ ibi sunt, vel putãtur, exaggerẽt.*

Inde fit vt vnaquæq; professio malè laudata, id est, non cautè laudata cum inuitauerit homines laude sua, inueniant illi, qui illuc veniunt, aliquos quales ibi esse non credebant, & offensi à malis resiliant à bonis. Fratres disciplinam istam ad vitam vestram conferte, & sic audite, vt viuatis.

Laudantur, vt generaliter dicam Ecclesia Dei, magni homines Christiani, magna Ecclesia Catholica; diligunt se omnes, impendunt sibi quisque quod possunt, orationibus, ieiunijs, hymnis vacatur per totum Orbem terrarum, vna confessione pacis laudatur Deus. Audit fortè, qui nescit tacitum esse de commixtis malis, venit laude inuitatus, inuenit commixtos malos, qui non illi prædicti sunt, antequam veniret, offenditur à falsis Christianis, refugit à veris Christianis.

Rursus odiosi, maledici, irruunt in vituperationem. Quales Christiani? Qui Christiani? auari, fœneratores. Nonne ipsi sunt, qui theatra & amphiteatra impleãt per ludos, & per alia spectacula, qui implent Ecclesias per dies festos: ebriosi, voraces, inuidi, insectatores alterutrum. Sunt tales, sed non sunt soli tales. Et iste vituperator cæco animo tacet bonos; & ille laudator incauto animo tacet malos. Si autem sic laudamus in hoc tempore Ecclesiam Dei, quomodo laudant scripturæ Dei, ecce quomodo nunc dixi, sicut lilium in medio spinarum, sic proxima mea in medio filiarum:

audit homo, considerat, placet illi lilium, intrat; adhæret lilio, tolerat spinas, merebitur esse in laude, & in oculis sponsi, qui dicit sicut lilium in medio spinarum, sic proxima mea in medio filiarum.

Ita, & in Clericis, laudatores Clericorum intendunt ibi bonos ministros, fideles dispensatores, *omnium toleratores, viscera sua impendentes his, quos volunt proficere, non quærentes, quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi: laudant hæc, obliuiscuntur, quia mixti sunt mali. Rursus, qui reprehendunt auaritiam Clericorum, improbitatem Clericorum, lites Clericorum appetentes res alienas, ebriosos, voroces, iactantes, & tu inuidè vituperas; & tu incautè laudas. Tu qui laudas, dic mixtos malos, tu qui vituperas vide ibi, & bonos.*

Sic & in illa vita communi fratrum, quæ est in monasterio. Magni viri SS. quotidie in hymnis, in orationibus, in laudibus Dei, inde viuunt, cum lectione illis res est, laborant manibus suis, inde se transigunt, non auarè aliquid petũt. Quicquid eis infertur à pijs fratribus, cum sufficientia, & charitate vtuntur. Nemo sibi vsurpat aliquid, quod alter non habeat, omnes se diligunt, omnes inuicem se sustinent. Laudat qui nescit, quid interius agatur, qui nescit quomodo illo vento intrante etiam naues in portu collidũtur; intrat quasi securitatem sperans, neminem quem toleret habiturus: inuenit ibi fratres malos, qui mali inueniri non possent, nisi admitterentur. Et necesse est, vt primò tolerentur, ne fortè corrigantur, & nec excludi facilè possunt, nisi prius fuerint tolerati, & fit ipse intoleranda patientia. Quis me hic quærebat? ego putabam, quia charitas esset hic, & paucorum hominum molestia irritatus, dum non perseuerauit implere quod vouet, fit desertor tam sancti propositi, & reus voti. Iam verò cum inde exierit, fit & ipse vituperator, & maledicus, & dicit ea sola, quæ quasi se pati non potuisse asseuerat, & quandoque vera: sed vera mala malorum toleranda sunt propter societatem bonorum, dicit illa scriptura. Væ his, qui perdiderunt sustinen-
Eccl. 2. *tiam. Et quod est amplius ructat indignationis malorum odorem, vnde absterreat intraturos, quia ipse cum intrasset perdurare non potuit. Quales illi? inuidi litigatores, neminem sustinentes, auari: ille illud ibi fecit, & ille illud ibi fecit. O male quare taces bonos? quos tolerare non potuisti iactas, qui te malum tolerauerunt taces.*

Prosequitur alibi Augustinus. *Merito il-* Idem in Ps. 131.
lud fratres charissimi magnificum in Domini Euangelio ex ore Domini. Duo in agro, vnus assumetur, & vnus relinquetur. Duæ in molendino, vna assumetur, & vna relinquetur. Duo in lecto, vnus assumetur, & alter relinquetur. Qui sunt duo in agro, quod dicit Apostolus, Ego plantaui, Apollo rigauit, &c. In agro laboramus, duo in agro Clerici sunt, vnus assumetur, & alter relinquetur, assumetur bonus, relinquetur malus; In molẽdino duæ, ad plebes retulit. Quare in molendino? quia deuincta in sæculo circuitu rerum temporalium, tamquam mola destinatur, & inde vna assumetur, & vna relinquetur, &c. Alij autem dicunt, quietem volumus, neminem volumus pati, remoueamus nos à turbis. Benè erit vobis in quadam securitate. Si quietem quæris, quasi lectum quæris, vt sine aliqua sollicitudine requiescas, & inde vnus assumetur, & alter vnus relinquetur.

Cum eodem Augustino concludo. *Nemo* Idem in Ps. 99. & in Psal. 132.
vos fallat, si non vultis falli, & vultis amare fratres. Scitote, omnem professionem habere fictos, non dixi omnem hominem esse fictum, sed omnem professionem habere fictas personas. (Tam sunt etenim monachi falsi, quam & clerici falsi & fideles falsi) sunt Christiani mali; sed & sunt boni; quasi plures malos vides, quia palea sunt, & te ad grana peruenire non permittunt: sunt ibi & grana, accede, tenta, excute, adhibe oris iudicium, nempe discretionis virtutem, vt totum consideres, non partes attendas, sed totum in partibus, & in toto partes, ne Balac vestigia insecteris, partemque Israelis ostendas, totum verò abscondas.

Quod si partem à toto præcisam, atque seiunctam attendas, illicò vnitatis, & communitatis compagem, symmetriamque dissol-

dissolues: illam vnitatem dico, de qua scriptum est. *Ecce quàm bonum, & quàm iucundum, habitare fratres in vnum.* Quæ vnitas & si ad omnes Christianos pertineat, ad Monachos magis propriè pertinet, vt Augustinus exponens pronunciauit. *Idem in Ps. 132.*

CAPVT XI.

Quomodo in Catharis, Manichæis, & aliis Hæreticis viguit singularitatis morbus, vt se solos mundos, & sapientes iactarent; totam Ecclesiam de immunditia, & ignorantia taxando. Et quomodo olim tentationem qua aliqui Religiosi pulsabantur ad efferendum se super alios ordines, S. Bernardus effugarit.

SED decolorauit me Sol, scilicet ardor nonnullorum laicorum spiritualium, sed imperfectorum, cum ab illis ad pauca respicientibus, inconsideratè loquentibus, ijs sum comparata, quos solos mundos, & immaculatos pronunciant, aliosque ab his tanquam impuros, & sordidos aspernantur. Caueamus tales tentationes superbissimas, & periculosissimas, à scintilla enim augetur ignis, & flamma, quæ Babylonicā longè exuperat; siquidem hic ardor in pectoribus Nouatianorum tantum potuit, vt etiam vniuersalem Ecclesiā despectui haberent, se solos sapere, se solos sanctos, impollutos, segregatos à peccatoribus iactātes. Hoc secuti sunt & Manichæi. Vnde S. August ab horum pollicitatione deceptus in laqueos errorum incidisse confiteri non erubescit dicens: *Incidi itaque in homines superbè delirantes, & carnales nimis, & loquaces, in quorum ore laquei diaboli, & viscum confectum commixtione syllabarum, syllabarum nominis tui, & Domini Iesu Christi, & paracleti consolatoris Spiritus S. Hæc enim omnia non recedebant de ore eorum, sed sonotenus, & strepitu linguæ. Cæterum cor inane veri, & dicebant, veritas, veritas, & multi etiam dicebant mihi, & nusquam erat in eis, sed falsa loquebantur, non de te tantum, qui verè veritas es, sed etiam de istis elementis huius mundi creaturis tuis.* Hæc impij Manichæi, se solos veritatis esse custodes iactantes. Ad quos allusit egregius ille S. Vincentius Lirinensis dicens: *Audent polliceri, & docere, quod in Ecclesia sua, id est, communionis suæ cōuenticulo, magna, & specialis, ac penè personalis quædā sit Dei gratia, vt sine vllo tædio, sine vlla industria, etiamsi nec quærant, nec petāt, nec pulsent quicumque illi ad numerum suum pertinent, tamen ita diuinitus dispensantur, vt Angelicis euecti manibus, id est, Angelica protectione seruati nunquam possint offendere ad lapidem pedem suum, id est, nunquam scādalizari.* Hos deinceps imitati Donatistæ prætextu scandalorum clericorum, monachorum, laicorū quibus, & ipsi maiora confingebant, totam Ecclesiam de Orbe perijsse, & in Africa permansisse in parte Donati, & ex solis bonis constantem dogmatizarunt. At per regulas Catholicas anathematizati sunt, & exufflati: vnde de fide ad Petrum ca. 43. sic dicitur. *Firmissimè tene, & nullatenus dubites aream Dei esse Catholicam Ecclesiam, & intra eam vsq; in finem seculi frumento paleas contineri, hoc est, bonis malos Sacramentorum cōmunione misceri: & in omni professione, siue Clericorum siue Monachorum bonos esse simul, & malos, nec pro malis bonos, sed pro bonis malos, in quantum exigit fides, & charitatis ratio tolerandos.* Cum autem, vt dicebat August. *Siue per negligentiam Præpositorum, siue per aliquam excusabilem necessitatem, siue per occultas obreptiones inuenimus in Ecclesia malos, quos Ecclesiastica disciplina corrigere, aut coercere non possumus: tunc nec ascendat in cor nostrum impia, & perniciosa præsumptio, qua existimemus, nos ab his esse separandos, vt peccatis eorum non inquinemur, ac ita post nos trahere conemur veluti mundos, sanctosq; discipulos ab vnitatis compage, quasi à malorum consortio segregatos.* Et vt dicebat S. Cyprianus contra Nouatianos. *Et si videantur in Ecclesia esse zizania, non tamen impe-*

Idem in Ps. 99. & 132 Psal.

Lib. 3. confess. c. 5.

Contra prof. voc. nouit. c. 37.

De fide, & operib. c.

Epist. ad presb. Max. cuius meminit Aug. de unit. eccl. c. 13.

dire debet, aut fides, aut charitas vestra, vt quoniam zizania esse in Ecclesia cernimus, ipsi de Ecclesia recedamus. Nobis tantummodò laborandum est, vt frumentum esse possimus, vt cum cœperit frumentum Dominicis horreis condi, fructum pro opere nostro, & labore capiamus. Apo. in sua Epist. dicit. *In domo autem magna non solum vasa aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia, & quædam quidem honorata, & quædam inhonorata. Nos operam demus, & quantum possumus laboremus, vt vas aureum & argenteum simus; cæterum fictilia vasa confringere Domino soli cõcessum est, cui virga ferrea data est. Esse non potest maior Domino suo seruus; nec quisq; sibi, quod soli filio pater tribuit vendicare, quod se putet, aut ad aream ventilandam, & purgandam paleam ventilabrum iam ferre posse, aut à frumento vniuersam zizaniam humano iudicio separare. Superba est illa obstinatio, & sacriliga præsumptio, quam sibi furor prauus assumit, & dum sibi semper quidam, plusquam mitis iustitia deposcit, assumunt, de Ecclesia pereunt: & dum se insolenter extollũt, ipso suo tumore cæcati veritatis lumen amittunt.* Hæc ille. Audi Chrysol. ser. 132. *Hoc ergo interest inter congregationis plenitudinem gloriosã, & separationis præsumptam, de ignorantia, aut negligentia vanitatẽ, quod in salute, & honore integri corporis species est vnitas membrorum, & in separatione viscerum est fœda, lethalis, & horrenda pernicies. Homo quid aliud te docuit in tuo corpore, aut sit diuisa coniunctio, aut tam coniuncta diuisio nisi vt ex multis vnus, & vnus in multis viueres? est membrorum commercio salutari preciosus oculus, sed si perseuerat in corpore, alioqui vbi corpori defuerit, sibi non aderit, debent illi mẽbra omnia sua lucis obsequiũ. Sed, & ipse oculus sentit corpori se debere quod lux est, qui vtique cũ omnibus menbris ministratũ membrorum prouideat; euulsus à corpore, nec sibi videt. Quisquis ille est, qui se putat aliquid esse tali institutus exemplo, maneat in Ecclesiæ, vt sit aliquid, alioquin vbi defuerit illi, sibi esse mox desinit.*

Sed & quosdam, qui eadem tentatione pulsari defectionem, & apostasiam à religiosa professione meditari quoque poterant, ex falsorum fratrum consortio, sic præmuniuit Basilius. *Si verò aliquis dicat in fratribus esse aliquos vitiosos (neque enim vniuersos opinor culpabit, neque enim propterea, vt vitiosi essent societatem illi coierunt, vt vnanimiter cuncti improbi essent) sed si quis improbos quosdam reperiri inter fratres dicat, eiusmodique, qui & temerè officia cuncta peruertant, & honestatem negligant, & conuenientem ordini illi contemptim imminuant disciplinam, ac propterea huiuscemodi hominum societatem relinqui oportere; nequaquam is idoneam recedendi causam commentus est. Siquidem neque Petrus, neque Andreas, Ioannesve propter Iudæ improbitatem, se à reliquorum Apostolorum choro submonerunt: neque alius de Apostolorum numero quispiam hanc ad recedendum ansam arripuit, neque quominus Christo obtemperans esset vlla in re illius vitijs retardatus est: sed contra potius relicta illius peruersitate, dominicæ disciplinæ seruientes ac morigeri, pietatem, virtutemque magno ipsi studio sectabantur.* Et infra dicit, *Petrum bene imitandum, vt qui in vitiorum tenebris degunt, ad meliorem per eum viam reuocentur.* Et subdit. *Atque etiam Noe iustus ille, cùm cum illa pessimorum hominum colluuie versaretur, non dixit Deo: propterea oportere se exire de mundo, quod reliqui omnes improbi essent; sed eò magis, more generosi ac fortis athletæ, adhuc occalescens se obdurauit, & in profundissimo vitiositatis pelago pietatem à tempestate incolumen conseruauit: neque vlla in re domino prorsus repugnans fuit: sed sapientia, toleratiaque pietatis nauigium in medijs impietatis fluctibus tutatus est. Quid? nonne Loth cum Sodomis in tanta impietate, tanta legum omnium, ac iuris peruersione versaretur, virtutem tamen assiduam, vsque ab omni vitio integram custodiuit: neque vllis omnino passus est prauis insidijs circumuentum captiuumve teneri atq; inter sceleratissimos hospitũ cæsores, & qui summa petulãtia, libidi-*

In const. monast. c. 24.

libidineq; contra naturales leges ferebantur, sanctimoniã vitæ perpetuo, & ipse intaminatã seruauit, & reliquos quo ad fieri poterat, exemplo suo idem secum, vt facerent auctor fuit; nempè qui in docenda honestate antiquiora facta habuerit, quam verba. Tu verò culpandus, cum in animo desertionem cogites, & Spiritus S. reiectionem in schismate, fratrum aliquantam negligentiam, quæ vel sit, vel abs te confingitur, causaris, & improbitati isti tuæ, & ad excipiendos pro virtute labores, & segnitiei contegendæ fratrum calumniam, quasi velamen appendis, &c.

Sicut autem voluit Christus Dominus suam tunicam, Ecclesiam vniuersalem indiuisam esse, sic & in ordinibus religiosorum, qui partes præcipuæ sunt corporis eius, eandem voluit vnitatem seruari in vinculo pacis; quod & sua passione promeruit, dicens. *Volo Pater vt sint vnum, sicut & nos.* Quare *ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.*

Ioan. 17. Psal. 67.

Supra.

Quæ dona? ait Bern. *ipsam tunicam suam, scil. polymitam, eandemq; inconsutilem, & desuper contextam per totum; sed polymitam, ob multorum ordinum, qui in ea sunt, multimodam distinctionem; inconsutilem vero propter indissolubilis charitatis indiuiduam vnitatem. Quis me, inquit, separabit à charitate Christi? Audi quomodo polymitam. Diuisiones, ait, gratiarũ sunt, idem vero Dominus. Deinde diuersis enumeratis charismatibus, tanquam varijs tunicæ coloribus, quibus constet eam esse polymitam: vt ostendat etiam inconsutilem, & desuper contextam per totum, adiungit. Hæc autem operatur vnus, atq; idem spiritus, diuidens singulis, prout vult, &c. Non ergo diuidatur, sed totam, & integram hæreditario iure sortiatur Ecclesia, quia & de illa scriptum est. Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. Itaque diuersi diuersa accipientes dona, alius quidem sic, alius vero sic siue Cluniacenses, siue Cistercienses, siue Clerici regulares, siue etiam Laici fideles: omnis denique ordo, omnis lingua, omnis sexus, omnis ætas, omnis conditio, in omni loco, per omne tẽpus, à primo homine, vsque ad nouissimum, &c. Omnes ergo concurramus pariter in vnam tunicam, & ex omnibus constet vna, & ex omnibus inquam vna; nam etsi ex pluribus, & diuersis, vna est tamen columba mea, formosa mea, perfecta mea. Alioquin, nec ego solus, nec tu sine me, nec illa sine vtroque, sed simul omnes sumus illa vna: si tamen soliciti sumus seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Non inquam tantum ordo noster, aut solus vester ad illum pertinet vnam, sed noster simul, & vester; nisi fortè, (quod absit) inuicem inuidentes, inuicem prouocantes, inuicem mordeamus, & ab inuicem consumemur, & sic non possit nos Apostolus vni illi viro cui despondit virginem castam exhibere Christo.* Hæc mellifluus Bern.

Fieret autem proculdubio scissura, atque diuisio, si (quod absit) aliquis elatus, ordinem vnum alteri vellet præferre, ita vt ab eo hic tanquam purior, ab impuriori massa putaretur esse discretus. Omnes autem vnus panis, & vnum corpus sumus, qui de vno pane, & de vno calice participamus. Totum Ecclesiæ corpus ex farinæ satis tribus confessione, scilicet sanctæ Trinitatis commassatum, & fermentatum est. Quare non ad azyma sinceritatis, & veritatis attineret, sed ad fermentum malitiæ, & nequitiæ, asserere; in fermentato corpore Ecclesiæ, vel in ordinibus, sic esse discretas portiones, vt non in quacunque (vt à Gentilibus aliquid mutuemus) portione.

Infœlix lolium, & steriles dominantur auenæ. Quid est hoc asserere, nisi à pastoribus Abrahæ pastores Loth velle esse diuisos? Quid? nisi vt hinc vnicolores oues appareant, albo colore rutilantes, ibi maculosæ, & variæ: cum nonnisi vnus sit *grex tonsarum ascendens de lauacro* lachrymarum? vnusquisque etiam quamdiu peregrinatur à Dño, saltem habet venialia quæ plangat.

Inuaserat tentatio quosdam (infirmos tamen) Cistercienses Patres, vt supra Cluniacenses inflati, puriores, & sanctiores illis se esse existimarent, quos his verbis Bern. admonendos curauit. *Vnde nunc mihi conueniendi sunt quidam de ordine nostro, qui contra illam sententiam: nolite ante tempus iudicare, quo ad vsque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: alijs ordinibus derogare dicuntur: & suam iustitiam solam volentes constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti: Quos profectò (si qui tamen huiuscemodi sunt) nec nostri, nec cuiuspiam esse ordinis verius dixerim. Quippe qui, & si ordinate viuentes, superbe tamen loquentes, ciues se faciunt Babylonis, id est, confusionis, imò filios tenebrarum, ipsiusq; gehennæ, vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Vobis ergo inquam fratres, qui etiam post auditam illam Domini de Pharisæo, & Publicano parabolam, de vestra iustitia præsumentes, cæteros aspernamini: dictis (vt dicitur) solos vos hominum esse iustos, aut omnibus sanctiores; solos vos Monachorum regulariter viuere; cæteros verò regulæ potius existere transgressores primò, quid ad vos de alienis seruis? Suo Domino, aut stant, aut cadunt. Quis vos constituit iudices super eos? Deinde si ita (vt dicitur) de ordine vestro præsumitis: qualis ordo est, vt antequam de suo quisque trabem eijciat, in fratrum oculis tam curiose festucas perquirat? Qui in regula gloriamini, cur contra regulam detrahitis? cur contra Euangelium ante tempus & contra Apostolum alienos seruos iudicatis? An regula non concordat Euangelio, vel Apostolo? Alioquin regula iam non est regula, quia non recta. Audite, & discite ordinem qui contra ordinem alijs ordinibus derogatis: Hypocrita, inquit, eijce primùm trabem de oculo tuo, & sic videbis eijcere festucam de oculo fratris tui. Quærit quam trabem? an non grandis & grossa trabes est superbia, qua te putas aliquid esse cum nihil sis? Insanissime tibi tanquam sanus exultas, & alijs vanissime trabem portans, de festucis insultas. Gratias, inquit, ago tibi Deus, quia non sum sicut cæteri hominum iniusti, raptores, adulteri.* Bene ait Augustinus: *Nolo te esse latronem insultantem Cruci Domini, sed nec te volo esse Pharisæum iactantem merita sua, & occultantem vulnera sua. Si fueris iniquus, & perseuerans in illa iniquitate, non dico tibi non proderit laus, sed non me laudas*, ait Dominus: *Laudem istam esse non deputo. Rursus si fueris quasi iustus (nam nemo iustus nisi humilis, & pius) & de iustitia inflatus incesseris, & alios in tua comparatione contempseris, & superextuleris, tanquam glorians de meritis tuis, non me laudas: nec ille me laudat, qui malè viuit, nec ille me laudat, qui quasi de suo benè viuit. Sed nunquid ille Pharisæus, quasi de suo talis erat, cum diceret, Gratias tibi ago, quia non sum sicut cæteri hominum? Gratias Deo agebat, ex eo quod bonum in se habebat. Quamuis ergo aliquid bonum in te sit, quamuis iam intelligas, non ex te esse quod bonum est, sed à Deo te accepisse: tamen eo ipso si te extuleris super alium non habentem, inuidus teneris, nondum laudator meus eris. Primò ergo corrigere à via pessima: incipe viuere bene, intellige quia non corrigeris nisi dono Dei: à Domino enim gressus hominis diriguntur. Hoc cum intellexeris, faue, & alijs, vt sint quod & tu es; quia hoc eras, & tu, quod illi sunt: faue quantum potes, & noli desperare, non enim vsque ad te diues est Deus.* Iam verò si vel saltem primis motibus (quę est humana tentatio) tangeretur, vt se super alios extolleret, aliqua religiosa anima, inuenit Bernard. & Augustin. quorum auctoritate tales tentationes elidat, & ex eodem suos admonere possit asseclas, eiusmodi cōparationes abijcere, quibus charitas turbatur, pax scinditur, humilitas inflatur, & omnis ordo deordinatur. Scindantur verò hi, qui scissuras faciunt, (non secus ac Corinthij, qui dicebant: *Ego Pauli, ego Cephæ*, ac qui dicunt, ego Augustini, ego Benedicti, ego Dominici, ego Francisci de

Assi-

Assisio, ego Fráscisci de Paula, ego Ignatij) sunt enim animales homines in capra, ariete, & iuuenca in sacrificio Abrahæ designati: nunquam certè turtur & columba se diuidi patientur; vnde dictum est, *Aues autem non diuisit*: Quoniam, ait August. *Carnales inter se diuiduntur, spirituales nullo modo, siue à negotiosis conuersationibus se remoueant, sicut turtur, siue inter illas degant, sicut columba*: Diuidi nefas est eos, qui ijsdem Sacramentis, eadem fidei tessera, & religionis vinculo colligantur: non patitur hoc charitas, quæ ex Bern. *Nouit diuisa coniungere, coniuncta diuidere nescit*, sine qua, vt idem dicit, *Quodcunque sacrificium Deo non esset acceptum, quando nec absque eadem, neque martyrium quidem aliquid esse putet Apostolus.*

Serm. Lau. 24.

Ep. 7.

CAPVT XII.

A pusillis, vel detractoribus quibusdam malis laicis depellit Turtur obiecta scandala, cum spirituali admonitione, ad superbia, & elationis spiritum eliminandum.

SEd ex multiplicium, & notorũ scandalorum assertionibus, pusilli iam dicent me nigram, & decoloratam, etiamsi à feruente charitatis Sole manifestentur, & lugeantur. Dicant. Propter hoc reciprocos hic edo gemitus, vt sublata nigredine lachrymarum fontibus, super niuem quoq; dealber, quanquam suppositum negare possem, vel modificare, (vt piam mentem zelatoris reprehendentis, Christiana charitate, excusem) & non ero insipiens, nec falsam excusationem prætexã. Olim gentiles causati sunt Christianos ad diuinas laudes, & conciones, & cœtus nocturno etiam tempore conuenientes: multaq; scandala somniantes in vulgus diuulgarunt, asserentes, quod essent scelestissimi hominum, infanticidæ, & tenebrarum, & libidinum impiarum inuerecundiam prouocantes. At quomodo de his se purgabant Christiani, quo argumento se t[.]ebantur, Audi Tertullian. in Apologetico. *Census istius disciplinæ* (Christianæ) *vt iam edidimus à Tyberio est, cum odio sui cœpit veritas, simul atque apparuit inimica esse tot hostes eius, quot extranei, & quidem proprij ex æmulatione, Iudæi ex concussione, milites ex natura. Ipsi etiam domesticis nostris quotidie obsidemur, quotidie prodimur, in ipsis plurimum cœtibus, & congregationibus opprimimur. Quis vnquam taliter vagienti superuenit? Quis cruenta Cyclopum, & Syrenarum ora iudicij reserauit? Quis vel in vxoribus aliqua immunda vestigia deprehendit? Quis talia facinora, cum inuenisset, celauit, aut vendidit trahens homines? si semper latemus, quando proditum est quod admittimus? imò à quibus prodi potuit? ab ipsis enim reis? non vtique cum vel ex forma omnibus mysterijs silentij fides adhibeatur. Samothracia, & Eleusyna reticentur, quanto magis talia quæ magis humanam animaduersionem prouocabant, quàm diuina seruantur. Si ergo non ipsi proditores sui, sequitur vt extranei. Et vnde extraneis notitia? cum semper etiam impiæ initiationes arceant profanos, & arbitris caueatur, nisi impij satis metuunt.* Ita in simili respondemus pusillis, & detractoribus malis laicis scandala obijcientibus. A quibus quæso scandalorum notitia, & fama processit? ab ipsis reis? inuerisimile est potuisse, ne plecterentur facinora publicari. Ab extraneis ergo. Vnde notitia? A domesticis? hoc ipso suspecta est eorum reuelatio, indigni quibus fides adhibeatur, cum domesticos lares, & mysteria reuelent, & publicantes malos, seipsos non monstrant bonos, dum bonos in exemplar virtutis positos, quos imitentur non publicant, & malos quos mixtos bonis tolerare debebant, in bonorum despectum, & ignominiam traducunt. Sed non propterea, quia per istos, qui ponunt in cœlum os suum mysteria publicantur Eleusyna vel Samothracia illa, pusillorum,

& de-

& detractorum malorum laicorum, quæ reticentur meliora, sed cautiora: quando, & Dominus quoque pronunciauit, quod filij huius sæculi prudentiores filijs lucis in generatione sua sunt. At scandala etiam à vulgaribus asseruntur. Quid nobis cum vulgo? non ex pusillorum multitudine, sed ex sapientium opinione res metiamur. Quis autem nesciat (ait Lactantius) *plus esse momenti in paucioribus doctis, quàm in pluribus imperitis*, rei veritatem *magis curo* (ait Nazianz.) *imo solum curo, hoc enim me, vel condemnauerit, vel absoluerit, hoc miserum, vel beatum reddiderit. At, quid alijs videatur, nihil ad nos, quemadmodum nec alienum somnium.* Non ita alijs videtur. *Quid verò? an ijs qui vertigine correpti sunt terra fixa, & stabilis esse videtur? Quocirca fac prius fidem, sanos esse eos, qui de nobis ita sentiunt, ac tum nos admone, vt meliorem frugem induamus.* Fama est publica, & omnibus nota. *Vtrum est fama malum* (ait Tertul.) *quo non velocius vllum? Cur malum famæ? quia velox? an quia plurimum mendax? quæ ne tunc quidem, cum aliquid veri affert sine mendacij vitio est, detrahens, adijciens, demutans de veritate. Quid? quod illi conditio est, vt non nisi cum mentitur perseueret, & tamdiu viuit quamdiu non probat: si quidem vbi probauit cessat esse, & quasi officio nuntiandi frustrata rem tradit, & exinde res tenetur, res nominatur, nec quicquam dicit.* Et postea, *Fama incerti est, locum non habet vbi certum est: an verò famæ credit nisi inconsideratus? quia sapiens non credit incerto. Omnium est existimare, quantumcunque illa ambitione diffusa sit, quantumcunque asseueratione constructa. Quod ab vno aliquando principio exorta sit, necesse est exinde in traduces linguarum, & aurium serpat, & ita modici seminis vitium cætera rumoris obscurat, vt nemo recogitet, ne primum mendacium seminauerit, quod sæpe fit, aut ingenio æmulationis, aut arbitrio suspicionis, aut non noua, sed ingenita quibusdam mentiendi voluptate.*

De orig. err. c. vlt. Naz. orat. 27. de seipso &c.

Tert. in Apolog.

An oculi membri viui Columbæ ad scandala oculos dirigunt? non est credibile, cum columba nonnisi fluenta purissima aquarum prospiciat, non cœnosas paludes, & turbidos fontes. Si in arca locum tenet in superiori ordine Columba (quandoquidem in arca Noe, non solum arcæ inferiora, sed superiora bicamerata, & in superioribus superiorum tricamerata legimus, significantia ex Augustino tres illas vbertates Euangelicæ tricenas, sexagenas, centenas, hoc est, tres ordines castitatis, matrimonialis, vidualis, virginalis, & cœnobiticæ) quomodo à sentina arcæ potuit offendi olfactus eius, assueta currere in odorem vnguentorum sponsi? num cum emissa ex arca natantia cadauera mundum excurrens inspexit? minimè. Solus enim Coruus, solus detractor putore cadauerum oblectatus, cadauera discerpens extra arcam moratur. Columba verò in arcam reuertitur, se ipsam intuetur sine felle, & vnguibus reprehendit, palmam oliuæ in ore deferens, hoc est misericordiæ virgam assumens, quam postulans Dauid dicebat, *Corripiet me iustus in misericordia & increpabit me*: nam quosdam acres reprehensores reprehensione dignos ostendens S. Bernardus locumque istum Dauid exscribens, dicebat. *In promptu est vobis insipientiam meam corrigere: aut si hoc dignius iudicatis etiam punire: dico tamen si piè, si christianè mecum agitur. Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me non in ira apud alios diffamabit.*

Lib. 15. de ciu. c. 26.

Psal. 140.

Epist. 306.

An tunc scandala propalata (dicent pusilli) cum in legitimis subsellijs publicata, atque damnata, & fontes criminum patratores publicè animaduersi, & amandati. Cædo; æstuet de talibus carcer, ad exilia, ad vltimum vsque supplicium sint destinati, num de animaduersione plangendum? dicerem ni Dauidem obstantem legerē: *Lætabitur iustus, cum viderit vindictam, manus suas*

Psal. 57.

suas lauabit in sanguine peccatoris. Num de iactura imaginata, quam pati existimantur domus bonorum propter punitiones malorum? Minimè. Exeunte enim Iuda ex Apostolorum Collegio Christi familia illustrior reddita est, & tantum abest, vt gemens Christus Dominus auditus fuerit, vt eo temporis articulo gestiens, & exultans in lætitiæ voces proruperit: audi Euangelium. Ioan. 13. *Cum ergo exisset Iudas dicit Iesus, nunc clarificatus est filius hominis: & Deus clarificatus est in eo. Si Deus clarificatus est in eo, & Deus clarificabit eum in semetipso, & continuo clarificabit eum.* Ex illa verborum geminatione, lætitiæ signo, nullam obscuritatem contraxisse collegium Apostolicum propter Iudam, sed claritatem super claritatẽ induisse, clarè demonstrans. At præstaret (inquies,) ne eò res deduceretur, vt ad animaduersiones sit procedendum. Etiam præstabilius esset, si corpus non ægrotaret: ægritudine verò supposita, validius corpus redditur, cum saniosus sanguis eijcitur, præstatque Soli, & Orbi sanguinem putridum & saniosum innotescere seruato corpore, quàm tabidum, & inuisum intra non vitiatas venas delitescere: Et incurabilius reddi posset membrum, & corpus morbo infici, eò diuturniori, & periculosiori quò occultiori, & ab hominum oculis remotiori. Et certè minus incommodi est in mystico corpore habere exterius fœditatem, quam habere occultæ superbiæ delitescentem tumorem. Elidamus tentationes ignitas dæmonis, animam religiosam his cõparationibus adoriantur, ne in peiora mala incidamus. Dicam asseueranter. Scandala illustrium personarum in Ecclesia, ab interna elatione processisse, ad quorum medelam, dispensante Deo, tanquam lepra effloruerunt in frontibus suis, vt conuerterentur, & sanarentur. Audi S. Thomam Aquinatem ingeniorum florem sic differentem. *Sicut in Syllogismis ducentibus ad impossibile, quandoque aliquis conuincitur per hoc quod ducitur ad inconueniens magis manifestum: ita etiam ad conuincendam superbiam hominum, Deus aliquos punit, permittens eos ruere in peccata carnalia, quæ & si sint minora, tamen manifestiorem turpitudinem continent.* 2.2. q. 162 ar. 6. ad 3. *Vnde Isidor. de summo bono dicit, omni vitio deteriorem esse superbiam, seu propter quod à summis personis, & primis assumitur, seu quod de opere iustitiæ, & virtutis exoritur, minusque culpa eius sentitur. Luxuria verò carnis adeò nota omnibus est. quoniam statim per se turpis est, & tamen dispensante Deo superbia minor est. Sed qui detinetur superbia: & non sentit labitur in carnis luxuriam, vt per hanc humiliatus à confusione exurgat, ex quo etiam patet grauitas superbiæ. Sicut enim medicus sapiens in remedium maioris morbi patitur infirmum in leuiorem morbum incidere; ita etiam peccatum superbiæ grauius esse ostenditur ex hoc ipso, quod pro eius remedio permittit ruere homines in alia peccata.* Li. 2. c. 38. Et propterea cauenda est superbiæ radix ad tanti mali præseruationem, in eo autem consistit; quod superbi, *de se maiora existimant, quam sint,* & inter inducentia ad superbiam vnum est nempe, quod aliquis consideret aliorum defectus, vt ibidem dicitur, vnde oritur quod aliquis alteri se præfert, vbi è contra sancti viri virtutum consideratione vicissim, sibi alios præferunt Et citat S. Gregor. 24. mor. dicentem, atque docentem, quod diuersa sunt dona Dei in hominibus, & non in omnibus omnia. *Vt per hoc quod alter habet & iste non habet, vnus altero melior ostendatur; quatenus tanto ardentius ad humilitatem quisque proficiat quanto ex bonis, quæ non habet inferiorem se habentibus pensat. Sicque fit, vt dum ille in isto, atque hic in illo respicit, quod admiretur distincta bona & ab altitudine elationis repriment, & ad studium profectus accendant.* Et sancti viri dicit idem, *Dum virtutum consideratione vi-* S. Th. sup. ar. 5. ad 2. 24. moral. c. 6.

& detractorum malorum laicorum, quæ reticentur meliora, sed cautiora: quando, & Dominus quoque pronunciauit, quod filij huius sæculi prudentiores filijs lucis in generatione sua sunt. At scandala etiam à vulgaribus asseruntur. Quid nobis cum vulgo? non ex pusillorum multitudine, sed ex sapientium opinione res metiamur. Quis autem nesciat (ait Lactantius) *plus esse momenti in paucioribus doctis, quàm in pluribus imperitis, rei veritatem magis curo* (ait Nazianz.) *imo solum curo, hoc enim me, vel condemnauerit, vel absoluerit, hoc miserum, vel beatum reddiderit. At, quid alijs videatur, nihil ad nos, quemadmodum nec alienum somnium. Non ita alijs videtur. Quid verò? an ijs qui vertigine correpti sunt terra fixa, & stabilis esse videtur? Quocirca fac prius fidem, sanos esse eos, qui de nobis ita sentiunt, ac tum nos admone, vt meliorem frugem induamus.* Fama est publica, & omnibus nota. *Vtrum est fama malum* (ait Tertul.) *quo non velocius vllum? Cur malum famæ? quia velox? an quia plurimum mendax? quæ ne tunc quidem, cum aliquid veri affert sine mendacij vitio est, detrahens, adijciens, demutans de veritate. Quid? quod illi conditio est, vt non nisi cum mentitur perseueret, & tamdiu viuit quamdiu non probat: si quidem vbi probauit cessat esse, & quasi officio nuntiandi frustrata rem tradit, & exinde res tenetur, res nominatur, nec quicquam dicit.* Et postea, *Fama incerti est, locum non habet vbi certum est: an verò famæ credit nisi inconsideratus? quia sapiens non credit incerto. Omnium est existimare, quantumcunque illa ambitione diffusa sit, quantumcunque asseueratione constructa. Quod ab vno aliquando principio exorta sit, necesse est exinde in traduces linguarum, & aurium serpat, & ita modici seminis vitium cætera rumoris obscurat, vt nemo recogitet, ne primum mendacium seminauerit, quod sæpe fit, aut ingenio æmulationis, aut arbitrio suspicionis, aut non noua, sed ingenita quibusdam mentiendi voluptate.*

De orig. err. c. vlt. *Naz. orat. 27. de se ipso &c.* *Tert. in Apolog.*

An oculi membri viui Columbæ ad scandala oculos dirigunt? non est credibile, cum columba nonnisi fluenta purissima aquarum prospiciat, non cœnosas paludes, & turbidos fontes. Si in arca locum tenet in superiori ordine Columba (quandoquidem in arca Noe, non solum arcæ inferiora, sed superiora bicamerata, & in superioribus superiorum tricamerata legimus, significantia ex Augustino tres illas vbertates Euangelicæ tricenas, sexagenas, centenas, hoc est, tres ordines castitatis, matrimonialis, vidualis, virginalis, & cœnobiticæ) quomodo à sentina arcæ potuit offendi olfactus eius, assueta currere in odorem vnguentorum sponsi? num cum emissa ex arca natantia cadauera mundum excurrens inspexit? minimè. Solus enim Coruus, solus detractor putore cadauerum oblectatus, cadauera discerpens extra arcam moratur. Columba verò in arcam reuertitur, se ipsam intuetur sine felle, & vnguibus reprehendit, palmam oliuæ in ore deferens, hoc est misericordiæ virgam assumens, quam postulans Dauid dicebat, *Corripiet me iustus in misericordia & increpabit me*: nam quosdam acres reprehensores reprehensione dignos ostendens S. Bernardus locumque istum Dauid exscribens, dicebat. *In promptu est vobis insipientiam meam corrigere: aut si hoc dignius iudicatis etiam punire: dico tamen si piè, si christiane mecum agitur. Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me non in ira apud alios diffamabit.*

Lib. 15. de ciu. c. 26. *Psal. 140.* *Epist. 306.*

An tunc scandala propalata (dicent pusilli) cum in legitimis subsellijs publicata, atque damnata, & fontes criminum patratores publicè animaduersi, & amandati. Cædo; æstuet de talibus carcer, ad exilia, ad vltimum vsque supplicium sint destinati, num de animaduersione plangendum? dicerem ni Dauidem obstantem legerē: *Lætabitur iustus, cum viderit vindictam, manus suas*

Psal. 57.

suas lauabit in sanguine peccatoris. Num de iactura imaginata, quam pati existimantur domus bonorum propter punitiones malorum? Minimè. Exeunte enim Iuda ex Apostolorum Collegio Christi familia illustrior reddita est, & tantum abest, vt gemens Christus Dominus auditus fuerit, vt eo temporis articulo gestiens, & exultans in lætitiæ voces proruperit: audi Euangelium. Ioan. 13. *Cum ergo exisset Iudas dicit Iesus, nunc clarificatus est filius hominis: & Deus clarificatus est in eo. Si Deus clarificatus est in eo, & Deus clarificabit eum in semetipso, & continuo clarificabit eum.* Ex illa verborum geminatione, lætitiæ signo, nullam obscuritatem contraxisse collegium Apostolicum propter Iudam, sed claritatem super claritatẽ induisse, clarè demonstrans. At præstaret (inquies,) ne eò res deduceretur, vt ad animaduersiones sit procedendum. Etiam præstabilius esset, si corpus non ægrotaret: ægritudine verò supposita, validius corpus redditur, cum saniosus sanguis eijcitur, præstatque Soli, & Orbi sanguinem putridum & saniosum innotescere seruato corpore, quàm tabidum, & inuisum intra non vitiatas venas delitescere: Et incurabilius reddi posset membrum, & corpus morbo infici, eò diuturniori, & periculosiori quò occultiori, & ab hominum oculis remotiori. Et certè minus incommodi est in mystico corpore habere exterius fœditatem, quam habere occultæ superbiæ delitescentem tumorem. Elidamus tentationes ignitas dæmonis, animam religiosam his cõparationibus adoriantur, ne in peiora mala incidamus. Dicam asseueranter. Scandala illustrium personarum in Ecclesia, ab interna elatione processisse, ad quorum medelam, dispensante Deo, tanquam lepra effloruerunt in frontibus suis, vt conuerterentur, & sanarentur. Audi S. Thomam Aquinatem ingeniorum florem sic differentem. *Sicut in Syllogismis ducentibus ad impossibile, quandoque aliquis conuincitur per hoc quod ducitur ad inconueniens magis manifestum: ita etiam ad conuincendam superbiam hominum, Deus aliquos punit, permittens eos ruere in peccata carnalia, quæ & si sint minora, tamen manifestiorem turpitudinem continent.* 2.2. q. ar. 6. *Vnde Isidor. de summo bono dicit, omni vitio deteriorem esse superbiam, seu propter quod à summis personis, & primis assumitur, seu quod de opere iustitiæ, & virtutis exoritur, minusque culpa eius sentitur. Luxuria verò carnis adeò nota omnibus est. quoniam statim per se turpis est, & tamen dispensante Deo superbia minor est. Sed qui detinetur superbia: & non sentit labitur in carnis luxuriam, vt per hanc humiliatus à confusione exurgat, ex quo etiam patet grauitas superbiæ. Sicut enim medicus sapiens in remedium maioris morbi patitur infirmum in leuiorem morbum incidere; ita etiam peccatum superbiæ grauius esse ostenditur ex hoc ipso, quod pro eius remedio permittit ruere homines in alia peccata.* Li. 2. c. Et propterea cauenda est superbiæ radix S. Th. ad tanti mali præseruationem, in eo autem ar. 5. consistit; quod superbi, *de se maiora existimant, quam sint*, & inter inducentia ad superbiam vnum est nempe, quod aliquis consideret aliorum defectus, vt ibidem dicitur, vnde oritur quod aliquis alteri se præfert, vbi è contra sancti viri virtutum consideratione vicissim, sibi alios præferunt Et citat S. Gregor. 24. mor. dicentem, 24. mor. c. 6. atque docentem, quod diuersa sunt dona Dei in hominibus, & non in omnibus omnia. *Vt per hoc quod alter habet & iste non habet, vnus altero melior ostendatur; quatenus tanto ardentius ad humilitatem quisque proficiat quanto ex bonis, quæ non habet inferiorem se habentibus pensat. Sicque fit, vt dum ille in isto, atque hic in illo respicit, quod admiretur distincta bona & ab altitudine elationis reprimant, & ad studium profectus accendant.* Et sancti viri dicit idem, *Dum virtutum consideratione vicissim*

 cissim

cißim sibi alios præferunt, volantia animalia alarum, se e; cuß: one se tangunt; vt eo ad volatum se alter us excitent, quo humilius alter in altero, quod admirantur videt. Sed hæc dicit idem, *reprobi nesciunt: quia mentis oculos semper in infimis premunt, qui & si quando in viam Domini veniunt, non ad meliorum vestigia, sed ad intuenda semper deteriorum exempla vertuntur. Neque enim eorum vitam considerant, quibus se humiliando postponant, sed quibus superbiendo se præferant. Deteriores namque respiciunt, quibus meliores esse gloriantur, & idcirco proficere ad meliora non possunt, quia hoc sibi sufficere existimant, quod possimus, antecedunt. O miseri, viam pergunt, & in terga respiciunt.* Hæc magnus Gregorius.

Sed præstat ea portio, vbi non oriuntur scandala. An forte extra hunc mundum sublunaré nouissimè reperta est talis regio? scandala cum mundo coniuncta sunt, vnde Christus Dominus dixit; *Væ mũdo à scandalis*, ergo vbi scandala non sunt, ea quoque pars mundi non erit. Et si scandalosos non vis videre, aut portare, exire te oportet ex hoc mundo. *In omni congregatione multitudinis necesse est* (ait August.) *vt inueniantur mali. Deus enim qui nouit exercendos nos miscet vobis, & non perseueraturos, aut certè ita simulatos, vt nec inchoauerint in quo perseuerare debent. Nouit enim necessarium esse nobis, vt feramus malos, & proficiat quod boni sumus.* At inquies. Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine, *Vbicunque* (subdit August.) *fueris congregabunt se cæteri, desertum tecum petent, affectabunt vitam tuam; tu repellere non potes societatem fratrum. Miscentur tibi etiam mali, adhuc tibi exercitatio debetur &c. Attende quia* (Dominus) *duodecim suis miscuit vnum quem pateretur.* Ne propter aliud, ex Augustino, *Credendum permittere Deum, vt misceantur numero professionis vestræ multi. & multa casuri. & casura, nisi vt his cadentibus timor vester augeatur, quo superbia comprimatur.* Et infra, *Perseuerantes in numero vestro præbeant vobis exemplum, cadentes autem augeant timorem vestrum.*

Matt. 18.

In Ps. 54.

De sancta virg. c. 6.

Inquies melius tandem agitur abscindendo malos, qui nos conturbant, & resecando putridas carnes, ne corpus inficiant atque absumant & animaduersione punire seueriori delicta minima, ne crimina pariant, oua ipsa aspidum initio comprimere, ne erumpant in regulum. Optima & necessaria cautela: nam, & Dominus noster, quamuis dixit, *Sinite vtraque crescere, vsque ad messem, ne fortè cum vultis colligere zizania, eradicetis fortè & triticum*: *non ideo* (ait Augustinus) *omittendam censuit Ecclesiæ disciplinam: imo vero adhibendam docuit; cum dixit; si peccauerit in te frater tuus corripe eum.* Et postea. *Est ergo ratio dissimulandi, & tolerandi malos in Ecclesia: & est rursus ratio castigandi, & corrigendi*: Ea etiam correctione, quam assignat Augustinus in regula, vt tãdem discolus, & indisciplinatus de nostra societate proijciatur.

Matt. 18. De fide & operib. c. 3.

Quid si calamum quassatum, non conterere, nec lignum fumigans extinguere cogatur? nonne hoc est Christi Domini mansuetudinem imitari? Grande certè opus charitatis est, arctissimo charitatis vinculo, mortuo cadaueri corpus viuum alligari, si correctionis est spes, vt calore charitatis viuificetur, & foueatur ad vitam potius, quàm ad putredinem tendẽtem corporis aliquam partem abscindere? Et si hoc sit necessitatis, ne contagio pestifera plurimos perdat, illud sit eximiæ dilectionis signum, infirmum ferendo, & in viuo corpore mortuã vitam transigere, vt mortuo, suo exemplo, & charitate à Deo impetret vitam. Vnde etiam ex Basilio. *Si fortè contigerit vnum aliquem de ijs, qui in manu digiti sunt, læsum ex dolore aliquo laborare; idcirco continuo etiam alius pertinaciter se præcidi iubebit? Sed contra, dolorem primum amputationis fugiet:*

Sup. c. 22. in const. monast.

fugiet: deinde etiam conſtantiſsime aſsiſtet vt illius quoque in periculo ſit, officium corpori poſsit præſtari, ac non naturalibus omnino priuata ramus manus, proprio, ac natiuo ſuo decore ſpolietur. Etiam præſtabilius eſſet proteruientem à pædotriba plecti, quam ſontem extra diatribam dimiſſum impunè vagari, totumque orbem ei pro carcere aſſignari. *Conterantur bracchia peccatoris, & maligni, quæretur peccatum eius & non inuenietur,* diſciplinæ enim virga illud effugabit. Hoc enim æquius eſt, quàm peccante impio, vel de peccato non inquiri, vel ſi de peccato conſtet, nec quæratur peccator, nec inueniatur.

CAPVT XIII.

Triplex ex S. Petro Chryſologo genus ſcandali diſtinguuntur: & primi, & ſecundi generis ſcandala recenſentur; à quibus ex Dei gratia ſe Turtur fatetur immunem.

VErùm ne aſſerta, & in papyris inſerta multiplicia, & orbi nota ſcandala mentibus imperitorũ imprimantur, odiũque aduerſus nos concipiant, garrula anus, delirus ſenex, & quiuis etiam de media plebe viliſſimus cerdo, dum hæc materna etiam, & vernacula lingua deſcripta legunt, & ruminant, ſicque occupati animi ex philautia, ante incipiant nos homines odiſſe, quàm noſſe, quos cognitos, vel imitari volunt, aut damnare non poſſunt; operæ pretium eſt, hos qui occaſione columbini planctus, & pij gemitus à nobis tanquam terriculamentis more puerorum fugiunt, à terrore tam infandæ exiſtimationis auocare, & ſanctorum doctrinis popularem inſtruere tarditatem, & obloquentium malitiam modeſtè obiurgare ex ſanctorum doctrinis, & documentis, *Scãdalorum genera,* vt ſcripſit Chryſologus, *ſunt diuerſa, & prima illa ſunt, quæ Diaboli fraus parit. Secunda ſunt, quæ generat calliditas humana. Tertia ſunt, quæ parit ex nobis ſuſpicax, & incauta natura.* A diabolo ſunt illa quæ fallũt ſpecie, qua prætẽdunt bona, cum mala inferant. Vnde, vt exemplificat idem ſanctus, tale fuit ſcandalum, *quod per Petrum Chriſto diabolus volebat inferre: nam cum Dominus loqueretur paſsionis ſuæ gloriam, reſpondit per Petrum. Non tibi hoc erit Domine. Quia enim triũphum Crucis vacuare contendit, cum ſe fruere nimio amore mentitur, Dominus ſeruum poſt ſe miſit, ſcandalum remittit auctori dicendo ad Petrum. Vade poſt me. Et diabolo, ſcandalum tu mihi es; cauſamque addidit, non enim ſapis ea, quæ Dei ſunt, ſed quæ hominum.* Nihil autem magis crucis gloriam euacuat, quàm ſapientia terrena, & carnalis, quæ etiam à Iacobo diabolica appellatur. In eo autem conſiſtit talis ſapientia, quod vult conglorificari cum Chriſto, ſed non perpeti ignominiam Chriſti, conregnare in cœleſtibus, habere tamen radices fixas in terra, pannis infantiæ Saluatoris obuolui, & adhuc in domibus regum mollibus veſtiri; leges ciuitatis Babylonis, præceptis cœleſtis Hieruſalem, connectere; catenulas humanarum rationum, cum retibus Apoſtolicis copulare. Nulla perſecutio iſtâ acerbior, etiamſi à filijs Eccleſiæ attentaretur, dicente Ezechia, *Ecce in pace amaritudo mea amariſsima:* amara enim fuit Eccleſię perſecutio, vt dicit Bern *in nece martyrũ,* ob perſecutionem Gentilium: *amarior poſt in conflictu Hæreticorum: amariſsima, nunc in moribus domeſticorum; & pax eſt, & non eſt pax;* cum Dominus non venerit pacem mittere, ſed gladium, ſeparando cœlum à terra, carnem à ſpiritu, ſpiritum ab anima, quæ Dei ſunt ab ijs quæ ſunt hominum: cum tamen hæc velint ſæculi amatores copulare. Quod ſi implere poſſent, vt ſcripſit Sanctus Cyprianus ad Cornelium: *Quid ſupereſt, quam vt Eccleſia Capitolio cedat, & recedentibus ſacerdotibus, ac Domini altare remo-*

Serm. 27.

Mat. 16.

Eſa. 38.

In cãt. ſer. 32. in Pſ. Qui habitat.

Ep. 55.

uentibus, in cleri nostri sacrum, venerandumque confessum, simulachra, atque Idola cum aris suis transeant? & Nouatiano (omnibus hæreticis) *declamandi, & aduersum nos atque increpandi, largior, & plenior materia præstetur? &c.* Hæc scandala si in nobis omnibus, aut plurimis inspiciant murmurantes populi, & pusilli, denigratos, vndequaque libera voce pronuncient. At confidenter, dicere, mundo ipso iudice, possumus longè religiosorum omnium ordinum innumerabiles viros à sapientia, & prudentia seculi esse discretos. *Quid Athenis, & Hierosolymis? quid Academia, & Ecclesia?* quale commercium nostrorum cum negotijs sæcularibus? Designetur tempus, quando iunctum est claustrum nostrum cum Capitolio, Chorus cum Foro, Capitulum cum Senatu, pseudopoliticia, cum simplicitate Christiana? *Nostra institutio de porticu Salomonis, qui & ipse tradiderat Dominum in simplicitate cordis quærendum.* Gentilium stultam sapientiam exufflat, tantum illorum lectioni insudans, quantum eorum libri Sacræ Theolog. tanquam Dominæ, vt ancillæ subseruiant, curiosa respuens, vtilia sequendo, & pseudopolitiam, tanquam Dei legi inimicam insectando, vt in Parnassi oris Tacitum fustigatum iubente Apolline exultet, & probet.

Tert. de princ.

Ibid.

Diximus primum genus scandali, dicimus & secundum, vt Chrysologi verbis, & sententijs vtamur, *Scandalum molitus est Ieroboam, qui ex auro vaccas populo in deos figmento miserabili collocauit, ne Deum viuum, ne verum templum, ne diuinam legem, ne legitimos Reges, ne patrios ritus quæreret.* Vnde, & contra Regis consiliarios Sacerdotes quosdam inuehitur Dominus dicens, *Laqueus facti estis speculationi, & rete expansum super Thabor.* Quo scandalorum genere, errorum satores, falsitatum architecti, Ecclesiæ perduelles, à veritate Catholica populos abducentes significantur, & fugiendi notantur, qui contra Catholicæ Ecclesiæ doctrinam noua dogmata fabricantur, quæ vt dicit S. Vincentius Lirinensis. *Vetus testamentum allegorico sermone Deos alienos appellare consueuit.* Nec hoc scandalum, Dei gratia, quis in religionibus deprehendet; Idola enim subuertimus, hæreses eliminauimus, profanas vocum nouitates, nec in tantilla re exurgere passi sumus. Non ergò hæc scandala gemit columba, nec gemere potest, aut debet. Erit ne qui nos causabitur (quantum ad mores attinet) quod nostra quæramus, *Non quæ sunt Iesu Christi*, nec illud impleamus, *Soluite & adducite mihi?* & contra illud veniamus? *Non quæro datum, sed quæro fructum*, idolumque priuatæ commoditatis construamus, & simus rete expansum super Thabor, sponsam Christum quærentem expoliantes? quando hoc reperiretur in nonnullis nostrorum, non esset redargutio ex proprijs; sed communibus, quando & Sanctus Hieronymus consimiles defectus aduertens suo tempore irrepentes, sic scripsit ad Eustochium, *Sunt alij (de mei ordinis hominibus loquor) qui ideo presbyterium, & diaconatum ambiunt, vt mulieres licentius videant. Omnis his cura de vestibus, si bene oleant, si spes laxa pelle non folleat, crines calamistri vestigio rotantur, digiti de annulis radiant, & ne plantas humidior via spargat, vix imprimunt summa vestigia. Tales cum videris, sponsos magis existimato, quàm Clericos. Quidam in omne studium vitamq; posuerunt, vt matronarum nomina, domos moresq; cognoscant; ex quibus vnum, qui huius artis est princeps breuiter strictimq; describam: quo facilius magistro cognito discipulos recognoscas: cum sole festiuus exurgit, salutandi ei ordo disponitur, viarum compendia requiruntur, & penè vsque ad cubilia dormientium senex importunus ingreditur. Si puluillum viderit, vel mantile elegans, si aliquid domesticæ supellectilis,* Lau-

Ser. 17

Os. c. 5.

Contra prof. voc. nouit.

De custo. virg. ep. 22.

Iudas, miratur, attrectat, & se his indigere conquerēs, non tam impetrat, quam extorquet. Hæc S. Hieron. sui temporis imperfectos aliquos notans.

Verùm cum vniuersitas ordinum (maxime mendicantium) nomen paupertatis cum re assumpserit, non potest vniuersaliter de illis verificari, quod scripsit Hieronimus: cum sint de mendicitate, atq; paupertate, satis superque contēti. Illud magis pro sui defensione sibi adaptat, quod scripsit S. Gregorius. *Sed perfectus ordo prædicatorum, dum fauores de lucro prædicationum habere despicit, subditorum temporalia bona ambiendo non tollit.* Et subdit Gregorius: *Vnde benè quoque illic subditur, & nouacula non ascendet super caput eius: Nouacula cum super caput ascendit, capillos radit. Quid enim per capillos, qui corpori superfluunt, nisi abundans terrenæ substantiæ copia designatur? Et quid per nouaculam, nisi malorum pastorum cupiditas exprimitur? qua nouacula nati filij caput raditur, cum bona subditorum, per prædicatorum cupiditatem rapiuntur. Hinc tanquam delinquenti Iudææ per prophetam dicitur. Pastores tui lupi vesperi non relinquentes in mane; vespere namque pastores lupi fiunt, quia intenebrescente, atque decrescente in fine isto seculo rapere subditorum bona non metuunt. Qui in mane non relinquunt, quia dum temporalibus inhiant, inalbescente aduentu futuri iudicij danda sibi præmia non reseruant. Quos nimirum Michæas denotat dicens. Prophetæ qui seducunt populum meum, qui mordent dentibus suis, & prædicant pacem, & si quis non dederit in ore eorum quidpiam, sanctificant super eum prælium. Prophetæ quippe populum domini seducunt, cum prædicatores reprobi auditorum suorum iudicia cōfundunt, & mordentes dentibus pacem nunciant, quia in appetitu suæ rapacitatis, dum terrena flagitiosorum dona suscipiunt, eis diuinæ indulgentiæ securitatem pollicentur. Super ipsos autem prælium sanctificant, qui in ore eorum aliquid non dant, quia iustos etiam districtis sententijs terrent, qui eis pro voto terrena non exhibent. Qui nimirum super caput filij nouaculam ponunt, dum prætextu charitatis, cœlestia prædicant, vt eis terrena per cupiditatem tollant. Hanc certè nouaculam, quod sancta Ecclesia, in prædam subditorum non habeat, Doctor egregius in semetipso ostendit dicens. Non quæro datum, sed quæro fructum, &c.* Si ergo vniuersi religiosi datum quærimus, si contra ius terrenis inhiamus; proclametur, nostra esse scādala, dicatur de nobis, quod facti sumus rete expansum super Thabor. Si vero nihil ostendi potest à quærentibus, aut petentibus à subsellijs, tabellionibus, vt scripturas, & instrumenta illicita exhibeant, & producant, satis iustificatur causa nostra & omnium religiosorum, & vincet si hac via à malis laicis adiudicatur. Qui enim cum Apostolo quoque dicunt. (*Qui Euangelium annunciat, de Euangelio viuat: ego autem non sum vsus hac potestate*) & à subditis (vt idem dicit Greg.) alimenta percipere sæpe recusant, quanta mundani contēptus sublimitate, *lucra turpia, & illicita dona,* despiciant, apertè manifestant.

In Reg. c. 3. — *Mich. 3.*

CAPVT XIV.

Tertium verò genus scandali, in quod etiam sancti viri impingunt, admittitur, & traducentes Religiosorum familias perstringuntur.

Tertium genus est scandali, ait Chrysologus; *Quod nostris generatur ex sensibus, cum fallimur oculis, cum decipimur auditu, capimur odore, & sapore vitiorum, vnde hæc scandala amputari iubens Dominus dixit. Si scandalizauerit te oculus tuus, aut mens tua, abscinde, & proijce abs te.* Inde nos primi interdum scandalizati, alijs, (nobis quoque publicè peccantibus, & si solum venialiter) propter status nostri eminentiam sumus offendiculo. Inde *scandalum Sanctos tentat, fatigat incautos incautos deijcit, & confundit omnia, cōturbat omnes,* vt bonum sit illi, qui scandali- *Chrys. sup.* *Idē Chrys.*

rat, si lapis molaris appendatur in collo eius, & proijciatur in mare, quàm scandalizet vnum de pusillis istis. Benè lapis molaris assumitur. *Quia dum triticum terit, dum farinam fundit, à polline fursures dum secernit, panem piè laborantibus subministrat.* Benè ligatur in collo scandalizantis molaris lapis. *Vt hoc illum ad mortem trahat, quãdo illum trahere debuisset ad vitam, quia sensus ad vitam datos mortis conuertit in scandalum, saltem factis suadendo, aliud videre, aliud audire, aliud sentire, aliud sapere, quàm erat in Christo. quàm erat in scientia salutari.* Huiusmodi in nobis scandala negare, ex hominibus non constare Religiones, est affirmare, quando culpæ non de montibus nec de humo, sed de libero procedant arbitrio.

Homo autem qualiscunque sit, si tantũ de se præsumeret, & suis vt scandala non dare possint, assereret, non dicam stultus esset suum non videns errorẽ, sed satis certè arrogans esset, qui sibi audeat vendicare, quod humana conditio non recepit. Quia verò Ecclesiasticę personæ tanquã lucernę super candelabrum reponũtur, hoc est, fastigio, & virtutis culmine supra sæculares efferuntur, omnia oculis subijciũtur, vt minimi quoque defectus arguantur ex lumine: Inde est (vt etiam de Episcopis quoque scripsit Chrys. quod, *Si vel tantillum peccauerint prima eorum peccata alijs magna videantur, neque enim peccati magnitudine, sed peccantis potius dignitate peccatum pleriq; metiũtur*, & subdit. *At certè Episcopum,* Religiosum, *conuenit, & studio acri, & perpetua vitæ continentia, tanquam adamãtinis armis circumseptum, quoquouersum circumspicere, nec vbi, nudo quis aut neglecto loco deprehenso letale vulnus afferat: circumsistunt enim cæteri parati, vt vulnerent, ac si liceat supplantent: neque ij ex hostium, atq; aduersariorũ numero, sed ex ijs, qui se amicos esse adsimulant. Episcoporum* (adde, & Religiosorum) *animi tales eligantur, qualia olim in Babylonica fornace sanctorum illorum corpora diuinæ gratiæ largitas exhibuit. Neque enim ignis eius qui Episcoporum* (Religiosorum) *animos depascit, alimenta sunt sarmentum, pix, stupa. sed alia quadam his longè inferiora: quando ne ignis quidem sensibile illud elementum his substernitur, sed pro igne Episcopum* (Religiosum) *circumlãbit voracissima inuidiæ flamma, vndiq; se attollens atque adeo vitam illius, ac mores altius subiẽs, scrutans, probãs, quàm ignis ille Babylonicus puerorum illorũ corpora probauerit. Quoties igitur repererit, vel tamẽ aliquod stipulæ vestigium, celeriter admota partem illam debilem, ac vitiatam exurit: tum verò reliquam stricturam, vt ea solaribus radijs radiantior lucidiorq; fuerit fumo illo inuoluit, totamque denigrat. Quandiu enim Sacerdotis vita pulchrè partibus ex omnibus congruens concinnaque fuerit, nullæ illi aduersariorum inuidiæ nocere possũt: qui simul atque, vel tantillum officij recti prætermiserit (vt par est nonnunquã prætermittere eum, qui homo quidem ipse sit, quique humanæ vitæ plenum erroribus pelagus traijciat) tam illum nihil anteactæ vitæ honestas adiuuat, ad incusantiũ voculas effugiendas; quinimo leue illud commissum, reliqua illius vitæ luminibus officit; ac certè sic sacerdoti omnes iudices esse volunt, vt carne nequaquã composito, vt humanam naturam non sortito, verum vt Angelo, vt humanæ infirmitatis minime participi.* Multiplicia ergo, & omnibus nota huiusmodi generis scandala, quæ asseruntur, quia religiosi homines, & multi sunt; multa quoque scãdala ex infirmitate naturæ, ea damus, quod sint, (& de his potest intelligi, quod loquitur pia colũba, & nec est quod in sinistrum sensum aliquis eius verba interpretetur) talia enim esse potuerunt. At dicet quis è factiosis, vel pusillis malis laicis, multiplicia, & orbi nota scandala non quæcunque, sed grauia sunt, quæ asseruntur à Columba, tantumque esse illius, quæ deploratur, & plangitur. Audiat ille sic obijciens, Ecclesiæ Doctorẽ Chrysostom. *Qui merito incusatur* (ait Chrys.) *facilè*

Lib. 3. de Sacerdot.

Tom. 1.

Ad ver-sum finem.

cilè tulerit eum à quo incusatur: quippe cum accusator minus, quàm conscientia ipsa infestus sit, efficitur, vt quoties ab ea, quæ omnium molestissima est, deprehensi conuictique prius fuerimus, accusatores extraneos, tanquam mansuetiores, facile postea patiamur. Porro qui nullius sibi culpæ conscius est, dum iniustè accusatur, continuò ad iram propensus fertur, ac non omnium facilè despondet: nisi idem sic se prius animo comparauerit, præparaueritque, vt multorum insipientiam patientissimè ferat. Fieri enim vix potest, vt qui se temere calumniam pati, atque inique damnari intelligit, non aliquo modo aduersus tantam hominum iniquitatem, & absurditatem commoueatur. Qui verò etiam culpæ conscius, vni notus, mille ignotus, per omnes gentes, & locos contra ius exemplatur ab aliquo, iustam causam habet cum moderamine inculpatæ tutelæ in pari gradu concertationis positus, obijcere, repellere, obijcientem propulsare, famam tueri, moresque consimiles, vel peiores (quos in se approbat obijciens, & alteri reprobare non debet) ostentare: vt sciat obijciens, quod in paritate peccati constitutus, vel maioribus criminibus detentus in eo, in quo alterum iudicat, se ipsum condemnat, neue accusatus deformior appareat, ex iacto candore incusantis, quando cum communicatione in natura, est etiam cõmunicatio in culpa. Audite detractores mali laici, qui contrarijs studijs religiones scinditis, grauia scandala obijcitis, ampliando sinistrè interpretando verba columbæ. Quod reprehendatis nõnullos ex tota communitate religiosorum ordinum nullo modo lædimur, sed lætamur, si tamẽ animaduersio ex charitate procedat, scientes quod de scãdalis nostris non scandalizentur pij dicente Ioanne. *Qui diligit fratrem suum: in lumine manet. & scandalum in eo non est*, & Dauid. *pax multa diligentibus legem tuam. & non est illis scandalum.* Sed quod scandala in omnibus ordinibus esse, eaque nota dicatis, extendatis, diuulgetis inflatis buccis, vt loquar cum Chrysostomo. *Vnde nam quæso, & à quo (id laice detractor religiosorum) edoctus es? nam si cœlitus id tibi innotuit, oraculum ipsum mihi indica, & tibi iam assentiar: sin id non potes, verum ex hominum opinione de hac re pronuncias, ab isto tandem errore animum liberabis: in ijs enim quæ ad nos spectant par est, vt nostrum potius, quam aliorum sequamur iudicium: quæ enim in homine nullus nouit, nisi spiritus hominis, qui in ipso est.* Eos qui quotidie iudicandis custodijs præsident contestamur, vt dicant in omnibus ordinibus. *Quis illic sicarius? Quis illic manticularius? quis sacrilegus, aut corruptor, aut lauantium prædo*, in ordinatis, & religiosis claustris, *deprehensus est?* Iam vero si hæc omnia elogia, qui afferuntur, propter paucos mulctatos de multis, & quasi singulis generum, omnium ordinum, falsa sunt: nescio an competere possunt generibus singulorum, ac proinde, nec vera, nec iusta esse potest ista cautatio.

1. Ioan. 2.

Psal. 118.

Li. 3. de Sacer.

Ex Tertu. in Apolog. cap. 45.

CAPVT XV.

Multiplicatio palearum tritico immixta in area religionis, sanctorum virorum dignitatem, & famam non imminuit, cum adhuc non sit discussionis tempus: & patientia, & modestia Turturis ostenditur, linguas detrahentium laicorum sustinentis, & easdem modestè depellentis.

QVOD verò scandalorum origo asseratur ex multiplicitate religiosorum orta, non id simpliciter, sed ex conditione temporum, aut aliarum circumstantiarum accipiendum esse arbitror, cum multiplicatio quoque Ecclesiæ in magnam Ecclesiæ gloriam cedat, etiam si in multiplicitate tritici, multiplicitatem palearum immisceri necesse sit. An gloriam nescis pro Ecclesiæ dilatatione decantatam? *Germen plantationis meæ opus manus meæ ad glorificandũ: minimus*

Esa. 60.

mus erit in mille paruulus in gentem robustissimam, vel vt Septuaginta vertunt *in gentem magnam. Ego Dominus in tempore eius, subitò faciam istud.* Cur laudatur assertum verum & viuum membrum Columbæ, quòd breui sic excreuit in gentem magnam, vt prouincias orbis terræ penè omnes complexum esse videatur? Non patrocinatur Isaiæ dictum ad multiplicitatem carpendam, qui ex multiplicitate Ecclesiæ gloriam occinuit. Quod enim legimus, *Multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiam* Septuaginta legunt. *Plurimam partem populi deduxisti in lætitiam.* Vtraque tamen lectio vera est, & sacra; Septuaginta hunc sensum habent: Plurimam partē populi deduxisti ei ad Christum, ô pater. Lego enim scriptum, *totus mundus abit post eum.* Hieronymi verò iste sensus est, multiplicasti summe Deus gentem credentium, nō multiplicasti lætitiam, quia dolebant primitiæ credentiū Iudæorum excludi Iudæos, recipi ad fidem gentes. Ex multiplicatione ergo religiosorum, sicut plurima lætitia est membrorū Christi, sic exigua, vel nulla est inuidorū, quod multiplicari videant tentoria Christi, & puerile peccatum esset si religiosi ad inuicem inuiderent de ista multiplicitate: in quod etiam inciderunt discipuli Ioannis, dolentes quod plures discipulos Christus faceret, quàm Ioannes. Quod pariter scandalorum seges orta sit propter eos, qui à Deo non vocati in religionem admittuntur. Transeat. Sed quæ culpa Præpositorum, si semper animos fictos discernere nō possunt? Qui, & si bona conscientia nihil se fingere dicant, quamplurimis id asseuerantibus verbis, sed tamen verbis adhuc latebras cordibus penetrare non possunt, vt inidoneos ab idoneis valeant separare? Malè se haberet religio, si eò deueniēdum esset, vt ex cognitione intentionis hic esset acceptandus, ille respuendus, discatur ex Gregorio in Euang. quod *quousque hic viuimus necesse est, vt vitam præsentis sæculi permixti peragamus, tunc autem discernimur cum peruenimus: boni enim soli nusquam sunt nisi in cælo, mali soli nusquam sunt nisi in inferno. Hæc autem vita, quæ inter cælum, & infernum est, sicut in medio subsistit, ita vtrarumque partium ciues cōmuniter recipit, quos tamen sancta Ecclesia, & nunc indiscretè suscipit, & postmodum in egressione discernet.* A quibus malis si tanquam cadaueribus, & corruptionibus fætor ascendebat, sepulturæ perpetuò demādari præstasset, ne per ora omnium gentium putida aura, famaque scandalorum diffunderetur. Honorificentiori tumulo sepelienda erant, sed quoniam in ore eorum, de quibus dicitur: *Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolosè agebant*, tumulantur, horum ora oppilanda sunt, vt simus bonus odor Christi in omni loco. Dolemus tamen quod pauci sint, quibusdā odor mortis in mortem, sicuti gaudemus, quod sint alij alijs odor vitæ in vitam. Quod si concedant factiosi, quod vndique à quibuscunque plangentium fluant aromata, à corruptione præseruantia: Impetrate nobis quæso, quæ supersunt, vt putridorum corpora piè vngantur in sepulturam. Si verò cum odoribus, & aromatibus myrrhæ, thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij, pix, sulfur admiscentur, saltem in aliquo lugentium (humanum quid dico propter infirmitatem quoque carnis nostræ) aut inter immarcessibilia corpora, cadauera aliqua etiam inuisuntur, benignè illis de myrrha probatissima, & vestimentis nostris à domibus eburneis élargimur, vt in eis corrigatis, quod in nobis corrigendum esse, tam anxiè exoptatis: alioquin si non vtrinque est causa commiserationis, & liberalitatis, sicut communis esse debet plāctus, & luctus, sed illis solis, vt dicit, is relicta est resina in Galaad, ad curandas con-

Esa. 9.

Hom. 38.

contritiones nostras; iam priuilegium curationis nostræ possumus expetere à vobis, quod illius solius est, *qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum*; vnde sequitur, *Deus noster Deus saluos faciendi, & Domini Domini exitus mortis*. Absit autem ex hoc, vt gladios quos aduersus inimicos sanctæ Ecclesiæ acuimus, contra filios Ecclesiæ dirigamus, *non nosmetipsos defendentes charissimi*, ait diuinus Paulus Apostol. &c. Scutum patientiæ expandimus ad sustinendas reprehensiones, exhibentes nos sicut Dei ministros in multa patientia; non gladium vibramus, quando *arcum conterit, & confringit arma, & scuta comburit igni*. solum aduersus furiosorum linguas, malorũ scilicet laicorum, qui simplici corde prolata verba columbæ extendunt, & ampliant, defensionem paramus.

Psal. 146. Psal. 67. Rom. 12.

Licitum autem esse clauum clauo retũdere pro iusta defensione ex S. Thoma scribente contra oppugnatores ordinum dicimus: ratioque id edocet, & suadet: mores, videlicet quos in se quisque approbat, alteri reprobare non debere. Hinc vel ipsa Gentilitas suos magistros philosophos buccis inflatis multa subtiliter de vitijs, & virtutibus disserentes, parum, & nihil operantes reijcere poterat, vt superbos alienorum delictorum censores, propriorum inemendatores. Audiant mali laici detractores Lactantium de Philosophis loquentẽ: (*Quis est tandem, qui nõ videat eos homines virtutis, quã ipsi egent non esse doctores? Nam si quis mores eorum diligenter inquirat, inueniet iracũdos, cupidos, libidinosos, arrogantes, proteruos, & sub obtentu sapientiæ sua vitia celantes, domi facientes ea quæ in scholis arguissent. fortasse mentior accusandi gratia: nonne id ipsum Tullius, & fatetur, & queritur? Quotus*, inquit, *quisque Philosophorum inuenitur qui sit ita moratus, ita animo, & vita constitutus, vt ratio postulat, qui disciplinam veram, non ostentationem scientiæ, sed legem vitæ putet, qui obtemperet ipse sibi, & decretis pareat suis? Videre liceat alios tanta leuitate, & iactatione, vt his fuerit non didicisse melius, alios pecuniæ cupidos, alios gloriæ, multos libidinum seruos, vt cum eorum vita, & vitijs mirabiliter pugnet oratio. Nepósque Cornelius ad eundem Ciceronem ita scribit. Tantum abest, vt ego magistrum esse putem vitæ Philosophiam, beatæque vitæ perfectricem, vt nullis magis existimem opus esse magistris viuendi, quam plerisque, qui ea disputanda versantur. Video enim magnam partem eorum, qui in schola de pudore, & continentia præcipiant argutissimè, eosdem in omnium libidinum cupiditatibus viuere. Ita Seneca in exhortationibus, plerique,* inquit, *Philosophorum, tales sunt diserti in conuitium suum, quos si audias in auaritiam, in libidinem, in ambitionem perorantes, indicium sui putes professos. Adeo redundant ad ipsos maledicta in publicum missa, quos nos non aliter intueri decet, quàm medicos, quorum tituli remedia habent, pixides venena. Quorum verò, nec pudor vitiorum tenet, sed patrocinia turpitudini suæ fingunt, vt etiam honestè peccare videantur. Faciet sapiens* (inquit idem Seneca) *etiam, quæ non probabit, vt etiam ad maiora transitum inueniat, nec relinquet bonos mores, sed tempori aptabit, vt quibus alij vtuntur in gloriam, aut voluptates, vtatur agendæ rei causa* (deinde paulo post.) *Omnia quæ luxuriosi faciunt quæque imperiti faciet & sapiens. sed non eodem modo, eodemque proposito. Atqui nihil interest, quo animo facias, quod fecisse vitiosum est, quia facta cernuntur, animus non videtur.* Sicut parum refert cautè, & si non castè patrare opera: cum, & si oculos humanos effugiant, effugere non possunt desuper inspectorem. Ergo si in philosophis gentilibus iusta causa fuit retundere reprehensores illos prauos operatores: ad Christianam modestiam, & charitatem spectat non dico solum cautè, sed publicè peccantes quosdam malos laicos, qui ponunt in cœlum os suum, retunde-

[illegible]

tundere & implere facies eorum ignominia, vt blasphemare desinant. Res inconcinna est in pari causa constitutos reprehendentes, & reprehensos ad inuicem, vel sibi compati, vel inuicem arguere: albugine laborans, & lippitudinem in alio peius reprehendit, vel vt discamus & dicamus ex Euangelio: habens trabem in oculo fratris eruendam, iustè audire potest: *Eijce primum trabem de oculo tuo, & tunc eijce festucam de oculo fratris tui.* Quod si gentilium exempla non mouent, vel saltem moueant factiosos detractores nostrorum documenta. Audi Chrysologum; verba Domini Luc. 17. attendite vobis sic exponentem: *Ille attendite sibi, qui non alienis actibus importunus, imprudens, curiosus intendit. Attendite,* inquit, *vobis. Vagus oculus, lasciuus intuitus, improbus aspectus suas non respicit ad ruinas, alienos currit, & decurrit ad lapsus, sua cæcus ad crimina, ad aliena errata perlucet; malorum suorum nescius, alienorum est accusator, & testis: suum tepidus ad reatum, ad alterius, & innocentius flammatur, & excandescit examen: & ne multis, sicuti dixit Dominus, oculus in se trabem non videns, videt in alieno festucam* Et postea. *Attendite,* inquit, *vobis, non dixit tibi, quia quicquid alij attenderint homo attendit sibi, & quantum videbit ipse alteri, videbit alter ipsi, sicut ex sequentibus elucescit. Si peccauerit in te frater tuus, increpa illum.* Scimus qui perfectionem profitentur contumelias potius perferre debere, quam etiam iusta defensione propulsare, quin? & percutienti vnam maxillam: præbere, quoque & alteram iuxta Christi documentum. Verum qui patientiæ exemplum se dedit, Doctorem quoque mundi se demonstrauit. Docuerat discipulos percutienti vnam maxillam præbere, & alteram: sed id pro loco, & tempore, non in omni in euentu & negotio. Vnde secundum præparationem animi illud dictum intelligendum ostendit Augustinus. Cæterum ad ostendendam auctoritatem iustorum supra suos persecutores (adde, & calumniatores, vel traductores, vel oblocutores malos laicos, terminos charitatis excedentes) arguit percussorem coram Pontifice, dicens (*si malè loquutus sum*) si habes quæ nunc prolata sunt reprehendere, ostende] quod malè dixerim; si autem benè, *Cur me cædis? qui furis?* vt exponit Theophylactus.

Serm. 39.

Luc. 6. Lib. 1. ser. Dom. in monte c. 39.

CAPVT VLT.

Cum communes sint culpæ, sine quibus non transigitur humana mortalitas, non debet fieri distinctio deplorantium & deploratorum; quando etiam sanctis nedum humiliter, sed & veraciter dicere competat. Dimitte nobis debita nostra. Propterea non debet vnus aduersus alterum inflari, vt se mediatorem pro illo constituat.

Ex eo autem verbo, quod membrum viuum columbæ ad porrigendas preces excitatur, *vt conuertat corda patrum in filios: & relaxatos filios, in prudentiam spiritualem, & feruorem cordis patrum iustorum*: ad gratias agendas prouocamur, quod pij nostrorum sint memores in orationibus suis. Veruntamen si nostrorum naturam miserati fragilem, ipsi quoque iuncti peccatoribus (quibus etiam, qui in similitudinem carnis peccati missus, peccatoribus appropinquare non est dedignatus) similes preces à nobis exoptent, ad primæuum feruorem sui instituti conseruandum, vel ad eundem, si inuenient in aliquo remissum, accedendum, non est cur possint obijcere pusilli, quod illi se pro nobis constituere videantur mediatores, & aduocatos, Augustinũ enim legunt reclamantem, atque dicentem, *Videte* (ait S. Doctor.) *ipsum Ioannem seruantem humilitatem, certè vir iustus erat, & magnus qui de pectore Domini diuinitatem ructauit, In principio erat Verbum, & Verbum*

Tract. 1. in ep. Ioan.

Verbum erat apud Deum, ille talis vir non dixit: Aduocatum habetis apud Patrem, sed si quis peccauerit, Aduocatum, inquit habemus: non dixit habetis, nec vos habetis dixit, nec ipsum Christum habetis dixit, sed, & Christum posuit, non se, & habemus dixit. non habetis. Maluit se ponere in numero peccatorum, vt haberet aduocatum, quam ponere se pro Christo aduocatum & inueniri inter damnandos superbos. Fratres Iesum Christum iustum ipsum habemus Aduocatum ad Patrem, ipse propitiatio est peccatorum nostrorum. Hoc qui tenuit hæresim, hoc qui tenuit schisma nō fecit, vnde enim facta sunt schismata? cum dicunt homines, nos iusti sumus, cū dicunt homines, nos sanctificamus immundos, nos sanctificamus, nos petimus, nos impetramus. Ioannes quid dixit? & si quis peccauerit, Aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum. Sed dicet aliquis ergo sancti non petunt pro nobis? Ergo Episcopi, vel Præpositi non petunt pro populo? Sed attendite scripturas, & videte, quia & Præpositi commendant se populo nam Apostolus dicit plebi, orantes simul, & pro nobis: orat Apostolus pro plebe, orat plebs pro Apostolo, oramus pro vobis fratres, sed & vos orate pro nobis, inuicē pro se omnia membra orent, caput pro omnibus interpellet. Rogemus ergo inuicem, vt saluemur; communis sit omnium oratio, quibus aliqualitem communis est culpa: nam & sanctis competit etiam dicere, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, & propter orationes nostras, nobis inuicem quoque debita dimittere, & relaxare debemus. quæ vtique quò frequētiores eo sanctiores esse debent. Gemat ergo hinc columba, gemat inde turtur, illud resonet; *Nigra sum, sed formosa filia Hierusalē.*

Sed tandem trophæa reportet laus iustæ libertatis in reprehendendo, conabimur, vt sit in nobis sanctæ humilitatis virtus in sustinendo. Columbam non dubito orare, vt inter ambos veritas superet; non enim suam gloriam quærit, sed Christi. Cū illa vicerit, ego quoque vincam, si meos lapsus intellexero, è cōtrario autem me vincente, ipsa ex humili confessione superabit, pace de cordibus omnium triumphante. Et quia ab initio me illi alligaui fortiter vinculo charitatis, illius iram sine felle sustinebo, factiosorum verò ictus elidam, & cum iisdem terminos charitatis excedentibus, hoc est, *Cum turbatis ero pacificus, & si qui nascentur nos conturbantibus, quoque dabo locum iræ, nec Diabolo idem.* Bern. ep. 105. In Paralip. lib. etiam legimus, quod filij Israel ad pugnandū processerint mente pacifica, inter ipsos quoque gladios, & effusiones sanguinis nō suam, sed pacis victoriam cogitantes. Sed relicto tristitiæ gemitu ad festiua procedamus.

VOX TVRTVRIS,

PARS SECVNDA.

CAPVT I.

Turturis cantus amœnitatem Religionum SS. Benedicti, Dominici, & Francisci &c. enuncians, audiendus proponitur.

AMOENITATEM quoque veris florentium adhuc religionum BENEDICTI, DOMINICI, & FRANCISCI, & omnium ordinum aliorum Sanctorum gemebunda Turtur pariter canendo enunciat. Lætatur, & conuentum facit, quæ in tristitia fuit, repleta ab vberibus consolationis Dei. Quid canit? [*ficus protulit*

a.2.1.10
I.

protulit grossos suos: vineæ florentes dederunt odorem suum.] Protulit inquam grossos suos, quia deploratorum cœtus, etiam temporibus nostris infinitos propemodum Martyres suos ad æternam patriam præmisit. Post quos vineæ florentes odorem suum dederunt, quia per vniuersum mundum exempla bonorum operum excreuerunt. Omnes autem istæ vineæ, & si situ diuersæ, atque habitu distinctæ, dum in idipsum tendunt, dum vno desiderio Christi se inuicem nutriunt, dum habentes cor vnum, & animam vnam in charitate se vniunt, ex multis vnum corpus efficiunt, vnam vineã formant, illam de qua scribitur. *Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei.* Hinc indiscriminatim propria existimat, quæ omnibus religiosis sunt communia, sicut, & propria communia facit. O vineam, Euangelij vomere orbe toto diffusam, clausam stimulis disciplinæ, ab omni pessimo gramine Apostolico labore purgatam, fidelium plantarijs, lilijs Virginum, rosis Martyrum, Confessorum viriditate amœnam, fragrantem odoribus sempiternis. Eia *surgamus ad vineas*, videamus si floruit vinea, *si flores fructus parturiunt*.

Cant. 2.

Greg. in Cant.

Is. 9.

CAPVT II.

De florenti vinea priscorum Monachorum, in Ægypto plantata à Magno illo Antonio.

VInea illa tibi primò occurrit (vt modo alias etiam ab ipsis Apostolorum temporibus exortas, inter quas à nonnullis Carmelitæ & Regulares Clerici recensentur, de quibus infra, omittamus) famosa, & per omnes gentes diffamata in Ægypto, plantata à magno illo Antonio opportunè à diuina prouidentia destinato, cum Arriana lues persuaserat orientem. In ipsa ad capiendas Vulpes, quæ moliuntur vineas, fixa sunt pastorum tabernacula plena diuinis choris psallentium, legentium, orantium, vt, si quis, vt scribit Chrysost. ad Ægypti veniat solitudines (Paradiso quouis omnem illam videbit Eremum digniorem) & innumerabiles Angelorum cœtus in corporibus fulgere mortalibus. Pallebant siquidem ora ieiunijs, macies corpus attenuebat, dies cum noctibus iungebat oratio, lachrymæ peccata abluebant, aduersus instructas dæmonum, & vitiorum acies omnes virtutum copias disponebãt, vt quicunque inuias illas solitudines, aut latentes Eremi latebras penetrassent, solas vineæ istius emissiones, hoc est, exteriora quæ oculis carnis videri poterant exempla, Paradisum indicare prospexissent. Quid si pomorum fructus, qui intrinsecus latebant in corde videre licuisset?

Adeò autem Antonij palmes excreuit, vt nedum in Palæstinam, Syriam, Asiam minorem, Cappadociam, Pontum, Armeniam, Mesopotamiam, Boreales regiones, sed in Bassos, & Dacos extenderetur. Inde quoque tanquam, fœcundæ propagines pullularunt, Hilarion, Macharius, Ioannes, Ammon, Pachomius, in quibus sunt innouata antiqua miracula Prophetarum, & Apostolorum. Horum omnium Sanctorum filij, sicut palmites adeo creuerunt, vt & patres populorũ effici mererentur; nam ex Athanasio ij Cœnobitæ populis præficiebantur aduersus Arrianos Hæreticos, & Meletianos Schismaticos, quos cæteris moribus, & vita præstare noscebãt. Quorum nonnulli, vt ora nostra viuido fructus sui sapore condirent: ipsi quoque vt botri vineæ, sub torcularibus premi, & pro Christo pati non formidarunt. Quare ne dum ficus protulit grossos suos, dum Ægyptus, & Thebaida martyres præmisit ad regnum, sed, & vineæ florentes dederunt odorem suum: quando (vt dicit Bernar-

Epist. ad Drac.

Idem Apol. pro fuga sua.

Bernardus) adhuc in cordibus fidelium effusi eius sanguinis recenti memoria hâc vitam eligentibus, paupertatem spiritus sectantibus in spiritualibus exercitijs, altero in alterum zelantibus, deserta repleta sunt: vnde, & quamplures sanctæ conuersationis huius reipublicæ consulares viros, egregia nomina in ciuitate Dei nobiles, & triumphales titulos obtinuerunt; de victoria huius sæculi, & principis huius mundi, & corporis sui, de cultu animi, & Domini Dei sui.

[illegible]

O vineam illustrem, cui flos opus, odor opinio est, fructus martyrium, fructus illius vitis de qua legimus. *Ego sum vitis* &c. & illius vuæ quæ torculari passionis expressa multum preciosum rubens, & vinum me- suauissimum effudit, vt Christi Domini, & martyrum cruore, Ecclesiæ torcularia redundarent. Libet pausare in hac vite, vt rursus auidius iter arripiamus.

CAPVT III.

De vinea Sancti Basilij, qui monasticam vitam in meliorem formam redegit.

Vineam aliam ad instar Ægyptiæ plantauit Basil. dum vt dicit Nazianz. *Pietatis gymnasia & monasteria extruxit*, quæ per vniuersam Cappadociam, Pontum, minorem Armeniam, Paphlagoniam, longè, lateque propagauit; & homines procul à communi viuendi ratione segregatos in compositum ordinem redegit, & salutaribus præceptis instituit, vt Gregor. tertius decimus Apostolicis literis testatur. Quamobrem, (vt subdit Nazianz.) *Monachorum Cœnobia haud procul ab ijs, qui in hominum societate viuunt, ædificari iussit, nec oratio separauit, vt ex propinquitate, cum opus charitatis exposceret, adesse possent, disiti alioquin proprijs terminis ne quis eorum interrumpi per multitudinem posset, nec ipsi monachi actionis merito, quod ex impendenda alijs charitate existeret, priuarentur: neque rursus eorum actio per tumultus inutilis efficeretur, & alter alterum hoc modo iuuare posset, vt monachorum vita, per conuersationem eorum, qui in conuentu viuunt fructuosa fieret, & ipsi à monachis quietem, sapientiam, contemplationemque discerent.* Horum munus nunc sacras euoluere paginas, nunc fidei mysteria religiosè rimari, nunc Christi Domini recogitare labores, & cruciatus; nunc inextinguibilem ignem, & immortalem vermem attendere, nunc ad beatorum gloriam mentis aciem dirigendo præ dulcedine Dei, & amore Domus eius, in dulcissimas lacrymas solui, nunc de salute trepidantes, & anxij pallere, trepidare, artubus contremiscere; nihil illis disciplinæ regulari, & seueritate iucundius, nihil iucunditate seuerius, nihil suauitate tristius, nihil tristitia suauius; sic pallor genas tingebat, vt cum abstinentiam indicaret, ostentationem effugaret: sermo illis silens; & silentium loquax: idem semper habitus, & abiectus, hoc vno seruato cætera omnia proculcabant, tales vidisses, quales ipsemet Basilius descripsit, nempe *pietatis studiosos, qui mundo renunciauerint, & vniuersis sæculi istius curis, quas Dominus comparat spinis fertilitatem verbi impedientibus; mortificationem Iesu in corpore circumferentes, ac cruce quisque accepta Deum sequentes.* Quod autem recepit fertilis ista terra semen bonum, centesimo reddidit incremento: talem enim ordinem S. Basilius instituit, tales operarios, qui vt Gregorius XIII. Summus Pontifex testatur perpetua futurorum temporum successione verbo, & opere à se instructi Deum confiterentur, Catholicæque Ecclesiæ ornamento essent, atque in dubijs rebus adiumento, qui vitæ sanctitate, & doctrina insignes toto terrarum orbe, maxi-

Margin notes: Orat. [illegible] Basil. — [illegible] — Epist. ad Neocæsar. — Supra.

maximè verò in Asia, Palæstina, Thracia, Græcia, & Italia multis sæculis floruerunt. Nec floruit solum virtutum odoribus, Basiliana vinea, sed & vino quoque torcularia redundarunt, cum sub Valentis persecutione, omnis ætas, sexus, conditio, clericorum maximè, & monachorum pro Christo pati meruerunt. Vnde vidisses in tali conflictu, vt idem dicit Nazianz. *Deflagrantes impios, & nefarios belli duces non Persas superantes, non Scythas in ditionem redigentes, non aliam quandam Barbaram gentem repurgantes: sed Ecclesijs bellum inferentes, in altaribus saltitantes, & incruenta sacrificia, hominum & victimarum cruore fœdantes, & Virginum pudorem per summam contumeliam violantes.* Mitto nunc recensere Anastasium Persam illustrem martyrem ex D. Basilij instituto monachum, qui à Cosroe iuniore Persarum Rege sub imperio Heraclij martyrio fidem obsignauit. Innumeros alios martyres prætereo, cum ipsa rerum copia etiam scribentem defatiget, rerumque diuersitas mentem confundat, & antiquata, & vulgata argumenta, quantumuis noua narratione refricentur, legentem fastidiant.

Supra.

CAPVT IV.

De duplici vinea manu Sancti Augustini consita, vna monachorum, altera Clericorum Regularium.

EAmus ad vineas meridianas. Duæ mox ab Augustino diuinitus plantatæ vineæ in Africa assurgunt, Monachorum vna, Clericorum altera, illam ad contemplationem, istam etiam ad actionem ordinauit.

Hæc est vinea (nempe monachorum ex eodem Augustino, si tamen eius libri auctor est) [*illum fertilis* (ait) *quam plantaui anno ætatis meæ trigesimo tertio velut seruus Dei Noe, quam cupimus tota mente, Deo Duce, sanctis exemplis, & sanctorum documentis ornare, & ornatam taliter custodire, vt à nemine transeuntium possit vindemiari, nec aper de sylua possit eam exterminare, nec alieni possint diripere labores eius, & fructus. Hæc est illa vinea, quam plantaui velut paterfamilias, quam sæpe paupertatis, charitatis, & obedientiæ, & castitatis, vt à Simpliciano charissimo viro didici, circumdedi, ad quam velut paterfamilias exiens primo mane vos conduxi in operarios, vt afferatis fructum quinquagesimum, sexagesimum, ac centesimum, secundum abundantiam gloriæ plenitudinis Christi. Hæc est illa religio immaculata, cuius sanctitas per totum terrarum orbem diuulgatur, quorum conuersatio à cunctis miratur, quorum vita non solum à Christianis, sed à Iudæis, & Paganis, potius Angelica, quam humana reputatur. Hæc est illa amœnissima Paradisus, quam Deus à principio plantauerat, in qua posuit per gratiam, & donum matris meæ hominem, vt operaretur virtutem patientiæ, & eruditionem doctrinæ, corporis castitatem, assiduitatem precum, confessionem delictorum, abundantiam lachrymarum. Hæc est illa Paradisus, de qua exeunt flumina sapientiæ, & veritatis, continentiæ, & castitatis, in qua Deus delectatur sicut in omnibus diuitijs* (& postea) *Hæc est vinea serui Dei Noe in medio Paradisi situata, Christi sanguine redempta, & irrigata, quam Sarabaitarū princeps, Hæreticorum pastores, velut aper de sylua tempore illorum magnorum Monachorum, & Eremitarum Pauli videlicet & Antonij destruere quæsierunt: cuius sepem comburere, cuius gyrum lapideum supplantare, cuius fructus, vites, & flores incidere, in cuius planicie virtutum zizania seminare, & replere, quæsierunt, sed Dei virtute circumdata, minimè potuerunt. Ad hanc autem vineam fratres mei vos conduxi, & operarios vos feci meos, vt laborantes vsque in finem dignum fructum recipiatis in tempore suo. adhuc non me elegistis, sed ego elegi vos.*) De alia vinea Clerico-

Ad fratres in Er. c. 40

rico-

ticorum seu Canonicorum regularium quam non primus ipse quidem instituit, sed verius ab Apostolis cultam ad eandem normam restituit, loquens, subdit (*sed post annum factus sum Episcopus, non tamen vos relinquens, sed compulsus inter gentes habitare: monasterium presbyterorum, & clericorum ordinaui, intraui domum Episcopi, vt communiter cum eis viuerem, sicut & nobiscum antea vixeramus.*) Hæc ex Aug. Si tamen Aug. proles sermonis istius dicendi sint. Spurios enim esse ostendit Baro. & alij doctissimi viri, vt & certè stylus, phrasis, & alia huiusmodi non esse Augustini demonstrant. Sat nobis est has vineas Canonicorū, & Monachorum sub Augustini regula militare, & ad eundem Patrem suam originem referre.

In 4. Ann. Eccl. (?)

Ad has vineas (an autem clericorum vel monachorum controuersum est) pertinent botri illi, qui cum Augustino vixerunt, Alipius, Eutropius, Paulinus, Profidius, Euodius, Fulgentius, Hilarius, Vincentius, Prosper, &c. Vtrasque vineas Iustus Orgelitanus laudauit ea verba explicans. *Vineæ florentes dederunt odorem suum*, dicit. *Congregationis Clericorum, Monachorum quoque, ac Virginum in Ecclesia profecerunt, & per bonam formam, & conuersationem insonuerunt.* Vnde quæso tot ordinum propagines prodierunt? ab hac vinea: nam præter Eremitas, & Canonicos regulares ordo Præmonstratensis, Prædicatorum, Mercedis, Seruorum, Iesuatorum. B. Ioannis Columbini, Eremitarum S. Hieronymi. S. Trinitatis. S. Gregorij in Alga Ioannis Dei, & alij ordines sub huius regulæ institutis Deo famulātur, reddentes vota altissimo, quæ distinxerunt labia sua.

In Cant.

Nec tantum in pace lilia confessorum, sed & in bello martyrum rosæ in hac vinea germinarunt. Nam à furorious Donatistarum præsbyteri, qui monachis congregandis, vel clericis primitus constituti sunt, expoliati, debilitati, excæcati, occisi quorum passiones inutiles, & steriles non fuerunt; multiplicatos enim fructus reddiderunt. Quare sub Vnderico Rege, & in persecutione Vandalica, Liberatus, Rogatus, Septimius, Bonifacius, Seruius, Rusticus Maximus pro confessione fidei, sanguine vineam istam (vt alios prætereamus) fœcundarunt.

At vnde monasticæ vitæ cultus, & propagatio? ex hac vinea. Illud enim institutum, quod ex Italia Augustinus patrium solum repetens, in Africam inuexit, longe lateque fęcunda propagatione dilatatum, breuique tempore sanctis sacerdotibus & monasterijs est repletum. Et ex eadem plantatione, nedum in Africa sed in plerisque Ecclesijs occidentis fructu vberrimo locupletarunt Ecclesiam, & vbique monasteriorum greges, & vbera deserta Eremi, disciplinæ claustralis suaueolentiam spirarunt.

Ex eadem vinea ab Augustino monachi nō pauci ad Episcopatus assumpti; alij ad prædicandum Euangelium destinati; quorum magna pars cum in publicis congressibus, tum in concilijs Hæreticos debellauit. Ex eodem gremio confessores innumeri effluxerūt, qui etsi martyrij sanguine fidem hoc tempore non oppignorarint, pro ead ē contumelias pati digni sunt habiti. Si quidem Saluiano scribente. *In monachis, id est, sanctis Dei, Aphrorum probabatur odium quia ridebant scilicet, quia maledicebantur, quia insectabantur, quia detestabantur, quia omnia in illos penè fecerunt, quæ in Saluatorem nostrum, Iudæorum impietas fecit antequam ad effusionē sanguinis peruenirēt.* Et subdit. *Intra Africæ ciuitates, & maxime intra Carthaginis muros, palliatum, & pallidum, & recisis comarum fluentium iubis, ad cutem tonsum,* Lib. 8. de pro.

tensum, videre tam fidelis ille populus, quam infidelis sine conuitio, atque execratione, vix poterat.

E vestigio insequuntur Confessores illi quos certo numero definire non possis, qui incruento martyrio se ipsos hostiam viuam exhibuerunt, inter quos tanquam sydus fulgentissimum emicat Sanctus Nicolaus Tolentinas, abstinentiæ, & sanctitatis prodigiosæ: Scriptores enumerem? sint tibi satis pro omnibus Ægidius Columna S. Thomæ discipulus, & auditor; Gregorius Ariminensis; Thomas Argentinas, Augustinus Triumphus, in scholastica disciplina athletæ exercitatissimi, innumerabilem in omnium facultatum genere scriptorum turbam satis indicabunt antiqui, & nuperi de scriptoribus Ecclesiasticis tractatores. Quod si aciem intendere voles ad viros Cardinea, & Episcopali dignitate fulgentes, fulgentissima sydera habes in quos oculos figas. Ex eodem Augustini palmite gemmantes Virgines, quibus etiam regulas præscripsit, effloruerũt; Perpetua Cœnobij præfecta; duæ Augustini sorores Basilica, & Felicitas signorum gloria illustres; Melena Africana, Sancti Alipij discipula, monasterij Thagastensis clauum tenens. Maximam, Genouefam, Auream, cum innumera aliarum Virginum turba prætereo. Vnde merito Alexander Papa protulit, quod sacrum Eremitarum ordinem, *Gloriosus ipse Doctor egregius veluti radians sydus in firmamento Ecclesiæ ad gloriosam omnipotentis Dei laudem & sacrosanctam illustrandam Ecclesiam, schismaticorum extirpandas hereses, ac infidelium confutandos errores, Christianæ quoque religionis propagationem, & Christi fidelium, saluandas animas, in agro dominico plantauit opportune.*

Sabell. Æneæ l. 7. lib. 9. p. 2. Amb. Tarent. in templo Au. c. 13. in vin. Aug.

In Bulla data Romæ 1496. apud Marquez lib. de orig. relig. S. Aug.

Canonicorum verò regularium vinea ab Augustino plantata, quam Gelasius Papa Augustini discipulus in Lateranensi Ecclesia magis propagauit, & coluit, quantum floruerit à scriptoribus addisces. Inter viros sanctitate illustres Canonicos Lateranenses, in sanctorum numerum relatos, recẽsentur S. Leo I. S. Gelasius. S. Frigidianus Epis. S. Sergius I. S. Leo IV. S. Emirtius Episc. S. Guarinus Canonicus. S. Aldourandus Episcopus. Sanctus Vbaldus Episcopus, Sanctus Antonius Episcopus. De alijs verò dicit Ioannes de Nigrauallе Apostol. Bibliothec. epilog. chron. 13. cap. 18. quod, canonici ordinis, *immensus propemodum sanctorum, tam martyrum, quam confessorum, ex ipso ordine numerus recensetur. Et quantum pro certo numero summari possunt, vt refert Anastbasius Cardinalis, & S. R. E. Bibliothecarius in catalogo quem edidit ad Carolum 2. Gallorum Imperator. reperirentur hinc vndecim millia centum, & vltra.* Et 36. Rom. Pont. Card. trecentos quoque enumerat, Episcopos innumerabiles. Inter Pontifices recensentur S. Leo I. & III. & IV. S. Felix III. S. Gelasius I. de quibus & omnibus alijs consule Ciacconum de vit. Rom. Pontif. & Gabrielem Pennotum lib. 4. Hist. tripart. ordinis Canonic. Lateranen. c. 52. Sed & litterarum studijs scriptisque plurimi inter eos incumbentes nomen suum, suique instituti ad populos transmiserunt, Hugo, Riccardus patres venerabiles; Gabriel Bial Scholasticus, Christianus Messers Chronographus, Georgius Matropedius Philosophus, alijque quos Aubertus Miræus in suo chronico cum laude commemorat, & nouissimè magna diligentia & eruditione P. D. Gabriel Pennotus in sua eruditissima, & nunquam satis laudata hist. Lateranensi lib. 3. c. 54. ad quos lectorem transmitto.

Volater. lib. 21. Antropol. Ticin. in

propu. Tarentin. in suo templo.

Pennotus lib. 4. c. 50. hist. Late.

CAPVT V.

De illustri vinea, quam sanctus Benedictus in Occidentis partibus plantauit.

Memoria in Cap. [illegible]

AD vineam à Benedicto in Occidentis partibus plantatam, Astrogothis Italiam occupantibus, descendamus. Hæc adeo amœna est, & frondibus referta, vt & erratici palmitum lapsus nexibus pendulis per arundines baiulas repant, & viteam porticum frondea tecta effecerint. Ita ma[illegible] fructus, vt velut indulgente vindemia solutus animus in quietem vineam illam respiciens, solemnes, ac statas anni fatigantis inducias sortiatur. Vnde non solum animæ sensus ad leues auras blandientis autumni ex hortorum facie amœ[illegible]centur, sed in arbores, & in vites oculos intendentes, obstante prospectu oculos amœnamus.

Pendent hic viginti quatuor Romanorum Pontificum Thiaræ; ibi Cardinalium Galeri ducenta; passim Archiepiscoporum, & Episcoporum mille, & ducentæ infulæ; sceptra & coronæ insuper inuisuntur [illegible], & Lotharius Imperator Augustus, & diuersarum nationum decem, & septem reges, Benedicti regulam professi, perfectionis fructum in tempore suo reportarunt. Codices verò innumeri à viris præstantissimis editi, huius vineæ fructus [illegible]cessent, vt potius stellas, quam illos dinumerare quis possit.

Quot botri martyrij torculari expressi? tot certè, vt sponsi cella vinaria sanguine filiorũ Benedicti abundè repleatur. Quot sanctimonià præstantissimi viri pullularunt: tot sanè, vt præter illos notissimos, & famigeratissimos Sanctos Placidum cum socijs, Maurum, Gregorium, te, & nomine magnum, Anselm. Rupertum, & innumeros, vt quoquo te conuertas admiratione defixus tenearis: vt illud impleatur in Benedicti familia, *super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea*, vel vt alij legunt, *diadema meum*; pene enim quot capita Benedictinorum, tot diademata sunt quæ, & illa coronant. Huic vineæ, vt agriculturæ diuinæ artem addiscerent (innumeros recensere præteriens) ab infantia ad educationem mancipati Adalbertus Episcopus Pragensis, & fulgentissimum Ecclesiæ sydus S. Thomas Aquinas.

Ab huius vineæ cultoribus, omnes diuinæ, & humanæ artes excultæ, promotæ, illustratæ: barbaræ nationes etiam instructæ, innumeri populi ad fidem cõuersi. Sic ab Augustino Angli, à Bonifacio, postea Moguntino Episcopo, Germani; à Leandro Hispalensi, Visigothi in Hispanijs; à Corbeiæ Saxoniæ alumnis Boreales populi; à Bucil. Catalano Indiarum Occiduarum latissimæ Regiones. Sed arenæ minuta, & pluuiæ guttas dinumerare quis potest? Curro.

CAPVT VI.

Vinea Camalduensium recensetur.

CAmalduensium vineam velut paradisum Eden, ab omni sæculari strepitu secretam, à mortalium oculis remotam, viribus humanis inaccessibilem, celebrandam assumo. Illico occurrit, vt laudum omnium materia Romualdus eius vineæ cultor, & institutor, (*vt alter Ioannes Baptista ex Eremo lucerna ardens, & lucens: qui claros Aegypti, Nitrias, atque Thebaidas Anachoretas fertiles, transtulerit in Italiam: inter quos ipse, vt alter Antonius, forma factus idoneus eiusmodi vitæ arduum institutum arripientibus*) vnde, vt inquit idem, *factum* est vt admirandis progressibus sanctitatis, ex Cœnobio ad vitam transiens Anachoreticam, ita fœcundus in prole sanctorum fuerit, vt occidentalem Ecclesiam sanctis repleuerit Anachoretis: quorum aliqui Apostolatum ad gentes Baron. an. 947 num. [illegible]

meruere, & insigni corona martyrij decorari. Talis fuit Bonifacius, Apostolus Russiæ, qui pro Christo inuictus martyr occubuit. Qui verò aciem gladij non pertulere, incruento martyrio, se ipsos vt hostiam Deo obtulerunt. & diffusus odor ipsorum in omni loco effecit, vt de hac quoque vinea, ne dum diceretur. *Ficus protulit grossos suos, sed & vineæ florentes dederunt odorem suum.*

Petrus Damianus in Rb. c. 45.

Cant. 2.

CAPVT VII.

De vinea Cluniacensium disseritur.

CONsimilem à Bernone, ope Vuillermi Ducis Aquitaniæ, in pago Matisconensi, vineam plantatam inspice, familiam dico Cluniacensium. Quid nisi fructiferas arbores inspicies, si Odonem, Hicmardum, Maiolum, Odilonem, sibi inuicem in tempore, & sanctitate succedentes contempleris? Horum opera Cluniacense, ab his extructum (ait Baronius) extitit (*alueare ex quo in diuersa loca progressa sunt examina, tanquam agmina monachorum, quæ Gallias, & Hispanias, & Italiam oppleuere.*) Tantam in his viris perfectionem notauit B. Petrus Damianus, vt hæc scripserit. *Porro autem dum tam districtum, tanquam frequentem sanctæ vestræ conuersationis ordinem recolo; non adinuentionis humanæ studium, sed sancti Spiritus magisterium esse perpendo: nam tanta erat in seruando ordine continua iugitate prolixitas, tanta præsertim in Ecclesiasticis officijs protelabatur instantia, vt in ipso cancri, siue leonis æstu, cum longiores sunt dies, vix per totum diem vnius saltem vacaret horæ dimidium quo fratribus in claustro liceat miscere colloquium.*

anno 1003 num. 12.

Ep. quadã ad Cl.

CAPVT VIII.

Carthusiensium vinea visenda exponitur.

VIneam verò Carthusiensem libeat admirari, de qua Sanctus Antoninus illud elogium protulit, quod vbi multi claustrales, nonnihil deflexerant à primæuo instituto, Carthusia tamen adhuc in suo rigore perseueraret. Spectabilis est in cunctis morum grauitas, & maturitas, & silentij perpepetua disciplina. Quod si Pythagoras silentij legem præscripsit discipulis, vt tacentes loqui discerent; perpetuam suis silentij legem indixit Bruno, vt cum Deo scirent miscere colloquia, & viuentes in multa patientia, in vigilijs, in ieiunijs, in castitate, in scientia, in longanimitate, in Spiritu sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, illustria bonorum operum ad componendos mores se præberent exempla, vt penè quot huius sancti instituti religiosi numerentur, totidem perfectionis religiosæ paradigmata recenseantur. In hac solitudine sponsus ad cor sponsæ loquitur. In campis syluæ inuenitur, vbi in Ephrata, ob strepitum sæcularem, vix vox eius auditur. Hic in cauernis maceriæ, & in foraminibus petræ quiescẽs, columba eripitur de laqueo venantium, & à verbo aspero. Et vt familiam Brunonis cum Sancto Brunone concelebrem. *Hic omnium celebratus negotium, & in quiete pausatur actione. Hic pro certaminis labore repensat Deus athletis suis mercedem optatam: videlicet pacẽ, quam ignorat mundus & gaudiũ in spiritu S. Hæc est illa Rachel formosa: pulchra aspectu, à Iacob plus dilecta, minus filiorum ferax. quam Lia fœcundior, sed lippa: pauciores enim sunt cæteris fratribus à patre dilecti. Hæc Sunamitis pulcherrima, sola in omnibus finibus Israelis reperta, quæ Dauid foueret senem, & calefaceret.* Adeo autem ferax vinea est, & fœcuda vitibus sanctorum Doctorum atque scriptorum, vt si omnia & singula historico solo stylo percurrerem, ante deficeret dies, fatigatumque dicendo latus anhelaret.

Apud Surium to. 5.

CAPVT IX.

De plantatione vineæ Cisterciensium agitur.

AD Cisterciensium spectabilem vineam, siue à Stephano, siue Roberto sub regula Ductoris Benedicti plantatam, à Sancto Bernardo verò mirificè excultam, oculos conuerto.

Hic cum eodem Bernardo vineam istam celebremus. *Prata virentia scripturarum præter fluens lacrymarum vndositas quam de purissimis affectibus amor ille cœlestis eliquat. Hic sunt arbores erectissimæ, chori sanctorum, nullaque est, quæ non multa gaudeat fructus vbertate.* Et postea. *Videas hunc sacris lectionibus intendentem, illum occubantem orationibus, hunc pro suis excessibus lachrymantem, illum in Dei laudibus psallentem, & officia pietatis sibi inuicem inuicem. Nocte consurgunt ad confitendum, & vesperi, & mane, & meridie narrant, & annunciant laudem eius, & omnis illorum sedulitas in orbis diuini rotatur obsequijs.* Fulget ait Benedictus XII. (*Sicut stella matutina in medio nebulæ Sacer Cisterciensis ordo in Ecclesia militante strenuè militat operibus, exemplis seruideque satagit per sanctæ conuersationis applausum & innocentis vitæ meritum, montana scandere cum Maria, seque per exercitium laudabilium actionum & pensum piorum operum curiosum, Marthæ satagentis officium conseruare. Hic nempe ordo in diuini cultus ministerio sedulus, vt sibi, & alijs proficiat ad salutem: in sacra lectione paginæ studiosus, vt ad perfectam excellentiæ supernæ cognitionem valeat peruenire: præstans, & promptus in operibus charitatis, vt adimpleat legem Christi. A mari vsque ad mare palmites suos meruit dilatare, quia gradualiter ad virtutum culmina patenter ascendit, & proinde per sacri pneumatis inflammantis corda debilia fistulas, gratia abundauit.*) Hæc Summus Pontifex Benedictus.

CAPVT X.

Vinea Præmonstratensium esseritur.

PRæmonstratensium verò vinea à Sancto Nortberto Archiepiscopo Magdeburgensi, sub Augustini regula exculta plantatur: quæ quantum in temporali, & spirituali ædificio creuerit, & quam altas radices fixerit; arbores ex ea, in diuersas nationes translatæ dicant; fructus ex ea successiuè redolens prædicet; & qui viderunt, & cooperatores extiterunt vsque in æternum succedentes succedentibus præbeant testimonium. Et vt dicit Baronius. (*Creuit autem adeò fratrum numerus, & multiplicati sunt. & in Saxonia vbi religio tepuerat, & in Sclauonia, vbi nulla erat, radicati fructuoso germine floruerunt, multiplicati sunt, vt quondam Hebræi fremuerunt Parthenopolitanus, odioque, & inuidia aduersus hominem Dei inualescente, ipse in Deo spem, & fiduciam habens alienas institutorum congregationes propagare non cessabat.*) In huius ergo Ducis vexillis militans Præmonstratensium acies, per incipientium, proficientium, & perfectorum merita, dum diabolo terribilis apparuit, alijs Christi exercitibus vires addere visa est.

Ex Hugone eius contemporaneo apud Sur. t. 3. 6. iun.

tom. 10.

CAPVT XI.

De alijs vineis Sancti Guilelmi, Sanctæ Trinitatis &c. honorifica mentio.

QVid referam cæteras vineas; vt insignis religionis Montis Virginis, quæ S. Guillelmi instituta sequitur; Monasterij Cerui frigidi in Diœcesi Meldensi, quod existit caput ordinis S. Trinitatis: & vallis Scholarium, quæ pro fundatore agnoscit B. Guilielmum Anglum Fontis Ebraldi in Diœcesi Pictauiensi, quæ B. Robertum Breselium parentem asseuerat? Multas alias prætereo. Nec enim chronologia attexitur. Hic cernes homines Angelorum

vitam esse æmulatos, in carne præter carnem viuentes. Frequentiora ieiunia admiraberis, orandi, Deoque vacandi sedulitatem, cilicij durum tegmen, spontanea verbera, crebras vigilias, & quod omnium caput est propriæ voluntatis abnegationem; & quod auide animus poscit hoc illi negari, vt parere discat, ac flecti. Si singulorum *Hos mores, hanc vitam, ordinem, hoc institutum*, vt dicam cum Augustino, *laudare vellem, neque dignè valeo, & vereor, ne iudicare videar, per seipsum tantummodo expositum placere non posse, si super narrationis simplicitatem cothurnum etiam laudatoris addendum putauero*.

De mor. Eccl. c. 51.

CAPVT XII.

De vineis quatuor Ordinum Mendicantium, & primo de vinea Ordinis Prædicatorum, quam S. N. Patriarcha Dominicus fundauit.

AD Mendicantium vineas accedo, easque quæ ex participatione cū illis sunt adunatæ atque concessæ ratæ. Vinea Prædicatorū Ordinis primo tibi occurrit intra vastissimam Ecclesiæ vineam plantata: eo tempore, quando, vt dicit Gregorius IX. *Vineam ad quam patremfamilias operarios diuersis temporibus denarij conductos conuentione præmiserat, & quam sua dextera plantarat, non solum vitiorum, & vepres, & spinæ peruaserant, sed iam propemodum vulpeculæ demolientes conuertere in aliena vitis amaritudinem intendebant.* Sed Dominus Alexander Papa Quartus in illius laudem, & commendationem quid dicat etiam audiamus. *Cœlestis ille agricola, summus autor fidei, præcipuusque protector, sacrum fratrum Prædicatorum ordinem, quasi lignum fertile in Ecclesiæ paradiso inseruit vt delectaret amœnitate, vbertate satiaret, & fructuū suauitate mulceret. Hoc itaque speciosum, fœcundum, ac dulce lignum superno irrigatum, pulchra plurima, ac dulcia poma profert, quorum odore ac sapore conuertantur, & conualescunt debiles, varijsque detenti languoribus liberantur. In hoc vtique vitæ ligno mortales homines carnis infirmitatibus prægrauati, pabulum salutis inueniūt, & internam recipiunt sospitatem. Huius inquam ligni percepta fragrantia vndique ad libamen ipsius concurrunt innumeri professores fidei, qui assiduè illo perfruentes, & eius salutaribus fructibus conuescentes de ipsius prægustata dulcedine ministrant, & ipsi alijs suauia libamenta salutis. Hæc est illa generosa plantatio, quæ ramos suos vndique expandens floret: plurimos honoris, & honestatis, fructusque vberrimos doctrinæ profert: & virtutis, & odorem sanctæ, & laudabilis conuersationis, longè lateque diffundit. Hic est ordo Sacer Prædicatorum honestate floridus, præclarus scientia, virtute fœcundus, à Sede Apostolica meritò approbatus; qui inter alia plantaria Dominica, puritate conuersationis, sapientiæ dono, & virtutis merito dignoscitur specialiter insignitus. Huius sacri, clari, conspicui, & approbati ordinis fratres, sacrarum litterarum studio instanter incumbunt, animarum profectibus, diuinis officijs, & orationibus incessanter intendunt, atque Euangelicæ prædicationi ardenter insistentes, lumen diuinæ doctrinæ vbique per orbem diffundunt. Hi sunt viri doctrinæ clarissimi, qui contemplationi cœlestium feruenter inuigilant, & piæ vitæ studio sine intermissione desudant: Hi sunt viri probati, & plenè in lege Domini eruditi, efficaces quidem in opere, & in prædicatione potentes, quorum labia gratia cœlestis edocuit ad propinandam salubrem doctrinam alijs, & commodum, ac profectum animarum Christi fidelibus exponendum. Vnde vbique per mundum ora ipsorum intonant, velut tubæ, ac in omnem terram exijt sonus prædicationis eorum, & vsque ad fines orbis sua salutifera verba sonant. Hi sunt viri præclari, conspicua religione fulgentes, qui tanquam lucentia sydera in Ecclesiæ firmamento suis*

In Bulla canoniza D. Dominici.

Habetur in prelig. const. Præd.

ſuis ſplendidiſſimis documentis, viam cœleſtis vitæ mortalibus inſinuant. Hi ſunt phialæ aureæ plenæ odoramentis, qui ſua ſacra conuerſatione ſuauiter redolentes, hortantur per hanc alios, & inducunt à ſomno negligentiæ celeriter ſurgere; & excuſſa prorſus inertia ad opera lucis, & bonitatis feſtinanter properare. Hi ſunt dilecti Deo, & hominibus, fratres videlicet Prædicatores, morum honeſtate conſpicui, ſcientiæ titulis inſignes, quos æterni patris benignitas, inter plurimas perſonas diuinis obſequiis deputatas, pro ſui nominis attollenda gloria, & fidelium procuranda ſalute ſpecialiter elegit. Qui ſuum ſemper affectum; & amorem cœleſtium diligentes, virtutem diuini nominis vbique publicant, & pro Chriſtianæ religionis ampliando cultu vigili attentione laborant. Hi ſunt qui vitam, & merita beatiſſimi Pauli Apoſtoli contemplantes, gloriantur in ſola Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti: & mundi pompas, ac ſolatia ſpernentes, ad ſolam cœleſtem patriam, & ad paradiſi delitias recta intentione ſuſpirant. Hi ſunt, qui propter Deum ſemetipſos ſalubriter abnegantes elegerunt ſub arctiſſima paupertate Deo deſeruire, tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes. Hi poſtremò ſunt, qui cum omnia terrena propter amorem bonorum cœleſtium reliquerint, ſobriè, iuſte, piè, & caſte viuentes, ac exilia vitæ ſubſidia mendicantes, Chriſtum pauperem imitantur, perfectionem Euangelicam amplexando. Vnde clariſſimè conſtat, eos in ſtatu perfectionis exiſtere, & per ſuæ religionis obſeruantiam (quæ quidem ipſius Euangelicæ perfectionis continet formam) æternæ retributionis præmio præcellentem gloriam promereri. Maiores porrò huius vineæ palmites ij ſunt, qui ſanctorum albo ſunt aſcripti.

Primus ergo S. Patriarcha Dominicus vineæ Prædicatoriæ ſator cultorque eximius ſpectandus proponitur, qui quaſi oliua pullulans & cypreſſus in altitudinem ſe extollit, veſtitu ſanctitatis amictus, &
Eccl. 50. conſummatione virtutis, *Qui in vita ſua ſuffulſit domum, & in diebus ſuis corroborauit templum*, dum labentem Lateranenſem Eccleſiam ſuis humeris Pontifici Innocentio viſus eſt ſuſtentare, *Circa illum corona Fratrũ.* Innumeri videlicet racemi, perfectionis normam, tanquam ſuccum à palmite haurientes, *Et quaſi plantatio Cedri in monte Libano ſic circa illum ſteterunt quaſi rami palmæ.* Innumeri videlicet, laureati viri eius regulæ profeſſores, aut ex virginitatis candore, vel martyrij cruore, vel doctrinæ labore, de Mundo, Carne, Diabolo trophæa reportantes.

Subſequitur Petrus Martyr, illuſtris palmes, *De horto ſiquidem fidei nuper in menſam regis æterni dulcis allatus eſt fructus. De vinea Eccleſiæ in regium calicem affluens, nouiter liquor influxit, quoniam fœcundus palmes hoſtili mucrone conciſus habuit plus humoris, quia adhæſit preſſius viuæ viti. De Prædicatorum ordine florido prodijt roſa rubens, quæ regalibus oblata conſpectibus intulit ſuauitatem odoris.* Innoc. bull. Imm. Innumeri quoque Botri huius vineæ cum Petro eandem eo reddunt illuſtriorem, quo monſtrant feraciorem. Pendens (vt nonnullos innumeris omiſſis recenſeam) hinc botri, nonaginta, ſcilicet martyres à Tartaris trucidati. Inde apud Sandomiriam in Polonia martyres quadraginta nouem, quorum dies feſtus ſolemni memoria Alexandro Quarto annuente, vſque in hanc diem poſtridie Kal. Iulij recolitur. Mic. reb. Cro. lib. 5 Hic in Diœceſi Tholoſana pendent tres inquiſitores qui dum enecarentur, cœli aperiri ſcalis inde ad terras demiſſis, viſi ſunt: Ibi ſex alij obtruncati, qui & capita ſua ſinguli poſt mortem à ſupplicij loco Mureti nomine, per nouem paſſuum millia præcedente lumine cœlitus demiſſo, ad conuentum Tholoſanum detulerunt. Hic cẽtum nonaginta fratres partim Tartarorum ſpiculis, ac telis, partim patibulo, aut lapidibus obruti, aut viui decoriati, aut

flammis exusti, aut capite obtruncati in Hungaria, Dalmatia, ac Bosnia Prouincia martyrium consummantes, vineam quoque nostram decorant. Ibi in Prouincia terræ sanctæ B.Fr.Christianus Patriarcha cum quatuor nostri ordinis fratribus gladijs Saracenorum mactatus, & cœnobio solo æquato centum alij fratres ab ijsdem occisi; & ipsi quoque meruerunt, vt in hoc ordine martyrum censerentur. Paucos de multis recensemus, ad annalia cæteros martyrij laurea donatos remittimus.

Sed & *ordo prædictus in horto plantatus Ecclesiæ ac in germen ineffabilis spiritualis vtilitatis succrescens, illum prælucidum, & fructuosum palmitem dedit B. videlicet Thomam de Aquino confessorem, & Doctorem egregium, ex cuius sapientia, & doctrinæ scriptis, & traditis, vniuersalis Ecclesia multiplicis vbertatis spiritualis fructum colligens, ipsius odore reficitur, incessanter: & quod idem ordo, vt spiritualium fructuum vbertatem multiplicet, non lassatur labore.* Diem solennem in condensis constituunt Magnus ille Albertus, vsque ad miraculum sapientissimus Sancti Thomæ magister, nec non & sancti Doctoris expositores, tanquam frondosi pampini illum circumeuntes, & exornantes: ipsi quoque botri non vulgares qui studiorum, & vigiliarum quoque prælo compressi vinum sapientiæ populis propinarunt; tales sunt (vt pauca delibemus.) Heruæus, Paludanus, Tarantasia postea Innocentius V.Durandus, Capreolus, Caietanus, quorum singuli classici Doctoris nomen mererentur, ni à Thomæ præoccupati essent ingenio meliori. Dies me deficeret si eos recensere oporteret, qui conciones, homilias, scripturarum sacrarum commentaria, diuersarum rerum opuscula, grauiter, & ornatè ad dogmata roboranda, & mores obfirmandos (quorum quidem est penè infinita multitudo) conscripserunt. His bibliothecæ refertæ, etiamsi iniuria temporum, & bellorum incursibus maxima pars interciderit, vel combusta, vel suffurata, vel deperdita. Conseruentur nunc promptuaria, Arcæ, scrinia, vndique Neotericis impleantur, ac consarcinentur, semper antiquis, primus debetur honos, tàm ex primi fœtus inuentione, quàm ex stylo compendiosiori cum maiori dicendi perspicuitate: etenim cum, vt habet philosophus, sapientis sit ordinare, non ex multitudine eorum quę dicuntur, sed ex distincta ipsarum assertionũ, ad propria, & prima principia reductione, doctorum scripta æstimanda, & amplectenda sunt. Et certè si riuuli ad fontes reducerentur, aluei exiccati cernerentur. Et

Clem. VI. in li. primo.

----- *Si fortè suas repetitum venerit olim*
Grex auium plumas, moueat Cornicula risum
Furtiuis nudata coloribus.

Hor. 1. ep.

Alterum palmitem produxit vinea ista S. Vincentium Ferrerium Valentinum, *Sacræ Theologiæ professorem, æterni Euangelij in se documenta habentem, quem velut athletam strenuum ad Iudæorum, Saracenorum, & aliorum infidelium confutandos errores, ac extremi iudicij diem quasi alterum Angelum volantem per cœli medium, ad pronunciandum Euangelizandumque sedentibus super terram, tempore opportuno transmisit, vt in omnes gentes tribus, populos, linguas, & nationes verba salutis diffunderet, regnum Dei, diemque iudicij appropinquare ostenderet, & æternæ vitæ semitam demonstraret.* In modum coronæ confessores innumeri, omnes cælites Vincentio aggregantur, qui sanctitate eximia effulserunt. Talis fuit B. Ioannes Salernitanus insignis prædicator, animarum œconomus, qui à muliere ad concupiscentiam prouocatus in ardentissimum rogum se conijciens, ignem libidinis in muliere extinguere

Pius II. in bul. canon. S.Vincentij.

tinguere meruit, nec ab igne læsus est, qui in igne positus nesciuit ardere. Talis B. Iacobus à Beuania, eadem nocte in lucem editus, in qua orti sunt S. Thomas Aquinas, B. Ambrosius Sansedonicus, & tunc à puerulis in plateis conclamatum esse perhibetur. *Surgamus pueri, eamus ad scholas; surrexerunt enim magistri orbis terræ*; triplicato sydere pariter in cœlo apparente. Talis Ægidius Lusitanus, qui lancea in pectore percussus vehementer à potentissimo equite, sibi visibiliter apparente, vt vitam in melius commutaret, è Saulo efficitur vas electionis, & sanctitatis. Talis Henricus Susonius prodigium sanctitatis, & Mauritius Tholosanus præter sanctitatem, & miraculorum gloriam prædicatione illustris. Tales Petrus, & Arnoldus gemelli fratres, qui eodem die nati, eodem die in religione renati, eodem die (sanctitate pares) ad cœlestia regna vocari meruerunt; quos eadem religio, & charitas verè fecit esse germanos. Chiliadas istas decennio non exequerer: ad annalia legenda prouoco.

Sed mirificè effloruit vinea ista, cum palmitem illum fœcundum protulit S. Antonium Florentinũ Archiepiscopum, florem canonistarum, Prælatorum exemplar, quem sanctorum Præsulum eiusdem ordinis infinita turba prosequitur. Omitto modo cæterorum Prælatorum infulas recensere, quæ ex huius vineæ arboribus tãquam trophæa cum Sancti Antonini mitra pendent, cũ illustrior reddatur ex quadraginta circiter galeris Cardinalitijs, & tribus Tiaris cohonestetur Romanorum Pontificum Innocentij Quinti, Benedicti Vndecimi, & Pij Quinti, qui forma facti gregis, forma sanctitatis non vulgari in Ecclesia Dei effulgent.

Ad eandem vineam attinent antiqui quidem vineæ prædicatoriæ fœcundi palmites, sed quia nostro tempore albo sanctorum conscripti, magis mundo innotuerunt, Hyacinthus, & Raymundus (duplicato Vrbis, & orbis gaudio, quod hæ duæ oliuæ assistant intercessores dominatori terræ) modò recensentur.

His adiungendi B. Ceslaus, S. Hyacinthi frater in Vratislauia, vterque Petrus Consaluus, Thelmus, & Amarantus in Lusitania; Albertus Magnus in Germania: Augustinus Dalmata in Luceria Apuliæ: & alij, quorum dies festus in suis Prouincijs anniuersaria commemoratione recolitur. Insuper & B. Ambrosius Sansedonius in martyrologio à Clemente Octauo adscriptus, & à Gregorio XV. cum B. Iacobo Veneto Beatorum albo conscriptus, & B. Ludouicus Bertrandus beatificationis radijs illustratus, similiter effulgent.

Sed quantum attinet ad sanctas mulieres: Flore candens virgineo assurgit S. Catharina Senensis, quæ vulnerata sacris stigmatibus Christum crucifixum exprimit. Proxima est illi B. Agnes beatificationis titulo decorata, cuius corpus cum sancta Virgo Catharina inuiseret, & pedes osculari vellet, Agnes alterum pedem retulit ad os vsque Catharinæ. Alio etiam tempore reuersa, cum se ad caput Agnetis demisisset, mãna instar niuis toto illo in loco pluere cœpit. Proxima quoque B. Margarita de Castello in cuius corde tres lapides pretiosi reperti vsque in præsentem diem impressum præsepe Domini cũ Ioseph, & Maria, & Christo Domino in medio animalium iacente, mirabiliter exprimunt. Helena similiter Hungarica stigmatibus refulget, cuius disciplinæ tradita Margarita Regis Hungariæ filia ad summum sanctitatis gradum peruenit. Vna ergo Catharina, etsi ascripta sit sanctorum albo: adolescentularum tamen, hoc est, purissimarum anima-

animatum, non est numerus quæ Christo sponso adhærentes lauream promeritæ sunt, & pasci inter lilia in perpetuas æternitates. Si plures desideras, annales prædicatorios euoluas, & luce clarius inspicies, quàm frugifer extiterit palmes ille Dominicus, felixque surculus, quantum germen produxerit, & quam glorificetur Christus Dominus, vitis vera è cuius radice, & plenitudine gratiarum Dominicanus ordo cum suis tacemis, hausit quicquid habet.

CAPVT XIII.

De vinea Seraphici S. Patris N. Francisci.

AD amplissimam vineam excolendam alios etiam operarios misit altissimus, vt (sicut dicit Gregorius Nonus) *Superfluitate palmitum resecata, & vitulaminibus spuriis radices altas non dantibus fructum suauem afferat, & iocundum: qui prælo patientiæ defæcatus in æternitatem cælestem transferatur. Ecce in hora vndecima excitauit seruum suum Franciscum virum vtique secundum cor suum apud cogitationes diuitum, lampadem quidem contemptam, sed paratam ad tempus statutum. Illam in vineam suam mittens, vt ex ipsa spinas, & vepres euelleret prostratis illam impugnantibus Philisteis per nouum Sampsonem mādibula simplicis, sed feruentis prædicationis, vt fortia quæque confunderet, innumeras Philistijm acies profligando. Ex mandibula ipsa egressa copiosa est aqua reficiens, abluens, & fœcundans campos sordidos, & arentes, quæ in vitam æternam saliens absque argento, & commutatione aliqua potest emi, cuius riuuli, longè lateque diffusi, vineam irrigant, vsque ad mare palmites, & vsque ad flumen propagines extendentem.* In Bul. Canonizat. S. Francisci.

Tot vero vites in hac vinea Ecclesiæ amplissima Franciscus inseruit regulam profitentes, [*vt celeriter, quasi miraculo excreuerit, vt paulò post in generali conuentu Assisinatis numerata sint quinque millia, capita atque eo ipso tempore quingenta simul adiuncta. Itaque breui totum orbem compleuit: quin etiam temporis progressu in eam, quam nunc videmus, peruenit amplitudinem, vt in tres, aut etiam in plures partes distributus sit: hæque ipsæ partes, ita abundauerint, vt singulæ fere singulos ordines bene magnos repræsentent.*] Plat. l. 2. de statu relig. c. 22.

Sic in amplissima Ecclesiæ vinea insignis ista portio tanquam vinea selecta velut hortus conclusus, & delitiæ Domini includitur. Cui illud adaptari potest, *Vinea fuit pacifico, in ea quæ habet populos; tradidit eam custodibus*. nec enim vnam, aut alteram gentem, sed multitudinem populorum omnium nationum, quæ sub cœlo, est Francisci regulam profitentium continet, eamque regendam Prælatis tradidit, quos Guardianos, & Custodes voluit appellari. Huius vineæ, *Vir affert pro fructu eius mille argenteos.* Quia ob altissimam paupertatem quam profitetur Francisci sectator libera mente, & perfectè omnia terrena dimittit, vt Christum veraciter habeat: millenarius enim perfectus est numerus, ideo per eum perfectio rei cuiuslibet demonstratur. Hos argenteos (quoque) illi ferebant, de quibus scriptum est. *Quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant, vendebant, & afferentes ponebant ad pedes Apostolorum pretia eorum, quæ vendebant.* In qua paupertate supereminet vniuersis. Hæc vinea, & si in humilitatis valle plantata, Minoris nomen obtineat, firma tamen in radice fundata supereminet terris, & quamuis solum vile prætexat; tamen nunc gemmante flore pubescit, nunc circumfusa viriditate vestitur, nunc mite iugum suscipit cum maturioribus brachijs quasi sarmentis fœcundæ vitis adoleuerit. Vinea quæ cum Crucis ligno suas maritat vites, nudum, & pauperem

Cant. 8. S. Greg. in Cant. loc. cit. Act. 4. Ex A x in L c. 20.

Perem crucifixum inſequendo: cuius fructus etiam in poſtrema colligentur ætate, &(quod eſt vineis etiam terrenis commune) ita pauperibus, atque diuitibus humilibus, atque potentibus, ſeruis, ac Dominis æquè eſt communis, vt nulla ſecretio inſpiciatur.

Tanquam præcipuus ſurculus, veteris Adæ excuſſus ex arbore, in alterius ſętura dicis inſeritur Franciſcus Chriſto confixus Cruci, in nouo iſto Crucis ligno, tanquam gremio pij parentis fœtus inoleſcit, imaginem Chriſti crucifixi in ſe exprimens, qui ſtigmata Domini ſui in corpore ſuo meruit portare, cuius ſanguinis ſtillis, tanquam aquæ ſalutaris irriguis fœcundata terra Minorum, in cœleſtem erecta eſt diſciplinam.

Hoc cruore Franciſci Euangelio ſemini ſuſcipiendo, & propagando, reddita eſt terra iſta fœcunda, & ſuorum ſtigmatum felici ſulco non tantum trigeſimum, at centeſimum iam profert fructum. Aſpice quot fructus reddidit. Si enim ſanctorum albo adſcriptos inſpecias, occurrent S. Antonius Vliſſiponenſis Arca teſtamenti appellatus, S. Bernardinus Senenſis Seraphici huius ordinis profeſſor, & inſtaurator egregius, S. Bonauentura tantæ ſanctitatis vt in eo Adam videri non peccaſſe dicere ſolebat Alenſis: cuius etiam cor mira charitate fragrans incinerato corpore poſt multa luſtra incorruptum eſt. S. Ludouicus Caroli ſecundi filius Epiſcopus Tholoſanus. S. Didacus complutenſis. Quos ſanctos confeſſores innumerari Beati inſequuntur, pauci ex innumerabilibus nunc recenſentur, Ioannes à Capiſtrano, Iacobus de Marchia, Paſchalis, & Petrus de Alcantara à throno Apoſtolico beatorum ordini annumerati. Hos inſequûtur Conradus Offidanus; Odoricus Foroliuienſis, Ioannes de Aluerna, præter duodecim ſocios S. Franciſci, qui inter viros ſanctitate illuſtres recenſentur, videlicet, Bernardus, Silueſter, Petrus, Ægidius, Sabbathinus, Guilielmus, Moricus, Philippus, Conſtantinus, Barbarus, Bernardus, Angelus. Numera ſtellas ſi potes.

Fructus huius ſurculi pariter extitit S. Clara ſancti Fráciſci diſciplina imbuta, & S. Eliſabetha, Ludouici Lantgrauij Thuringiæ vxor Hungariæ Regis filia, quas virginum, & ſanctarum mulierum innumerabiles cunei inſequuntur, Agnes de Aſſiſio S. Claræ ſoror, Agnes Bohema Bohemiæ Regis filia, Friderico ſecundo nupta, Blanca à Philippo Pulchro Francorũ Rege progenita, Sancia Ruperti Regis vxor, Catharina Bononienſis (cuius corpus incorruptum vſque in hanc diem Bononiæ aſſeruatur) ſingulas recenſere ſuperfluum.

Sed vt vinea *dum iugatur erigitur, & reciſa non minuitur, ſed augetur: ita* (Franciſci) *ſancta plebs dum ligatur exuitur; dum humiliatur attollitur, dum reciditur, coronatur.* Coronata certè eſt, dum ſanctus Accurſius cum quatuor ſocijs apud Marochium pro Chriſto occiſus; & S. Angelus cum ſex alijs ſectam Saracenorum exufflantes ab Arbaldo Iudice enecati, martyrij lauream inſigniter adepti ſunt, quorum annua feſtiuitas à Seraphico ordine auctoritate Sedis Apoſtolicæ celebratur. Petat qui volet cæteros, è grauiſſimis Seraphicæ religionis Hiſtoricis, quia penè ſinguli innumeros poſteritatis memoriæ reliquerunt.

Ex Am. 10. in Luc. c. 20.

Meruit Franciſci labor, & ſanguis, vt è vite erumperent quatuor Rom. Pont. Nicolaus IV. Alexander V. Sixtus IV. Sixtus V. Cardinales ſupra 40. Epiſcopi quos certo numero vix comprehendas. Scriptores in omni facultate adeò celebres reperies, vt hoc mirum ſit in Dei Eccleſia, familiam ſancti Franciſci in Apoſtolica

ſimplicitate fundatam, tanta ſapientia refertam, vt non ſolum per diſcalceatos, & ſimplices, tractos ad Chriſti crucem inſpicias reges coronatos, ſicut olim per piſcatores tractos Imperatores, ſed & per ſapientes Alexandrum Alenſem, Riccardum, Ioannem Scotum, Aluarum Pelagium, Aureolum, Nicolaum Lyranum, alios quàm plurimos, quos enumerare vix potes, Athenæ licæum, & ſapientium prudentia eſt retuſa.

Tanto autem fœdere Prædicatorum vinea, cum Minorum vinea iuncta eſt, vt ſolus habitus tanquam materia diſcernat fratres iſtos vterinos, eodem tempore exortos, ſimul à Ioachimo prophetico ſpiritu prædictos, à B. Virgine ad mundi conuerſionem ſimul deſtinatos, vt pari paſſu, in ſanctitate, litteris, dignitatibus inceſſiſſe videantur: vt neutrum alteri præferri poſſe Clemens Quartus iudicauerit. Scribens enim ad quendam militem ſic inquit. *In conſtit. Præd. d. 1. c. 13.* *Quod ſi ex propoſito non mutato ſciſciteris vlterius, quem tibi ex FF. Prædicatorum, & Minorum ordinibus præeligendum declarem, id præcipuè conſcientiæ tuæ relinquimus: magis enim tu ſcire poteris cuiuſque ordinis obſeruantias, quare non ſunt pares in omnibus, & in diuerſis particulis excedentes & exceſſa. Alterius quidem iſtorum ordinum lectus eſt durior, nuditas grauior, & vt nonnulli iudicant, paupertas profundior. Et alterius cibus parcior, longiora ieiunia, & vt quamplures autumant ſancior diſciplina. Neutrum ergo neutri præferimus, ſed in vna, & arctiſſima paupertate fundata ad vnum tendere credimus, ſalutem ſcilicet animarum. Et ideo ſiue hūc, ſiue illum elegeris, arctam vitam aggredieris: & per portam introibis anguſtam ad terram mell: fluam, & præ cæteris ſpacioſam: vnde hoc apud te pondera, hoc diligenter aduerte, qui magis animo tuo placeat, quemque ſperes melius portaturum, & ſic vni conuerſationi adhæreas, vt amore ab altero non diſcedas. Frater enim Prædicator eſt reprobus, qui Minores non diligit, & exetrabilis Frater Minor, qui vel odit Prædicatorum ordinem, vel contemnit.* Sed penè obliti eramus pergere ad aliorum ordinum vineas, flagrantia, & ſuauitate Dominicanorum, & Franciſcanorum illecti, quare iter ad eas inuiſendas proſequimur: vt tantorum virorum exemplis animati, & ſpiritualium virtutum odore recreati, feruenter, & alacriter curramus poſt eos, ſi fortè mereamur admitti ad ſponſi delicias, & ad cœleſtia, & ineffabilia gaudia introduci.

CAPVT XIV.

De vinea Eremitarum S. Auguſtini.

ERgo Eremitarum vineam attendamus. Vinea hæc quidem illa eſt ab Auguſtino etiam, vt multi aſſerunt plantata, quam velut myſticus Naboth nunquam paſſus *Ex S. Anton. 3. p. tit. 24. c. 14. §. 3.* eſt dari in direptionem: verum crebreſcente hoſtili Vuandalorum inſultu, & ſucceſſu temporis inualeſcente monaſterijs, & Eccleſijs in Africa Gentilitatis ritu profanatis, concrematis, ac deuaſtatis, Fratribus hinc inde diſperſis, quidam in Thuſciam appulere, quorum alij Anachoreticam, alij Cœnobiticam vitam traducentes, tandem illam diſperſionem congregarunt, ſicut olim diſperſionis Iſraelis dignatus eſt Dominus adunare. Sancta verò iſta propagine vſque ad Concilium Lateranenſe ſub Innocentio tertio producta, cum in Concilio de ordinibus ſingulis tractaretur, ordo Eremitarum tunc annotatus eſt abſque ſolemnitate confirmationis. Poſtea ab Honorio confirmatus, ab Innocentio quarto promotus, ab Alexandro quarto, cui & ipſe S. Auguſtinus in viſione apparere viſus eſt, inſigniter auctus. Nam diuerſorum ordinum viri quorum quidam S. Gulielmi, alij fratris Ioannis Boni, alij de Fabali, alij alijs titulis nuncupati, ſub vnius Prioris generalis obedientia, ſecundum

dum regulam S. Augustini tanquam vnius vitis palmites ipso iubente iuncti sunt, vt quo vinea amplior, eo fructus esset vbertior. Hoc modo pro antiquis Patribus suis nati sunt ei filij, & nouellæ oliuarum, veteribus ex persecutione excussis, nouiter germinarunt, filij prudentia senes; grauitate patres, charitate fratres, virtute iuuenes, dulcedine soboles, innocentia infantes, malitia paruuli, quæ mundi sunt nescientes, totam regni Dei præsentiam possidentes. Duplicatem huius vineæ laudes, nisi satis hæc Augustini vinea, cum suis palmitibus abundè superius celebrata esset, & infra celebrabitur diffusius.

CAPVT XV.

De vinea Carmelitarum.

Thom. à Iesu de statu monach p.1. c.1 & seq. Bas. Ep. ad Chil. Naz. oratione de pauper. Ambr. in apol. & postquam ex fuga redijt.

DE Carmelitarum vinea, quid eloquar? certè *gloria Libani data est ei & decor Carmeli.* Mons verè celeberrimus in quo fructuosus ille palmes Helias commoratus, solitariam ab hominum consortio semotam professus est vitam, quem primum colendæ virginitatis auctorem Patres, & Doctores appellant, obedientiæ, & paupertatis prototypum, quem *Principem Monachorum* Hieron. vocat cum Elisæo cum filijs prophetarum, qui habitabant in agris in solitudine, & ædificabant sibi tabernacula iuxta fluenta Iordanis. Ad quos allusit Apostolus. *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, in solitudinibus errantes, in montibus, in speluncis, & in cauernis terræ.* Quorum alij etiam in Galgala, alij Bethel, alij in Hiericho, alij in Samaria morabantur, orationi, & contemplationi vacantes, ad quos Elisæus post Eliæ translationem, eiusdemque pallij receptionem se recepit ex Lyrano. Permanserunt vero hi Prophetarum filij vsque ad tempora Apostolorum ex Eusebio. Successerunt e-

4. Reg. 4.

nim eis illi, qui supra Heliæ institutiones, alijs supererogauerunt, fortè ab Elisæo Propheta eorum magistro, & auctore acceptas. Hi fuerunt Essæni, S. Marci Euangelistæ, postea legibus, & institutionibus instructi, vitæ monasticæ præcipui cultores, Apostolorum prædicatione ad fidem Christi instructi. Ab his porro Monachorum agmina in Ægyptum, & Palæstinam descendisse, Doctores, & Historici tradunt. Prædicantibus vero Apostolis, ait Ioseph Antiochenus; *Perfectorum militum Christi Apostolorum consultores surrexerunt strenuissimi viri solitarij contemplationi dediti, sanctorum prophetarum Heliæ, & Elisæi sequaces, qui de Carmelo descenderunt per Galilæam Samariam, & Iudæam, fidem Christi constantissimè sparserunt. Quique in Virginis Mariæ honorem in montis Carmeli decliuio oratorium fabricantes, Saluatoris Matri specialissimè seruierunt, illud tunc impletum, quod scripsit Isaias. Habitabit in solitudine: iudicium, & iustitia in Carmelo sedebit: & erit opus iustitiæ pax, & cultus iustitiæ silentium: & securitas vsque in sempiternum: & sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.* Verum nouissimis temporibus Saracenorum persecutione, eremitica vita Carmelitarum deturbata in vrbibus habitare sunt coacti. Cumque [*Nobilissima ciuitas Acconis à Saracenis destrueretur, Deipara Maria in Carmelo monasterium ad quatuor milliaria ciuitati vicinum ab eis igne crematur, fratribus in eo degentibus perfidorum gladijs trucidatis, & tunc (proh dolor) ordo Carmelitarum, mellifluum locum ex toto perdidit, in quo ab Helia, & Elisæi prophetarum tempore duobus millibus ducentis viginti vno annis perstiterunt.*] Quare nedum floribus confessorum, sed & rosis martyrum florere Carmelus visus est. Inter hos enitet pariter insignis ille Gerardus Ordinis Carmelitarum Patriarcha Antiochenus in

2. Hist. Eccles.

Gerebar. in chron. an. 3272.

Cass. 1. de instit. renunc.

Nic. lib. 8. c. 39.

Sozo. lib. 1.

Ioseph Antioch. specul. primi Eccles. c. 12.

Cap. 32.

Eraldus Carthu. in fascic. temporum An. 1293.

in Hungaria anno Domini millesimo trigesimo secundo, qui super bigam ligatus, & de altissimo monte præcipatus martyrio coronatus est. Venerat enim hic ad Summum Pontificem, vt malas à Saracenis, Christianis illata in Syria, & Palæstina propulsaret. Verum post tot calamitates hostiles vinea ista rursus florere cœpit hoc millesimo centesimo, Alberto Patriarcha Hierosolymitano, & Ioanne itidem Patriarcha leges renouante, & vtiliter augente, traductis inde in varias Europę Prouincias eius instituti viris. Quę demum regula ab Hugone Carensi Dominicano Cardinali S. Sabinæ mitigata, Apostolica auctoritate illis obseruāda tradita est in Apostolicæ Sedis tutelam, Innocētio IV. tam illustrem familiam recipiente atque probante.

In Bulla quæ incipit, qui honorem.

Dicere libeat cum Basilio. *In hac solitudine dego, in qua Dominus versatus est, hic est quercus Mambre illa, hic ad cœlum ferens scala, hic Angelorum castra à Iacobo conspecta, hic solitudo in qua populus purificatus legem accepit, & sic in promißionis terra Deum vidit, hic mons Carmeli in quo Helias commorans Deo placuit,* libet etiam cum altero exclamare. (*O Carmelitarum religio, quam magna facta es in domo Domini, nunquid olim à modico fonte Heliæ Prophetæ principium babuisti? & ecce nunc in magnum fluuium creuisti: tu olim plātata in Eremo, nunc facta es Ciuitas plena populo: tu fundatorem babes adhuc in paradiso viuentem, & gloriosam Virginem Mariam Reginam cœli, Dominam mundi, in patronam singularem, sicut enim de te procedunt Sacerdotes, & Leuitæ, Doctores, & Euangelistæ, qui patres, & patroni omnium religionum facti sunt,*] ex te pariter etiam post solemnem confirmationem, & approbationem ordinis (vt innumeram beatorum seriem narrare omittam, Sanctorum albo ascripti procedunt. Sanctus Albertus, S. Angelus martyr. B. quoque Andreas Fesulanus Episcopus propediem canonizandus expectatur. Superuacui plures in re liquida testes.

Epist. ad Chironem.

Philip. Hieropol. Abb. apud Paleonid. l. 2. c. 1. anti. Ord. Carm.

His annumerant sanctos illos viros, de quibus in Carmelitana religione diuinum recitatur officium, vt Eliam, & Elisæum Prophetas, Dionysium PP. & martyrem, Petrum, & Gerardum Patriarchas, & martyres, Anastasium martyrem, Cyrillum, Serapionem, Spiridionem, Albertum Episcopum, Bertoldum, Simonem, Brocardum Generales, Auertanum confessorem, Eufrasiam & Eufrosinam virgines. Inter Beatos recensent Petrum Cesis, Ioannem Soreth, Antonium de Hungaria, Adolium Tarsensem, Elisabeth Reginam, Franciscam filiam Ducis Britanniæ, & quis singulos recensere valeat?

Franc. Vastius de orig. Carmel. p. 3.

Non desunt in illa vinea botri. martyres enim innumeri enumerantur occisi ab Armar Rege Arabum anno 636. in Palæstina: notissimi vero, & famigerati martyres recensentur Elpidius, Elenus, Eusebius, Eutropiui Episcopi, Theodorus, Aloysius, Stanislaus, Lupus, Ioannes, Gerardus, Antiochus.

Morigia Tapia Thrithemius Carthagena villega.

Inter Romanos Pontifices recensent nonnulli Dionysium Papam, & martyrē, & Benedictum XII. at historici consulendi, nec enim historiam attexímus.

Cardinea vero, & Episcopali dignitate fulgentes multos recenset Carolus Tapia Regens supremi Consilij, vir doctissimus, & religiosissimus lib. de relig. & alij scriptores: ad eosdem lectorem remittimus.

Hæc omnia gloriam Carmeli satis superque ostendunt, insultus Vvicleph, & moderni hæretici Poliandri Caluinistæ, calumnias, & cachinnos non curando.

Lege Vuald. t. 3. tit. 9. Anastasium Cochletium contra Poliandrum ca. 14.

CAPVT XVI.

De alijs vineis mendicantium, Seruorum B. Virginis de Mercede S. Francisci de Paula.

POst hos quatuor ordines, veluti quatuor cardines terræ, & quatuor paradisi flumina, & quatuor genera equorum quos vidit Zacharias, rufos, nigros, albos varios, & fortes, quibus vehitur quadriga Domini, alij ordines plantati sunt, qui priuilegijs mendicantium fruuntur, talis est B. Mariæ seruorum religio instituta, per septem illos nobiles cœlesti voce admonitos, qui in propinquo Monte propè Florentiam latitantes ipsamet eorum sanctitatis luce se prodente, mundo se manifestarunt, multos in eorum societatem aggregarunt in eam, quam videmus magnitudinem excrescens tanto Reipublicæ Christianæ splendore. Qui eam vineam illustrarunt sanctitate, & miraculis supra triginta tres numerantur. In primis ille Philippus enitet, qui cum de eius electione ad Summum Pontificatum tractaretur de se humillimè sentiens, fuga ab onere illo etiam angelicis humeris formidando se liberauit. Emicant quoque Iacobus, Ioachimus, Franciscus Senensis sanctimonia cõspicui. Sed & quinque S.R.E. Cardinales, Episcopi, & Archiepiscopi supra triginta, vniuersalem vineam hoc est, Catholicam Ecclesiam custodierunt. Prædicatores, & scriptores innumeri pariter dederunt odorem suum, Christi bonus odor facti in omni loco.

Longe quoque lateque suum odorem effudit redemptionis captiuorũ familia à S. Raymundo ordinis Prædicatorum generali Magistro, Petro Nolasco, & Rege Arágonum Iacobo ad captiuorum miserias subleuandas, in eminenti erga proximum charitatis monte plantata.

Institutum Minimorum consequitur, quorum nomen cum vita, & moribus ex insigni humilitate concordat S. Francisco Paulano nouo Thaumaturgo auctore, perpetuo ciborum delectu quarto voto præ cæteris religionibus suos deuinciente, vt hoc quoque sit insigne miraculum quod carni, & sanguini repugnans abstinentia à cibis aliàs licitis, illicitis tamen ex voti ratione, per Italiam, Hispaniam maximè per Galliam, ita percrebuit adeoque in viridi obseruantia etiam nunc efferueat, vt meritò Anachoretis, & Cœnobitis adæquetur. Superuacaneum sigillatim de singulis disserere: nam omnium religionum istarum, tam est excellens fastigiu n sanctitatis, vt cui non sponte mirandum, & honorandum videtur, oratione nostra videri qui potest plura inferius, cum quoque nostro tempore florentes has omnes vineas ostendemus.

CAPVT XVII.

De nouissimis vineis Clericorum Regularium (qui & Theatini) & Patrum Societatis Iesu, *priuilegia Mendicantium Ordinum participantium.*

CLaudat, & has vineas Monasticas innouata Clericorum Regularium religio, quæ olim sub ipsis Apostolorum temporibus, Alexandriæ maximè Marco institutore florebat, & per multa secula continuata fructus vberes produxit. Ipsa, est patrum Theatinorum Congregatio, eo tempore cœlitus immissa, vt hominum mores ad meliorem frugem essent informandi: ea ætate instituti cum grassantes hæreses Lutheranæ, Ecclesiasticorum non probè viuentium vitam dilacerabant atq; carpebant. Huius vineæ cultores extiterunt anno 1524. Ioannes Petrus Carrafa, ad Summum Pontificatum euectus, & B. Caietanus Thienensis, Bonifacius à Colle, Paulus Consiliarius tanta virtute præditi, vt breui temporis spatio humanas mentes

virtutibus imbuerint, & ad cœlestem militiam accenturiati non leue bellum inferis attulerint. Hos patres tanquam arietes gregis Clericorum Theatinorum imitati, deinceps Clericalium sodalitatum conditores, ille insignis S. Ignatius Loiola, cui cùm arctissima esset cum B. Thianeo consuetudo (vt quidam scribunt, de qua re aliorum esto iudicium) ab eodem in Clericorum vineam tanquam operarium Christi postulasset adscribi (adeo pulcher, & speciosus erat religionis huius splendor, vt hæc Aquila in tanti syderis lumen obtutus defixerit) diuinitus illi ad operam eam interdictus ingressus: quippe, qui cognouerat Ignatium vineæ vastissimæ, & fœcundissimæ Societatis Iesu fore conditorem. Sed quicquid sit de hac historia, quæ nexum charitatis potius, quàm dissentionis fomitem ex mutua beneuolentia sanctorum virorum demonstraret: certum est, quod hæc illustrissima Societas per S. Ignatium instituta, & auctoritate Sedis Apostolicæ approbata est, & à Pio V. multis encomijs celebrata, & specialibus ditata fauoribus, quæ quantum profecerit, ac proficiat, reportati fructus ex gentilium conuersione, hæresum confutatione, vitiorum extirpatione, iuuentutis educatione, librorum compositione, satis ostendunt. Et inferius suo loco ostendemus, cùm vtriusque huius vineæ encomia, & laudes, ad maiorem Dei gloriam, Catholicæ Ecclesiæ decorem, & fidelium ædificationem, pro nostra tenuitate prosequemur.

And. Mol. in summa tract. 8. c. 9. n. 101. & 102.

CAPVT XVIII.

Quomodo vineæ aliquot florentes ob bellorum incursus, pestilentiam &c. alicubi, & in aliquibus iacturam passa sunt.

SEd temporum decursu, hominum fragilitate, persequentium incursu, schismatibus præualentibus, Monarchiarum mutationibus, pestilentijs grassantibus, bellis tam intestinis, quàm exteris omnia conglomerantibus feruor monasticæ disciplinæ remissus est. Pateor. *Sed hic grex dispersus atque disiectus, quem leones expulerunt, aut tempestas dissoluit, aut caligo dissipauit, præcedentium inquam calamitatum, non propter impietatem in Deum, cuius fidem propugnabamus, sed propter alia scelera nostra; & quia non vt mandatus tuus dignum erat vitæ rationem instituimus.* Vnde interdum alicubi apud quosdam visa est seges, *omnino nec horreis, nec area fortasse, nec falce digna, nec etiam aceruí, nec manipuli, aut certè parui, & immaturi, & quales sunt tectorum, nec messoris manus implentes, nec eos, qui illac iter faciunt, benedictionibus allicientes. Talis seges nostra erat tantilla messis, magna illa quidem, & pinguis apud eum, qui abscondita intuetur, taliq; agricola digna, quam animarum recta doctrina excultarũ valles multiplicat: cæterum rationem habens, vt in vulgus minimè nota esset, nec in vnum cogeretur, sed paulatim colligeretur, non secus ac stipula in messe, & racemulus in vindemia, cum nullus est botrus: quia illa quoque, & quidem admodum tempestiuè mihi videor adiecturus vt ficũ prāmaturã in deserto Israelē vidi, & vt acinum vnum, aut alterum maturũ in immaturo botro benedictionis causa seruatum, ac primitijs consecratum; adhuc tamen paruum, & rarum, nec os comedentis implentem, atq; etiam, vt signiferum lignum in colle, & malum nauis in monte, aut si aliquid est singulare, nec multis conspicuum. At ex quo tempore Deus, qui pauperem facit, & ditat, qui mortificat, & viuificat, qui sola voluntate omnia facit, atq; immutat, qui ex nocte diem facit, ex hyeme ver, & tempestate tranquillitatem,* reddita pace Ecclesię, turbinibus calamitatum depulsis, reparatoribus disciplinæ regularis ministeriũ diuinum instaurantibus, denuò suscitatis, ad pristinum restitutæ sunt decorem vineæ sponsi, & *cum ex rebus perditis, & de-*

Naz. oratione ad 150. Episc.

& deploratis iter secundis aperire voluit, tūc rursus parua illa propago, vinea lata pampinisque luxurians efficitur, in eamq; magnitudinem excrescet, vt & fluuios sub se premat, & vsque ad mare extendatur, & à montibus ad montes porrigatur, ac dilatetur, & gloriæ sublimitate montes operiat, & cedros magnitudine exuperet, & quidem cedros Dei, quicunque tandem montes illi, & quacunque cedri extimandæ sunt. Clarius quod diximus ex Nazianzeno, cum S. Antonino remissionem aliquorum claustralium gemente, sed eorumdem restaurationem, germinationemque postea decantāte, explicemus. vbi enim de monachalibus & regularibus religionibus dixisset, quod multi minima negligentes traditionū paternarum, in processu temporis paulatim p. 3. t. 16. c. 3. §. 2. delaxerunt, mox canit, *sed miseratione diuina à septuaginta annis citra pullulantes reflorue runt, in paucis* se reformantes *ad vitam regularem, Deo conuertente corda patrum in filios parare Domino plebem perfectam, merito, & numero multiplicatos, & flores apparuerūt in terra nostra Florentina.* Quod fusè prosequitur, ostendendo prius deformationē in aliquib. personis, mox reformationem, ordinū videlicet Canonicorum Regularium, monachorum S. Augustini, Cistercienfium, Cluniacensium, Camaldulēsium (exceptis paucis in Eremo reclusis) Vallis Vmbrosæ, & tandem Mendicantium ordinū. Nec germinationem idem sanctus à dissipatione separauit, nec solam nigredinem recensuit, sed & ad vetustatem attendit, nec suum ordinem Prædicatorem, à communi orbis relaxatione seiunxit, sed cum cæteris adiunxit; scandalorum rursus, nō meminit, quinimo ex rediuiuis reformationis pampinis, directè ostendit feruorem charitatis, reaccensum operuisse multitudinem peccatorum. Suprà. *Talis quidem hic grex erat*, vt idem subiunxit Nazianzen. *Talisque in præsentia, tamque succulentus, lateque se porrigens, ac si nondum perfectionem assecutus, ad eam tamen quotidianis incrementis progrediens, atque etiam, vt auguror, progressurus.* Hæc ille, vt ex Dei benignitate post vindemiam tot calamitatum racematio adhuc sit superstes, & frondibus adhuc redimantur tempora nostra, recentissimis, vt quondam ramosissimis laureis portæ nostræ antiquæ præstruebantur, & ornabantur.

CAPVT XIX.

Quomodo mirabiliter hyemis persecutione cessante, refloruerunt. & adhuc reflorent ex Dei gratia sacri ordines, & ostenditur in priscis illis vineis Anton. Basilij, Augustini fundatoris vtriusque vinea Canonicorum, & Eremitarum.

NOn ergo vetera amplius commemoremus, sed præsentium temporum rationem attendamus: quantum enim attinet ad vineas Antonianas, & Basilianas, quid Petrus Maturus Societatis Iesu presbyter in illarum laudem descripserit audiamus. *In notis ad S Antoninum par. 2 c. 12. tit. 15 §. vlt.*

[*Quamuis Oriente toto cum religione Christi religiosa vita institutum diminutū valdè debilitatumq; sit; non tamē, Deo sic prouidente in medijs etiam tyrannorū gladijs planè concidit: nam vt omittam Franciscanos, Dominicanosq; ex nostro occidente, illuc quasi in Coloniam deductos, qui aliquot in regionibus subditis ditioni, & Turcarum tyrannidi, habent monasteria, Græcorum monachorum ordinis B. Basilij, quæ tributi nomine Turcorū tyrāno quotānis ex vinctis, & oliuetis suis pendūt sex millia Turcicorū obolorum.*

Abdisù quoque Christianorum Orientalium maximus Patriarcha qui ann. Ch. 1562. 8 Martij S. R. E. fidem professus est, & Tridentinæ Synodo fidei suæ testimonium misit, quod in eadem sess. 22 recitatum, in gestis ipsius Cōcilij habetur, monachus fuit instituti D. Antonij in monasterio SS. Rochæ, & Ioānis professus, vt ipse testatur in sua fidei professione, quæ extat apud Onuph. in vita Pij IV. & Sur. in Cōment. rer. gest. & in Bibliotheca Patrum,

Patrum, & nos alibi eius meminimus. Vidimus etiam nostris oculis in Gallia virum venerabilem monachorum D. Basilij Sinam montem habitātium Archimandritam. Plura etiam de his referunt, qui Venetijs, vel Maßiliæ versati sunt, vbi illi qui ex Oriente in Occidentem religionis ergo veniunt, appellere sæpius consueuerunt. Plura denique de ipsis scripserunt, qui rerum orietalium statum, Hierosolymitanæq; peregrinationis iter scriptis mandauerunt: quæ ideo annotare visum est, vt quanta sit Dei prouidentia in sacrarum religionum cōseruatione quilibet posset animaduertere. Quod si Gamalielis Consilium verum est, quod habetur Actor. 5. his verbis: Si ex hominibus est consilium hoc, aut opus, dissoluetur, si vero ex Deo est, non poteritis dissoluere, *quis non videt sacrarum religionum institutum, quod nulla temporis longinquitas, nulla morum corruptela, nulla bellorum incendia, nulla tyrannorum cruces, & nulla Græcorum schismaticorum peruersitates dissoluere potuerunt, non hominum consilio inuentum sed Dei impulsu, & inspiratione in hominum animis primò insitum, & propagatum, & per tot sæcula sub varijs habitus formis conseruatum semper fuisse? vt inde discant Hæretici, quàm irriti, vanique conatus illorum Christo semper sese illis opponente futuri sunt: qui cum sacras hominum religiones de medio tollere tentauerint, tantum abest, vt ipsi id poßint præstare, quod Mahumetana perfidia longe potentioribus viribus nixa, in ipso suo lato sanè, (proh dolor) & patente regno non præstitit, vt ante suos oculos religionem vnam, suis ipsorum temporibus institutam (Deo Ecclesia sua sacrosancta singulari sua benignitate, ita prospiciente) florentißimam videant, quæ sicut hactenus, quātum ei diuina gratia conceßit funestißimis eorum consilijs sese opposuit, eosque de locis multis in quos illorum doctrina pestilentißima irrepserat, deiecit: sic deinceps Christo armata, Christo fidens, Christum ducem sequens, eos vbique terrarum persequetur, & si peccata hominum nequaquam præpediunt, vbique debellabit, vt Christus Iesus omnium religionum Princeps, & Rector, ipsiusq; Vicarius Pontifex Romanus agnoscatur, celebretur, adoretur ad gloriam Dei Patris omnipotentis*]Hæc ille.

Act. 5.

Floret adhuc institutum Basilianæ religionis, in Hispanijs, & in Italia, Messanæ, Cryptæ Ferratæ, Neapoli quoque in Ecclesia S. Agrippino dicata, amantissimè enim nuper Neapolitana Vrbs illos excepit, quos ab anno 361. (quinquennio post institutionem in collectionem à Basilio factam) per multa sæcula aluerat, & educarat, in monasterijs olim SS. Nicandri, & Martiani, sancti Demetrij in regione Albina, sancti Gaudiosi, S. Spiritus, (quantum attinet ad viros) & (quantum attinet ad sanctimoniales) in Ecclesia sancti Gregorij Episcopi Armeni, sanctæ Mariæ de Anguone, S. Marcellini, quos omnes Cœnobitas, & Sanctimoniales D. Basilij regulas professos testantur auctores graues.

Augustini verò vinea quam floreat videamus: si enim ad Canonicos Regulares oculos vertas, maxima eorum pars adhuc sub eiusdem sancti regulis perseuerans, boni sunt cooperatores multiformis gratiæ Dei, in fide præclari in spe eminentes, in charitate feruentes, iustitia insignes, prudentia solertes, temperantia compositi, fortitudine præclari, nec mortem pro Christo oppetere formidantes, & vt dicebat de antiquis Monachis Augustinus dicamus, & nos de eiusdem filijs. *In communem vitam castißimam, sanctißimamq; congregati simul ætatem agunt, viuentes in orationibus, in lectionibus, in disputationibus; nulla superbia tumidi, nulla peruicacia turbulenti, nulla inuidentia liuidi, sed modesti, verecundi, pacati, concordißimam vitam, & intentißimam in Deum, gratißimum munus ipsi offerunt, à quo ista posse meruerunt.* Non opus est plura de re notissima dicere. Satis est recensere è multis pau-

Fran. Antonius. Purpur. in respons. causa præcedentia Basilianorum cum Cassinensibus.

Li. de morib. Eccl. Cath.

paucos, qui nostro seculo cum sanctitatis opinione discesserunt.

Eminet B. Blasius patria Vincentinus beatitudinis honore omnium voce cultus, vt dicit Carolus Episcopus Nouariensis in descript.Eccl.lib.1.c.30.Eminet Andreas Nouariensis,cum sanctitatis odore plenus bonis operibus Nouariæ diem clausit extremum. Eminent Petrus Lucensis, & Seraphinus Firmanus,doctrina, & charitate illustres, vt ex eorum opusculis deuotionis feruor dignosci possit.

Nostris quoque diebus, vt dicit P.Gabriel Pennotus lib.3.Hist.Lat.c.51. Albertus de Altissimis,virtutibus clarus, magna sanctitatis opinione felicissimam animam suam creatori reddidit.

Non desunt noui martyres botri vineæ. Ioannes Osterwica qui sibi potius vitam præcidi passus est, quam fidem, quæ ex auditu est abnegarat, qui etiam negaret, qui etiam glande sulphurea ictus ad cœlestem vitam transuolauit. Similiter Theodorus Gandauensis, Cornelius Eschouianus,Gaspar Flander,Iacobus Gandauensis crudeli mortis genere in Belgio anno 1572. occubuerunt, perennis vitæ fontem ob hunc calicem passionis in æternum degustantes, vide nostrum Fr. Alphonsum Fernandez in Hist.Eccl. horum temporum c.41.lib.3. Si verò Eremitanos hoc tempore inspicias, habes pariter quid imiteris,quid admireris, cum infra de ijs sermo reassumetur, & de Mendicantium ordinum reflorítione dicetur.

CAPVT XX.

Quàm floreat nostris temporibus vinea S.Benedicti, à columba deplorata, & quos fructus afferat luculenter ostenditur.

Benedicti verò vinea, quàm florida, & quos fructus vberes modò etiam parturiat inspiciamus. Vsque hanc diem præcipuè contemplationi dedita, & orationi statas horas in psallendo peculiari religione seruat, vt antiquos Patres Cœnobitas adamussim æmuletur. Ad insigne Cassinense Cœnobium conuola, ad Montisferrati famosissimum Benedictinorum illustre Monasterium propera. Hic media nocte assurgũt omnes incessanter ad cõfitendum altissimo in matutinis, meditantes,& dicentes:*Media nocte surgebam ad confitendum tibi,* considerantes ex Chrysologo quod *hoc tempus est deuotum, & iuge pernoctantis demonstrat officium.* Meminerunt,vt dicit Hilar. *Hoc esse tempus,quo primitiua Ægyptiorum meritissimæ obstinationis clade percussa sunt. His ergo horis non laxantur in somnum,ne gladio Ægypti admisceantur:hoc noctis tempore introeunte sponso sapientes Virgines in nuptias cum lampadibus introibant.Vigilant ergo,ne cum stultis videantur excludi: hoc tempore psallentibus Paulo, & Syla Apostolis, catenæ, & vincula resoluuntur: non dormiunt itaque ne vincti sint, nec habet eos nocturni temporis somnus.* Ser. 39. In Ps. 118.

Rursus vt verbis Chrysostomi vtar: *Hac orbis terrarum lumina quando Sol oritur, quin potius multo ante auroram,*(ad primam) *ex lectulo surgentes incolumes, & solertes, & sobrij (nec enim vlla tristitia vel solicitudo,non capitis grauedo, negotiorumve labores, non turba, vel huiusmodi quicquam aliud eos disturbat,sed tanquam Angeli degunt in cœlo.) Surgentes itaque statim ex cubili hilares, & læti, chorumque constituentes in alacri conscientia, consonanter omnes tanquam ex vno ore hymnos omnium Deo concinunt.* Cum verò dissoluerint, *hic quidem Isaiam sumens,cum illo loquitur, hic autem cum Apostolis conuersatur, alius ab alio elaborata percurrit, & de hoc vniuerso philosophatur de Deo, de visibilibus, de intelligentibus, de vita præsentis vtilitate, de futurorum beatitudine.* Rursus ad tertiam, & synaxim conuenien- Homilia 56.ad pop.

tes. Seipsos quoq; cum sacrificio incrućto, & corda ipsorũ mactãt inuisibili cõtritionis gladio, & oblatione acceptabili, mox ad refectionem conuenientes, tantum cibi assumunt, quãtum satis iudicant, qui mortem arceat, non qui delitias ministret, *optimo cibo pascuntur non brutorum carnales elixatas habentes, sed eloquia Dei dulciora super mel, & fauum.*

Ex cod. Chrys. ibi. Non sectantur, vt idem dicit: *Ex delitijs concupiscentiis, ex lixis, & coquis, ex pincernis pulmentarijs, confundor quidem omnia dicere, veruntamen dicam phasianas aues, fercula affluenter mixta, humidos, & aridos cibos, leges super hæc positas, &c. Sed nihil huiusmodi penes angelos illos, verum & omnes hæ concupiscentiæ sunt mortuæ, non enim ad saturitatem, & delitias, sed ad necessitatem eis nutrimentum.* Aptatur quoque quod idem scripsit. Ib. hom. 57

Post gratiarum actionem de datis, & de maioribus supplicant, neque circa secularia morantur, sed super cælos ascendunt, collationes Patrum volutantes de Deo, vel cum Deo miscentes colloquia: rursus ad horam orationis nonam, spiritum renouantes, & colligentes: vespertinis precibus & completorio pensum horarum, septem Canonicorum cantando claudentes.

Ibid. Demum, *repleti compunctione, & feruentibus lacbrymis, sic ad somnum se conferunt, tantum dormientes vt parum requiescãt, & rursum noctes dies faciunt in gratiarum actionibus, & hymnodijs degentes.* Hæc Chrys.

Nec solum orationibus, sed, & ieiunijs insistunt continuis præter ordinariã mensam verius ieiunium, *nam eorum mensa ieiunium est* similiter & humi stratis cubilibus, vigilijs, & sacco, & innumeris semetipsos modis domantes animam ad contemplationem reddunt promptiorem, ad quam omnia referunt, vigilias, ieiunia: nec solum, quasi columbæ ad fenestras suas cœlestia meditantur, sed, & scripturarum meditationem in scriptis signantes, fauos etiam industriosæ apis initar ad gustandum cœlestem dulcedinem, artificiose (vt patet ex librorum mole immensa) nobis componunt, & corda fidelium imbribus irrigant cœlestibus, vt possint proferre immarcessibilem operum fructum: vnde passim videas in Benedicti vineis fidei excellentia plenos, deuotione summos, in sermone potentes, in opere efficaces, in exercitatione monasticæ disciplinæ instructos, in sancta meditatione assiduos, peccata populorum plangentes, multis adhuc signis coruscantes.

Sed ne istorum contemplationem otium quis putet, vel vacationem à curis secularibus, desidiam, sciat in prælijs spiritualibus, absque corporis præsentia mira posse præstari, quãdo contemplante Moyse, & extollente manus suas Amalechitæ corruebant.

Sed ne dum hæc vinea florens dedit odorem suum, verùm suos quoque (ne quid illi desit) martyres hoc infausto seculo præmisit ad regnum: *ficus enim protulit grossos suos*: nam vt modo Martyres in Gallia, & Cœnobia Benedicti solo æquata breuiter percurram, satis notum est quod contigit Idibus Ianuar. Anno 1568. quem diem Rupellæ defectio toti Galliæ infaustum reddit cum Hugonotismus per diuersas muri partes irrupit, Cœnobij Diui Michaelis sanguinem Cœnobitarum crudeli strage, cum domesticorum, & rusticorum sanguine coniungens: sic stolas lauerunt in sanguine Agni, quibus nulla alia mortis causa fuit, quàm quod nec adulteram pro sponsa, nec semen Chanaam pro semine Iuda, nec Absalonem, vel Ieroboam, aut Iezabelem pro legitimo principe cognoscere voluerunt. Lege Bil. in epist. Nũcupat. in Naz.

Ante non multos annos quando Anglia fidem cum humanitate exuit, sex Abba-

Abbates Benedicti Fontanen. Geruientis, Riuerius, Barlinghensis, Saulienſis, Vuhalienſis, cum alijs multis monachis 1536. propter fidei Catholicæ defenſionem occiſi: Alij etiam Abbates, videlicet, Richardus, Vitingus Glaſconiæ, Hugo Feringdonus Redingi, & Ioannes Becus Colceſtrenſis 1539. glorioſa voce fidem Catholicam profitentes, & ipſi quoque martyrio coronati. Ioannes Feknamus Abbas Vueſt Monaſterienſis cum multis ſui ſodalitij monachis teterrimo carceri mancipatus poſt carceres, Londini in Caſtro Tubicenſi conſtanter toleratos 26. annorum ſpacio, anno 1585. teſtimonium fidei reddens feliciter obdormiuit in Domino. Nicolaus verò Monachus eiuſdem inſtituti in Gallia præciſionem linguæ vltra dimidium paſſus, Salisburgi viuus eſt, & auditus magnalia Dei eleganter ſatis, ac diſertè eloqui, ac hæreticorum barbariem feritatemque declarare ex Ioanne Baptiſta Fiklero in Theolog. viridar. de Sanctorum martyrio.

Säder. de ſchi. Angl. li. 1. p. 177. & 197. impreſſ. Ro.

Sayrus in præf. Theſauri, & alij.

Multi autem Cœnobitæ, licet perſecutionem non experti ſint, vel gladium; tamen per vitæ meritum martyrio non priuantur. Mauſolea non ſufficerent, ſi quotquot cum opinionis ſanctitate temporibus noſtris diſceſſerunt, ſeparatim condere voluiſſent: gaudentque potius, quod horum nomina deſcribantur in cœlis, quam quod ſcripturis, & monumentis diuulgentur in terris.

CAPVT XXI.

Idem demonſtratur in Camalduenſibus.

IAm verò ſi mentis oculos intendas, ac circumſpicias quorundam aliorum religioſorum cœtus, quantæ ſint ſanctitatis, neceſſe eſt in maximam rapiaris admirationem. Nam qui quæſo Camalduenſes, qui à terrenis omnibus extorres, in ſolos receſſus intimè ſe abdiderunt, ſilentij leges arctiſſimas ſibi coniunxerunt: vt in diuinis toti eſſent, & effugerent humanos obtutus, cœlo ſe insererent, nullius humani ſermonis ſtrepitu interturbarentur, eloquijs ſolummodo diuinis intenti.

Bozius de ſignis Eccleſ. lib. 9. ſigno 35. cap. 5.

Iſti ſunt (vt ſcripſit oculatus quidam teſtis, Eremi Camalduenſis deſcriptor) [*Zelo religionis Chriſtianæ accenſi, omnia ſua facta dictaque ad metam vnam, Deum puta ipſum ſummum, ſuique diffuſiuum bonum dirigunt. Iſti ſunt veri Chriſticolæ: ſine dolo columbina ſimplicitate cum ſerpentina prudentia imbuti, profundiſſimæ humilitatis viri, ſeque tanquam omnium abiectiſſimos reputantes: nam qui maior inter eoſdem, minimum ſe exiſtimat omnium, nulla inter eos inæqualitatis diſcordiave ratio regnat. Erga alios humani valde atque vrbani, inſignes charitatis amatores, in dictis veraces, corde mundi ſpiritu pari, conſcientia recti, morum vitaque diſciplina inclyti: in inceſſu greſſuve graues, in loquela cauti, inter eos ſubmiſſæ, ac raræ voces, in aſpiciendo, oculorum euolutione ſeuera remiſſi, in victu parciſſimi, in dormitione temperati, ac in veſtitu candidi, puritatem mentis & corporis denotante. In cæteris denique humanis geſtibus, & actibus mundiſſimi, ac circumſpectiſſimi, medium, quod ſanè tenuere beati, in omnibus complectentes: in loco excelſo conſtituti, vt qui alijs prædominantur in virtutibus, excedant etiam, & ab eis quique religionis ſtatus viuendi normam petat diſcat. Perfecti Eremi operarij, verique Anachoretæ. Nam ſi vnus cadit, mutua inter ſe Charitate ſubleuatur, eique in ſpiritualibus pariter, & corporis refectionibus ſubuenitur. Sunt item velut vrbs alma ſupra montem collocata, quæ obſcurari minimè poteſt: quorum ſancta & præclara geſta vniuerſo notiſſima ſunt Orbi: in quibus tanquam in cryſtallino ſpeculo Chriſtianæ oẽs actiones relucẽt, habentes ſemper in manibus lãpades, aſſiduè lucentes, S. videlicet ſcripturam, cuius pia ac frequens lectio animas interno fulgore ſplẽdentes,*

And. Mugno. in deſcript. Ere. Cam. c. 13.

in tranquilla pace, animi quiete, concordia, atque vnanimi mente, ita conseruat, vt omnium sit cor vnum, & anima vna, idemque vnum velle, ac nolle.]

Sed (vt idem dicit descriptor sacri Eremi) inter alia pietatis opera, quæ Eremitæ omnes quotquot in Eremo sunt faciunt, [*assiduus est ad templum Domini concursus. Videbis nempe illos omni studio, ac solicitudine die noctuque offerendis Deo summo hymnis, & laudibus, cum caremonijs sanctissimis, postbabitis vndequaque cadentibus imbribus, descensu niuium, ventorum sæuitia, ac vehementi frigore, septies (instar Prophetæ) ad commemoratum Templum singulis anni diebus, sub dio confluere, ibique cõuenire Ibi variæ orationes interno peccatorum dolore cum gemitibus, lachrymosis oculis, suspirijs atque singultibus, ex intimis exeuntibus præcordi s frequentantur.*] Modum autem canendi describens subdit [*senties namque, (& vtroque sibi alternatim respondente Choro) resonantem quendam inter psallendum, ac penè diuinum concentum voces scilicet quasdam sonoras, planas, mediocres, æquales, atque deuotas, vnicam ceu proferens vocem plãctum potius quàm cantum sapientes. Tale vtique Eremi incola munus legendi, non autẽ canendi esse debet.*] O Turturis gemitus, nubes penetrantes, scandala grauia, & multiplicia, hic recenseri nõ possunt, vnde absunt [*diuisiones omnes, seditiones, conciliabula, loquacitas, irrisiones susurrationes, vaniloquia, & mendacium, simulationes ac subordinationes, murmurationes, detractiones, odia, ac humanæ omnes abiectaq; affectiones: ventris ingluuies, crapula, otiositas, & somnolentia, inanis gloria, ambitus honoris, ac diuitiarum desideria, elationes, petulantia, æmulationes, ac hypocrisis, simulata species, profana consuetudines, munuscula, curiositas, corporea mollities, & alia id genus quæ longũ esset recensere: quæ omnia aliena admodum valdeq; absurda Eremi incolis sunt, Eremoq; ipsi repugnantia, indigna, & magnopere dissona: nequaquam enim talia patitur, neque permittit, quin potius huiusmodi contagioso languore infectos tanquam morbosos, & abortiuos fœtus expuit, ac veluti merè cadauera certissime refutat. O sacra Camalduensis Eremorum Eremus, sexcentis propemodum annis à tua primæua erectione ad hæc vsque tẽpora mirabili immutatione frugifera vita, incredibili incremento, ac diuino suffragio laudabiliter perdurans: orationis, meditationis, atque contemplationis fulgentissima officina: Paradisus terrestris cœlestem sapiens: hortus cõclusus supernum redolens. O sacrarium sacrum omni laude dignũ.*]

Ex eodem.

Huius sacræ vineæ recẽsentur inter cæteros Samuel, & Syluester, tãquam Eremi lumina, à quibus cæteri Eremitæ vitæ sanctæ splendorẽ sunt mutuati. Similiter, & Ambrosius Mõcada, illustris genere, sed virtutibus splendidior, cum Ioanne Baptista Nouariensi, tanquam scintillæ in arundineto discurrẽtes inuisuntur, ad cœlos animo euolantes. Est ibi quidam Marcus Senior Eremitarũ constitutionum, & obseruantiarum, per quinquaginta annos tenacissimus custos, obseruantiæ regularis speculum, & exemplar. Sunt ibi, qui vltra abstinẽtias præscriptas, & ieiunia diuturna (vt è mensibus anni duodecim numero nouẽ integris mensibus ieiunent, & singulis sextis ferijs, & ter in hebdomada Aduentus, & Quadragesimæ nudo solo, nudatis pedibus sedentes tantùm, & aqua contenti) plures alios dies iuxta feruorẽ spiritus addunt, vt de priscis notauit Naz. *Dimidia ex parte Christi ieiuniũ imitãtur.* Alij quoq; vt scripsit etiam de suo tempore idem Nazian. *Qui annos integros in templo stantes, puras ad Deum manus expanderint, nec quod vix cuique fidem facturum sit, vel tantillum obdormierint, sed viui lapidis instar* CHRISTO *defixi steterint, ac velut obriguerint.*

Sunt, qui reclusi vocantur, videlicet illi vt scripsit Nazianzen. *qui ferarum ritu paruis angustisque domibus inclusi, ne mortalis cuius-*

cuiusque vultum inspiciant. Inter hos Cornelius quidam recensetur qui natus annos septuaginta, viginti annis, & vltra, inclusus vitam peregit sub perpetuo silentio, ac vitæ præcipuo fulgore, angelicam vitam transigens sub pelle mortali. compendio dicam. Nihil magis horti Eden imo & cœlestis Paradisi expressius gerit imaginem, quàm Camalduensium congregatio, & conuersatio, ad soli Deo vacandum, & gustandum, quàm suauis sit Dominus, efformata.

CAPVT XII.

Flores, & fructus Carthusiensium nostro quoque tempore recensentur.

CArthusienses verò etiam nostris temporibus, vt scripsit quoque de antiquis Nazianz. *A mundi consortio distracti, ac solitudinem amplectentes, Deo viuunt magis, quàm ceteri omnes, qui in corporibus versantur, & sui ipsorum tantum ex Dei colloquio fruentes, atque hanc duntaxat partem pro mundo habẽtes, quam in solitudine cognoscunt.* Quid plura. *A domibus abhorrent, vrbium frequentiam fugiunt, cognatamque cœlestis sapientia quietem amplectuntur: partim vt vitium vna cum corpore configant, silentium peculiariter sibi vendicant, & garrulam linguam, quasi vinculis quibusdam astringunt, labiaque silentio comprimunt*; illud semper vsurpantes, *Dixi custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea.* Ab esu carnium tãta abstinentia, vt nec illis ex religionis virtute, nec infirmum corpus fas sit instaurare. Ieiunijs verò addicti, veterum illorum patrum ieiunia imitantur.

Oratione in laudem Athanas. Ad Hellenium.

Psal. 38.

Certè si angelicos patres etiam his temporibus videas, vt de veteribus scripsit Nazianz. vide bis eos *humiles, & terrenos, & supra terrena: hos inter homines versantes, & rebus humanis superiores: hos vinculis perpetua clausura pressos, & liberos, qui retenti sunt, & teneri non possunt: quorum nihil in mundo, & quorum omnia mundo superiora sunt: & quorum duplex vita est, altera contemplatiua, altera studiosè culta & expedita: hos inquã propter mortificationem immortales, propter solutionem Deo coniunctos, ab amore alienos, & diuino libidineq; vacuo amore correptos: quorum fons lucis, & quorum iam radij splendoris que traiectiones: quorum angelicus psalmorum cantus, & pernox statio, & mentis ad Deum excessio, ante mortem in cœlum se rapientes: quorum purgatio, & tamen purgantur, quippe in cœlum ascensus, & deificationis modum sibi constituentes: quorum rupes, & quorum cœli: quorum abijci, ac proteri, & quorum thronis insidere: quorum nuditas, & quorum incorruptibilitatis indumentum, quorum solitudo, & quorũ saculi alterius frequentia, & celebritas: quorum voluptates compressa, atque constricta, & quorum perpetua, atque inexplicabilis animorum oblectatio: quorum lacryma peccati diluuium, & mundi expiamentum. Quorum extensio manuum flammas extinguit, feras mulcet, gladiorum aciem retundit, atque hebetat. instructas acies in fugam vertit.* Vbi hic scandala possit quis aduertere, aut obijci à pusillis, & factiosis malis laicis possunt?

Oratione prima in Iulianum.

In hac vinea quoque præter odorum fragrantiã in sanctis confessoribus botros etiam pendentes inspicies. *Sicut enim botrus redditurus vinum, prius in vinea martyrij, quadã natura arte suspenditur:* Sic pro primatu S. Petri, & successorum eius in ligno mansit pendulus euersa scala, Prior Londinensis, Ioãnes Hogtonus cum alijs duobus Prioribus Roberto, & Augustino, quorum verenda à semiuiuis abscissa, intestina eruta, & corde transfixi vinum spirituale martyrij reddiderunt.

Amb. ser. 22.

Sander. de schis. Anglic. lib. 1. pag. 127.

Postea tres alij Carthusiani Hunfridus, Vilielmus, & Sebastianus, post putẽtissimi carceris diuturnos squalores, vinculorum constrictiones; idem supplicium perpessi, quod superiores, in passione similes extiterunt; quorum eadẽ apud Deum erat professio, atque vocatio. Alij decem Carthusiani

Surius in comm. anni 1535.

Sand. li. 1. pag. 129. siani Lōdinenses in horrendum carcerem protrusi, tunc vitā repererūt, cum in mortem inciderūt, vno dempto, qui annis quatuor superuiuens idem genus mortis, quod alij, expertus est, ij autem erant Richardus Berus, Thomas Græneus, Ioannes Dauis, Thomas Iansonus, Gulielmus Grenuodus, Thomas Scriuanus, Robertus Salcus, Gualterus Personus, Thomas Redingus, Gulielmus Hornus. Alij duo similiter Carthusienses suspensi catenis tandiu in patibulo hæserunt, donec ossa ceciderūt: *Quod* Ambr. ser. 75. *factum, quàm gloriosum sit, & à diuinitate dispositum debemus aduertere: semper enim Deus quos eligit, hos victores subuectione sublimi in aulam regni cœlestis inducit.* Hos in phalanga suspensos botros, non homines, sed Angeli in cœlum proprijs humeris euexerūt. Quis laudibus celebret vniuersos confessores quos Carthusia in dies transmittit ad regnum? Horum laus sit, numero certo definiri vix posse.

Cæteras vineas, quia vel ad Benedicti, vel Augustini portionem pertinent, iam percurrimus, & satis nostro tempore filij filiorum laudantur, qui non solum patres, sed etiam auos tanto virtutum splendore imitantur. Ad Mendicantium instituta descendo.

CAPVT XXIII.

De floribus, & fructibus nuperis vineæ Ordinis Prædicatorum, noua, & vetera sponso seruantis.

AGe iam videamus, si nūc in Prædicatorum vinea florent mala punica, & flores fructus parturiūt. Non floruit solum hæc vinea, sed floret, & diuina miseratione florebit, & vbi vulgaris aliquis in occasum tendere existimat, eius prædicat gloriam: nam eò antecellit hæc vinea, quod alicubi recisa, vel exiccata, latius lucis suæ sapientiæ, & sanctitatis limites egreditur, quibusdam enim certo locorum spatio se præcludentibus, alijs in nostro hemisphærio se continentibus, illa extendit vsque ad Indos propagines suas, & solem æmulata, ac si eis angustus esset patens hic orbis, nouum lustrans mundum, vbi occidere oculis insipientium videtur, nouus aspectus cœli, & terrarū mortalibus aperitur, ad tot occultata prius luminum agmina conspicienda. In qua vinea illud est mirum, quod nō solum ad delicias spiritus in sancta contemplationis feriata quiete eius professores inuitantur, sed & in eadem ad militiā, & palæstram exercentur ad præliandum fortiter bella Domini, quæ contra hæreses, & errores ab ipso sui exordio noscitur instituta. Quare intra illum odæū est campus, bella tentorium, claustra sunt vallum, sacræ preces, & rhythmi decantati, tormēta bellica, tubæ prophetiam spirantes, classicum canunt, globoli orarij pilæ, miraculorum gloria, coruscationes: eorum voces prædicationem quasi æs intonantes. Non tam agricolarum vineæ, quam militum exercentes officium induunt pro thorace institiam, veritatis scutum assumunt, cucullis vt casside vtuntur, pro gladijs calamos stringunt, pro sagittis orationes ardentissimas, argumenta irrefragabilia, omnem scientiam, extollentem se aduersus scientiam Christi destruentes. Gentilium examina, hæreticorū agmina, inferni copias explodunt, Satanæ satellitium profligantes, disputando, scribendo, concionando, publicis priuatisque congressibus, velut Ciuitatem munitam, & murum æneum illorū furoribus se opponentes. Etiam hoc tempore, si palmites huius vineæ inspicias præclarissimi occurrūt viri sanctitate insignes, quos imitetur orbis. Ad illos enim attendendo sentit virtutum fragrātiam, quibus mirificè oblectatus currit in odorem vnguentorum sponsi. Pulchritudinem eorū-

dem

dem inſpiciens ſentit ex eorum vultu (vt olim ex Socratis facie) deſiderium virtutis excitari, ſentit doctrinæ eorũ influxu plures in animo ſuo, quàm cœli rore in cõchilijs margaritas generari, ſentit eorum luce deſideria ad cœlum aſſurgere, non ſecus ex ortu ſolis, ſtirpes, & germina aſcẽdere ſurſum excitantur. Non priſcos memoro, ſed vltimi centenarij nõnullos è multis deligo, & virtutis æmulatores, cum antiquis certantes, qui cum ſanctitatis opinione ſpiritũ Deo reddiderunt. Noſtri ergo ad has vineas pertinẽtes ſunt P. Fr. Ioannes Vrtado nobilis Salmaticenſis, qui Archiepiſcopatum Toletanum à Carolo V. oblatum lachrymis recuſauit vir miræ abſtinentiæ, & puritatis. P.F. Antonius Valentinus ſpiritu prophetico clarus. P. F. Bernardus Albuquerquer, qui ſenio confectus, infirmitatibus circundatus, meritis plenus, & operationum virtute conſummatus ad cœlũ migrauit. P. F Dominicus de Monte maior vitæ regularis promotor, qui ſitientes ſæpius in loco deſerto etiam iumenta, aqua diuinitus impetrata refocillauit, & martyrium pro reformatione ſuſtinuit, ad cuius ſepulchrum per multos annos clerus antiphonam, tanquam de martyre decãtabat, cuius veſtigia imitatus pro obſeruantia regulari P.F. Amator Eſpi glorioſè cum ipſo occubuit, & vtrorumq; nomina, tanquam ſanctorum à cœleſtibus choris decantari B. Ludouicus Beltrandus in ſpiritu raptus audiuiſſe teſtatus eſt. P. F. Franciſcus de Anguilar, qui cum Ferdinãdo Corteſio ad Inſulam Cubæ, ad Indos nauigauit, clara Euangelicę prædicationis tuba, qui cum in facie cæderetur à quodam Indo, vbi nõ eſt propriam vltus iniuriam, cœlum fulmine vindicauit percuſſorem cum equo abſumens. P.F. Dominicus Betanzos Inſulæ Hiſpaniolæ regenerator, primus Inquiſitor Mexicanus, cuius tota vita perpetuum extitit ieiunium, aſſidua oratio, indefeſſa prædicatio, ſpiritu prophetico clarus, qui, & imminens aquarum diluuium ciuitati Mexicanæ impendens oratione diſſipauit. A.1549.
P.F. Franciſcus Maioricẽſis in Guatemala religionis Dominicanæ fundator, virtutum actibus coruſcans, mortem ſibi diuinitus mortem prædici, quam imminere ſibi ſentiens ijs verbis. *Oculi mei ſemper ad Dominum, quia ipſe euellet de laqueo pedes meos*, ſpiritum Deo reddidit. A.1550.
P.F. Gonzales Lucerus in Mexicanam prouinciam deſtinatus, tãto erga Ieſum amore flagrabat, vt propterea communiter F. Gonzales de Ieſu appelleretur: tantæ exiſtimationis apud Indos, vt eius benedictionem infirmi multi exoptantes ſalutem impetrarent. Eodem tempore P.F. Benedictus Fernandez cum P.F. Dominico de S. Anna, fidei cultores apud Indos mira ſanctitate coruſcantes floruerunt, quorum mors pretioſa extitit in conſpectu Dei. A.1551.

Ex 4. p. Reuer. D. Io. Lopez & Alfonſo Fernãdez in concert. Prædic. & Michael Pio de viris illuſtribus Ord. Præd. & aliis.

A.1534. A.1540. A.1549.

Noſter P.F. Ioannes Micon B. Ludouici Beltrandi magiſter, & B. Franciſci Borgiæ confeſſarius, & in vita ſpirituali director, cum eſſet Dux Gandiæ, miræ ſanctitatis exemplar, quem & ipſi Mauritani admirati ſanctũ prædicabant, & priuato cultu vt ſanctum veneratus eſt idem B. Ludouicus Beltrandus. Eodẽ tempore F. Petrus Delgadus in Indijs Dei cooperator indefeſſus ſanctè vixit iuſtorum morte moriẽs, à populo, & religioſis ſui ordinis, & Sancti Franciſci, & S. Auguſtini decoratus, & honeſto loco tumulatus. In eius tumulo ſuper ſe ſepeliri poſtulauit Ioannes Lopes Epiſcopus Oaxac. *vt Sancti* (dicebat) *iſtius oſſa in die nouiſſimo reſurrectionis, mea cohoneſtent.* Eodem tempore Panormi P. F. Antonius Meliteńſis obijt, quem poſt mortem veluti orantem, & lætiſſimo vultu ſubridentem repererunt, ſignis multis in pheretro perpetratis.

Noſter

in Hungaria anno Domini millesimo trigesimo secundo, qui super bigam ligatus, & de altissimo monte præcipatus martyrio coronatus est. Venerat enim hic ad Summum Pontificem, vt malas à Saracenis, Christianis illata in Syria, & Palæstina propulsaret. Verum post tot calamitates hostiles vinea ista rursus florere cœpit hoc millesimo centesimo, Alberto Patriarcha Hierosolymitano, & Ioanne itidem Patriarcha leges renouante, & vtiliter augente, traductis inde in varias Europę Prouincias eius instituti viris. Quę demum regula ab Hugone Carensi Dominicano Cardinali S. Sabinæ mitigata, Apostolica auctoritate illis obseruāda tradita est in Apostolicæ Sedis tutelam, Innocētio IV. tam illustrem familiam recipiente atque probante.

In Bulla qua incipit. qui honorem.

Dicere libeat cum Basilio. *In hac solitudine dego, in qua Dominus versatus est, hic est quercus Mambre illa, hic ad cœlum ferens scala, hic Angelorum castra à Iacobo conspecta, hic solitudo in qua populus purificatus legem accepit, & sic in promißionis terra Deum vidit, hic mons Carmeli in quo Helias commorans Deo placuit,* libet etiam cum altero exclamare. (*O Carmelitarum religio, quam magna facta es in domo Domini, nunquid olim à modico fonte Helia Prophetæ principium habuisti? & ecce nunc in magnum fluuium creuisti: tu olim plātata in Eremo, nunc facta es Ciuitas plena populo: tu fundatorem habes adhuc in paradiso viuentem, & gloriosam Virginem Mariam Reginam cœli, Dominam mundi, in patronam singularem, sicut enim de te procedunt Sacerdotes, & Leuitæ, Doctores, & Euangelistæ, qui patres, & patroni omnium religionum facti sunt,*] ex te pariter etiam post solemnem confirmationem, & approbationem ordinis (vt innumeram beatorum seriem narrare omittam, Sanctorum albo ascripti procedunt. Sanctus Albertus, S. Angelus martyr. B. quoque Andreas Fesulanus Episcopus propediem canonizandus expectatur. Superuacui plures in re liquida testes.

Epist. ad Chironem.

Philip. Hieropol. Abb. apud Paleonid. l. 2. c. 1. anti. Ord. Carm.

His annumerant sanctos illos viros, de quibus in Carmelitana religione diuinum recitatur officium, vt Eliam, & Elisæum Prophetas, Dionysium PP. & martyrem, Petrum, & Gerardum Patriarchas, & martyres, Anastasium martyrem, Cyrillum, Serapionem, Spiridionem, Albertum Episcopum, Bertoldum, Simonem, Brocardum Generales, Auertanum confessorem, Eufrasiam & Eufrosinam virgines. Inter Beatos recensent Petrum Cesis, Ioannem Soreth, Antonium de Hungaria, Adolium Tarsensem, Elisabeth Reginam, Franciscam filiam Ducis Britanniæ, & quis singulos recensere valeat?

Franc. Vestius de orig. Carmel. p. 3.

Non desunt in illa vinea botri. martyres enim innumeri enumerantur occisi ab Armar Rege Arabum anno 636. in Palæstina: notissimi vero, & famigerati martyres recensentur Elpidius, Elenus, Eusebius, Eutropiui Episcopi, Theodorus, Aloysius, Stanislaus, Lupus, Ioannes, Gerardus, Antiochus.

Morigia Tapia Thrithemius Carthagena villega.

Inter Romanos Pontifices recensent nonnulli Dionysium Papam, & martyrē, & Benedictum XII. at historici consulendi, nec enim historiam atteximus.

Cardinea vero, & Episcopali dignitate fulgentes multos recenset Carolus Tapia Regens supremi Consilij, vir doctissimus, & religiosissimus lib. de relig. & alij scriptores: ad eosdem lectorem remittimus.

Hæc omnia gloriam Carmeli satis superque ostendunt, insultus Vvicleph, & moderni hæretici Poliandri Caluinistæ, calumnias, & cachinnos non curando.

Lege Vuald. t. 3. tit. 9. Anastasium Cochletium contra Poliandrum ca. 14.

CAPVT XVI.

De alijs vineis mendicantium, Seruorum B. Virginis de Mercede S. Francisci de Paula.

POst hos quatuor ordines, veluti quatuor cardines terræ, & quatuor paradisi flumina, & quatuor genera equorum quos vidit Zacharias, rufos, nigros, albos varios, & fortes, quibus vehitur quadriga Domini, alij ordines plantati sunt, qui priuilegijs mendicantium fruuntur, talis est B. Mariæ seruorum religio instituta, per septem illos nobiles cœlesti voce admonitos, qui in propinquo Monte propè Florentiam latitantes ipsamet eorum sanctitatis luce se prodente, mundo se manifestarunt, multos in eorum societatem aggregarunt in eam, quam videmus magnitudinem excrescens tanto Reipublicæ Christianæ splendore. Qui eam vineam illustrarunt sanctitate, & miraculis supra triginta tres numerantur. In primis ille Philippus enitet, qui cum de eius electione ad Summum Pontificatum tractaretur de se humillimè sentiens, fuga ab onere illo etiam angelicis humeris formidando se liberauit. Emicant quoque Iacobus, Ioachimus, Franciscus Senensis sanctimonia cōspicui. Sed & quinque S.R.E. Cardinales, Episcopi, & Archiepiscopi supra triginta, vniuersalem vineam hoc est, Catholicam Ecclesiam custodierunt. Prædicatores, & scriptores innumeri pariter dederunt odorem suum, Christi bonus odor facti in omni loco.

Longe quoque lateque suum odorem effudit redemptionis captiuorū familia à S. Raymundo ordinis Prædicatorum generali Magistro, Petro Nolasco, & Rege Arágonum Iacobo ad captiuorum miserias subleuandas, in eminenti erga proximum charitatis monte plantata.

Institutum Minimorum consequitur, quorum nomen cum vita, & moribus ex insigni humilitate concordat S. Francisco Paulano nouo Thaumaturgo auctore, perpetuo ciborum delectu quarto voto præ cæteris religionibus suos deuinciente, vt hoc quoque sit insigne miraculum quod carni, & sanguini repugnans abstinentia à cibis aliàs licitis, illicitis tamen ex voti ratione, per Italiam, Hispaniam maximè per Galliam, ita percrebuit adeoque in viridi obseruantia etiam nunc efferuescat, vt meritò Anachoretis, & Cœnobitis adæquetur. Superuacaneum sigillatim de singulis disserere: nam omnium religionum istarum, tam est excellens fastigium sanctitatis, vt cui non spontè mirandum, & honorandum videtur, oratione nostra videri qui potest: plura inferius, cum quoque nostro tempore florentes has omnes vineas ostendemus.

CAPVT XVII.

De nouissimis vineis Clericorum Regularium (qui & Theatini) & Patrum Societatis Iesu, *priuilegia Mendicantium Ordinum participantium.*

CLaudat, & has vineas Monasticas innouata Clericorum Regularium religio, quæ olim sub ipsis Apostolorum temporibus, Alexandriæ maximè Marco institutore florebat, & per multa secula continuata fructus vberes produxit. Ipsa, est patrum Theatinorum Congregatio, eo tempore cœlitus immissa, vt hominum mores ad meliorem frugem essent informandi: ea ætate instituti cum grassantes hæreses Lutheranæ, Ecclesiasticorum non probè viuentium vitam dilacerabant atq; carpebant. Huius vineæ cultores extiterunt anno 1524. Ioannes Petrus Carrafa, ad Summum Pontificatum euectus, & B. Caietanus Thienensis, Bonifacius à Colle, Paulus Consiliarius tanta virtute præditi, vt breui temporis spatio humanas mentes vir-

virtutibus imbuerint, & ad cœlestem militiam accenturiati non leue bellum inferis attulerint. Hos patres tanquam arietes gregis Clericorum Theatinorum imitati, deinceps Clericalium sodalitatum conditores, ille insignis S. Ignatius Loiola, cui cùm arctissima esset cum B. Thianeo consuetudo (vt quidam scribunt, de qua re aliorum esto iudicium) ab eodem in Clericorum vineam tanquam operarium Christi postulasset adscribi (adeo pulcher, & speciosus erat religionis huius splendor, vt hæc Aquila in tanti syderis lumen obtutus defixerit) diuinitus illi ad operam eam interdictus ingressus: quippe, qui cognouerat Ignatium vineæ vastissimæ, & fœcundissimæ Societatis Iesu fore conditorem. Sed quicquid sit de hac historia, quæ nexum charitatis potius, quàm dissensionis fomitem ex mutua beneuolentia sanctorum virorum demonstraret: certum est, quod hæc illustrissima Societas per S. Ignatium instituta, & auctoritate Sedis Apostolicæ approbata est, & à Pio V. multis encomijs celebrata, & specialibus ditata fauoribus, quæ quantum profecerit, ac proficiat, reportati fructus ex gentilium conuersione, hæresum confutatione, vitiorum extirpatione, iuuentutis educatione, librorum compositione, satis ostendunt. Et inferius suo loco ostendemus, cùm vtriusque huius vineæ encomia, & laudes, ad maiorem Dei gloriam, Catholicæ Ecclesiæ decorem, & fidelium ædificationem, pro nostra tenuitate prosequemur.

And. Mol. in summa tract. 8. c. 9. n. 101. & 102.

CAPVT XVIII.

Quomodo vinea aliquot florentes ob bellorum incursus, pestilentiam &c. alicubi, & in aliquibus iacturam passa sunt.

SEd temporum decursu, hominum fragilitate, persequentium incursu, schismatibus præualentibus, Monarchiarum mutationibus, pestilentijs grassantibus, bellis tam intestinis, quàm exteris omnia conglomerantibus feruor monasticæ disciplinæ remissus est. Pateor. *Sed hic grex dispersus atque disiectus, quem leones expulerunt, aut tempestas dissoluit, aut caligo dissipauit, præcedentium inquam calamitatum, non propter impietatem in Deum, cuius fidem propugnabamus, sed ꝑpter alia scelera nostra; & quia non vt mandatis tuis dignum erat vitæ rationem instituimus.* Vnde interdum alicubi apud quosdam visa est seges, *omnino nec horreis, nec area fortasse, nec falce digna, nec etiam aceruis, nec manipulis, aut certè parui, & immaturi, & quales sunt tectorum, nec messoris manus implentes, nec eos, qui illac iter faciunt, benedictionibus allicietes. Talis seges nostra erat tantilla messis, magna illa quidem, & pinguis apud eum, qui absconditа intuetur, taliq; agricola digna, quam animarum recta doctrina excultarũ valles multiplicat: cæterum rationem habens, vt in vulgus minimè nota esset, nec in vnum cogeretur, sed paulatim colligeretur, non secus ac stipula in messe, & racemulus in vindemia, cum nullus est botrus: quia illa quoque, & quidem admodum tempestinè mihi videor adiecturus vt ficũ prmaturã in deserto Israele vidi, & vt acinum vnum, aut alterum maturũ in immaturo botro benedictionis causa seruatum, ac primitiis consecratum; adhuc tamen paruum, & rarum, nec os comedentis implentem, atq; etiam, vt significrum lignum in colle, & malum nauis in monte, aut si aliquid est singulare, nec multis conspicuum. At ex quo tempore Deus, qui pauperem facit, & ditat, qui mortificat, & viuificat, qui sola voluntate omnia facit, atq; immutat, qui ex nocte diem facit, ex hyeme ver, & tempestate tranquillitatem,* reddita pace Ecclesię, turbinibus calamitatum depulsis, reparatoribus disciplinæ regularis ministeriũ diuinum instaurantibus, denuò suscitatis, ad pristinum restitutæ sunt decorem vineæ sponsi, & *cum ex rebus perditis, & de-*

Naz. oratione ad 150. Episc.

& deploratis iter secundũ aperire voluit, tũc rursus parua illa propago, vinea lata pampinisque luxurians efficitur, in eamq; magnitudinem excrescet, vt & fluuios sub se premat, & vsque ad mare extendatur, & à montibus ad montes porrigatur, ac dilatetur, & gloria sublimitate montes operiat, & cedros magnitudine exuperet, & quidem cedros Dei, quicunque tandem montes illi, & quæcunque cedri existimandæ sunt. Clarius quod diximus ex Nazianzeno, cum S. Antonino remissionem aliquorum claustralium gemente, sed eorumdem restaurationem, germinationemque postea decantãte, explicemus. vbi enim de monachalibus & regularibus religionibus dixisset, quod multi minima negligentes traditionũ paternarum, in processu temporis paulatim defluxerunt, mox canit, *sed miseratione diuina à septuaginta annis citra pullulantes refloruerunt, in paucis* se reformantes *ad vitam regularem, Deo conuertente corda patrum in filios parare Domino plebem perfectam, merito, & numero multiplicatos, & flores apparuerũt in terra nostra Florentina.* Quod fusè prosequitur, ostendendo prius deformationẽ in aliquib. personis, mox reformationem, ordinũ videlicet Canonicorum Regularium, monachorum S. Augustini, Cisterciensium, Cluniacensium, Camaldulẽsium (exceptis paucis in Eremo reclusis) Vallis Vmbrosæ, & tandem Mendicantium ordinũ. Nec germinationem idem sanctus à dissipatione separauit, nec solam nigredinem recensuit, sed & ad vetustatem attendit, nec suum ordinem Prædicatorem, à communi orbis relaxatione seiunxit, sed cum cæteris adiunxit; scandalorum rursus, nõ meminit, quinimo ex rediuiuis reformationis pampinis, directè ostendit feruorem charitatis, reaccensum operuisse multitudinem peccatorum. *Talis quidem hic grex erat*, vt idem subiunxit Nazianzen. *Talisque in præsentia, tamque succulentus, lateque se porrigens, ac si nondum perfectionem assecutus, ad eam tamen quotidianis incrementis progrediens, atque etiam, vt auguror, progressurus.* Hæc ille, vt ex Dei benignitate post vindemiam tot calamitatum racematio adhuc sit superstes, & frondibus adhuc redimantur tempora nostra, recentissimis, vt quondam ramosissimis laureis portæ nostræ antiquæ præstruebantur, & ornabantur.

p. 3 tit. 16. c. 23 § 2. (margin)

Suprà. (margin)

CAPVT XIX.

Quomodo mirabiliter hyemis persecutione cessante, refloruerunt, & adhuc reflorent ex Dei gratia sacri ordines, & ostenditur in priscis illis vineis Anton. Basilij, Augustini fundatoris vtriusque vineæ Canonicorum, & Eremitarum.

NOn ergo vetera amplius commemoremus, sed præsentium temporum rationem attendamus: quantum enim attinet ad vineas Antonianas, & Basilianas, quid Petrus Maturus Societatis Iesu presbyter in illarum laudem descripserit audiamus.

In notis ad S. Antoninum par. 2 c. 12. tit. 15 §. vlt. (margin)

[*Quamuis Oriente toto cum religione Christi religiosæ vitæ institutum diminutũ valdè debilitatumq; sit; non tamẽ, Dei sic prouidente in medijs etiam tyrannorũ gladijs planè concidit: nam vt omittam Franciscanos, Dominicanosq; ex nostro occidente, illuc quasi in Coloniam deductos, qui aliquot in regionibus subditis ditioni, & Turcarum tyrannidi, habent monasteria, Græcorum monachorum ordinis B. Basilij, qui tributi nomine Turcorũ tyrãno quotãnis ex vinctis, & oliuetis suis pendũt sex millia Turcicorũ obolorum.*

Abdisù quoque Christianorum Orientalium maximus Patriarcha qui ann. Ch. 1562 8 Martij S.R.E. fidem professus est, & Tridentinæ Synodo fidei suæ testimonium misit, quod in eadem sess. 22 recitatum. in gestis ipsius Cõcilij habetur, monachus fuit instituti D. Antonij in monasterio SS. Rochæ, & Ioãnis pfessus, vt ipse testatur in sua fidei pfessione, quæ extat apud Onuph. in vita Pij IV. & Sur. in Cõment. rer. gest. & in Bibliotheca Patrum,

Patrum, & nos alibi eius meminimus. Vidimus etiam nostris oculis in Gallia virum venerabilem monachorum D. Basilij Sinam montem habitātium Archimandritam. Plura etiam de his referunt, qui Venetijs, vel Maßiliæ versati sunt, vbi illi qui ex Oriente in Occidentem religionis ergo veniunt, appellere sæpius consueuerunt. Plura denique de ipsis scripserunt, qui rerum orientalium statum, Hierosolymitanæq; peregrinationis iter scriptis mandauerunt: quæ ideo annotare visum est, vt quanta sit Dei prouidentia in sacrarum religionum cōseruatione quilibet posset animaduertere. Quod si Gamalielis Consilium verum est, quod habetur Actor. 5. his verbis: Si ex hominibus est consilium hoc, aut opus, dissoluetur, si vero ex Deo est, non poteritis dissoluere, *quis non videt sacrarum religionum institutum, quod nulla temporis longinquitas, nulla morum corruptela, nulla bellorum incendia, nullæ tyrannorum cruces, & nullæ Græcorum schismaticorum peruersitates dissoluere potuerunt, non hominum consilio inuentum, sed Dei impulsu, & inspiratione in hominum animis primò insitum, & propagatum, & per tot sæcula sub varijs habitus formis conseruatum semper fuisse? vt inde discant Hæretici, quàm irriti, vanique conatus illorum Christo semper sese illis opponente futuri sunt: qui cum sacras hominum religiones de medio tollere tentauerint, tantum abest, vt ipsi id poßint præstare, quod Mahumetana perfidia longe potentioribus viribus nixa, in ipso suo lato sanè, (proh dolor) & patente regno non præstitit, vt ante suos oculos religionem vnam, suis ipsorum temporibus institutam (Deo Ecclesiæ suæ sacrosanctæ singulari sua benignitate, ita prospiciente) florentißimam videant, quæ sicut hactenus, quātum ei diuina gratia concesßit funestißimis eorum consilijs sese opposuit, eosque de locis multis in quos illorum doctrina pestilentißima irrepserat, deiecit: sic deinceps Christo armata, Christo fidens, Christum ducem sequens, eos vbique terrarum persequetur, & si peccata hominum nequaquam præpediunt, vbique debellabit, vt Christus Iesus omnium religionum Princeps, & Rector, ipsiusq; Vicarius Pontifex Romanus agnoscatur, celebretur, adoretur ad gloriam Dei Patris omnipotentis*] Hæc ille.

Act. 5.

Floret adhuc institutum Basilianæ religionis, in Hispanijs, & in Italia, Messanæ, Cryptæ Ferratæ, Neapoli quoque in Ecclesia S. Agrippino dicata, amantissimè enim nuper Neapolitana Vrbs illos excepit, quos ab anno 361. (quinquennio post institutionem in collectionem à Basilio factam) per multa sæcula aluerat, & educarat, in monasterijs olim SS. Nicandri, & Martiani, sancti Demetrij in regione Albina, sancti Gaudiosi, S. Spiritus, (quantum attinet ad viros) & (quantum attinet ad sanctimoniales) in Ecclesia sancti Gregorij Episcopi Armeni, sanctæ Mariæ de Anguone, S. Marcellini, quos omnes Cœnobitas, & Sanctimoniales D. Basilij regulas professos testantur auctores graues.

Augustini verò vinea quam floreat videamus: si enim ad Canonicos Regulares oculos vertas, maxima eorum pars adhuc sub eiusdem sancti regulis perseuerans, boni sunt cooperatores multiformis gratiæ Dei, in fide præclari in spe eminentes, in charitate feruentes, iustitia insignes, prudentia solertes, temperantia compositi, fortitudine præclari, nec mortem pro Christo oppetere formidantes, & vt dicebat de antiquis Monachis Augustinus dicamus, & nos de eiusdem filijs. *In communem vitam castißimam, sanctißimamq; congregati simul ætatem agunt, viuentes in orationibus, in lectionibus, in disputationibus; nulla superbia tumidi, nulla peruicacia turbulenti, nulla inuidentia liuidi, sed modesti, verecundi, pacati, concordißimam vitam, & intentißimam in Deum, gratißimum munus ipsi offerunt, à quo ista posse meruerunt.* Non opus est plura de re notissima dicere. Satis est recensere è multis pau-

Fran. Antonius. Purpur. in resp. n°. causa præcedentia Basilianorum cum Cassinensibus.

Li. de morib. Eccl. Cath.

paucos, qui nostro seculo cum sanctitatis opinione discesserunt.

Eminet B. Blasius patria Vincentinus beatitudinis honore omnium voce cultus, vt dicit Carolus Episcopus Nouariensis in descript. Eccl. lib. 1. c. 30. Eminet Andreas Nouariensis, cum sanctitatis odore plenus bonis operibus Nouariæ diem clausit extremum. Eminent Petrus Lucensis, & Seraphinus Firmanus, doctrina, & charitate illustres, vt ex eorum opusculis deuotionis feruor dignosci possit.

Nostris quoque diebus, vt dicit P. Gabriel Pennotus lib. 3. Hist. Lat. c. 51. Albertus de Altissimis, virtutibus clarus, magna sanctitatis opinione felicissimam animam suam creatori reddidit.

Non desunt noui martyres horti vineæ. Ioannes Osterwica qui sibi potius vitam præcidi passus est, quam fidem, quæ ex auditu est abnegarat, qui etiam negaret, qui etiam glande sulphurea ictus ad cœlestem vitam transuolauit. Similiter Theodorus Gandauensis, Cornelius Eschouianus, Gaspar Flander, Iacobus Gandauensis crudeli mortis genere in Belgio anno 1572. occubuerunt, perennis vitæ fontem ob hunc calicem passionis in æternum degustantes, vide nostrum Fr. Alphonsum Fernandez in Hist. Eccl. horum temporum c. 41. lib. 3. Si verò Eremitanos hoc tempore inspicias, habes pariter quid imiteris, quid admireris, cum infra de ijs sermo reassumetur, & de Mendicantium ordinum reflorition dicetur.

CAPVT XX.

Quàm floreat nostris temporibus vinea S. Benedicti, à columba deplorata, & quos fructus afferat luculenter ostenditur.

BEnedicti verò vinea, quàm florida, & quos fructus vberes modò etiam parturiat inspiciamus. Vsque hanc diem præcipuè contemplationi dedita, & orationi statas horas in psallendo peculiari religione seruat, vt antiquos Patres Cœnobitas adamussim æmuletur. Ad insigne Cassinense Cœnobium conuola, ad Montisferrati famosissimum Benedictinorum illustre Monasterium propera. Hic media nocte assurgũt omnes incessanter ad cõfitendum altissimo in matutinis, meditantes, & dicentes: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi,* considerantes ex Chrysologo quod *hoc tempus est deuotum, & iuge pernoctantis demonstrat officium.* Ser. 39. Meminerunt, vt dicit Hilar. *Hoc esse tempus, quo primitiua Ægyptiorum meritissimæ obstinationis clade percussa sunt. His ergo horis non laxantur in somnum, ne gladio Ægypti admisceantur: hoc noctis tempore introeunte sponso sapientes Virgines in nuptias cum lampadibus introibant. Vigilant ergo, ne cum stultis videantur excludi: hoc tempore psallentibus Paulo, & Syla Apostolis, catenæ, & vincula resoluuntur: non dormiunt itaque ne vincti sint, nec habet eos nocturni temporis somnus.* In Ps. 118.

Rursus vt verbis Chrysostomi vtar: *Hæc orbis terrarum lumina quando Sol oritur, quin potius multo ante auroram,* (ad primam) *ex lectulo surgentes incolumes, & solertes, & sobrij (nec enim vlla tristitia vel solicitudo, non capitis grauedo, negotiorumve labores, non turba, vel huiusmodi quicquam aliud eos disturbat, sed tanquam Angeli degunt in cœlo.) Surgentes itaque statim ex cubili hilares, & læti, chorumque constituentes in alacri conscientia, consonanter omnes tanquam ex vno ore hymnos omnium Deo concinunt.* Cum verò dissoluerint, *hic quidem Isaiam sumens, cum illo loquitur, hic autem cum Apostolis conuersatur, alius ab alio elaborata percurrit, & de hoc vniuerso philosophatur de Deo, de visibilibus, de intelligentibus, de vitæ præsentis vtilitate, de futurorum beatitudine.* Homilia 56. ad pop. Rursus ad tertiam, & synaxim conuenientes,

tes. Seipsos quoq; cum sacrificio incruêto, & corda ipsorũ mactãt inuisibili cõtritionis gladio, & oblatione acceptabili, mox ad refectionem conuenientes, tantum cibi assumunt, quãtum satis iudicant, qui mortem arceat, non qui delitias ministret, *optimo cibo pascuntur non brutorum carnales elixatas habentes, sed eloquia Dei dulciora super mel, & fauum.*

Ex cod. Chrys. ibi Non sectantur, vt idem dicit: *Ex delitijs concupiscentias, ex lixis, & coquis, ex pincernis pulmentarijs, confundor quidem omnia dicere, veruntamen dicam phasianas aues, fercula affluenter mixta, humidos, & aridos cibos, leges super his positas, &c.* *Ib. hom. 57* *Sed nihil huiusmodi penes angelos illos, verum & omnes hæ concupiscentiæ sunt mortuæ, non enim ad saturitatem, & delitias, sed ad necessitatem eis nutrimentum.* Aptatur quoque quod idem scripsit.

Post gratiarum actionem de datis, & de maioribus supplicant, neque circa secularia morantur, sed super cœlos ascendunt, collationes Patrum volutantes de Deo, vel cum Deo miscentes colloquia: rursus ad horam orationis nonam, spiritum renouantes, & colligentes: vespertinis precibus & completorio pensum horarum, septem Canonicorum cantando claudentes.

Ibid. Demum, *repleti compunctione, & feruentibus lacbrymis, sic ad somnum se conferunt, tantum dormientes vt parum requiescãt, & rursum noctes dies faciunt in gratiarum actionibus, & hymnodijs degentes.* Hæc Chrys.

Nec solum orationibus, sed, & ieiunijs insistunt continuis præter ordinariã mensam verius ieiunium, *nam eorum mensa ieiunium est* similiter & humi stratis cubilibus, vigilijs, & sacco, & innumeris semetipsos modis domantes animam ad contemplationem reddunt promptiorem, ad quam omnia referunt, vigilias, ieiunia: nec solum, quasi columbæ ad fenestras suas cœlestia meditantur, sed, & scripturarum meditationem in scriptis signantes, fauos etiam industriosæ apis instar ad gustandum cœlestem dulcedinem, artificiose (vt patet ex librorum mole immensa) nobis componunt, & corda fidelium imbribus irrigant cœlestibus, vt possint proferre immarcessibilem operum fructum: vnde passim videas in Benedicti vineis fidei excellentia plenos, deuotione summos, in sermone potentes, in opere efficaces, in exercitatione monasticæ disciplinæ instructos, in sancta meditatione assiduos, peccata populorum plangentes, multis adhuc signis coruscantes.

Sed ne istorum contemplationem otium quis putet, vel vacationem à curis secularibus, desidiam, sciat in prælijs spiritualibus, absque corporis præsentia mira posse præstari, quãdo contemplante Moyse, & extollente manus suas Amalechitæ corruebant.

Sed ne dum hæc vinea florens dedit odorem suum, verùm suos quoque (ne quid illi desit) martyres hoc infausto seculo pręmisit ad regnum: *ficus enim protulit grossos suos*: nam vt modo Martyres in Gallia, & Cœnobia Benedicti solo æquata breuiter percurram, satis notum est quod contigit Idibus Ianuar. Anno 1568. quem diem Rupellæ defectio toti Galliæ infaustum reddit cum Hugonotismus per diuersas muri partes irrupit, Cœnobij Diui Michaelis sanguinem Cœnobitarum crudeli strage, cum domesticorum, & rusticorum sanguine coniungens: sic stolas lauerunt in sanguine Agni, quibus nulla alia mortis causa fuit, quàm quod nec adulteram pro sponsa, nec semen Chanaam pro semine Iuda, nec Absalonem, vel Ieroboam, aut Iezabelem pro legitimo principe cognoscere voluerunt. *Lege Bil. in epist. Nũcupat. in Nat.*

Ante non multos annos quando Anglia fidem cum humanitate exuit, sex

Abba-

Abbates Benedicti Fontanen. Geruientis, Riuerius, Barlinghensis, Saulienſis, Vuhalienſis, cum alijs multis monachis 1536. propter fidei Catholicæ defenſionem occiſi: Alij etiam Abbates, videlicet, Richardus, Vitingus Glaſconiæ, Hugo Feringdonus Redingi, & Ioannes Becus Colceſtrenſis 1539. glorioſa voce fidem Catholicam profitentes, & ipſi quoque martyrio coronati. Ioannes Feknamus Abbas Vueſt Monaſterienſis cum multis ſui ſodalitij monachis teterrimo carceri mancipatus poſt carceres, Londini in Caſtro Tubicenſi conſtanter tolleratos 26. annorum ſpacio, anno 1585. teſtimonium fidei reddens feliciter obdormiuit in Domino. Nicolaus verò Monachus eiuſdem inſtituti in Gallia præciſionem linguæ vltra dimidium paſſus, Salisburgi viſus eſt, & auditus magnalia Dei eleganter ſatis, ac diſertè eloqui, ac hæreticorum barbariem feritatemque declarare ex Ioanne Baptiſta Fiklero in Theolog. viridar. de Sanctorum martyrio.

Sáder. de ſchi. Angl. li. 1. p. 177. & 197. impreſſ. Ro.

Sayrus in præf. Theſauri, & alii.

Multi autem Cœnobitæ, licet perſecutionem non experti ſint, vel gladium; tamen per vitæ meritum martyrio non priuantur. Mauſolea non ſufficerent, ſi quotquot cum opinionis ſanctitate temporibus noſtris diſceſſerunt, ſeparatim condere voluiſſent: gaudentque potius, quod horum nomina deſcribantur in cœlis, quam quod ſcripturis, & monumentis diuulgentur in terris.

CAPVT XXI.

Idem demonſtratur in Camalduenſibus.

IAm verò ſi mentis oculos intendas, ac circumſpicias quorundam aliorum religioſorum cœtus, quantæ ſint ſanctitatis, neceſſe eſt in maximam rapiaris admirationem. Nam qui quæſo Camalduenſes, qui à terrenis omnibus extorres, in ſolos receſſus intimè ſe abdiderunt, ſilentij leges arctiſſimas ſibi coniunxerunt: vt in diuinis toti eſſent, & effugerent humanos obtutus, cœlo ſe inſererent, nullius humani ſermonis ſtrepitu interturbarentur, eloquijs ſolummodo diuinis intenti.

Bozius de ſignis Eccleſ. lib. 9. ſigno 35. cap. 5.

Iſti ſunt (vt ſcripſit oculatus quidam teſtis, Eremi Camalduenſis deſcriptor) [*Zelo religionis Chriſtianæ accenſi, omnia ſua facta dictaque ad metam vnam, Deum puta ipſum ſummum, ſuique diffuſiuum bonum dirigunt. Iſti ſunt veri Chriſticolæ: ſine dolo columbina ſimplicitate cum ſerpentina prudentia imbuti, profundiſſima humilitatis viri, ſeque tanquam omnium abiectiſſimos reputantes: nam qui maior inter eoſdem, minimum ſe exiſtimat omnium, nulla inter eos inæqualitatis diſcordiave ratio regnat. Erga alios humani valde atque vrbani, inſignes charitatis amatores, in dictis veraces, corde mundi ſpiritu pari, conſcientia recti, morum vitaque diſciplina inclyti: in inceſſu greſſuve graues, in loquela cauti, inter eos ſubmiſſæ, ac raræ voces, in aſpiciendo, oculorum euolutione ſeuera remiſſi, in victu parciſſimi, in dormitione temperati, ac in veſtitu candidi, puritatem mentis & corporis denotante. In cæteris denique humanis geſtibus, & actibus mundiſſimi, ac circumſpectiſſimi, medium, quod ſanè tenuere beati, in omnibus complectentes: in loco excelſo conſtituti, vt qui alijs prædominantur in virtutibus, excedant etiam, & ab eis quique religionis ſtatus viuendi normam perdiſcat. Perfecti Eremi operarij, verique Anachoretæ. Nam ſi vnus cadit, mutua inter ſe Charitate ſubleuatur, eique in ſpiritualibus pariter, & corporis refectionibus ſubuenitur. Sunt item velut vrbs alma ſupra montem collocata, quæ obſcurari minimè poteſt: quorum ſancta & præclara geſta vniuerſo notiſſima ſunt Orbi: in quibus tanquam in cryſtallino ſpeculo Chriſtianæ oẽs actiones relucẽt, habentes ſemper in manibus lãpades aſſiduè lucentes, S. videlicet ſcripturam, cuius pia ac frequens lectio animas interno fulgore ſplẽdentes,*

And. Mugno. in deſcript. Ere. Cam. c. 13.

in tranquilla pace, animi quiete, concordia, atque vnanimi mente, ita conseruat, vt omnium sit cor vnum, & anima vna, idemque vnum velle, ac nolle.]

Sed (vt idem dicit descriptor sacri Eremi) inter alia pietatis opera, quæ Eremitæ omnes quotquot in Eremo sunt faciunt, [*assiduus est ad templum Domini concursus. Videbis nempe illos omni studio, ac solicitudine die noctuque offerendis Deo summo hymnis, & laudibus, cum caremonijs sanctissimis, posthabitis vndequaque cadentibus imbribus, descensu niuium, ventorum sæuitia, ac vehementi frigore, septies (instar Prophetæ) ad commemoratum Templum singulis anni diebus, sub dio confluere, ibique cõuenire Ibi variæ orationes interno peccatorum dolore cum gemitibus, lachrymosis oculis, suspirijs atque singultibus, ex intimis exeuntibus præcordiis frequentantur.*] Modum autem canendi describens subdit [*senties namque, (& vtroque sibi alternatim respondente Choro) resonantem quendam inter psallendum, ac penè diuinum concentum voces scilicet quasdam sonoras, planas, mediocres, æquales, atque deuotas, vnicam ceu proferens vocem planctum potius quàm cantum sapientes. Tale vtique Eremi incola munus legendi, non autẽ canendi esse debet.*] O Turturis gemitus, nubes penetrantes, scandala grauia, & multiplicia, hic recenseri nõ possunt, vnde absunt [*diuisiones omnes, seditiones, conciliabula, loquacitas, irrisiones, susurrationes, vaniloquia, & mendacium, simulationes ac subordinationes, murmurationes, detractiones, odia, ac humanæ omnes abiectaq; affectiones: ventris ingluuies, crapula, otiositas, & somnolentia, inanis gloria, ambitus honoris, ac diuitiarum desideria, elationes, petulantia, æmulationes, ac hypocrisis, simulata species, profana consuetudines, munuscula, curiositas, corporea mollities, & alia id genus quæ longũ esset recensere: quæ omnia aliena admodum valdeq; absurda Eremi incolis sunt, Eremoq; ipsi repugnantia, indigna, & magnopere dissona: nequaquam enim talia patitur, neque permittit, quin potius huiusmodi contagioso languore infectos tanquam morbosos, & abortiuos fœtus expuit: ac veluti mere cadauera certissime refutat. O sacra Camalduensis Eremorum Eremus, sexcentis propemodum annis à sua primæua erectione ad hac vsque tẽpora mirabili immutatione frugiferæ vitæ, incredibili incremento, ac diuino suffragio laudabiliter perdurans: orationis, meditationis, atque contemplationis fulgentissima officina: Paradisus terrestris cœlestem sapiens: hortus cõclusus supernum redolens. O sacrarium sacrum omni laude dignũ.*] Huius sacræ vineæ recensentur inter cæteros Samuel, & Syluester, tãquam Eremi lumina, à quibus cæteri Eremitæ vitæ sanctæ splendorẽ sunt mutuati. Similiter, & Ambrosius Mõcada, illustris genere, sed virtutibus splendidior, cum Ioanne Baptista Nouariensi, tanquam scintillæ in arundineto discurrẽtes inuisuntur, ad cœlos animo euolantes. Est ibi quidam Marcus Senior Eremitarũ constitutionum, & obseruantiarum, per quinquaginta annos tenacissimus custos, obseruantiæ regularis speculum, & exemplar. Sunt ibi, qui vltra abstinẽtias præscriptas, & ieiunia diuturna (vt è mensibus anni duodecim numero nouẽ integris mensibus ieiunent, & singulis sextis ferijs, & ter in hebdomada Aduentus, & Quadragesimæ nudo solo, nudatis pedibus sedentes, tantùm, & aqua contenti) plures alios dies iuxta feruorẽ spiritus addunt, vt de priscis notauit Naz. *Dimidia ex parte Christi ieiuniũ imitãtur.* Alij quoq; vt scripsit etiam de suo tempore idem Nazian. *Qui annos integros in templo stantes, puras ad Deum manus expanderint, nec quod vir cuique fidem facturum sit, vel tantillum obdormierint, sed viui lapidis instar* CHRISTO *defixi steterint, ac velut obriguerint.*

Ex eodem.

Sunt, qui reclusi vocantur, videlicet illi vt scripsit Nazianzen. *qui ferarum ritu paruis angustisque domibus inclusi, ne mortalis cuius-*

cuiusque vultum inspiciant. Inter hos Cornelius quidam recensetur qui natus annos septuaginta, viginti annis, & vltra, inclusus vitam peregit sub perpetuo silentio, ac vitæ præcipuo fulgore, angelicam vitam transigens sub pelle mortali. compendio dicam. Nihil magis horti Eden imo & cœlestis Paradisi expressius gerit imaginem, quàm Camalduensium congregatio, & conuersatio, ad soli Deo vacandum, & gustandum, quàm suauis sit Dominus, efformata.

CAPVT XII.

Flores, & fructus Carthusiensium nostro quoque tempore recensentur.

CArthusienses verò etiam nostris temporibus, vt scripsit quoque de antiquis Nazianz. *A mundi consortio distracti, ac solitudinem amplectentes, Deo viuunt magis, quàm ceteri omnes, qui in corporibus versantur, & sui ipsorum tantum ex Dei colloquio fruentes, atque hanc duntaxat partem pro mundo habētes, quam in solitudine cognoscunt.* Quid plura. *A domibus abhorrent, vrbium frequentiam fugiunt, cognatamque cœlestis sapientiæ quietem amplectuntur: partim vt vitium vna cum corpore configant, silentium peculiariter sibi vendicant, & garrulam linguam, quasi vinculis quibusdam astringunt, labiaque silentio comprimunt*; illud semper vsurpantes; *Dixi custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea.* Ab esu carnium tāta abstinentia, vt nec illis ex religionis virtute, nec infirmum corpus fas sit instaurare. Ieiunijs verò addicti, veterum illorum patrum ieiunia imitantur.

Oratione in laudem Athanas. Ad Hellenium.

Psal. 38.

Certè si angelicos patres etiam his temporibus videas, vt de veteribus scripsit Nazianz. videbis eos *humiles, & terrenos, & supra terrena: hos inter homines versantes, & rebus humanis superiores: hos vinculis perpetuæ clausuræ pressos, & liberos, qui retenti sunt, & teneri non possunt: quorum nihil in mundo, & quorum omnia mundo superiora sunt: & quorum duplex vita est, altera contemplatiua, altera studiosè culta & expedita: hos inquā propter mortificationem immortales, propter solutionem Deo coniunctos, ab amore alienos, & diuino libidineq; vacuo amore correptos: quorum fons lucis, & quorum iam radij splendorisque traiectiones: quorum angelicus psalmorum cantus, & pernox statio, & mentis ad Deum excessio, ante mortem in cœlum se rapientes: quorum purgatio, & tamen purgantur, quippe nullum ascensus, & deificationis modum sibi constituentes: quorum rupes, & quorum cœli: quorum abijci, ac proteri; & quorum thronis insidere: quorum nuditas, & quorum incorruptibilitatis indumentum, quorum solitudo, & quorū sæculi alterius frequentia, & celebritas: quorum voluptates compressæ, atque constrictæ, & quorum perpetua, atque inexplicabilis animorum oblectatio: quorum lachrymæ peccati diluuium, & mundi expiamentum. Quorum extensio manuum flammas extinguit, feras mulcet, gladiorum aciem retundit, atque hebetat. instructas acies in fugam vertit.* Vbi hic scandala possit quis aduertere, aut obijci à pusillis, & factiosis malis laicis possunt?

Oratione prima in Iulianum.

In hac vinea quoque præter odorum fragrantiā in sanctis confessoribus botros etiam pendentes inspicies. *Sicut enim botrus redditurus vinum, prius in vinea martyrij, quadā naturæ arte suspenditur:* Sic pro primatu S. Petri, & successorum eius in ligno mansit pendulus euersa scala, Prior Londinensis, Ioānes Hogtonus cum alijs duobus Prioribus Roberto, & Augustino, quorum verenda à semiuiuis abscissa, intestina eruta, & corde transfixi vinum spirituale martyrij reddiderunt.

Amb. ser. 22.

Sander. de schis. Anglic. lib. 1. pag. 127.

Postea tres alij Carthusiani Hunfridus, Vilielmus, & Sebastianus, post putētissimi carceris diuturnos squalores, vinculorum constrictiones; idem supplicium perpessi, quod superiores, in passione similes extiterunt; quorum eadē apud Deum erat professio, atque vocatio. Alij decem Carthusiani

Surius in comm. anni 1535.

dem inspiciens sentit ex eorum vultu (vt olim ex Socratis facie) desiderium virtutis excitari, sentit doctrinæ eorũ influxu plures in animo suo, quàm cœli rore in cõchilijs margaritas generari, sentit eorum luce desideria ad cœlum assurgere, non secus ex ortu solis, stirpes, & germina ascẽdere sursum excitantur. Non priscos memoro, sed vltimi centenarij nõnullos è multis deligo, & virtutis æmulatores, cum antiquis certantes, qui cum sanctitatis opinione spiritũ Deo reddiderunt. Nostri ergo ad has vineas pertinẽtes sunt P. Fr. Ioannes Vrtado nobilis Salmaticensis, qui Archiepiscopatum Toletanum à Carolo V. oblatum lachrymis recusauit vir miræ abstinentiæ, & puritatis. P. F. Antonius Valentinus spiritu prophetico clarus. P. F. Bernardus Albuquerquer, qui senio confectus, infirmitatibus circundatus, meritis plenus, & operationum virtute consummatus ad cœlũ migrauit. P. F. Dominicus de Monte maior vitæ regularis promotor, qui sitientes sæpius in loco deserto etiam iumenta, aqua diuinitus impetrata refocillauit, & martyrium pro reformatione sustinuit, ad cuius sepulchrum per multos annos clerus antiphonam, tanquam de martyre decãtabat, cuius vestigia imitatus pro obseruantia regulari P. F. Amator Espi gloriosè cum ipso occubuit, & vtrorumq; nomina, tanquam sanctorum à cœlestibus choris decantari B. Ludouicus Beltrandus in spiritu raptus audiuisse testatus est. P. F. Franciscus de Anguilar, qui cum Ferdinãdo Cortesio ad Insulam Cubæ, ad Indos nauigauit, clara Euangelicę prædicationis tuba, qui cum in facie cæderetur à quodam Indo, vbi nõ est propriam vltus iniuriam, cœlum fulmine vindicauit percussorem cum equo absumens. P. F. Dominicus Betanzos Insulæ Hispaniolæ regenerator, primus Inquisitor Mexicanus, cuius tota vita perpetuum

Ex 4. p. Reuer. D. Io. Lopez & Alfonso Fernãdez in concert. Prædic. & Michael Pio de viris illustribus Ord. Præd. & aliis.

A. 1534.

A. 1540.

A. 1549.

extitit ieiunium, assidua oratio, indefessa prædicatio, spiritu prophetico clarus, qui, & imminens aquarum diluuium ciuitati Mexicanæ impendens oratione dissipauit. *A. 1549.*
P. F. Franciscus Maioricẽsis in Guatemala religionis Dominicanæ fundator, virtutum actibus coruscans, meruit sibi diuinitus mortem prædici, quam imminere sibi sentiens ijs verbis. *Oculi mei semper ad Dominum, quia ipse euellet de laqueo pedes meos*, spiritum Deo reddidit. *A. 1550.* P. F. Gonzales Lucerus in Mexicanam prouinciam destinatus, tãto erga Iesum amore flagrabat, vt propterea communiter F. Gonzales de Iesu appelleretur: tantæ existimationis apud Indos, vt eius benedictionem infirmi multi exoptantes salutem impetrarent. Eodem tempore P. F. Benedictus Fernandez cum P. F. Dominico de S. Anna, fidei cultores apud Indos mira sanctitate coruscantes floruerunt, quorum mors pretiosa extitit in conspectu Dei. *A. 1551.*

Noster P. F. Ioannes Micon B. Ludouici Beltrandi magister, & B. Francisci Borgiæ confessarius, & in vita spirituali director, cum esset Dux Gandiæ, miræ sanctitatis exemplar, quem & ipsi Mauritani admirati sanctũ prædicabant, & priuato cultu vt sanctum veneratus est idem B. Ludouicus Beltrandus. Eodẽ tempore F. Petrus Delgadus in Indijs Dei cooperator indefessus sanctè vixit iustorum morte moriẽs, à populo, & religiosis sui ordinis, & Sancti Francisci, & S. Augustini decoratus, & honesto loco tumulatus. In eius tumulo supplex sepeliri postulauit Ioannes Lopes Episcopus Oaxac. *vt Sancti (dicebat) istius ossa in die nouissimo resurrectionis, mea cohonestent.* Eodem tempore Panormi P. F. Antonius Melitensis obijt, quem post mortem veluti orantem, & lætissimo vultu subridentem repererunt, signis multis in pheretro perpetratis.

Noster

Anno 1558. Noster P. F. Michael de S. Dominico eximiæ religionis, qui post vitæ religiosissimæ decursum, dum peste laborantibus inseruiret eosdemque tumularet, peste occumbens in forma gloriosa B. Beltrando apparens, suam gloriam manifestauit.

Anno 1560. Noster P. F. Thomas à S. Ioanne, qui viginti sex annorum spacio in Indorum cultu laborans seipsum bonorum operũ præbuit exemplar. Quem, ob vitam angelicã, tanquam Angelum cęli venerabantur. Cui B. Virgo apparens finem felicem fore prædixit, vnde hymnis, & canticis ad moriendum se accingens fęliciter expirauit, signorum gloria coruscans.

Anno 1564. Noster P. F. Michael Zamorensis miræ patientiæ, & abstinentiæ vir, iugis orationis, & conuersationis cum Deo, qui in Mexico pijssimè obijt.

Anno 1565. Noster P. F. Petrus Bannes cum pueritia literarum sanctitatem adiungens, & cum aspera pœnitentia spiritum orationis indefessum, qui sanctam Matrem Theresiã de Iesu à principio instruxit ad maximum perfectionis gradum adducendo, illique suadendo vt Discalceatorum Carmelitarũ recollectionẽ, opus insigne, intrepidè aggrederetur. Vnde, & B. Virgo Theresia refert in præmium tanti consilij Reginam cœlorum vidisse candido vestimento illum induisse, & eius animam, eidem virgini recta absque repurgante igne ad cœlum euolasse, visam esse testata est.

Anno 1572. Noster Sanctissimus Pius V. Pontif. Maxim. fidei propugnator acerrimus, iustitiæ vindex, sanctitatis exẽplar: cuius sanctitatem etiam Turcæ, & Hæretici formidarunt. Tanti viri processus Romæ Paulo Quinto anuente compilatus est, vbi heroicæ virtutes cum signorum gloria ad Christianæ Reipub. solatium recensentur, ad canonizationis effectum, quem totus orbis auidè præstolatur.

Noster P. F. Matthæus Galiadus, qui doctrina, prædicatione, optimis moribus, vita, & miraculis hæc comprobantibus, tanquam gradibus quibusdam in cœlum peste correptus euolasse piè creditur, & P. F. Franciscus Berxias tãtæ puritatis, vt plures confessarij, qui eius generalem confessionem audierant testati sint, virginalem florem candidum, & illibatum seruasse: mortuus est 1576. in senectute bona, plena operibus bonis, post obitum vestigia perfectionis eximiæ relinquens. Anno 1572.

Noster Reuerendissimus P. Seraphinus Caualli Generalis Mag. Ordinis, virtutum cultura clarissimus, pietatis zelo ardentissimus, religiosæ viuendi rationis assertor, & instaurator promptissimus, cuius stabiliendi, & confirmandi gratia, tempore cum bellorum tumultibus hæresum procellis difficillimo, Vniuersa Europa peragrata, viribus diuturna fatigatione consumptis, Hispali diem clausit extremum; funus eius cohonestantibus Metinæ Sidoniorũ Duce, & duobus Episcopis, magna populi frequentia, manus, & pedes osculantis ex pietate, & deuotione vestes præcidentis, pro magno munere cilicium asperum, & catenam ferream magnatibus flagitantibus. Anno 1578.

Noster P. F. Alphonsus Carus in simplicitate, & animi candore columbam imitatus, qui cum sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, flamma Ecclesiæ fores, & tectum, & parietes absumente, asportare vellet, impetu ignis è tecto cadentis præuentus, & combustus, hoc meruit, vt summum odorem combusta ossa spirarẽt, & igneus globus in aëre appareret, & post tres dies eius gloria releuaretur. Anno 1580.

Noster P. F. Alexander Capocchi Florentinus omni virtutum genere exornatus, propemodum octuagenarius, illibatam animam creatori reddidit, bonorum operum An. 1581

rum

rum fama vsque in hanc diem notissimus.

A.1581. Noster B.F. Ludouicus Beltrandus obijt 1581. beatificationis titulo ob vitæ sanctitatem, & illustria miracula decoratus ab Apostolico throno, propediem in SS. albo describendus expectatur.

A.1584. Noster P. F. Bartholomæus de Martyribus Archiepiscopus Bracarensis, Hispaniarum Primas priscorum sanctorũ Antistitum vitam ad vnguem æmulatus, inuitus ad Archiepiscopatum tractus, voluntariè illo relicto ad primam ordinis humilitatẽ rediens, sancto fine quieuit. Eius scholastica doctrina Concilio Tridentino satis innotuit. Eius libri de mystica Theologia, cũ altero, qui & stimulus pastorum dicitur, mirifice Sanctũ Carolum oblectabant, vt in mẽsa frequẽtius legi sanctus iste iuberet.

An. 1585. Noster P. F. Nicolaus Alexius sacri ordinis legum obseruantissimus, linguarũ peritissimus, qui multa scripsit, & docuit, sed maiora opere præstitit. Migrauit ad dominum in senecta vberi, mercedes in laborũ præmium reportans. Opinionem sanctitatis Episcopi præsentia, & ciuitatis Perusinæ populorum concursu, ad vestes præcidendas pro reliquijs, contestantibus, ostendunt.

An. 1586. Noster P. F. Bernardinus Paulinus Lucensis regularis vitæ reparator, vir integritate, & doctrinæ excellentia conspicuus, vt opera eius varia eruditione referta tũ impressa, tũ manu scripta testantur: pientissimè vixit felici morte terrã pro cælo (vt piè creditur) commutans Neapoli in Conuẽtu S. Seueri. De eius integritate meminit Baronius in notis martyrolog. die 30. Apr.

An. 1587. Noster P. F. Petrus de Feria Vicarius generalis Florida Indiarũ, postea Episcopus de Chiappa, miræ in pauperes liberalitatis, & charitatis, sancto fine quieuit, editis ad vtilitatem populorũ Mexican. lingua Zapoteca multis pijs opusculis.

Noster P. F. Aloysius Granatensis vitæ An. 1589.
integritate, & doctrina insignis, cui Gregorius XIII. testimonium perhibuit, maius beneficium Ecclesiæ Catholicæ præstitisse sua opera scribendo, quàm si cæcis visum, vel mortuis vitam restituisset. Sanctitatis opinionem posteris reliquit.

Noster P. F. Dominicus Ecya, ieiunijs, Ann. 1591.
orationibus, mortificationibus, propriæ voluntatis abnegatione, & omni genere virtutum illustris, vsque ad octuagesimum annum perueniens apud Mexicum defunctus est. Perhibetur deuotione Rosarij quendam sine exomologesi defunctum ad vitam reuocasse, tantisper, quamdiu sua peccata confiteretur.

Noster P. F. Melchior Mosticenses Po- An. 1592.
lonus in oratione feruentissimus, in reparanda religione indefessus, in hæreticis cõfutandis acerrimus, non tam verbo, quam moribus concionator eximius, qui & illud sibi dictum à quodam sene cum professionem emitteret, *Talẽ te serua in posterum qualẽ fore proposuisti, cum habitum induisti,* pro viribus adimpleuit: non leui perfectionis fama, diem pariter clausit extremum.

Noster F. Thomas de Cupertino Hy- An. 1594.
druntinus congregationis S. Mariæ sanitatis, in breui consumptus expleuit tempora multa, qui tanquam veteranus miles in palæstra religionis virtutum omnium specimen se præbuit, vt brauium supernæ remunerationis innocentissimæ anteactæ vitæ, fini glorioso coniunctæ, obtinuisse existimatum sit, vixit annis 19. in religione quatuor.

Noster P. F. Iordanus Vallcoletanus ad- An. 1599.
mirandæ orationis, & abstinentiæ, & cæterarũ virtutũ cultor, Idololatriæ apud Indos euersor, quem Dominus spiritu Prophetico, & alijs donis cohonestare dignatus est, cuius vestes præcisæ à populis post eius mortem multa prodigia perpetrarunt.

Noster F. Paulus de sancta Maria con-
An. 1595. uersus laudabilis vitæ, & signorum gloria illustris, cuius vitam Hieronym. Morena descripsit.

An. 1596. Noster P. F. Hieronymus Curlus Tabiensis, qui prope ciuitatem Pennensem, à populis in morte talis est habitus, qualis in vita bonitate refulsit.

Id. ib. Noster P. F. Vincentius de sancto Stephane constitutionum Prædicatorum ad vnguem obseruātissimus, tanta perfectione effulsit, vt eum Dominus signis post mortem multis decorarit, quæ ex authentico processu Archiepiscopi Panormitani, collecta sunt.

An. 1598. Noster P. F. Dominicus de sancta Maria Prouinciæ Hispan. qui virtutibus, & miraculis coruscās sancto fine quieuit: cuius innocentiā confessarius in morte testatus est. Eius corpus post decennium integrum repertum est quod per literas testimoniales Vic. Gen. Palentinus testatus est.

An. 1600. Noster P. F. Eustachius Dalæi exēplar vitæ, & integritas morū: sibi, libris, & Deo vacabat, terrenarum rerū oblitus Sanctè obijt 33. ætatis suæ anno Bononiæ.

An. 1602. Noster P. F. Melchior Veracensis Polonus vitæ irreprehensibilis, qui Dæmonibus erat terrori, qui cum sanus, & integer existeret illam diem vltimā esse diuinitus admonitus, sibi administrari sacramenta postulauit, & super lectum recumbens oleo sancto inunctus, in Conuentu Vilnensi placido fine animam efflauit.

An. 1602. Noster P. F. Dominicus Annadoni, cuius vita, signa notissima nunc reticētur, qui mortuus est Valentiæ tanto populorum applausu, ac si nouus esset S. Vincentius Ferrerius, cuius facta adamussim dum viueret est imitatus.

An. 1605. Noster P. F. Michael Benauides Archiepiscopus Maniliæ, vir Apostolicus, innumerabilium gentilium regenerator, animarum sibi creditarum custos vigilantissimus, de quo confessarius testatus est sæpissime à Christo Domino sibi apparente visitatum. Dilectus Deo, & hominibus piè obijt, & in sua Ecclesia sepultus est, cuius corpus post septem annos integrum, ac si die illa sepultum esset, repertum est.

Noster P. F. Iacobus Rebellus Lusitanus, qui in Regno Valentino famam sanctitatis, viuens & moriens acquisiuit. An. 1605.

Noster P. F. Antonius Landus, prouinciæ Lusitaniæ concionator Apostolicus, qui præter alias dotes, virtutesque egregias, ostiarius eligens esse in domo Dei, pauperibus eleemosynas mira caritate, & humilitate eos in corpore, & spiritu reficiens, erogabat. Moriens populorum concursu spontaneo cohonestatus est. An. 1606

Noster P. F. Melchior Canus alter, quē & insignis virtutum probitas, maximæ virtutes, & præclaræ apud omnes, qui eum nouere, eximium sanctitatis, & religionis speculum commendauit: diem suum mortis prædixit, cui etiam Angelum custodem apparuisse perhibetur. An. 1607.

Noster P. F. Martinus Suarez concionator feruentissimus, in religione vixit annis 57. innocentiamque baptismalem seruauit, de quo dici solebat, *Ecce vere Israelita, in quo dolus non est.* An. 1608.

Noster P. F. Ludouicus de Soto maior doctrinæ incomparabilis, omnium qui fuerant in Concilio Tridentino superstes, qui in sua morte eam puritatis imaginem expressit, quam viuens sibi parauerat. Claruit in Concilio Tridentino. An. 1609.

Noster P. F. Petrus de portillo vitæ, & signorum gloria illustris. An. 1610.

Nostri P. F. Christophorus de pardaue, & P. F. Ioannes de Castro, fundator prouinciæ philippinarum, qui cum perfectionis opinione decesserunt. Ann. 1611.

Noster P. F. Ioannes Ambrosius, diuini cultus An. 1612.

cultus

cultus zelator feruidus, aliarum virtutum mirificus sectator, cuius sanctitatem, quam ipse viuens sub asperitate conuersationis velut nucleum sub cortice tegebat, dignatus est Dominus in funere aperire.

Ann. 1613. Nostri P. F. Michael de Magnana Hispanus, & F. Didacus de Alderete, quorum vita, & sanctitatis opinio in actis capituli 1612. recensentur.

An. 1614. Nostri P. F. Petrus Ioannes Guasch, & F. Iulianus Roig. religione eximij, sanctorum operum multiplicitate cumulati, in pace migrarunt cum sanctitatis opinione; miracula verò per F. Iulianum edita à Maioricensi Episcopo comprobata sunt.

An. 1614. Nostri P. F. Seraphinus Capponi à Porrecta, cuius vita ad normam exactissimam sacrarum constitutionum compositam, Dominus signis, & miraculis illustrauit; quæ tunc auctoritate Archiepiscopi Bononiensis (postea Gregorij XV.) authentico processu descripta sunt, qui & calicem (in quo celebrabat deuotus iste pater) sibi pro magno munere donari postulauit.

An. 1615. Noster P. F. Marcus de Marthenisio Procurator Generalis Ordinis, qui iugum Domini in religione ab adolescentia vsque ad annum 74. vniformiter, & exactè, & indefesse portauit. Cum sanctitatis opinione moritur, & clarus mundo extitit, qui seipsum quoque à seipso occultauit. Neapoli tumulatus est in Cœnobio Sanctæ Mariæ sanitatis. Eius vita, & signa Neapoli Ordinario processu sunt examinata.

An. 1617. Nostri P. F. Dionysius Lucensis, & P. F. Dominicus Montaglinus prouinciæ Sanctæ Catharinæ Senensis eximiæ pietatis viri. verè *duæ oliuæ, & duo candelabra lucētia ante Dominum*, quorum primus in Ciuitate Ausculana magno populorum concursu, & sanctitatis opinione diem clausit extremum: Alter Neapoli maximū vitæ, & doctrinæ promeruit testimonium: vterque in actis Capitulorum recensentur inter fratres, qui gloriosè obierunt.

Nostri sunt P. F. Bartholomæus Cieta, An. 1618. & F. Antonius Coreus, F. Augustinus de Torres, & F. Laurentius de Assumptione, F. Gaspar de Legura, F. Dydacus de Medelia, & F. Petrus de Balmalada, F. Franciscus de Vega, F. Alphonsus Peres. F. Franciscus Blancus, F. Dydacus de Oxeda F. Nicolaus Aguera, qui gloriosè obiere, & referuntur in actis cap. Vlyssiponensis, 1618.

Nostri P. F. Sebastianus Michaelis in An. 1619. Gallia reparator vitæ regularis, Hæreticorum malleus, qui fidem Catholicam, quā semper strenuè defendit, & propagauit, sanctis operibus sanctè obiens obsignauit. Et in Italia in congregatione sanitatis in Conuentu Argentij obijt octuagenarius, P. F. Modestus de Castro Francorum modestiæ exemplum, vt & cæterarum virtutum, quem virginitatis lauream cœlo intulisse certis documentis deprehensum est.

Noster P. F. Leonardus de Fusco Litte- An. 1620. ren. patientiæ, humilitatis & c. virtutū prototypum, qui in Cœnobio Sanctæ Mariæ sanitatis de Neapoli cum sanctitatis opinione decessit. Eius sanguis è corde, & intestinis post quadraginta horas, cum exenteraretur effluxit, & ad hæc vsque tempora 1624. in ampulla vitrea asseruatus, recens rubicundus, ac fluidus, & incorruptus cernitur. Huius viri vita, & signa ordinatio processu examinantur.

Noster P. F. Ioannes Riccius Frater Leonardi Confessarius, miræ abstinentiæ, & sacrarum cōstitutionum exactissimus obseruator, in eodē Cœnobio sanitatis moriens, non leuem sanctitatis opinionem posteris reliquit.

Noster P. F. Aloysius de Aquino, vir- An. 1622.

tutum omnium genere excultus, qui in Cœnobio augustissimo S. Dominici de Neapoli ann. 1622. sanctè obijt, vt & sanctè vixit, & inter eos qui cum perfectionis opinione, propter hæc, & populorũ cōcursum qui ad eius sepulchrum confluxerunt, recensetur.

Nostræ virgines, & viduæ illæ perbeatæ, hac extrema cẽturia probitate insignes, Maria Rhegiensis, Catharina Amata Barchinonensis, Prisca Soncinas, Domicilla Bononiensis, Theodora Florentina, Catharina de Raconisio (cuius vitam copiosè descripsit Ioannes Franciscus Picus Comes Mirandulæ) Lucia Narnien. Osanna Catharensis, Maria Florentina, Dominica Torres, Margarita de Carresio, Febronia Carpani, Catharina Riccia Florentina, Maria Raggi Chiensis, & Ducissa Amalphi, necnon, & Ducissa Andriæ, quæ sæculi spretis pompis cum opinione sanctitatis decesserunt Neapoli. His iunguntur Anna Rodriquez. Catharina de Herrera. Anna Sanchez, & soror Benedicta Rosa Peruana, Sanctam Catharinam Senensem, imitata. Eius acta. & gesta suis probata sacræ rituum congregationi sunt præsentata per manus oratoris Hispaniarum nomine Philippi IV. Regis Catholici. Hæ decretam semel pudicitiam, Deo consecratam aduersus carnis, & diaboli tyrannidem firmauerunt, se ipsas Domino in perfectum holocaustum offerentes de mundo, carne, & diabolo triumphantes.

In Actis Cap. Vlyssipon. in princ.

Plures quis recenseat? illud testimoniũ satis sit posteris, vigilantissimi Generalis Mag. Ord. Prædic. F. Seraphini Sicci huius gregis Pastoris, dicentis: *Pergit proculdubio sanctissima nostra religio in suis institutis feliciter Dei benedicti, fauoris sui aura aspirante. Nos etenim pro nostri muneris debito diuersas Prouincias perlustrantes, plurimos è propinquo sæpè aspeximus religiosos, qui viam Dei, primorum sanctorum patrum vestigiis prænotatam, magnis ijsque continuis percurrunt itineribus*, an non satis vinea ista dedit odorem suum?

At fortè botri martyrum desunt in hac vinea nostris temporibus? an ita sterilis ficus, vt non produxerit grossos suos? nemo mortalium plures recensebit. Hoc enim tempore in Indijs nascentis Ecclesiæ, crucis sæculis reuiuiscentibus, tam in Germania, Gallia, Anglia, quam in orbe occiduo, instauratæ martyrum cædes, interpolati cruciatus. Hos cernes diris lacessiri verberibus, vulneribus sæuis cruentari, illos cæde funestissima, eaque atrocissima mulctari: In hos aptari cruces, contorqueri spicula, immite ferrum exacui: in illos flãmas excitari, crates ferreas, ignita ad torrendum instrumenta præparari: In hos feras immiti, in illos humanos dentes sæuire mandendo, & deglutiendo sanctorum carnes, & humanum cruorem in ossibus capitum, ne dum nefarijs dijs litare, sed etiam potare. Hinc P. F. Franciscus à Corduba, cum P. F. Ioanne Garces, in Indijs occidentalibus pro Christo prodeunt trucidati: inde duo alij in Insula Trinitatis prope Insulam Hispaniolam necari. Quinque alij eodem tempore apud Cumanam ferina barbarie occisi, assatis comestisque corporibus. Et P. F. Iacobus à Sancto Petro eodem anno ab Agarenis martyrio coronatur. Hinc P. F. Dominicus Hispanus in orbe occiduo apud oppidum Chiribicchi cum socio, à barbaris (conuentu solo æquato) in frusta conciditur. Inde P. F. Ludouicus Concer, qui ex Prouincia Guatemala, vel Chiappa secedens, & ad Floridam dilatandi Euangelij causa perueniens cum P. F. Didaco à Tholola, & P. F. Donato de Fuentes, à barbaris discerptus, cœlos petiuit sanguine laureatus: & F. Hieronymus Ciranus.

De martyribus nostrorum temporum ord. Præd. legendi sunt Fernandez in concertatione præd. Et in hist. Eccl. Lopez. in 4. p. centu Michael Pius. Fern. ann. 1515. idem ann. 1516. idem ann 1525. idem ann 1542. & 1544.

ranus ab Hæreticis veneno extinctus procedit.

Idem an. 1560. Hinc F. Ioannes Excolfed, ab Hæretico vulneratus, occiditur. Inde apud Insulam Solor in India Orientali immaniter sauciatus, F. Antonius Pestana gladio transfossus martyrium consummauit.

Idem an. 1567. Hic P. F. Renatus Priuetus magister ab Hugonotis ferreis forcipibus toto pectore dilaniatus, & è sublimi præcipitatus, sulphurea tandem glande ictus victor coronā adeptus est. Ibi P. F. Ioannes Malchauserius Prior Conuentus Tholosæ globulo pariter plumbeo prostratus interijt. Similiter P. F. MICHAEL Sarberius Prior Matisconensis post præcipitium strangulatur, & F. Ioannes Nouitius ictu alabardæ occubuit. P. F. Ioannes Bole Conuentus Engolismensis, cum altero fratre ab Hæreticis pariter occisus est. P. F. Petrus Guillotus Magister Prior Conuentus Castrensis, pugione transfossus in flumen abijcitur. In cuius palma etiam hostes obseruarunt esse descriptum. *Credo in Deum*. Et P. F. Franciscus Picarsius in Rupellensi cœnobio duobus alijs adiunctis Fratribus, etiam in mare demergitur. In eodem Conuentu Rupellensi P. F. Sebastianus Meuncti Prædicator cum P. F. Ioanne de Tirauilla ab Hæreticis laqueo suspensi. Alius item frater Sacerdos ibidem capite obtruncatur, quod tanquam trophæum manibus gestare volens spiculator, morte repentina mulctatus est. Ibidem P. F. Ioannes Carrera gladijs transuerberatur: similiter eiusdem conuentus tres alij fratres, laqueo necati sunt. P. F. Iacobus Magister effossis primū oculis, deinde virilibus abscissis, demum gladio percussus temporalē mortem cum æterna vita commutauit, sicut & P. F. Ioannes Tortu, qui ab ijsdem hæreticis sagittis confossus est. Alij similiter in Conuentu Athouarensi, & Picardia, & Normandia pro fide Catholica extincti, quorum nomina (vt piè credi potest) scripta sunt in libro vitæ.

Ex eodem Alphonso Fernandez in hist. eccles. lib. 3. c. 16.

Idem in annal. eodem anno 1567. Hic in Prouincia Prouinciæ, pro fide Catholica crudeliter aleam prælij nolentes effugere enecati sunt P. F. Nicolaus Sauxatus Neumasensis, P. F. Ioannes Iunius Magister, & Prior Conuentus Alxeti, P. F. Ioannes Argempsonius, P. F. Antonius Vrsus, P. F. Ioannes Miraballus, P. F. Apollinaris Viennensis, P. F. Ioannes Chabasus Conuentus Diomensis martyrio illustres, minime mortem temporalem expauentes, quos magis æterni timor vrgebat incendij, agebatque vehementior flamma cœlestis.

Idem an. 1570. Ibi in Prouincia Tholosana laureatus procedit P. F. Leonardus Talarius ab Hæreticis strangulatus, & pugione confossus, & P. F. Augerius de Monte alto supprior Conuentus Morlanensis, catapulta interemptus occubuit: ac P. F. Raymundus de Plano Morlanensis Conuentus concionator, cui erutis oculis, & in cibum datis, nouissimè ab ijsdem Hæreticis necatus est. P. F. Ioannes Farlage; P. F. Antonius de Rosa, P. F. Antonius Vuliers fame consumpti sunt, P. F. Laurentius Fronconi viuus ab ijsdem pariter combustus est. P. F. Robertus de Bellouisu Ecclesiastes insignis, mēbrorum articulis abscissis, & inter Hæreticos diuisis; in reliquo corpore decoriatus, sæua morte gloriam immortalitatis adeptus. Adeò sæuiebat efferatorum hostium Ecclesiæ rabies, vt non solum oculorum explerent sæuitiam, sed & auidas manus sacris fidelium membris implerent.

Excitatis verò tanquam classico ad pugnam, animis, & feruentis martyrij cupidine inflammati in Prouincia Franciæ, & cōgregatione Gallicana, fidem sanguine obsignarunt P. F. Robertus Caluanus Conuentus Ebroicensis, ab Hæreticis sagittis

confixus. P. F. Petrus Merentus, P. F. Ioannes Picardus, P. F. Ioannes Fenger, qui gloriosè pro fide Catholica occubuerũt: quorum viginti nouem martyrum gloriosi triumphi recensiti sunt anno 1571. in Capitulo Generali Romano coram Pio Quinto, qui comitia generalia ordinis Prædicatorum sua præsentia cohonestauit.

Legendi Castill. p. 1. lib. cent. c. 63. Reseius de Thalar. lib. 2. Fernand. sup.

Hic in regno Syam à Mahumetanis pro Christo hasta confoditur, P. F. Hieronymus à Cruce. Ibi in Belgio P. F. Ioannes Coloniensis, grandi trabe suspensus præcordijs extractis, demum trucidatus martyrium compleuit.

Idem ann. 1570. & 1572. Idem ann. 1570.

Hic in Prouincia Occitana P. F. Gulielmus Brelianus veneno extinguitur, minimè pocula venenati draconis caput in sanguine confringebat & P. F. Gulielmus Bruni similiter ab Hæreticis obsessus, pro Christo moritur. Ibi in Prouinciæ P. F. Antonius Dulcius primò glande impetitus, gladio demum confossus, mortem non formidauit, quam in arena Caluariæ absorptam in victoria agnoscebat.

Ann. 1577 vide acta Cap. Gen. 1588.

Hinc in Prouincia similiter Occitana prodeũt P. F. Sebastianus Meunctus; & P. F. Raymũdus Tirauilla gladio percussi: & alij fratres, qui in puteum demersi, trophæum sanguinis erexerunt: Ibi ex Belgio P. F. Martinus Faber pluribus vulneribus confessus, palmata veste incedit. In eadem Prouincia Belgica; Hollandia, Zelandia, Frisia, & Geldria, alij fratres Prædicatores diuersis pœnarũ, & mortis generibus examinati meruerunt præmia æterna: in Germania verò superiori P. F. Iacobus Zonger sæuissimè ab Hæreticis necatus, martyrij laurea redimitus in cœlis triumphat.

An. 1578. vide facta Cap. Gen. 1580.

1580. vide Leon. Bel. in annal.

Hic in Germania inferiori P. F. Antonius Temermonus Antuerpiæ laqueo primũ suspensus, mox extractis præcordijs, membrisque conscissis, eius caput super hastam sublimatum est, quod tanta luce refulsit, vt præ pudore, luminis vim sustinere non valentes Hæretici, illud amouendum curarint. Ibi in Insula Soror apud Indos Orientales hasta transfossus est pro Christo P. F. Simon è Montanis, & vno ictu percussus, vicit, accessit, triumphauit.

Eodem anno ex Fernand. sup.

anno 1585. Fernãdez.

Hic in Prouincia Tholosana plures Fratres Prædicatores ab Hæreticis occisi recensentur, inter quos P. F. Petrus Costa, suspensus occubuit. Ibi in orbe occiduo apud Insulam Hispaniolam P. F. Ioannes de Sarania, & F. Ioannes Illanes laicus ab Anglis Hæreticis pro sacrarum imaginum cultu, cruore proprio æuiternam vitam compararunt, sicut & alter F in Insula sancti Laurentij prope Mozambique veneno à Mahumetanis extinctus, & apud Armeniam F. Paulus cum alijs socijs à Turcis in Christi odium trucidatus.

Ex eodem ann. 1585. & 1595.

anno 1591. ex eodem.

Hic in Germania inferiori P. Iacobus Faber Sacræ Theologiæ Doctor, Cathedraticus Regius Louaniensis, post diuturna tormẽta gladio percutitur. Ibi in Regno Franciæ ex congregatione Gallicana Nicolaus de Monte, studij Parisiensis Regẽs, cũ P. F Petro Turpin Baccalaureo in festo omnium SS. hasta transfossi cum sanctis martyribus eo die meruerunt in cœlo aggregari, quorũ passiones in terris sunt imitari. Item P. F. Ioannes Breinsin Baccalaureus ab Hæreticis suspensus, & P. F. Ioannes cognomento Rex, patibulo affixus, alijque fratres Prædicatores dira perpessi ad cœleste brauium peruenere.

Ex actis Cap. Generalis Veneti.

ann. 1592. ex F. Io. de Sanctis p. 2. c. 9.

Hic in Æthiopia orientali in prouincia Guamæ prope Mozambique, P. F. Nicolaus de Rosario à Barbaris interemptus, eiusdemque cadauere in frusta conciso, & decocto cibus eorundem efficitur. Ibi P. F. Ioannes à Pietate Conuentus Mozambucani, in eadem Prouincia ab Ethnico regulo immanissimis vulneribus cruentatus, certamen forte meruit, vt vinceret.

Hic

Hic apud Armeniam P. F. Matthæus de Nascalcen à Turcis occiditur. Ibi in Insula Solor P. F. Franciscus Galassa Goensis à Barbaris spiculis confoditur.

Hic in eadem Insula Soror P. fr. Ioannes Trauazos Lusitanus, & fr. Melchior conuersus, à gentilibus, quorum mores acriter reprehendebāt, immaniter trucidātur. Ibi, versus Malacham nauigans P. fr. Paulus à Mesquita ab Hollandis Hæreticis in odium fidei occiditur, sicut ob eādem causam fr. Gaspar de Sa, & P. fr. Emmanuel è Lābuao versus Goam nauigantes à Barbaris Mahumetanis enecantur. Itē in Insula Pagua prope Solor ab incolis gentilibus, P. fr. Hieronymus Mascarennas, & P. fr. Simon à Pietate, & P. fr. Petrus Vsusmaris in India Oriēt. & P. fr. Gaspar ab Assumptione à Malabaribus trucidantur. Item P. fr. Ioannes Suarez prope Solor, & fr. Petrus conuersus in Regno Mogar agitante veternoso colubro dira moliente funera, iratumque virus in Christi membra euomente, à gentilibus passi sunt.

An. 1602. [..] 4. p. hi[st]. [o]r. ord. [Pr]æd. lib. [..] c. 22. Fern. lib. vi[..] hist. c. 36.

Hic in Anglia P. fr. Rubertus Nutteres, apud Ciuitatē Bancastrum suspensus, mox antequā spiritū efflaret præcordijs extractis, corpus eius concisum est, & P. fr. Thomas Prouinciæ Ouitanæ in eodem Angliæ regno crudelissimè necatus est. Ibi P. fr. Ioannes Maldonatus, & fr. Alphonsus Ximenez Cœnobij Vallisoletani alumni à Rege Syam in odium Christianæ religionis occisi. fr. Alphonsus hasta transfossus, & fr. Ioannes bombardæ ictu interemptus est. Similiter in Regno Syam à Mahumetanis P. fr. Gaspar de Assumptione in fidei odiū occiditur, & dum hostiam offert, hostia Christi effectus est.

Eod. anno idem Fern.

Inde san[..] [..]u 2. p. [li]b. 2. c. 7.

An. 1604. [..] Cap. [G]en. 1611. 1605.

Hic Petrus Morenus cum alijs quinque fratribus ad vineam Iaponensem excolendam destinati in itinere barbarorū sagittis confixi lauerunt stolas suas in sanguine Agni. Ibi in Regno Chilæ quinque domibus fratrum Prædicatorum euersis, partim trucidati, partim in captiuitatem ducti sunt. In Vrbe verò Valdiuia fr. Petrus Pezoa ab Indis hasta transuerberatus est, cum fr. Ioanne Vega laico: in Vallarica fr. Paulus à Bustamante, fr. Ferdinandus Ouando, alter nouitius conuersus cum quatuor alijs fratribus à gentilibus occisi. Similiter in Egolt P. fr. Martinus de Sanctis, & in Duau fr. Christophorus à Buiza triumphali agone ad cœlos euolauerunt.

Ex actis Cap. Gen. Ro. 1608. Fernād. in concert.

Hic P. fr. Andreas Bouius ad Prouinciam Valachiæ ad prædicandum à sacra inquisitione destinatus, post multos exantlatos labores, post multorum ad fidem conuersionem, ab Hæreticis occisus est, & P. fr. Sebastianus Montanus ab Indis sagittis opprimitur.

Anno 1610. ex a[c]tis Cap. Gen. Ro. 1612.

Hic tandem in Imperio Iaponis in ciuitate Nagasachi P. fr. Alphonsus Nauarete capite obtrūcatur, vbi Christi nomini barbarorum colla, & ceruices indomitas sub egisset, illustre testimonium fidei prohibens, Iaponensis vineæ cultor eximius.

ann. 1616. Ex Reuer. Lopez in 5. p. cent. cap. 53. & seq.

Anno verò 1622. 19. Augusti in ciuitate Nagasachi fr. Aloysius de Flores lenta flāma absumptus, victor ad cœlum intrauit. Eiusdem vineæ Iaponensis cultores eximij P. fr. Thomas de spiritu Sancto, alias de Zumaraga, P. fr. Angelus Orsuchi Lucensis, P. fr. Ioannes de S. Dominico, P. fr. Francisc. Morales, P. fr. Alphons. Mena, P. fr. Ioseph de Sancto Hiacyntho, P. fr. Hiacynthus Orfanelli, vbi infinitam gentiliū multitudinē baptizasset, sæuiente persecutione Iaponica ad columnas ligati, igne lento diutissimè cruciati, martyrio coronati sunt. His adiūcti fr. Martinus de S. Thoma, & fr. Thomas de Rosario, & fr. Dominicus Oblatus Iaponenses, qui in carcere habitum induti, & è carcere ad amphiteatrum ducti, (fr. Mantio igni reseruato)

abſciſſis ceruicibus religionem, fidemque Catholicã ſuo ſanguine ſignarunt, in carcere verò mortuus eſt, P.F. Ioannes de S. Dom. & è carcere aduolauit ad regnum. Ex relationibus miſſis à PP. Maniliæ, & authenticis informationibus Archiep. Manil. Hæc noſtra ſtemmata, nimirum, vt quadam in Apol. deſcripſit Tert. de Chriſtianis, *Expanſos vngulæ fodiant, ignes lambant, gladij guttura detruncent, beſtiæ inſiliant, paratus eſt ad omne ſupplicium*, prædicatorius habitus, noſtra palmata veſtis, cuius munus eſt ore fidem cõfiteri, ſanguine obſignare.

Teſtes fragrantiæ eiuſdem vineæ ſunt, vbiuis gentium Paſtores noſtri temporis loco diſſiti, religione concordes, Eccleſiam illuſtrantes, duo inprimis Cardinei confeſſus, viri illuſtriſſimi, & Reu. D.D.F. Auguſtinus Galaminus Cardinalis Aracœli, & Cardinalis Cremonenſis F. Deſiderius Scalea ſupremi Inquiſitores; orbis, & vrbis ſydera fulgentiſſ. veritatis aſſertores, prauæ doctrinæ hoſtes, domus Dei lapides magni, quos ſpiritus Dei eiuſdem religionis, & dignitatis compage coagmentauit, qui diuino munere ad tam excelſum faſtigium ſublimati, minimè de præſtantia ſui principatus gloriantur, quos non inflammat honor acceptus, ſed exercet labor impoſitus. Verè ob virtutum præſtantiam Deo, & hominibus dilecti. Inter Archiepiſcopos emicant Reuerendiſſimi F. Stephanus Dulcis Archiepiſcopus Auenionẽſis, F. Didacus Aluarez Archiepiſcopus Tranenſis noſtrorum temporum Proſper, F. Ludouicus Beruiaz Archiepiſcopus Narbonenſis, F. Dominicus Valderama Archiepiſcopus Inſulæ Sancti Dominici, F. Ioãnes Baptiſta Cittadinus Archiepiſcopus Naxiuanenſis. Inter Epiſcopos numerantur Reuerendiſſimi F. Marcus Iuſtinianus Epiſcopus Chienſis, F. Andreas Balaguer Epiſcopus Oriolenſis, F. Simon Bauſa Epiſcopus Maioricarum, F. Ioannes Lopez Epiſcopus Monopolitanus, vir pientiſſimus, & doctiſſimus, F. Ioannes Cabecas Epiſcopus Turris Iulienſis in Regnis Peruanis, F. Ioſeph Gonzales Epiſcopus Valentinus, F. Iſidorus Aliag Archiepiſcopus Valentinus, F. Ioannes Boorquez Epiſcopus Venetelen. in India occidentali, F. Ambroſius Gozeus Epiſc. Tribunẽſis, F. Ambroſius Palomba Epiſc. Veſtanus, F Timotheus Caſelius Epiſcopus Marſicenſis filij Conuentus S. M. ſanitatis, F. Thomas Brandolinus Epiſcopus Minoricenſis, F. Vincentius Camerota Epiſcopus Bethleem, F. Robertus de Robertis Epiſcopus Tricaricenſis. F. Gabriel Nari Epiſcopus ſancti Marci F. Paulus Vrſinus Epiſcopi Montisalti, F. Albertus Cacamus Epiſcopus Liparenſis; F. Vincentius Arigonis Brixienſis Epiſcopus Sibinici, F. Nicolaus Coſettau Epiſcopus Dardani, F Petrus de Herrera cathedraticus Salmaticenſis, Epiſcopus Canarienſis, F. Hieronymus Tiedra Epiſcopus Charcenſis, F. Thomas Torres Epiſcopus Paraguas in Indijs, F. Frãciſcus Cabrera Epiſcopi Truxilli in Peruanis regnis, F. Ioannes Bohorq; Epiſcopus Guaxaca in in nouis Hiſpanijs, F. Alphonſus de Santillan Epiſcopus Quiti. F. Ioannes Luſitanus Epiſcopus Macao in Indijs orientalibus, F. Seraphinus Blancus Ep. Engoliſmenſis. Hi omnes alijs omiſſis in partẽ ſolicitudinis aſſumpti à ſæuis luporum morſibus, & incurſibus dominicum gregem defendunt, vineamque frugiferam cœleſtis agricolæ mira ſolicitudine cuſtodiunt.

Teſtes Inquiſitores violatæ fidei ſupra quinquaginta, ipſumque ſacræ Inquiſitionis tribunal ſupremum; in quo Magiſter ordinis, & Magiſter Sacri Palatij, Cõmiſſarius Sancti Officij ſuam pariter in conſulendo dant operam, vt capiantur vulpes

paruulæ, quæ moliri satagunt vineas. Alibi etiam alij consultores eiusdem familiæ, tãquam Domini canes easdem vulpes, habentes facies quidem diuersas, caudas tamen in vnum colligatas, sagacissimè perquirunt, & insectantur.

Testes Pontifices Maximi, Cæsares, Reges, Principes, & Respublicæ doctrinã Dominicanorum venerantes, qua in Concilijs, Cõgregationibus, decisionibus pro Ecclesiæ Catholicæ adiumento, fidei confirmatione, Hæresum extirpatione, morũ disciplina, vsi sunt. Mitto quod Apostolici palatij Magistri, Commissarij vniuersalis Inquisitionis Romanæ, & per vniuersam Italiam Inquisitores alij, ex ordine isto, Summi Pont. mandato assumuntur, & designãtur. Mitto quod Carolus V. & Catholici priores, & posteriores Reges, vsque in hanc diem eiusdem ordinis viros à sacris confessionibus delegerunt numerum 47. excedentes, inter quos S. Raymundus, Iacobi Regis confessarius in sanctitate principem tenet locum, & F. Ioannes Entrega Alphonsi XI. Regis Castellæ secundum, cuius hortatu, opera, virtute, expeditio bellica aduersus Saracenos 25. millia peditum, & 14. millia equitum instructa est, ducentis millibus Maurorum occisis, alijsque Saracenis profligatis.

Alphonsus Fernandez in sua concert pag. 179. Mitto Lusitanorum Regum 14. Gallorum Regum 16. Poloniæ 20. & aliorum Principum confessarios recensere, vel qui eorundẽ concionatores Magistri, vel Præceptores extiterunt; satis enim est hæc fulgentissima sydera recẽsuisse, vt nõ nisi tenebricosus, & luscus sit, qui clariora desiderat.

Testes insigniores Academiæ Theologiæ vniuersi penè orbis. Salmantina enim (quæ tandem à Philippo III. perpetuo ordini nostro addicta) ab anno 1416. vsque ad præsens tales habuit primarios, moderatores, vt meritò nostri tẽporis Theologi, eos vt antesignanos venerentur, & laudẽt, nimirum PP. Fratrem Lupum Barrientos, F. Aluarum Osorium. F. Didacum Dezam. F. Ioannem de sancto Dominico, & nunquam satis laudatum Fratrem Franciscum de Victoria, è cuius supellectili Hispania ditata est, & quicquid fermè hodie prodit in lucem, ad hunc fontem suam recenset originem. Illum insecuti sunt in scholastico certamine, & Cathedra eadem PP. F. Melchior Canus, F. Dominicus Soto, F. Petrus Soto maior, F. Mantius de corpore Christi, F. Bartholomæus Metimnensis. F. Dominicus Bannes, F. Petrus de Herrera nunc Episcopus Canariens. Scholasticus insignis nouus Atoch vtraque manu pro dextera vtens in interpretando S. Thoma subtilissimus, & in Scripturis Sacris exponendis profundissimus, cuius innumeræ in positiua, & scholastica Theologia lucubrationes nõdum impressæ, manibus omnium teruntur, euoluuntur, auidissimè expetuntur. Post quem P. F. Franciscus Araujo, Cathedræ primariæ in substitutione moderator, successit vir doctissimus, & sapientissimus. Cæteræ Academiæ, vt Vallisoletana, Complutensis, Conimbricensis, Ossunensis; Cõpostellana, Toletana, Ouetensis, Granatensis, Hispalensis, Baiacẽsis, Valẽtina, Barchinonensis. Cæsaraugustana, Leridensis, Oscensis, Tarraconensis, Messicanensis, Limensis, Coloniensis, & Neapolitana (alijs omissis publicis, & priuatis ordinis eiusdem vniuersitatibus, & Collegijs) illustres habẽt in suis Cathedris professores solida doctrina Sancti Thomæ scholares imbuentes. Præter hos, testes sunt quoq; nuperi in omni facultatum genere Scriptores, quorum voluminibus Bibliothecæ sunt refertæ, quæ non cũ blattis & tineis certant, cum quotidie studiosorũ virorum manibus atterantur, & lectitẽtur. Hi autem qui nõdum prælo suas lucubra-

vt ij nouis regionibus, sedentibus in vmbra mortis, veritatis lumen ostendant, & aduersus efferatas gentes, vitiorum spectra, & frementium belluarũ agmina (quorum ea erat immanitas, vt omnẽ exuerint humanitatem) certamen fortissimum ineant. Pro quo opere explendo, nec tenentur vinculis, qui vincula murenulas aureas existimant, non ferreos pectines expauescunt, qui lanceas suas in falces, & gladios in vomeres vertunt; scientes hac prædicatoria arte proscindi glebas, agrorumque culturas crescere ad segetes; nec demũ laminas candentes, ferrum, flagella, fustes exhorrent, quibus laurea donari, & victrici corona redimiri in perpetuas æternitates præsentiunt.

Epi. Momo p. 4. lib. 2. c. 53. hist. Dom. Sander. de schis. Angliæ. l. 2. pa. 35. Fernandez. ann. 1555.

Testes hæreses extinctæ; in Anglia enim, cum sub Regina Maria paululum Catholici respirassent, opera P. F. Bartholomæi de Carranza, Cathedræ Theologicæ erectæ, Hæresiarchæ exhumati, triginta millia hæreticorum, vel flammis exposita, vel exilio mulctata, vel Ecclesiæ Romanæ reconciliata sunt Et per P. F. Petrum de Soto, & alios Dominicanos iuuentuti Anglicanæ Scholastica explanata, fides exposita, vt meritò dixerit Sanderus, quod sub his magistris sapientissimis ita profecit Academia [*vt non aliunde hoc Catholicæ fidei semen, quod Deus in tã diuturno subsequente schismate, & tã immani persecutione nobis reliquit, extitisse videtur.*] In Polonia verò per P. Fr. Melchiorem Mosticensem myriades seductorum ad fidem Catholicam reducti, eodemque auctore (verè nostri sæculi Chrysippo) Rutheni eierato schismate, vnitatem Catholicam amplexi sunt. In eadem cultura intenti mirificam messem reportarunt P. F. Seraphinus Cracouiẽsis, F. Hiacynthus Suscius, P. F. Albertus Secouius. In Germania, P. F. Ioannes Paulus Prior Friscaeensis, & P. F. Seruatius Iungelinck Conuentus Aquensis Prouincialis: In regno Galliæ, P. F. Ioannes Regot Prior Parisiensis hæreticorum incendia suis prædicationibus, & disputationibus extinxerũt. Quibus addimus F. Sebastianum Michaelis hæreticorũ malleum, qui verbo, & scripto Caluinicolarum, præsertim Theodori Bezæ ora cõpescuit: & P. F. Cosmam Morelles inquisitorem Apostolicum Coloniæ publico cõgressu aduersus Caluinianos trophæa erigentem. Sed, & P. F. Nicolaus Coefetau Concionator ordinarius Christianorum Regum Henrici IV. & Ludouici XIII. elegantissima volumina omni eruditione referta, scripsit aduersus Caluinistas, & alterum aduersus eũ, quem Angliæ Rex Iacobus ediderat, quatuor similiter volumina controuersiarum aduersus hæreses huius temporis concionando.

Vide Fer. in concer. præd. ann. 1581. & 2. p. hist. Ecclesi. c. 8. & cap. 31. Io. de sanctis 2. p.

Testes in conuersione Gentilium strenuè laborantes in Regno Camboiæ P. F. Syluester Figuerous, & P. F. Franciscus Morales. In regno Satzumas apud Iapones, & apud Insulas Philippinas, P. F. Michael Benauides, postea Maniliæ Archiepiscopus. Item P. F. Laurentius de Acugna. P. F. Ferdinandus de Assumptione, & alij, qui ad petitionem Regis Congi, conuersioni gẽtilium sedulo inuigilantes, vineam illam Domini in Æthiopia sitam, quam prædecessores Dominicani primò plantauerant anno Domini 1491. nouissimis his temporibus mirificè instaurarunt.

In nostro libro de Christia. Arm. Romæ 1604.

Ex relationibus eiusdẽ P.

Testes Armenorum populi, qui sub obedientia Romanæ Ecclesiæ per trecentos annos, nunquã interrupta successione Dominicanorum Antistitum sunt conuersati, & rursus per F. P. Paulum Mariam Citadinum Vicarium generalem perfidis, & Armeniæ, à Paulo V. ad eas oras destinatũ in eadem obedientia religione, fide consolidati, nonnullis eliminatis (locorum intercapedine, & temporis decursu) abusi-

Fa migeratissima est in Gallia congregatio Occitana, ibi moribus excolendis, & litterarum sacrarũ studijs fortiter incumbentes seipsos, eosque qui eos audiunt, lucrari satagunt, *& vasa Domini ferunt* (vt scripsit Gregorius) *qui proximorum animas ad æterna sacraria perducendas, in suæ conuersationis fide suscipiũt, apud semetipsos,* Etenim, *Quãtum debeant mundari cõspiciunt, quia necesse est, vt esse munda studeat manus, quæ diluere aliorũ sordes curat, ne tacta quæque deterius inquinet, si sordida in se mens lutum tenet.* Notissima est Hispaniarum Prouinciarum obseruantia, vbi se ipsos Deo hostiam viuentem Patres illi offerunt, & sapientiam pro sponsa assumentes infinitam sobolem Christo pepererunt. Hi veluti Aaron, in pectore rationale iudicij vittis ligant. *Quatenus* (vt scripsit Gregorius) *sacerdotale cor nequaquam cogitationes fluxæ possideant, sed ratio sola constringat, ne indiscretum quid, vel inutile cogitet, qui ad exemplum aliis constitutus ex grauitate semper debeat ostendere, quantam in pectore rationem portet.* Quid memorem vtriusque Lombardiæ, & Roman. Prouincias? in quibus si fidei ardorem laudo, charitatis præualet incendium; si humanarum rerum contemptum, mortificatio supereminet: Nec solum, vt scripsit Hieronymus *effusio sanguinis in martyrio reputatur, sed deuota quoque mentis seruitus immaculata quotidianum martyrium est, illa corona de rosis, & violis plectitur, ista de liliis,* In Aprutina Prouincia, & Regni (cuius seminarium est Congregatio Sanctæ Mariæ Sanitatis) Trinacria, Apulia, Calabria &c. habet quoque Deus milites suos, vt in omnibus, illud impleatur Isai. 27. *Florebit, & germinabit,* eodem enim tempore, quo in flore est virtutum, eodem tempore ex alia parte germinat, & florescit, & fructum affert: vt multo plures sint flores, fructus, & germina isto in horto concluso, quam defluentia folia,

2. p. past. c. 2.

supra.

In Epist. ad Paula.

quæ proijcit ventus super faciem terræ. Quæ si oculus hominis non inspiciat, ille inspicit qui nocturnas vigilias, silentium pannosa & lacera indumenta, ieiunia, latentes in corde dolores, & genas lachrymis, tanquam vnionibus respersas intuetur. Et ex his castris quotidie è terra non pauci transmittuntur ad cœlos, quos si nõ videas, non mirum, cum nec sanctus Dominicus in spiritu raptus videre suos potuerit, nisi sub paludamento Virginis castrametatos.

Testes tandem, vel ipsi hostes Ecclesiæ, quam enim inter cæteras religiones auersati sunt? nostram. Quæ præcipuè templa demoliti sunt? nostra: quos Conuentus auidius solo æquarunt? Nostros. qui? hæretici perduelles in Anglia supra 40. in Scotia 15. in Gallia fermè 40. in Polonia 17. in Germania 200. in Dacia 20. in Noruegia, & Hollandia plusquam 20. Qui? Turcæ. nam in Vngaria 7. in Regno Cypri. 64. in Terra Sancta 18. Conuentus deuastarunt. Qui? Gentiles in Indijs, qui multos Conuentus tanquam botros in primo flore deuastarunt. Vsque ad septingentos Conuẽtus ab ijs omnibus deuastatos scriptores recensent.

Ipsę quoque patellæ aureæ, argentei calices, sumptuosa donaria, opulenta Ecclesiarum Gaza, quæ noui Nembrodes dissipauerunt depeculando Ecclesias, demonstrant religionem istam, eam habuisse, & habere in Ecclesia Dei excellentiam, quam habet oculus in corpore, Sol in cœlo, Senatus in Ciuitate, Ciuitas in Regno, & Rosa inter florum gemmas ad venustatem, quam inter gemmarum flores, ad æstimationem non exiguam carbunculus obtinet dignitatem.

Sed si non libeat hanc familiam Prædicatoriam sub typo vineæ admirari, saltem vt custodem vniuersalis vineæ Ecclesiæ

Catholicæ in canis symbolo venerare. Et quidem vt verbis Greg Nazianz. vtar, *Canis* (ordo noster) *non petulantia, atque impudentia, sed vitæ libertate, non oblatratione, sed recti custodia, noctibusque illis quas pro animarum salute peruigiles traducit. Atque eo etiam nomine canis quia virtutis familiares mulcet, externos latrando insectatur.* Latrando, & tacendo suam fidelitatem ostendens.

In laudem Heronis.

CAPVT XXIV.

De florida, & frugifera vinea nostri temporis Sancti Francisci, gemitibus columba deplorata.

AD Seraphicam Religionem Sancti Francisci oculos dirige. Aspice quot grossos produxit hæc arbor procera, quot sanguine purpuratos præmisit ad Regnũ, nostra & patrum nostrorum memoria. In Prouincia Cumana apud Indos Occiduos, Conuentu in fauillas redacto, P. F. Dionysius, capite fustibus percusso, spiritum Deo reddidit, cæteris Patribus in fugam conuersis. P. F. Bernardus Cussinus ab Indis Chichimecis positus in signum ad sagittas cum illæsus euasisset, sagittis in ipsummet sagittarium retrouersis, demum ab alijs Idololatris cruciatus, & occisus agonem compleuit. P. F. Ioannes de Tapia ab Indis, qui dicuntur Guachichilles, apud Mexicum in montibus de Zapotheca impetitus, Christi hostia effici meruit. P. F. Ioannes Serranus per Indos Zapothecas sagittis confixus victor migrauit ad Christum. Apud Mexicum P. F. Franciscus Lopez à Barbaris telis confossus lauream triumphalem adeptus est: eius in prædicatione comes P. Fr. Ioannes à Sancta Maria è cacumine montis ab Indis præcipitatus ad superos euolauit. In eadem Prouincia Mexicana P. F. Augustinus Rodriquez ab Indis, quos acriter de peccatis arguebat, occiditur. P. F. Alphonsus de Villalobos sagittis transfigi meruit in corpore, cuius cor Christi charitas, quæ ad amorem sagittare nouit, iam pridem vulnerarat. Vitam pariter largiter pro Christo profuderunt ab Indis Mechiocanis, & Xaliuiscanis occisi. P. F. Ioannes Calenes (cuius corpus postea incorruptum, & suauissimè fragrans repertum est) & P. F. Antonius de Collare diuini verbi declamator insignis, & P. F. Franciscus Laurentius cum socio qui capitibus, acutissimis instrumentis dissectis, excarnificati spiritum Deo reddiderunt. Similiter alij martyrium consummarunt. P. F. Franciscus Donzellus Guardianus transfigitur; P. F. Ioannes Pizarius ad collum proprio fune ligatus, per dumeta, & tribulos crudeliter tractus, demum suspensus spiritum Deo reddidit, P. F. Ioannes de Padilla positus vt signum ad sagittas, mori pro Christo meruit, & P. F. Ioannes de Ayala à Barbaris capite obtruncatur, similiter & P. F. Paulus de Azeuedo cum socio. F. Ioannes de Ferraria sagittis interempti sunt.

Genz. p. 4. pag. 1277. ann. 1566.

Vide F. Alphon. Fernand. in concer. prædic. li. 1. c. 14. Gonz. p. p. de origin. Seraph. relig. pag. 105. F Marius Vlyssipon. Episc. in hist. Franciscana.

Genz. p. 4 pag. 12[illegible]9. & 1[illegible]90. Gonz. pa[illegible] 1303.13[illegible]

In India Orientali P. F. Melchior de Vlyssipone Custos Prouinciæ Indiarum, sagittis, & lanceis cõfossus. P. F. Martinus de Guardia capite obtruncatur. P. F. Ioannes Eluasius cũ P. F. Sixto eius socio. P. F. Franciscus itẽ Sacerdos, & P. F. Stephanus Sacerdos, & F. Ioannes Clericus pro confessione fidei immanissime necati, digni habiti sunt corona vitæ. F. Antonius Laicus gentilium gladijs gloriosè occubuit. Apud Iapones in Nagasaqui sex religiosi, martyrum primitiæ eiusdem ordinis, feria sexta in crucem acti, nedum crucem post Dominum portare, sed in ea affigi meruerunt, quorum latera lancea quoque sunt perforata: Nomina eorum quæ singulis crucibus descripta, hæc erant, PP F. Petrus Baptista, P. F. Martinus de Ascensione, P. F. Francis-

Gonzaga 1219.

Fern lib. 1. hist. Eccl. c. 27.

Franciſcus Balamus Sacerdotes, & prædicatores, F. Philippus de Ieſu Accolythus, F. Fräciſcus de ſancto Michaele, & F. Gonzales & F. Garzias conuerſi, quorum corpora à militibus cuſtodita, ne à Chriſtianis tollerentur, nouem menſium ſpatio incorrupta permanſerunt.

Nonnullos ab hæreticis occiſos recenſeamus. In Prouincia Franciæ glorioſè occubuerunt Patres, Franciſcus, Dionyſius, Pontanus, Nicolaus à Lotharingia, Ludouicus Gripius, Petrus Bichet, Petrus Stoes, Ioannes Benedictus.

Fern. li. 3. c. 19. Bozius de ſignis 57. c. 23. Gonz. 1 p. pag. 102. In Prouincia Galliæ Pariſienſis, P. Petrus Goſeth, & F. Iulianus Maignenſis concionatores laqueo præfocati ſunt, F. Ioannes Metenſis diaconus poſt dicta tormenta glande ſulphurea ictus, P. F. Ioannes Buni pugione confoſſus victor occubuit. F. Guilielmus de Monte magno primum præciſis naribus, & auribus, mox ſclopetorum pilis extinctus eſt. In terra Bles P. F. Ioannes Voyſin abſciſſis genitalibus in flumen demerſus eſt. Eiuſdē quoque Prouinciæ Pariſinæ martyres numerantur. P. F. Nicolaus Trieti P. F. Liot. P. F. Oliuerius Iulianus, P. F Ioannes Bruſo, P. F. Dominicus Godar, Soror quoque Ioanna parua in conuentu Mauritaniç plumbeis globulis occiſa martyrij aureola decorata eſt. In Prouincia Turonæ pro fide occiſi ſunt PP. FF. Petrus Odius, Iulianus Gileer, Io. Giuidrius Rodulphus Giamer, Ioannes à Luſia.

Fern. l. 3. c. 19. In Prouincia verò Turonenſi P. F. Michael Grelet laqueo ſuſpenſus, qui & Hæreticorum ductoris, antequam præfocaretur, mortem prænunciauit: quod rei exitus cōprobauit: P. F. Petrus Booneau, ſimiliter in patibulo ſuſpenſus eſt; & P. F. Ioannes Virolaut mortem ſæuiſſimam pro Chriſti fide ſuſtinuit. Item ibidem occiſi ſunt P. F Petrus Coſetus, P. F. Guilielmus Cun ctiuinus. In Prouincia Lugdunenſi crudeliter trucidari paſſus eſt P. F. Ioannes Corietto; qui ne caput S. Bonauenturæ Hæreticis, qui eiuſdem corpus in Rhodanum proiecerant reuelaret, crudelem mortem ſuſtinuit, P F. Ioannes Gibboſius truncatis auribus, & naribus, à Caluinicolis in flumen proiectus eſt. P. F. Ioannes Baſſonus, F Franciſcus Borgonius, P. F. Antonius Malinenſis, & P. F. Stephanus Corrantius, ſuo quoque martyrio illuſtre fidei teſtimonium perhibuere. Similiter P. F. Paulus Tonolier, & P. F. Toſantius Forinius à Caluiniſtis interempti ſunt Salua morte etiam trucidati. P. F. Franciſcus Paredius, & F. Claudius Monearetus.

In Prouincia ſancti Ludouici apud montem Peſulanum P. F. Antonius Brunellus cum ſocio, P. F. Pontio Chayſi diaconus; P. Frater Nicolaus Bermundus, & P. F. Andreas Robertus conuerſus, felici agone pariter migrarūt ad Chriſtum, P. F. Baldaſar Pratus, P. F. Ioannes Chaluetus. P. F. Guilielmus Scofre, P. F. Ioannes Lanttet egregie martyriū conſummarunt.

In Prouincia Aquitaniæ P. F. Petrus de Montepulchro, F. Guilielmus Petiachus, F. Stephanus Regnanus, & F. Didacus Lābertus, P. F. Gerardus Malmerius cum alijs decem, & P. Guardianus Conuentus Vauri coronam martyrij adepti ſunt: ſimiliter, & alij multi, qui in Galliarū Prouincijs occiſi, tanquam triumphatores palmam acceperunt. Sic ergo tanquam botri vineæ expreſſæ ſunt hæ animæ ſanctæ, *vt in ſpirituale vinum defluant, quæ carne corruptibili exutæ ad regna cœleſtia, velut in apothecam currant: nam iniuſti, dum iuſtos deprimunt quaſi botros ſub pedibus mittunt; compreſſi autem botri ad ſuperni conuiuij ſacietatem exuberāt, qui prius quaſi in huius aeris libertate pendebant* Rurſus ſub Henrico III. Galliarum Rege perſecutione Hugonotica aduerſus *Ex Greg. mor. c. 23. lib. 16.*

Catho-

Catholicæ in canis symbolo venerare. Et quidem vt verbis Greg Nazianz. vtar, *Canus (ordo noster) non petulantia, atque impudentia, sed vita libertate, non oblatratione, sed recti custodia, noctibusque illis quas pro animarum salute peruigiles traducit. Atque eo etiam nomine canu quia virtutis familiares mulcet, externos latrando insectatur.* Latrando, & tacendo suam fidelitatem ostendens.

In laudem Heronis.

CAPVT XXIV.

De florida, & frugifera vinea nostri temporis Sancti Francisci, gemitibus columba deplorata.

AD Seraphicam Religionem Sancti Francisci oculos dirige. Aspice quot grossos produxit hæc arbor procera, quot sanguine purpuratos præmisit ad Regnũ, nostra & patrum nostrorum memoria. In Prouincia Cumana apud Indos Occiduos, Conuentu in fauillas redacto, P. F. Dionysius, capite fustibus percusso, spiritum Deo reddidit, cæteris Patribus in fugam conuersis. P. F. Bernardus Cussinus ab Indis Chichimecis positus in signum ad sagittas cum illæsus euasisset, sagittis in ipsummet sagittarium retrouersis, demum ab alijs Idololatris cruciatus, & occisus agonem compleuit. P. F. Ioannes de Tapia ab Indis, qui dicuntur Guachichilles, apud Mexicum in montibus de Zapotheca impetitus, Christi hostia effici meruit. P. F. Ioannes Serranus per Indos Zapothecas sagittis confixus victor migrauit ad Christum. Apud Mexicum P. F. Franciscus Lopez à Barbaris telis confossus lauream triumphalem adeptus est: eius in prædicatione comes P. Fr. Ioannes à Sancta Maria è cacumine montis ab Indis præcipitatus ad superos euolauit. In eadem Prouincia Mexicana P. F. Augustinus Rodriquez ab Indis, quos acriter de peccatis arguebat, occiditur. P. F. Alphonsus de Villalobos sagittis transfigi meruit in corpore, cuius cor Christi charitas, quæ ad amorem sagittare nouit, iam pridem vulnerarat. Vitam pariter largiter pro Christo profuderunt ab Indis Mechiocanis, & Xaliuiscanis occisi. P. F. Ioannes Calenes (cuius corpus postea incorruptum, & suauissimè fragrans repertum est) & P. F. Antonius de Collare diuini verbi declamator insignis, & P. F. Franciscus Laurentius cum socio qui capitibus, acutissimis instrumentis dissectis, excarnificati spiritum Deo reddiderunt. Similiter alij martyrium consummarunt. P. F. Franciscus Donzellus Guardianus transfigitur; P. F. Ioannes Pizarius ad collum proprio fune ligatus, per dumeta, & tribulos crudeliter tractus, demum suspensus spiritum Deo reddidit, P. F. Ioannes de Padilla positus vt signum ad sagittas, mori pro Christo meruit & P. F. Ioannes de Ayala à Barbaris capite obtruncatur, similiter & P. F. Paulus de Azeuedo cum socio. F. Ioannes de Ferraria sagittis interempti sunt.

Gonz. p. 4. pag. 1277. ann. 1566.

Vide F. Alphon. Fernand. in concer. prædic. li. 1. c. 14.

Gonz. p. p. de origin. Seraph. relig. pag. 105.

F Marius Vlyssipon. Episc. in hist. Franciscana.

Gonz. p. 4 pag. 1289. & 1 90.

Gonz. pag. 1303. 1338.

In India Orientali P. F. Melchior de Vlysipone Custos Prouinciæ Indiarum, sagittis, & lanceis cõfossus. P. F. Martinus de Guardia capite obtruncatur. P. F. Ioannes Eluasius cũ P. F. Sixto eius socio. P. F. Franciscus itẽ Sacerdos, & P. F. Stephanus Sacerdos, & F. Ioannes Clericus pro confessione fidei immanissime necati, digni habiti sunt corona vitæ. F. Antonius Laicus gentilium gladijs gloriosè occubuit. Apud Iapones in Nagasaqui sex religiosi, martyrum primitiæ eiusdem ordinis, feria sexta in crucem acti, nedum crucem post Dominum portare, sed in ea affigi meruerunt, quorum latera lancea quoque sunt perforata: Nomina eorum quæ singulis crucibus descripta, hæc erant, PP F. Petrus Baptista, P. F. Martinus de Ascensione. P. F. Francis-

Gonzaga 1219.

Fern lib. 1. hist. Eccl. c. 27.

Franciscus Balamus Sacerdotes, & prædicatores, F. Philippus de Iesu Accolythus, F. Fráciscus de sancto Michaele, & F. Gonzales & F. Garzias conuersi, quorum corpora à militibus custodita, ne à Christianis tollerentur, nouem mensium spatio incorrupta permanserunt.

Nonnullos ab hæreticis occisos recenseamus. In Prouincia Franciæ gloriosè occubuerunt Patres, Franciscus, Dionysius, Pontanus, Nicolaus à Lotharingia, Ludouicus Gripius, Petrus Bichet, Petrus Stoes, Ioannes Benedictus.

Ferr. li. 3. c. 19. Bozius de signis 57. c. 23. Gonz. 1 p. pag. 102. In Prouincia Galliæ Parisiensis, F. Petrus Goseth, & F. Iulianus Maignensis concionatores laqueo præfocati sunt, F. Ioannes Metensis diaconus post dicta tormenta glande sulphurea ictus, P. F. Ioannes Buni pugione confossus victor occubuit. F. Guilielmus de Monte magno primum præcisis naribus, & auribus, mox sclopetorum pilis extinctus est. In terra Bles P. F. Ioannes Voysin abscissis genitalibus in flumen demersus est. Eiusdé quoque Prouinciæ Parisinæ martyres numerantur. P. F. Nicolaus Trieti P. F. Liot. P. F. Oliuerius Iulianus, P. F Ioannes Bruso, P. F. Dominicus Godar, Soror quoque Ioanna parua in conuentu Mauritaniç plumbeis globulis occisa martyrij aureola decorata est. In Prouincia Turonæ pro fide occisi sunt PP. FF. Petrus Odius, Iulianus Gileer, Io. Giuidrius Rodulphus Giamer, Ioannes à Lusia.

Ferr. l. 3. c. 19. In Prouincia verò Turonensi P. F. Michael Greler laqueo suspensus, qui & Hæreticorum ductoris, antequam præfocaretur, mortem prænunciauit: quod rei exitus cõprobauit: P. F. Petrus Booneau, similiter in patibulo suspensus est; & P. F. Ioannes Virolaut mortem sæuissimam pro Christi fide sustinuit. Item ibidem occisi sunt P. F Petrus Cosetus, P. F. Guilielmus Cun ctiuinus. In Prouincia Lugdunensi crudeliter trucidari passus est P. F. Ioannes Corietto; qui ne caput S. Bonauenturæ Hæreticis, qui eiusdem corpus in Rhodanum proiecerant reuelaret, crudelem mortem sustinuit, P. F. Ioannes Gibbosius truncatis auribus, & naribus, à Caluinicolis in flumen proiectus est. P. F. Ioannes Bassonus, F Franciscus Borgonius, P. F. Antonius Malinensis, & P. F. Stephanus Corrantius, suo quoque martyrio illustre fidei testimonium perhibuere. Similiter P. F. Paulus Tonolier, & P. F. Tosantius Forinius à Caluinistis interempti sunt Salua morte etiam trucidati. P. F. Franciscus Paredius, & F. Claudius Monearetus.

In Prouincia sancti Ludouici apud montem Pesulanum P. F. Antonius Brunellus cum socio, P. F. Pontio Chaysi diaconus; P. Frater Nicolaus Bermundus, & P. F. Andreas Robertus conuersus, felici agone pariter migrarũt ad Christum, P. F. Baldasar Pratus, P. F. Ioannes Chaluetus. P. F. Guilielmus Scofre, P. F. Ioannes Lantret egregie martyriũ consummarunt.

In Prouincia Aquitaniæ P. F. Petrus de Montepulchro, F. Guilielmus Petiachus, F. Stephanus Regnanus, & F. Didacus Lãbertus, P. F. Gerardus Malmerius cum alijs decem, & P. Guardianus Conuentus Vauri coronam martyrij adepti sunt: similiter, & alij multi, qui in Galliarũ Prouincijs occisi, tanquam triumphatores palmam acceperunt. Sic ergo tanquam botri vineæ expressæ sunt hæ animæ sanctæ, *vt in spirituale vinum defluant, quæ carne corruptibili exutæ ad regna cælestia, velut in apothecam currant: nam iniusti, dum iustos deprimunt quasi botros sub pedibus mittunt; compressi autem botri ad superni conuiuij satietatem exuberãt, qui prius quasi in huius aeris libertate pendebant* Rursus sub Henrico III. Galliarum Rege persecutione Hugonotica aduersus *Ex Greg. mor. c. 23. lib. 16.*

Catho-

Franciſcanis baptizata abſque Hyperbole atteſtatur. P. fr. Andreas ab Olmo anno 1528. eaſdem Indias penetrans, quadraginta tres annos in ijſdem perluſtrãdis, & circuendis vt populos illos ad Chriſtum adduceret, fæliciter inſumpſit. Denique poſt multos exantlatos labores fœliciter obdormiuit in Domino. Multa miracula edita ſunt in eius ſanctitatis teſtimoniũ: nam præterquam quod corpus eius fulgere, & ſuauiter olere viſũ eſt, ex tumuli eius puluere ægris ſanitas quoq; collata perhibetur.

Gonz. ſup. pag 1274. idem pag. 1230.

P. fr. Franciſcus Colmenarius triginta quinque annos expendit in Indorum ſpirituali cultura, tanquam bonus operarius multiformis gratiæ Dei: cuius prædicationem conteſtata ſunt non tam ſigna, quæ Dominus operari dignatus eſt, vt eius litteræ ægrotos à morbo liberarent, quàm dura & acerba (quæ maiora Apoſtolatus ſunt ſigna) quæ pro Chriſto perpeſſus eſt. Ad quem tandem expleto huius curſus agone feliciter aduolauit.

Martinus Philippo. Ep. Port. lib. 8. Gonz. p. 4. pag. 1232.

P. fr. Franciſcus Soto, quem etiam concionantem Indi immenſa luce circumfuſum viderunt. Et Frater Martinus de Ieſu tantæ virtutis, & ſanctitatis fuit vt ſupra ſepulchrum eius cœleſti lumine irradiatus, maximoque fulgore coruſcans viſus ſit.

Gonz. pag. 1229. p. 4.

P. fr. Ioannes de Zumaraga Archiepiſcopus Mexicanus poſt multa virtutum inſignia, & ſollicitam ſui gregis cuſtodiam ſancto fine quieuit. Eius corpus adhuc eſſe integrum fertur, & Deum per eum multa edere mirabilia. Obijt 1548.

Idem pag. 1232.

Fr. Petrus Gandauenſis Laicus poſt centum templa Chriſto dicata, & innumera Gentilium delubra confracta, collegia erecta, & innumeros labores pro Euangelij dilatatione ſuſceptos, ſancto fine migrauit ad Chriſtum. Oblationes in eius funere tot, tantæque fuerunt, vt Cœnobium Mexicanenſe completum ſit. Ferunt cum eſſet impeditæ linguæ, vt vix à fratribus intelligi poſſet, quod eum concionantem Indi diſtinctiſſimè audirent. Obijt anno 1572.

Idem pag. 1236.

P. fr. Toribius Motolinia eximij ſpiritus vir, qui pluuiam ſiccitatis tempore, oratione, qua plurimum delectabatur, impetrauit. Mortis ſuæ articulum præuidit, quæ pretioſa fuit in conſpectu Domini, & laborum ſuorum glorioſus fructus, cum quatuor centum millia Gentilium baptiſmatis vnda reſperſerit, & Chriſto acquiſierit. Eius funus cohoneſtatum eſt præſentia Petri de Ayala Saliſcæ Epiſcopi, qui partem habitus abſcidit in teſtimonium ſanctitatis.

Idem pag. 1237.

P. frater Franciſcus Ximenius vir in excolenda vinea Domini indefeſſus, puritate, & integritate eximius, Deo & hominibus dilectus, regulæ tenaciſſimus obſeruator: qui & Epiſcopatum Tauaſtenſem à Carolo quinto oblatum recuſauit. Sancto fine quieuit in Conuentu Mexicano Sancti Franciſci. Ex aſſeruato eius digito odorem ſpiraſſe, eiuſdemque obitum F. Danieli laico, qui ducentũm viginti milliaribus ab eo Conuentu diſtabat, prædictum eſſe teſtantur.

Idem pag. 1240.

P. fr. Alphonſus de Aſcalona vir Apoſtolicus, qui alias nudis pedibus vna tunica contentus abſque galero iter conficiebat, è Mexicana Prouincia Guatemalam adiuit, vbi cum ætatis ſuæ anno 72. linguam Guatemalam à Mexicana diuerſam in prædicationis gratiam didiciſſet, multam operam in propagatione Euangelij impendiſſet, ſex annorum ſpatio ibidem commorans, cum Prouinciam pedeſter, vt aſſolebat, viſitaret, hyemali tempore in frigidiſſima valle, ei obuiam factus Hiſpanus quidam tantam patientiam admiratus cohibere ſe non potuit, quin diceret. Ob decem pios viros Abrahami tem-

easdem regiones se contulit, vt nouæ culturæ Indorum opem ferret: sed cum crasso esset ingenio totum se tradidit orationi, & contemplationi, nihilque magis ei erat cordi, quàm obedientiæ, humilitatis, & charitatis actibus Deo, & religioni seruire; vnde & octuagenarius ab hac vita discedens, maximam suæ sanctitatis famam posteris reliquit.

7. PP. FF. Rodericus Beneuida, F. Michael Torreionzillo, & Ioannes Bejar strenuè in cultura Indorum laborantes, & virtutibus pariter excolendis intenti, non leue sanctitatis argumentum reliquerunt.

73. P. frater Franciscus Marquina tot in Indorum conuersione progressus fecit, vt cuiuis alteri ex præcipuis dominicæ vineæ in his regionibus cultori sit comparandus, qui laboribus multis pro fidei prædicatione consumptus, maxima opinione sanctitatis, obdormiuit in Domino.

P. frater Martinus Gilberti, tot & tales
Id.1176. fructus in Dominicum horreum intulit, vt vix sibi parem habuerit: religione, & vitæ sanctimonia insignis extitit, qui immensam messem conuertendorum considerans illud Hierem. occinens æstuanti desiderio, *paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis*, ex hac vita migrauit, cuius facies prius pallens, & omnino subnigra statim per mortem rutilans apparuit.

Id.1184. P. frater Martinus à Iesu vnus è duodecim primis Patribus qui ad has oras occiduas appulerunt, cum infinitos infideles, tam prædicatione, quàm incredibili exemplo, angelicoque viuendi modo, idolis confractis, eorumdemque spurcitijs eliminatis, Saluatori nostro peperisset, vniuersæ carnis viam maxima, cum opinione sanctitatis ingressus est.

Id.1390. P. frater Michael Bononiensis sacris suis concionibus innumeros populos è tenebris idololatriæ transtulit ad lumen Catholicæ fidei. Fuit Franciscanæ obseruantissimus, omniumque virtutum decore ornatissimus. vnde vt Sanctus, Deo charus, ac verè cœli incola ab Indis habitus est.

P. frater Franciscus à Turre Prouinciæ Id.ibid. Bæthicæ alũnus, vnus è primis cultoribus fidei Incanat. qui adeo prædicationibus profecit, quod multas Barbaras gentes ad Christianitatem conuertit. Claruit spiritu prophetico, & paulò ante mortem tanta extitit vis orationis eius, vt à terra in aëra subleuatus sit. Cui annectitur. P. frater Didacus Landa, qui post multam messem Incanatorum in horreum Dominicum reportatam, Episcopus ibidem creatus est, super cuius caput, dum è suggestu ad populum sacras conciones haberet, fulgentissimum sydus splendere visum est: & dum Guardianus esset in Dei misericordia sperans, tritici annonâ pro sustentandis fratribus cum sterilis illius anni, adhuc sex menses superessent, minimè sufficienti in pauperes, & alios Ecclesiæ ministros distributa, in fine semestris, eadem penitus mensura frumenti, ac si omnino intacta esset, reperta est.

In Ciuitate Regum, alias Lima, quæ Id.1312. in Prouinciam Franciscanorum sub titulo duodecim Apostolorum erecta est, mortuus est Fr. Alphonsus Alcanzes professione Laicus, qui ob excellentiam virtutum, ab Indis, & Hispanis, vt Dei amicus habebatur.

P. frater Gaspar à Valleuiridi omni vir- Id.1314. tutum genere ornatus, atque strenuus Euangelicæ paupertatis cultor, infideliũ conuersioni toto pectore incumbens vsque ad extremum vitæ halitum, animam creatori reddidit sanctitatis fama post se relicta.

P. fr. Alphonsus Betanzos tot hominum Id.1557. millia Seruatoris nostri suaui iugo subiu-

 gauit,

gauit, vt sit incredibile. Nihil eo modestius, nihil continentius, nihil mitius. Obijt 1565. cuius ossa tum ab Hispanis, tum Indis in maxima veneratione habentur.

Idem pag. 1444. & 1211. In Prouincia S. Thomæ Indiarum orientalium clarus habetur P. frater Ioannes à Soria, maxima sanctitate præditus: qui dum fidelium causas cum maximis lachrymis Deo commendaret instantius, vocem diuinitus sibi illapsam audiuit. *Vigilate, præliamini, & vincetis*: quæ vox vires, & animum Christianis militibus contra rebelles Barbaros addidit, inimicis pauorem incussit.

Idem pag. 1190. In Prouincia Canariæ P. frater Antonius Sosa humilioribus exercitijs, ob suam eximiam humilitatem, voluit occupari, & infirmarij officio (ob eam, qua erat, nedum in Deum, sed in proximum charitate præditus) fungi appetijt: propter quod & meruit infirmum confratrem iam animam agentem porrecto sibi poculo integræ sospitati ex tempore mirabiliter restituere. Similiter ibidem Fr. Petrus de Montibus insigni sanctitate floruit, qui vbi viginti annorum spatio vitam eremiticam instar Sancti Pauli primi Eremitæ transegisset, suæ mortis præscius, octuagenarius habitum Franciscanorum indutus, maxima cum opinione sanctitatis feliciter obdormiuit.

Idem pag. 1190. P. frater Ludouicus Lerma tanta humilitate, & religione, conuersatione ad vltimum vsque halitum perseuerauit, vt certissimam sui exitus horam prænosse dignus fuerit. Ex eius corpore liquor emanat, ex quo leprosus curatus est; alius, similiter puer Laurentius nomine, morti propinquus extemplo conualuit.

In eadem Prouincia clarus habetur F. Michael Laicus professus humilitate, paupertate, charitate insignis, qui per 10. annos in culinę ministerio fratribus voluit inseruire, eam quoque gratiam promeruit, vt inter orandum raptus & à terra abstractus, non semel visus fuerit.

Pater frater Bartholomæus Sacerdos, adeo sacris & diuinis contemplationibus, & meditationibus fuit deditus, vt sæpius in orando eleuatus, & raptus visus sit. E viuis excedens 1581. ob eius vitæ sanctimoniam inter cælicolas aggregatum, constans fuit existimatio. *Idem pag. 1174.*

In Prouincia Granatensi in conuentu sancti Laurentij ibidem gloriosè obijt P. frater Petrus de Angelis, cuius vitam Deo fuisse caram, & acceptabilem in odorem suauitatis, signa per eum patrata demonstrant. *Idem pag. 1161.*

In Prouincia sancti Antonij clarus similiter P. frater Bartholomæus virtutum omnium genere, vnde non vulgaria vitæ sanctissimè anteactæ, post mortem documenta reliquit. *Idem pag. 1148.*

In Prouincia sancti Ioseph viam vniuersæ carnis ingressus est P. frater Alphonsus Zamorra nobilis genere, sed virtutibus illustrior, qui ob singularem deuotionem erga B. Virginem, paulò ante obitum, eius præsentia dignari meruit, ad cuius funus vniuersa Ciuitas Toletana cucurrit. *Idem pag. 1148.*

P. Guardianus Cœnobij sancti Petri Zalomea non sine sanctitatis opinione animam efflauit, de quo illud mirum ad memoriam sempiternam scriptum est, quod cum nihil obsonij fratres haberent, comestiones tempore, ijsdemque mandaretur, vt chorum peterent, & ad diuinam maiestatem oculos attollerent, repente morem gerentibus adfuit, qui cibaria afferret: quo facto, vt diuinam largitatem, & prouidentiam paupertas sancta ad oculum experiretur, obtinuit. *Idem pag. 1148.*

P. frater Gaspar nouitiorum Magister gloriosè *Idem ibid.*

gloriosè deceſſit, hic inter cæteras virtutes illud promeruit, vt mulierem ab oculorum grauedine ipſo die Aſcenſionis Dominicæ recitato ſuper eam Euangelio extemplo liberaret.

Fr. Ioannes Linarius laicus perpetuo fermè ieiunio corpori bellum indixit; illumque ſpiritum quo religionem ingreſſus eſt, vſque ad vltimum vitæ terminum conſeruauit; maximaque virtutum laude vſque ad extremum perſeuerans in Domino feliciter obdormiuit.

F. Didacus laicus, & fr. Antonius Secu-re, & P. fr. Hieronymus à Torregionzillo, & P. frat. Narciſſus Iuuam, & P. fra. Ioſeph Albizus omni virtutum genere referti migrarunt ad Dominum; quibus additur P. frat. Melchior à Gratia vir orationis, & meditationis aſſiduæ, & tàm erga Deum, quàm erga proximum ardentiſſimæ charitatis, qui infirmis fratribus graſſante lue, obſecuturus, eadem infirmitate correptus feliciter diem clauſit extremum.

B. P. frat. Petrus Alcantarenſis cum extrema abſtinentia, iugi oratione, & cœleſtium rerum humanarum contemplatione, ſui ipſius deiectione, familiarem conuerſationem, vrbanam, non diſſolutam, hilarem, ſed ſale conditam, grauem, & religioſam adiunxit. In voluntaria paupertate, & inuicta patientia, cordis puritate, ſpiritufque feruore 47. annorum ſpatio Deo exhibens famulatum, cuius ſanctitatem, ſpiritus propheticus, & per eum patentiſſima miracula perpetrata, ſatis ſuperque demonſtrant, vnde meritò à Sede Apoſtolica Beatorum albo adſcriptus eſt.

Fr. Alphonſus de Erena cum ſub Carolo V. vexillis militaſſet, Regi Regum Domino glorioſus militauit, adeo laudabiliter viuens, vt de hoſte humani generis illuſtres triumphos reportarit, feliciter in Domino obdormiens. Et P. fr. Leo Luſitanus ſalutis animarum ſitientiſſimus, qui licet grauiſſimis implicaretur infirmitatibus, atque doloribus, nunquam alicui Sacramentalis confeſſionis exceptionem denegauit, vnde à patriæ accolis in ſanctitatis opinione clarus habetur. Alij plures ex eadem Prouincia tanquam ex equo Troiano illuſtres fratres prodierunt cum ſanctitatis fama.

In Prouincia Cathaloniæ F. Saluator Alphonſus laicus, vir magnæ puritatis, & ſimplicitatis, abſtinentiæ, & charitatis, ita enituit, vt Deus omnipotens, qui humilia reſpicit, & alta à longè cognoſcit, illum in vita, & poſt mortem miraculis cohoneſtarit, mutis enim loquelam, auditum ſurdis, cæcis viſum mirabiliter reſtituiſſe ferunt. Claruit 1519. *Id. p.1114.*

In Prouincia Valentiæ claruit fr. Gulielmus Spoletinus profeſſione laicus, virtutibus, ſpiritu prophetico, & alijs prærogatiuis à Deo cohoneſtatus, obijt an. 1582. *Id. p.1085.*

P. frat. Nicolaus Factor eodem fermè tempore 1583. obijt vir omni virtutum genere ornatus, miraculis tam in vita quam in morte, & ſpiritu prophetico coruſcans, de quo adhuc viuente B. P. frat. Ludouicus Beltrandus dicere ſolebat. Pater Nicolaus Factor cum huius mūdi accola ſit, Paradiſum obtinet, atque cœleſtibus, alterius vitæ delitijs, fruitur. *Id. p.108.* *Extat vita eius à Chriſtoph. Moreno deſcripta.*

P. fr. Hieronymus Steue Sacerdos mortem obijt anno 1580. vir omni virtutum genere excultus, qui ſæpiùs inter orandum adeo diuinis myſterijs contemplandis immergebatur, vt nil eorum, quæ circa ſe agebantur ſentiret, mira commiſeratione pauperes Chriſti fouebat; prophetico ſpiritu donatus plurima euentura certiſſimè prædixit. *Id. p.1091*

In Inſula Sardiniæ in Almo Conuentu S. Petri Calaritano, Fr. Saluator ab Horta *Id. p.1078*

Laicus requiescit, qui cum ob suam sanctitatem, & curationum gratiam, tam in Regno Valentiæ, quam in Principatu Cataloniæ, maximi fieret, popularem auram euitare volens, in Insulam istam transfretauit. 1565. sanctoque fine ibidem quieuit, cuius corpus incorruptum, atque tractabile repertum est, & magna frequẽtia tumulus eius à Calarensibus honoratur.

Id. p.972. & 997. In Germania Inferiori viuus, & mortuus claruit miraculis Pater frater Theodoricus Monasteriensis, qui obijt 1516. de quo compertum est diem sui obitus diuinitus prædixisse.

Fr. Iacobus Diest Laicus suæ professionis zelator feruidus, laboriosæ peregrinationis suæ cursum feliciter consummauit, in Conuentu Traiectensi.

Id.p.961. In Prouincia S. Gabrielis in Lusitania Pater fr. Antonius Alcantarensis vir profundissimæ humilitatis, atq; ardentissimæ charitatis, obijt cum sanctitatis opinione, cuius corpus quadriennio post funus elapso 1569. suauissimè redolens, atque omnino incorruptum sese contuentibus præbuit.

Id. p.960. Fr. Ioannes à Capraria Laicus vir eximia charitate præditus, & feruentissimæ orationes spiritu dæmonibus formidabilis, quorum plures ab arreptitijs signo crucis longè abegit. 1575. in Conuentu Valliviridis, pro vt ipse ex diuina reuelatione didicerat, atque prædixerat, diem clausit extremum, cuius corpus post quinquennium incorruptioni vitæ correspondens integrum, & incorruptum repertum est.

Id.p.955. Pater frater Alphonsus de Mazanete vir eximiæ charitatis, quam excolens vsque ad extremum vitæ spiritum, cum maxima sanctitatis fama è viuis excedens ad Cœlos euolauit 1569.

Pater frater Antonius Lopez S. Francisci spiritum æmulatus per omnia, diem clausit extremum 1559. cuius corpus post multum temporis integrum, suauiter redolens (vt tota domus repleta esset odore fragrantissimo) inuentum est.

Id. p.952. Pater frater Franciscus à Villis bonis post virtutum diuturnam, & indefessam vsque ad mortem (quam etiam prædixit) exercitationem, viam vniuersæ carnis ingressus est anno 1566.

Id.p.942. In Prouincia Pietatis clarus sanctitate extitit Pater Antonius Nebursensis, in vita, & in morte miraculis decorus, quæ per Episcopum Algarbiorum recensita in suis archiuijs asseruantur, spiritu prophetico fuit præditus, qui & sui obitus diem, diuinitus quoque prædixit.

P. fratres Franciscus Gatta laicus professus, qui tam in vita, quam in morte miraculis coruscauit, eandem quoque Prouinciam illustrat.

Id. p.936. In Prouincia Angelorum præsenti seculo valedixit frater Alphonsus de Antiqua mellaria laicus professus, qui pari voto, dum esset in seculo cum coniuge, quam intactam seruauit castitatem vouens, vinculis coniugij illa defuncta absolutus, religionem seraphicam ingressus, perpetuo voto solemni cum alijs votis excoluit; eius sanctitas ex spiritu prophetico, & miraculis, tam in vita, quam in morte patratis satis innotuit.

Id.p.9[?] In Prouincia Bethica Frater Didacus Gusmanus nobilitate illustris, sed virtutibus clarior habitus est, ad cuius funus sponte concursu populorum facto, quanti meriti fuerit apud Deum, demonstratum est.

Id.p.55[?] Pater frater Petrus à Turribus de cuius integritate, & candore Generalis Gonzaga tale reddit testimonium, quod in obitu eius idem accidit, quod in morte Beati Antonij Patauini; celantibus enim eius obitum Religiosis, à pueris, iuue-

iuuenibus, & senibus conclamatum est: Mortuus est vir sanctus frater Petrus. Vnde ad exequias vniuerso populo confluente, vix sepulturæ mandari potuit.

1. In Prouincia Conceptionis enituit Pater Zumaraga primus Mexicanorum Episcopus, qui vitam regularem cum Episcopali onere adiungens, meruit quoque, vt signis coruscaret. In eadem Prouincia cum opinione sanctitatis accessit Pater frater Bernardinus de Areualo, qui singularem abstinentiam cum feruentissima humilitate, incredibili patientia, atque ardentissima charitate copulauit, cuius vestes in eius funere, qui ad manus deuotè osculandas venerant, præciderunt.

.869. Similiter Patrem fratrem Ioannem Calaguritanum in abstinentia, & oratione insignem, miracula edidisse ferunt; obijt 1575. ibidem.

p.869. Pater frater Alphonsus à Nebreda laicus, cuius vita nihil aliud quàm omnium virtutum speculum fuit, animam suo creatori restituit cum sanctitatis fama.

862. 869. Pater frater Franciscus à Vesa omnium virtutum diligentissimus cultor, an. 1556. è vita sublatus maximam post se sanctitatis famam reliquit; cui non absimilis fuit mors pretiosa,

Patris fratris Hieronymi Oliuarij, ad cuius funus vniuersus populus cucurrit, felicemque se existimabat, qui vel tantillum religiosi habitus præcidisset.

...t. 2. p. p.252. Pater frater Bartholomæus de Anglario in Prouincia Tusciæ, obijt gloriose. Fuit autem hic Pater venerabilis, clarus virtutibus, eximijs meritis, omni sanctitate insignis, qui cœlestis potius quàm terrenis homo videbatur, fuit in oratione assiduus, ac feruentissimus, vnde sæpius inter orandum à terra subleuatus visus est; cum sanctitatis fama diem clausit extremum, apud Empolim in Rusica.

In Prouincia S. Angeli Pater frater Sebastianus à Celento claruit, qui adhuc viuens iuuenem à grauissima, qua detinebatur infirmitate liberauit, & moriens, cum sibi passionem Dominicam secundùm Ioannem legi rogasset, & ad eum locum deueniens, *& inclinato capite emisit spiritum*, animam creatori reddidit. 1554. Obierunt quoque ibidem frater Pater Aloysius à Galionisio vir suæ professionis zelantissimus, qui plurimos infirmos adhuc viuens curauit: & venerabiles Patres fratres Archangelus de Agnone, Illuminatus de Slauis, Paulus de Roio, & Christophorus de Campobasso, omnes viri, ac religiosissimi, ac spectantissimi, qui hoc tempore claruerunt. Id. p.422.

In Prouincia Calabriæ in Conuentu S. Bernardini Rossani obijt 1540. venerabilis, ac probatissimæ vitæ Pater frater Petrus de Padulis, qui cum adhuc benè valeret, diem sui obitus certissimè prædixit. Eius anima cum corpus linqueret in præfulgidi syderis formam cœlos petere Gubernatori Rossanensium, & alijs visa est, eiusque corpus per plurimos ab obitu dies palpabile repertum est. Id. p.543.

In Conuentu Tabernensi sepultus iacet Pater frat. Matthæus à Messuraca, cuius pietas, abstinentia, humilitas, paupertas, atque prompta obedientia incredibiles fuêre, quapropter tum in vita, tum in morte miraculis clarere meruit, nam & Faustinam quandam à grauissima, qua laborabat paralysi, statim ab obitu liberauit, ac plurimis alijs infirmis ad eius sepulchrum accedentibus, amissam sospitatem restituit. Id. p.144.

In Prouincia Siciliæ Simon à Calaxibetta Religiosus magnę sanctitatis, ac paupertatis Euangelicæ zelator maximus, vnico eoque rudi habitu contentus, nudis pedi- *Ex Iconibus, & Proces. & relat. confess. iussu*

Illustriss. Protecto. & Reuer. P.Gener.

pedibus incedebat. Reformationi Prouinciæ Siciliæ initium dedit vigore Bullæ Fel.Rec. Clementis VII. In vita, & post mortem signis claruit, in eius transitu à B. fratre Francisco, ac SS.alijs visitari meruit; Obijt an. Dom.1546.in Conuentu S. Annæ Iulianæ,ibique corpus eius magna cum veneratione habetur.

Fr. Bonauentura à Melita,charitate flagrabat eximia;pœnitentia, & simplicitate magnificus;vigilijs, & orationibus insistebat attētè; cum decachordo mariales preces persoluēdo,coram Virgine matre Domini pernoctabat. Miraculis clarus petijt cœlestia regna,Anno Dom.1576. iacet in Conuentu S.Viti Agrigenti.

Fr.Thomas à Calatayerone virtutibus fere omnibus micans, charitate præsertim exurens, orauit ad Dominum, vt cessante ciuium peste,ipse solus pro omnibus pateretur,& quod petijt,accepit, sicque soluto corpore ex epidimia migrauit ad cœlum, Anno Dom.1576. corpus eius conditum est in Conuentu S.Petri Platiæ.

Fr.Ludouicus à Calatayerone carnem flagellis conterens, continuè ieiunauit, multisque lustris pane, & aqua contentus. Orabat indefesse,extasi,& spiritu prophetico præditus.Post mortem,sicut & in vita miraculis claruit,obijt in Conuentu Platię anno 1579.

Venerabilis P.fr.Cherubinus à S.Lucia virtutibus fulgebat eximijs, quas inter virginitatem perpetuò coluit.Quotidie ieiunabat, vino abstinebat, pro tunica, & femoralibus cilicium adhibuit: fuit pœnitētiæ cultor, in contemplatione ecstaticus, & clarus miraculis,obdormiuit in Domino,anno Dom.1577.in cuius transitu B.P. S.Franciscus apparuit, cum quo ipse volauit in cœlum; corpus verò eius asseruatur in D. Nicolai Agrigentini Ecclesia.

Frat.Benedictus à SS, Fratelli, puritate, simplicitate, spiritu prophetico,ecstasique donatus, viuus, & mortuus edidit plurima signa,mortuum quoque vocauit ad vitam, corpus verò eius in Conuentu S.Mariæ Iesu Panormi maxima deuotione colitur, in quo vitam cum morte mutauit, annò Domini 1589.

V.P.fr.Wilielmus à Calatayerone suæ Regulæ obseruantissimus, in oratione assiduus,in vita magnæ existimationis apud omnes fuit, quemque Dominus, quoad vixit, spiritu prophetico, & post mortem miraculis illustrem reddidit,obijt in Conuentu S.Petri Platiæ, anno Dom.1592.

V.P.fr.Innocentius à S.Lucia, carnem rebellem edomans, humi cubabat, ferrea subucula vtebatur; quotidie ieiunabat,in vigilijs,orationeque ecstasi,& spiritu prophetico præditus, in prædicatione vitiorū reprehensor acerrimus, sui obitus diem prædicens, miraculis in vita, & morte coruscans obdormiuit in Domino, desiderio Martyr, an.Dom.1595. iacet in Conuentu S.Mariæ Iesu Platiæ.

Fr. Ægidius ab Agrigento præter virtutes omnes,patientia in infirmitate multorum annorum maximè eniruit,& dono lachrymarum;insignitus fuit spiritu prophetico,multa prædicens, obijt in Conuentu S.Nicolai Agrig.anno Domini 1602. post mortem,sicut & in vita, signis claruit.

Fr.Dominicus à Calabria, à prima sua conuersione lapsus, dehinc iterum conuersus coram summo Iudice sistitur,à quo 44.annorum pœnitentiæ agēdæ inducias in Religione promeruit,vbi ferè omnibus virtutibus, spiritu prophetico, ac gratia contemplationis resplenduit. Miraculis in vita, & post mortem clarus obijt anno Domini 1603. in Conuentu S.Mariæ Iesu Nicoxiæ.

V. P. frat.Angelus à Calatayerone, vir fuit ferè omnium virtutū copia insignitus,

chari-

charitate præcipuè, & humilitate enituit, orationi magno cum feruore deditus, multa spiritu prophetico prædixit; cum quinquagesimum secundum suæ professionis annum attigisset migrauit ad Dominum anno Salut. 1610. in Conuentu Montis Salui Ciuit. Ennæ: quo tempore sacerdotali ornatu decoratus, à Christo Dom. in Sanctorum, & beatorum cætum recipi visus est, cuius corpus Diocesanus Antistes honorificè collocari mandauit, & quotidie miraculis coruscat.

Frater Seraphinus à Francoforte in oratione, & contemplatione assiduus, in pœnitentia rigidissimus, cinctus enim catenis, & cilicio indutus, ac de inuisibili inimico, cum quo visibiliter sæpius certabat, coronam victoriæ reportabat. Obijt in Conuentu Messanæ anno Domin. 1616. ac post mortem, sicut & in vita, miraculis claruit.

Frater Franciscus à Camerota, stultitiam illam, quam elegit Deus, vt confundat huius mundi sapientes familiarem habuit, nā stultus ab hominibus existimari cupiebat, rudi tunica, cilicioque contentus, nudis pedibus incedens sæpius ieiunabat, diem mortis suæ prædixit, ac miraculis clarus quieuit in Domino in Conuentu Burgij, anno Saluat. 1614.

Frater Franciscus à Calabria tertij ordinis in ieiunijs, vigilijs, & oratione, etiam in extrema senectute vsque in finem perseuerauit. Obijt Panhormi in Conuentu S. Mariæ Iesu, anno Domini 1567. ætatis suæ 112. virtutibus clarus.

Frater Vincentius à Nicoxia in austeritate, & patientia præcipuè enituit, erga Beatam Virginem Mariam deuotione singulari flagrabat. Diem mortis suæ prædixit, & miraculis illustratus, obdormiuit in Domino anno Saluatoris 1602. Iacet Panhormi.

Frater Didacus à Sinagra huius sæculi pompas contemnens, in oratione, vigilijs, extremaque paupertate vitam duxit: quotidie in pane, & aqua ieiunabat, ferrea subucula, loco tunicæ vtebatur. Clarus miraculis euolauit in Cœlum anno 1602. Iacet in Ciuitate S. Philippi.

Soror Margarita Calaxibetta à Platea, Virgo adhuc in cunabulis lac semel in diebus ieiunij sugebat, perfectioni virtutum, & assiduæ contemplationi vacans, Angelorum obsequio victum recipere meruit: multa ventura prædixit, clara virtutibus migrauit ad Sponsum anno Domini 1560. Iacet in Conuentu S. Mariæ Iesu Platiæ.

Soror Hieronyma à Messana Vidua magnæ sanctitatis, & admirabilis pœnitentiæ, in antro quodam solitariam vitam agens humi cubabat, quotidie in pane, & aqua ieiunabat, & demum post 40. annos in eodem loco migrauit ad Cœlum anno Domini 1590. Iacet Panormi in S. Maria Iesu.

Soror Archangela Iardexa à Platea virgo 36. annorum languore correpta admirabilis extitit patientiæ, contemplationi vacans dulcem puerum Iesum nocte natiuitatis, suis in vlnis recipere meruit, eiusdemque passionis dolores in languenti corpusculo sensit: transiuit ad Sponsum sanctitate, & signis præclara anno Domini 1598. iacet in ædibus Sancti Petri Platiæ.

Soror Clara à Catana vidua, diuitias, nobilitatem, patriam, suosque relinquens, omnibus incognita in solitudinem secessit, ibique in assidua contemplatione, pœnitentia, & voluntaria paupertate perseuerans, labore, ac meditatione victitabat: multa antequam euenirent prædixit: obdormiuit in Domino anno Salu. 1617. Iacet in S. Maria Iesu Panhormi.

Ex fide dignis relationibus PP. Minorū conuētualium.

Ex familia verò, quam conuentualium vocant, clari nouissimi Patres habentur ex vitæ sanctimonia P.fr. Trebatius Pennensis in Marchia insignis Theologus, & Concionator. Hic quo maior apud populos, eo seipso minor æstimabitur sui, terrenarumque rerum contemptu: nihil aliud erat cordi, nisi peccatores lucrari, aspero cilicio vtebatur; nudis pedibus discurrebat per Ciuitates, & Castella annuncians verbum Dei, si forte eos ad pœnitentiam posset euocare, moritur cum sanctitatis opinione.

Pater frat. Philippus Gesualdus de Castro-villarum vbi 30. annorum spatio cathedram Magistralem rexisset Pataiuij, in Generalem assumptus tanta exemplaritate effulsit, in victus parcitate, in indumenti simplicitate, in carnis maceratione cilicijs, & humi cubationibus carnem spiritui subijciendo, vt meritò conuentualis familiæ Minister generalis institutus à Clemente VIII. & confirmatus per nouem annos reformationi multum insudarit. Episcopus creatus nihil de vitæ religiosæ austeritate diminuens, perfectionem religiosam cum suprema Præsulatus perfectione coniungens, viuens norma religiosorum Prælatorum, & moriens cum opinione perfectionis non leui habitus est.

Pater fr. Iulius à Montefilatrano eminenti doctrina, insigniq; bonitate enituit, præcipuè tamen simplicitate, & vitæ puritate, postquam 20. annorum spacio cathedram rexisset in studio sapientię Romano, Episcopus S. Agathæ Gothorum creatus, ibidem cum ædificatione diem clausit extremum.

Pater frater Trebatius Pennensis doctus Theologus, & insignis concionator, seipsum sui contemptu deijciebat in animo, & foris: macerabat carnem asperrimo cilicio indutus: discalceatus incedens, solo pane, & aqua contentus; per Ciuitates, & Castella discurrens, vt animas Christo lucrifaceret, moritur cum sanctitatis opinione.

Pater fr. Petrus Radulphius à Tusignano concionator eminentissimus, Lector Patauinus, tanta puritate enituit, vt eo titulo, & elogio à primis Italiæ principibus honestaretur. Creatus Episcopus Senogalliensis, gregem suum tanta exemplaritate pauit, vt à Christo Domino pastorū principe, tot virtutum actus (sancto fine quiescente) remuneratos abundè, pietas populorum non temerè conceperit.

P.fr. Octauianus Rauennas Pataiuij 40. annis cathedram magistralem rexit, sed animam suam Theologiam mysticam edocebat, opere implens quod ore docebat: cuius fama bonitatis, & disciplinæ permotus Clemens VIII. ad ciuitatem Bononiēsem transmisit, vt suis litteris quoque ciuitatem illam studijs celebrem illustraret; sed senio confectus breui viuis concessit; & luctu maximo tam perfecti viri exitus apud Dominum preciosus, ab illa ciuitate deploratus est.

P.fr. Philippus Rauennas Oblatus eximiæ charitatis, & simplicitatis Vir, austeritatis incredibilis. Oratione feruentissima præ cæteris virtutibus Deum promeruit. Discalceatus semper incessit, & stipē ostiatim petens, eam pauperibus, & egentibus distribuebat, noctu flagris vsque ad sanguinem corpus suum cædebat, viuens sanctitate illustris habitus est, & Romæ cum sanctitatis opinione moritur, quod & suspensa vota in Ecclesia SS. Apostolorum testantur.

P.fr. Bartholomæus Agricola Sacerdos natione Germanus ex infidelibus parentibus ortus, ijsdemq; in infidelitate relictis S. Francisco nomē dedit: illius religionem professus: paupertatis cultor eximius, & regulæ obseruantissimus, ad magnum perfe-

ctionis apicem peruenit, vitæ irreprehēsibilis, erga ægrotos prælertim magnam exhibēs benignitatem in Zenodochijs, quos suis cibabat manibus, & obsequio recreabat. Eius mortem nō obscuris indicijs Dominus, cui in abscondito placere studuit, manifestauit, quæ diligenti examine cum virtutibus præclarissimis ordinaria auctoritate, iuris ordine seruato recipiuntur. Obijt Neapoli an. 1622. & in templo S. Laurentij corpus asseruatur.

Fr. Apostolus Oblatus Apostolicā paupertatem, & tolerantiam egregiè imitatus fragilem, & caducam vitam, in æternam, & immarcessibilem in cœlis conseruatam visus est commutasse. Mortuus est Neapoli in Conuentu S. Luciæ.

Sed non parum laudis Franciscanorum Familiæ accrescit, quod his temporibus varijs reformationibus primæuum feruorem Seraphici instituti quidam venerabiles Patres innouarunt, & veluti Phœnix senio confecta asperrimæ regulæ ligna odorifera colligentes, & ad ardentem solis sui institutoris oculos dirigentes, ignem ardentem desiderij alis excutientes, se ipsos, vt hostiam viuam concremandos, tanquā de suo funere, rursus euigilantes, velut caro rediuiua phœnicis in ea illustris surrexit, quam sol, & cinname coxerant charitatis.

Ex Marul. ex Ocean. Religion. Inter eos primatum obtinet Pater fr. Matthæus Barci de Minorum familia, qui anno 1525. in Marchia Anconitana cum ad Cœnobium pro defuncti officio persoluendo pergeret, obuiam factus pauperi ob hyemem, & nuditatem algenti, se continere non potuit, quin pannos quosdam laneos ad illum tegendum promptè elargiretur, quod vbi factum est non secus, ac S. Francisco antequam religionem fundaret, accidit, ab oculis eius pauper, qui Christi Domini personam absque dubio gerebat, euanuit. Tanta illico spirituali dulcedine perfusus, pauperis illius idæam memoriæ suæ infigens Christum, multo lachrymarum imbre genas irrigans imitari desiderans obnixè rogabat, vt quod sibi placitū esset dignaretur afflare. Nulla mora diuinitus illi aspiratum est, vt eum indueretur habitum, quem primitus fundatorem gestasse cōpertum erat, tertiò quoque ad eum voce elapsa: *Serua regulam secundùm litteram.* Ad hoc opus se accingens, manum misit ad fortia, pannosis indumētis indutus, summum Pontificem adijt, vt summi Sacerdotis beneplacito, & assensu eam habitus formam gestaret, quod & impetrauit. Diuinitus iterum admonitus, vt diuinum verbum prædicaret, tanto spiritus feruore hoc ministerium adimpleuit Romæ, & postea per Marchiam discurrens, & euangelizans regnum Dei, vt multarum animarum messis in horreis Dei reconderetur. Paulò post Pat. frat. Matthæo adiungitur frat. Franciscus de Cartoceto cum quodam discipulo frat. Pacifico, cui diuinitus mentis oculis, cum carneis oculis orbatus esset, ostensum est, habitum quem nuper assumpserat frater Matthæus, eum habitus formam habere, quam S. Frenciscus assumpserat. Eidem sodalitio non multò post adiuncti P. frat. Ludouicus de Fossambruni cum fr. Raphaele, & P. fr. Paulo Chiotra maximo spiritus feruore adiuncti, qui & primum, nouumque Capuccinorum Conuentum ædificarunt, ad quem deinceps conuolarunt P. fr. Marius, P. fr. Angelus Iunodatus, alter P. fr. Matthæus de Salnio, & P. fr. Bernardin. de Offida, & alij vsq; ad num. 12. Primò verò Capitulo celebrato in Generalē elegerāt P. F. Matthæum Barci, sed vt expeditius animarum cōuersioni intēderet, talem præfecturā à se abdicari obnixè postulauit, eius in locum succedente P. F. Ludouico Fossambruni.

bruni. Igitur Prælationis onere deposito, prædicationi se totum tradidit, vitia detestando, virtutum culturam inculcando. Sed volens Deus huius plantationis restauratorem æternis præmijs remunerare, Venetijs anno 1528. animam bonis operibus cumulatam, atque refertam ad se euocauit. Hunc in vita, & in morte miraculis illustratum constans, & certa fama est. Illa in vita inter mira recensentur, quod anno 1528. dum leprosis, & lue pestilentissima percussis, Senis in Zenodochio inseruit, à contagio præseruatus est, & dum animaret Catholicos, vt intrepidè præliarentur bella Domini aduersus hæreticos sub Landgrauio militantes, quamuis in acie vbi pondus, & prælium tanquam scopum, & signum plumbearum gladubarum se constitueret, illæsus seruatus est.

Post mortem P. fr. Matthæi pusillus iste grex multiplicari cępit, dum enim P. frat. Ludouicus Generalis ad propagationem huius renouati germinis intenderet, P. fr. Ludouicus Rhegiensis cum fr. Bernardino Georgio eiusdem vitæ rationem susceperunt in prouincia Calabriæ, quibus (vt vinum nouū lætitię spiritualis in nouos vtres reponeretur) adiungi etiam voluerant P. fr. Franciscus Dalō Rhegiensis, P. fr. Bernardinus à Bisiniano, fr. Ioannes Candela, & fr. Ioannes de Terranoua, & alij. Verum quia gubernatoris peritiam non probat temperies serena, sed procellosa tempestas, mox Diaboli vento furente persecutorum procellæ, vulgi nubes, potestatum fluctus, rabies perditorum, populorum gurgites, tonitrua perfidorum mugire, resonare visa sunt, vt paruulæ ratis vnum esset discrimen, vnumque naufragium. At auspicante Deo sedatæ procellæ, cessarunt venti, *imber* quoque *abijt, & recessit, flores apparuerunt in terra* ista, cui benedixit Dominus, cuius fragrantia oblectati populi mirificè in via Dei profecerunt. Siquidem quantum in illis vilis videbatur aspectus, tantum interius obseruabatur profectus. Erant enim censu pauperes, sed innocentia locupletes, loco humiles, sed sanctitate sublimes, omni seculi pompa destituti, sed simplicitate pretiosi, obscuri ex solitudine, at vitæ merito perlucētes, labore communes, sed proposito singulares, adiuncti vigilijs, sed ad cœlestes excubias iam vocati, negati dignitatibus, honoribus non negati, iniurijs ducti, sed iniurijs nō relicti. Hinc laxantes retia Apostolica, Apostolici viri cęperunt vitalis escæ iactu, hamo cœlestis verbi, exemplo quoq; vitæ de mortis gurgite, animas ad lucem attollere sempiternam. Hoc modo iterum renouari seraphica religio visa est, vbi iterum Aluerniæ pinguescunt speciosa deserti, & exultatione colles accinguntur.

Non desunt in hac vinea sapientia, & eruditione referti, qui scriptis, & concionibus hanc familiam illustrarunt. Vetera non memoro, sed quæ diebus nostris contrectauimus. Quis Trigosij eruditionem non admiretur, qui omnium primus Sanctum Bonauenturam in eam formam disposuit, qua summa S. Thomæ disposita est, eamque doctissimis commentarijs illustrauit? Quis vberem doctrinam P. frat. Zacharię Bouerij non suspiciet, qui aduersus hæreses Nouatorum plurima elaborauit, mirè de hostibus triumphans? Quis omnes numeret scriptores?

At quis silentio præterire potest P. fr. Ludouicum Lupum, qui è suggestu contra vitia inclamans, alter Paulus acclamabatur.

Quis dignis encomijs non celebret P. fr. Anselmum Monopolitanum, qui Apostolici Palatij concionator, ob vitæ, & doctrinę claritatem sacro Collegio Cardinalium primus Capuccinorum adnumeratus est à Clemente VIII. quem Pontificem Inno-

Innocentij, Bonifacij, Zozimi vestigia sequentem, & pro gratia victrice, eiusque energia indefesse laborantem, maximè adiuuit doctrina, & cõsilio. Qui licet ambo, dum definitio tractabatur causæ controuersæ, è viuis excesserint, inscrutabili consilio Dei id factum est, nec enim incertas coniecturas meditari debemus; Sed si eam adducerem, vt verbis S. Prosperi vtar Epistola ad Ruff. *Hunc ipsum in longiora progressum, ideo à* DEO *tardius reuocari, vt opus gratiæ eius maiori gloria celebretur*, non essem insipiens. Sed quis innumeram doctissimorum virorum turbam dinumeret?

Quare sicut inter cætera miracula, quæ Dominus gessit in terra, illud inter alia enituit, quod in paucis simplicibus totum mundum, & omnem sapientiæ eius altitudinem sibi subiugauit, ita per hos Fratres omnem fastum Mundi, & gloriam seculi confundit. *Videte* (illis quoque dici potest) *vocationem vestram, quoniam non multi nobiles, non multi sapientes secundùm carnem, sed infirma mundi eligit, vt fortia quæque confundat. Vbi sapiens inter vos? vbi scriba? vbi conquisitor huius seculi?* nam, & si multi sint & innumerabiles eximia eruditione referti inter eos, per simplices tamen sapientes idem conuertit quotidie, qui Reges olim, & Philosophos huius mundi per eosdem attraxit. Vestra namque simplicitas, iam multos prouocat ad æmulationem. Vestra sufficientissima, & altissima paupertas, iam multorum cõfundit cupiditatem. Vestrum secretum, iam earum rerum, quæ tumultum faciunt, vel facere videntur, pluribus incutit horrorem. Altissima est professio vestra, cœlos transit, par Angelis est, angelicæ similis puritati. Degentes enim in cellis, excluso à vobis toto seculo, totos vos inclusistis cum Deo, & quod geritur in cellis, hoc & in cœlis, ibi enim iugiter vacatis gustando, *quam suauis est Dominus*, quod; & faciunt Angeli in cœlo, vnde & cellæ similiter pro cœlis, & æquè delectamini in cellis, ac in cœlis. Studia quoque vestra (vtpote eruditam Seraphici Doctoris doctrinam sectãtes) non sunt cauillantia, non garrula, sed spiritualia, pacifica, & humilia humilibus consentientia, in quibus adeo profecistis, vt prædicatione vestra, non in humanis sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, & virtutis, praui multorum Catholicorum mores indies emendentur, & hæretici innumeri austeritate, mortificatione, exemplo conuersationis vestræ frequentissimè eieratis erroribus ad caulas Dominici gregis reducantur. Et vt mundo innotesceret, quanti meriti apud Deum esset congregatio ista, multis alijsque spectatissimis viris sanctitate præstantibus, decorata est.

1 Cor. 1.

Aspice Patrem Fratrem Bernardinum de Georgio, qui vitæ asperitate, & cœlesti conuersatione eandem illustrauit abundè.

P. fr. Franciscus Rhegiensis dictus Palomon dono contemplationis præ cæteris virtutibus insignitus est, vt viuentem adiuuaret eum Deus vultu suo, specieque summi boni, contemplantem alliceret, & à cõtemplatione viæ ad patriæ contemplationem (contemplando enim mortuus est) eundem perduxerit.

Pater fr. Bernardinus Bisinianensis hæreticorum Lutheranorum, qui tunc orti sunt, malleus fortissimus, eandem, quam verbo tutatus est fidem, exemplo, & vitæ sanctitate obsignauit.

Pater fr. Bernardinus Astensis omni virtutum genere exornatus, inter cetera in voluntaria subiectione, & sui deiectione excelluit, vt quò infra se descendere, supra se ascendere meruit, & humiliando se magis proficeret; vt quoque humilem spiritu susciperet gloria.

Pater fr. Ioannes de Fano velut alter Saulus Paulus effectus, admirabili conuersione,

ßione, diuitias gratiæ Dei mirificè commendauit, vt fuerint lachrymæ eius panes die, ac nocte, faciens dignos fructus pœnitentiæ, vt multum sit dimissum, quoniam dilexit multum, eoque magis viam mandatorum, ac consiliorum feruenter cucurrit, quo se recolebat illicita patrasse, vt multò preciosior fuerit vita ardens amore post culpam, quam securitate torpens innocentia.

Quis vitam, mortemque Sanctam Patris Francisci, Dominici Bononiensis, & Patris Fr. Raphaelis de Vltera dignis laudibus valeat enarrare? quis felicissimum mortis agonem Patris Fr. Ludouici Regiensis digno encomio celebrabit? Quis tot, & tantorum Patrum nobilissimos, & triumphales exitus, de huius seculi principe, de ipsa morte, gloriosa trophæa reportantes, qui ideo litteris hucusque (ad manus meas non peruenerunt) non sunt demandati, quoniam hæc virtutum studia sunt sanctæ religionis, vt non tam flores, quàm radices habeat, nec curant, vt luceant, sed vt sint, non vt sciantur, sed vt habeantur, vnde non mirum, si è vita excedendo pauci notantur excessus sanctitatis, quia dum omnes per sanctitatis vestigia gradiuntur, dum excedunt omnes, nullus videtur excellere.

De illo insigni Fratre reticere non possum, qui nostri seculi est maxima gloria. is est Frater Felix Capuccinus conuersus miræ abstinentiæ, & puritatis, & innocentiæ, signis & diuinis operibus illustris: qui anno Domini 1586. Romæ diem clausit extremum magna sanctitatis opinione, de quo Bozius de signis eccles. lib. 12. cap. 21. tale testimonium perhibet. [*Nos etiam Romæ nouimus, quod omnes sciunt Felicem Capuccinum, maximæ sanctitatis virum, è cuius corpore liquor manauit, & adhuc interdum ... ad omne morborum gen... valens. Eius corpus est in S. Bonauenturæ templo reconditum.* inter Beatos meritò adscribitur.

Sed & Pater fr. Laurentius Brundusinus, vir doctissimus, atque pientissimus, Regulæ S. Francisci exactissimus custos, cum contemplationis excessu actionem ita coniunxit, vt nedum sibi, sed Regnis, populis, rerum agendarum prudentia, maximo Reipublicæ Christianæ bono, eximio fuerit adiumento. cum opinione sanctitatis Vlysiponæ moritur 1619. In vita, & in morte signis, & virtutibus claruisse compertum est. Authoritate ordinaria in diuersis orbis partibus hæc omnia ad finem beatificationis, & canonizationis recipiuntur, & examinantur.

Nostrorum verò temporum Prælatos, Episcopos, Archiepiscopos, S.R.E. Cardinales huius familiæ inspiciens, videre mihi videor carbunculos, imo tot stellas in firmamento Ecclesiæ relucentes. Inter hos emicant Illustrissimus & Reuerendissimus D.F. Felix Centinus, qui Procuratore ordinis, & Consultore Sancti officij, doctrina, & virtutum merito Sacro Collegio adscribi meruit, & Illustrissimus & Reuerendissimus D. F Antonius Barbarinus S.D.N. Vrbani VIII. secūdùm carnem germanus frater, miræ integritatis, sapientiæ, & prudentiæ, exemplar Religionis, & Sacri Collegij fulgentissimum Sydus, ambo Sacri Tribunalis supremi Inquisitores. Archiepiscoporum, & Episcoporum numerum quis recenseat? pluuiæ guttas quis dinumerare potest?

O gloriosa S. Francisci germina, quæ sub triplici Duce partita sub generali Minorū de obseruantia, Generali Conuentualium Generali Capuccinorum, tres quasi proceræ arbores sub vno sanctiss. Patriarchę Seraphici Francisci stipite demonstrant, quæ ...riter tria tabernacula constituunt (vbi ...t Dei milites castrametantur Ecclesiam

De

Dei ſtrenuè defendentes) ſub vno Franciſco totius Franciſcani exercitus ductore præclaro. Hanc veſtem deauratam, circundatam triplici iſta varietate feſtiua, & exultans induit mater Eccleſia, non ſecus, ac ſponſa induit ſe tunicam iucunditatis ſuæ, & ſicut ſponſa imponit ſibi mitram, ac vario ſe componit ornatu. Et vt cœlum fulget luminibus ſuis, & terra vernat floribus ſuis, & vt hortus producit germina ſua, ita produxit lætitiam in cóſpectu omnium filiorum ſuorum. Feruet, feruet in multis adhuc Seraphicus veſtri patris ſpiritus, quem nec temporis rabies, nec humana fragilitas extinguere potuit, imo ſicut tempora eundo veniunt, & eſſe incipiunt, cum deſiſtunt, ita iam incipit religio veſtra cum deſiſtere exiſtimatur, & dum putant aliqui religionem veſtram antiquatam, tunc iuueneſcere incipit, & noſtrorum temporum Fratres veſtri, ſicut nouellæ plantationes à iuuentute ſua germinant flores, & fructus iucunditatis. nam, & ſemina quoq; naſcûtur, creſcunt, adoleſcunt, iuueneſcunt, ſeneſcunt, decidunt, moriuntur, & iterum vitalibus ſepulta ſulcis reſoluta putredine ſalutari, ex morte in vitam ſuam redeunt, de corruptione propriam ſuſcitantur in formam, & ſolidum cognoſcit occaſum ſuum tunc Antipodis illuceſcit.

Propaga Fran. Euang. Hoc Apoſtolicorum Virorum labor oſtêdit; Hi enim primitus in nouam Hiſpaniam in Indos occiduos Chriſti fidem adduxerunt, vt vna die, vnus ſolus ſepté mille Indos baptizarit, alter quadringétos mille diuerſis vicibus ſacra vnda aſperſerit, & F. Martinus de Valentia ſuis manibus, pluſquam centum millia quoque baptizaſſe perhibeatur, & nullus ſit angulus, vel Occidentis, vel Orientis, quem luce Euangelij non colluſtrârit Franciſci ſoboles.

Hoc amplificatio veſtræ religionis oſtendit, vt in ſola Fratrum Minorum de Obſeruantia numerétur Prouinciæ octuaginta ſex, Conuentus innumerabiles. Ex familia Conuentualium, ſicut & Capuccinorum, non paucæ Prouinciæ recenſentur, vt extendere oporteat funiculos tentorij eius.

Hoc monſtrat Martyrum tuorum toto orbe diffuſus ſanguis, nam tanquam oues occiſionis prædonum diripiuntur incurſu, mactâdę in carceribus, velut latrones clauduntur antris, à perſecutoribus, quaſi ſæuientibus lupis, ſine ceſſatione laniantur, ab Hæreticis, quaſi ab extraneis canibus rabido dente carpuntur, vnde mêbra data beſtijs, conſumpta ignibus, demerſa fluminibus, vt multiplicaretur fructus Chriſtianorum, & fœcundo ceſpite horum ſanguine irrorata terra veſtra, ſtillicidijs ſanguineis germinum multitudine reſponderet, vnde non tam ipſi martyres vti oues traditæ lupis ſunt, quàm lupi illis ſubiecti, quandoquidem cruori illarum donatum eſt, ſic interfectores vlciſci, vt ſanguine eorum tincti fulgerent, vt regalis purpura iuncta canalibus, & niueo vellere baptiſmi gratia ſuſcepta de lauacro aſcenderent, velut oues, & ſterilis non eſſet inter eas.

Hoc vel ipſi hoſtes, & inimici demonſtrant: dum ſolam Sacram hanc Familiam nunc in Palæſtina degenté in Monte Sion, in Sancto Sepulchro, in Betlehem, Vallo Ioſaphat, Nazareth, Monte Oliueto, Bethania, Iordane paſcunt, atque ſuſtentant, non ſecus ac corui Eliæ portionem miniſtrantes, ſic enim decet omnem iuſtitiam, vt fide deſtituti faciant quoque verbum eius, (quo etiam non in ſolo pane viuit homo) in obſequium eorum qui prædicant verbum eius, & fiat abundâtia in turribus Domini, vt ſuſtententur bellatores altiſſimi, & proprijs ſtipendijs paſcant, qui arma, & ſagittas aduerſus eos dirigût, vt proſternantur corda inimicorum Regis.

Con-

Catholicæ fidei à Caluinianis, viuus decoriatus, linguaque postea, & extremis digitorum patribus præcisis, capite plectitur: vbi prius, tanquam alter Stephanus in cœlum oculos extulisset, & pro persecutoribus exorasset. Apud Montem Pessulanum Magister F. Aug. Guarinus carceri mancipatus, è catenis euolauit ad Regnũ. Nicolaus Tolentinas Hispanus in Pelopõnensi propugnatione martyrij particeps, & coronæ, eò quod crucifixi imagine Christianos inuitasset, à Turcis captus, tamdiu fuit verberibus cæsus alijsque cruciatibus affectus, donec animam efflaret. Eius corpus postea membratim discissum est.

In Prouincia Occitana duo Patres Lusitani crudeli morte cruciati palmã in cœlum intulerunt. Augnst. Guarinus in Gallia Narbonẽsi ob diuini verbi prædicationem, qua Hæreticos debellabat, ab ijsdem vinculis alligatus grauissimisque supplicijs affectus, mortem tandem pro fide Catholica oppetijt 1568.

Rhodriud. Lusit. 5.p. Centuria Prædic. lib. 13.

Apud Iapones anno 1617. P. fr. Hernandus de S. Ioseph post vberes fructus conuersionis Gentilium reportatos, & Iaponicæ vineæ culturam indefessam, vna cum Fr. Alphonso Nauarrette Dominicano capite obtrũcato, vbi prius gladium quo feriendus erat, exosculatus esset, victor triũphali curru, ad Martyrũ chorũ euectus est.

Hermidez lib. 1. c. 41.

Ex familia Præmonstratensium, quæ S. Augustini regulam profitetur, prodiere illustres Martyres F. Iacobus Lacoguius, & F. Adrianus, qui præclarissimo confessionis testimonio fidẽ Catholicã obsignarũt.

Ex eodem.

Ex familia S. Hieronymi, quæ sub Augustino militat, vestes suas pariter rubricarunt P. fr. Ioannes Rixtellus, & P. fr. Adrianus Textorius.

Ex lilijs verò Virginum, & Confessorũ plantis, & floribus amœnissimis, Ordo Eremitarum, *odor agri pleni, cui benedixit Dominus* meritò est appellandus. Tot certè sunt ex Dei gratia, vt quos eligam ad coronam laudum, huic familiæ attexendam, prorsus ignorem, qui si singuli (omnibus ad eorum pulchritudinem commendandam inuitãtibus) celebrandi essent, oratorum latera deficerent, immortalium annalium monumenta scriberentur, silentio committuntur, notoria, & recentiora euulgantur.

Aspice quæso illum Apostolicum virum Patrem fr. Franciscum à Cruce, qui cum fructus vberes, quos ordines S. Dominici, & Francisci in Indijs Occiduis reportabãt audisset, tãto erga animarum salutem flagrauit incendio, vt delectis alijs socijs Patre fr. Augustino de Lorsenna, P. fr. Hieronymo Ximenez, Patre fr. Ioanne à S. Romano, Patre fr. Ioanne de Oseguero, Patre fr. Alphonso Borja, Patre fr. Gregorio Abulensi viris religione præstantibus, more fulminis, superatis Oceani vorticibus, & Neptuni fluctibus edomatis, eius nutu cui mare, & venti obediunt: in similitudinem fulguris coruscantis, in Insulam Hispaniolam appulit: lachrymis, ieiunijs, oratione, prædicatione, innumeros filios Christo generans: cuius ministerij nescio, quid primum mirer, an velocitatem, quòd paucorum annorum spacio Augustinianã familiam cum Christiana religione propagauit, an multitudinem segetum, quod immensas nationes ad aream Christi importarit, an eius iter indefessum, cum ex Indijs ad Hispanias remeãs semel, atque iterum, vt alios operarios (*messis* enim *quidem multa* erat, *operarij autem pauci*) secum asportaret. omnia certè admirabilia, cuncta digna triumpho. Illud certè admirabilius, quod cum iste vir solum grammaticam calleret, tantæ fuerit efficaciæ sermo eius, vt insignes Theologos in admirationem raperet, ex altitudine sapientiæ, quam sine strepitu verborum, Deus illi communicabat,

F. Anton. de S. Rom. tract. 4. §. 7. & Hieron. Rom. in cent.

cultum summo studio desudauit, idē præstitit P.fr. Nicolaus de Vitte Flāder, qui relictis omnibus paternis totum conuersioni eorundem se mancipauit.

Non minoris sanctitatis, & perfectionis effulsit in Indorū cultura P.fr. Io. Baptista de Iaen filius conuentus Salmantini, cui nihil dulcius, quàm pro Christo ignominiam pati, nil suauius obedientia, & austeritate, vt totā quadragesimam solis quinq; panibus durissimis contentus transgerit. Porrò tanta fuit obedientię vis, vt cum panis deesset operarijs, quem iam in pauperum vsus distribuerat, & à superiore arctatus ad alios procurandos, & reperire non posset è cœlis panes impetrauit tantæ suauitatis, vt operarij confessi sint, nunquam per totam vitam similes degustasse, cumq; occupatus in Apostolico labore ad extremum deduceretur lætissimè morti occurrens, Sacrosanctæ Matris Ecclesiæ Sacramentis munitus, suaui cōtemplatione spiritum in se colligens, illum tandem ad factorem suum placidissimè transmisit.

P. fr. Alphonsus de Veracruce multis annis in Mexicana Prouincia Theologiæ cathedram moderatus est, cuius gloriosos labores, etiam eius scripta testantur. Viginti quinque annorū spacio diuini verbi prædicatione lingua Mexicana Indos illos, vel ad fidem adduxit, aut in eadem etiam sanctis operibus roborauit. Ad Episcopatum Nicaraguæ designatus à Philippo II. illum constantissimè recusauit, eligens magis sub humilitate religiosa suaue iugum portare, quàm onus illud Angelicis humeris formidādum subire, sub eius magistratu nouem conuentus insignes ibidem erecti.

Ioseph. Pāphil. in histor. Aug. Anno vero 1550. ex Chron. August. PP. FF. Augustinus Salazar, Ioannes à S. Petro, Andreas Ortega, Hieronymus Melendez, & Balthasar Melgarcius, viri doctissimi, & religiosissimi Peruanam Prouinciam penetrarunt, multa Monasteria ibi construentes, innumeras Gentilium exuuias Christo consecrantes.

In India verò Orientali in Regno Goensi clarus in Annalium monumentis recensetur Archiepiscopus Goensis Augustiniani pariter instituti, qui à parente suo non degenerās animarū saluti intendens, Christianos illos, qui suum censum ad S. Thomæ Apostoli prædicationem referebant, progressu tamen temporis, Nestorij hæresi, & schismate infectos, Ecclesiæ Romanæ incorporauit.

In Insulis Philippinis eminentes viri in perfectione refulgent. Inter hos P.fr. Andreas de Vrdaneta insignis Cōsmographus cum Patre fr. Martino de Rada, Patre fr. Hieronymo Maren, & tribus alijs eiusdem sodalitij. Hi omnium aliarum religionum primi eas Insulas penetrarunt, populos illos instruxerunt, catechistarum domos fundarunt in Insula Zebu, & Pindatos, Luzon, Ylocos, Pampagna, Pampagnasina. Pueros, ibidem nedum in fide, moribus, sed in liberalibus artibus imbuerunt, eam vineæ portionem tanto labore, & sudore excoluerunt, vt quamuis, euntes, & laborantes mitterent semina sua lachrymis rigantes, atque fouētes, plenos reportarint manipulos æternæ mercedis, & felicitatis cum animarum fertili messe. *Ioseph. Pāphil. sup.*

Quid alios Europæos memorem? fulget mirificè Pater fr. Gonsaluus Barachona Castellanus vir religiosissimus, qui hoc meruit, vt cum fratres, quadam nocte in choro deessent, ipseq; solus matutinas horas persolueret, Angeli assiderent, & responderent. Pamphil. in Chron. 1519.

Scintillat quoque Pater frater Aluarus Monero Lusitanus Vlysponensis, qui cum Christianæ pietati sacrarū litterarū studio, & orationi se consecrasset, multis indicijs sanctitatis ostēsis ex hac vita decessit circa

doctiſſimè conſcripſit, ſimiliter & P. Petrus Aurelius Venetus ex nobili Sanutorum familia.

[illegible] in Histor. Ere. lib.3. c.13.

P.Fr.Auguſtinus de Ieſu in Germania, ſimiliter multos hæreticos ad Eccleſiæ vnitatem reduxit, qui & in Conuentu Pragenſi Eremitarum ordinis Cœnobiũ conſtruxit. Ab Imperatrice Maria procuratum eſt, vt Archiepiſcopus Bracharenſis crearetur, quo munere cunctis virtutum titulis vbique fulgens, operum magnitudine notus vniuerſis, Paſtoris exemplar perfectum poſteris imitandum reliquit. Conſimilis zeli virtus firmas iecit radices in pectore P.frat.Georgij Scherrer Viennę Auſtriæ, cuius ſermo ignitus frigida calefecit, accendit extincta, combuſſit noxia, & portentoſæ Hydræ capita igne, & mucrone ſancti Spiritus reſecare ſatagebat. Quis cũctos enumerare ſufficiat? Gentilium fructum magna ex parte recenſuimus, cum ſupra memoratos viros Apoſtolicos enumerauimus, qui non vnam, vel alterã gentem, ſed integras Prouincias, vel ad fidem inuitarunt, vel eandem penitus perditam reſtituerunt, & integrarunt. Nouiſſimos addimus operarios, duos religioſos, ſcilic. eiuſdem inſtituti, qui ab Archiepiſcopo Goenſi P.fr.Alexio in Perſidem ad Regem Nuncij deſtinati, tantam ſibi gratiam Regis conciliarunt, vt eis permiſſum ſit in Aſpao Metropolitana ciuitate regni tẽplum, & cœnobium fabricare, vbi ſacris fungentes, mirificè inter infidelitatis tenebras lumen fidei reſplendeſcere procurarunt, vnde & multos de Mauris baptizarunt.

[illegible] l.3. c.12.

Anno vero 1602. relatio à Prorege Indiarum fida, & authentica ad Philipp.III. tranſmittitur, vbi recẽſentur operarij ſtrenui Dominicæ meſſis P.fr. Leonardus de Gratia, P.fr.Sebaſtianus de S. Monicha, & alij eiuſdem inſtituti profeſſores, qui multos infideles ad Chriſtum conuerterunt, & inter illos mille ſexcentos ſexaginta Mauritanos, Regemque Pemba, & Pati, quem Philippum in baptiſmate vocauerunt, & eiuſdem Regis conſanguineum, duoſque ſimiliter ſanguine iunctos Regis Ambuſa, treſque alios affines Regis Melinde. Iidem ſimiliter in ciuitate Vgolin, in regno Bengala, & ciuitate Bombaſa, tanquam illuſtre trophæum baptiſmate conſecratum Chriſto attulerunt. In Goa vero Regem Badaron nepotem Magni Magor ad fidẽ adduxerunt, in Olmutz Principem hæredem Regis Xequeaio vitali vnda regenerarunt. Longum eſſet omnes percenſere, aliquos exempli cauſa adduximus; Patres reticemus, Doctores prætérimus, ſatis ex Chronicis ordinis huius clari habentur, quorum agmen memoria inſignis Cardinalis Hieronymi Seripandi Legati in Cõcilio Tridentini claudat: cuius tanta fuit virtus, & eruditio, vt merito ſit à diuina prouidentia deſtinatus, tãquam alter Michael Archangelus ad præliandum cum Dracone Martino Luthero, qui maximã partem ſtellarum cœli poſt ſe trahere nitebatur, & pugnauit cum eo, & fecit victoriam. In eodem Concilio alij eiuſdem inſtituti viri celeberrimi Epiſcopi, & Theologi claruerunt, inter quos Ioannes Munnatones Epiſcopus Segobienſis Caroli Principis filij Philippi II. magiſter, & Præceptor maximè enituit. Quis alios eruditiſſimos Patres enumeret in abſoluendis quæſtionibus acutos, in reuincendis hæreticis circumſpectos, in exponendis ſacris Scripturis eruditos? Quis Oceanum in alueum concludet? Ad alias vineas properemus.

[illegible] l.5. [illegible]

Vide Chronic. Ioſephi Pamphili Epiſc. Lignienſ. impreſſ. Rom. 1581.

CAPVT XXVI.

De Carmelitarum vinea nunc etiam flores, & fructus parturiente.

CArmelus etiam longè, lateque odorem ſuum diffundit, cùm non ad mo-

gnam martyrij ineundam animabat Fratres, ad quam propẽsiores erant, tanquam equi è naribus ignem ſpirantes, cum iam mane è ſacra menſa vbi celebrarunt, diuina alimonia paſti, receſſiſſent. Quid moror? Ingreditur raptis foribus diabolicum illud ſatellitium, à Priore ſibi Dei templum tradi flagitant. Quid ille? nouo Achab (qui vineam Domini concupiſcens, illam delere, & extinguere putabat, vt ibi vilia olera sereret terrenarum poſſeſſionum) illud reſpondit, quod olim Ambroſius Auxentio: *Si de meis aliquid poſceretur, aut fundus, aut domus, aut ager, aut argentum, id quod mei iuris eſſet, libenter offerrem, templo Dei nihil poſſum decerpere, nec tradere, illud quod cuſtodiendum, non tradẽdum acceperim.* ſubdit. *Abſit vt ego Patrum meorum tradam hereditatem.* & ſi Naboth *vineam non tradidit ſuam, nos trademus Eccleſiam Chriſti?* Sed cum auri ſacra fames Chriſti gaza ſatiari nequiret, gladium acuit; in ſingulos cohors furens inſilijt. Quid illi? ſteterunt, orarunt, ceruices inflexerunt: cerneres milites illos armatos trepidare, tremere percuſſorum dexteram ictus iaciẽdo, pallere ora alieno periculo, cum victima illa innocentium nõ timeret ſuo. ſic enituit in vna hoſtia duplex oblatio, religionis, & fidei, domum ſiquidem Dei non tradiderunt, & martyrij palmam obtinuerunt, crudeliter trucidati 1566.

Li. 1. trac. de Baſilicis tradendis.

In Belgio inter cæteros religioſos, qui aduerſus graſſantẽ hæreſim fortiter dimicarũt, celebris habetur Magiſter Fr. Petrus Lupus, qui iampridem Prouinciam Carmelitarum optimo regimine adminiſtrarat. Hic prædicatione, & eruditione admirabili bellum hæreſib. inferebat. Sed prætenſa reformata Religio, non rationibus, vel auctoritate maiorum cauſam agebat, ſed armorum ſtrepitu, ac ſi tanquã Pallas è Iouis cerebro armata proceſſiſſet (vt fabulatur Gẽtilitas) ciuitatẽ Malinas ingreditur, & priuſquam loqui poſſet, manus ferro inſtructas mouet, ſulphurea inſtrumẽta aptat, in athletam ictus dirigunt, victimam transfodiunt, præmittunt ad Regnum. Si hanc Orci Furiam, ſi hanc Bellonam religionẽ reformatam Caluinicolæ probant, ad exemplar ethniciſmi ſatis probant effigiatum Martis Idolum pro vero Deo adorandum orbi propoſuiſſe.

F. Didacus Coria lib. 1. c. 11. Fernandez li. 3. c. 42.

Eadem Secta anno 1581. innumeris excurſionibus, plurimiſq; tumultibus diſcurrens Bruxellenſem ciuitatem tandem ingreſſa, Conuentum Carmelitarũ adit, ſacram ſupellectilem expilare feſtinat. Quod cum obtinere non daretur, tẽplum impij profanarunt, vi extorquent omnia, religioſos, quos à fide Catholica abducere non potuerunt, partim exulare coëgerunt, partim verò duriſſimis cruciatibus, torti, digni Confeſſores fidei habiti ſunt. Inter eos clarus habitus eſt Magiſter Frat. Laurentius Cuperus Prouincialis Belgij, qui ſeptuagenarius pro Chriſto exulare coactus, domum non manufactam in cœleſti patria, qui ſe peregrinum putabat, in terris ſibi fabricauit. O fortes Apoſtolorum coadiutores. O ardentem, & inflammatam Eliæ prolem. O impauidos Nabothes pro vinea Eccleſiæ tuenda vſque ad ſanguinem reſiſtentes.

Id. Fernãdez loc. cit.

Longior eſſem, quàm par eſt, & præter inſtitutum, ſi cunctos Prælatos, Doctores, qui eandem vineam tutati ſunt hoc tempore, vellem percurrere. Satis ſit recolere inſignem illum Magiſtrum Pariſienſem Patrem F. Thomam Baulxamis Regis Galliæ Concionatorem. Patrem F. Ioannem Mariam Veratum, Patrem Fratr. Deſiderium Buſet Doctorem Pariſienſem (vt alios innumeros omittam, qui varia opuſcula contra Nouatores ediderũt, eoſdemque cominus, & eminus expugnarunt) moder.

modernum scriptorem Patrem fratrem Anastasium Cocheletium de Polyandro Caluinista triumphantem, vt ex his strenuos alios merito nominandos agnoscas. Quot verò alios sanctitate florentes sacer ordo iste, his temporibus produxerit, operosius est recensere. Innumeri certè sunt in tam vastissimo ordine, qui perfectè seculo renunciantes ad imitationem suorum Ducum in aluearibus cellarum degentes, sanctis meditationibus, vt apes industriæ, suauissima mella componunt, quibus populum Christianum pariter refocillant, & ad instar veterum Prophetarum sanctis ieiunijs, & orationibus insistentes, & in proximi subsidio, & adiumento solertes, & prouidi, quantum Deum diligant ex proximi amore metiuntur. Vnde sacris confessionibus, prædicationibus insistunt, statum illum seruant, de quo loquens Innocentius IV. dixit, quod *sibi, & proximis Deo propitio ad salutem proficere hilarescunt*, & vsque adhuc, vt olim dixit Clemens IV. *In agro Ecclesiæ hactenus vberes fructus produxit & producit.*

In Bullario tom. 1.

Verum ea est humanæ vitæ conditio, quod cum naui comparetur, non semper aura secunda incedit, vel non efflante vento, vel vt in Oceani accidit interminabili nauigatione ex remigum defatigatione. Bis mille annis decurrentibus ab institutione huius religionis à temporibus Eliæ vsque ad Eugenium IV. secundo vento incesserat felix illud nauigium, sed iam ex asperitate victus, & indumenti, diuturnique silentij defatigatum, pestilentia, schismatibus, & alijs accidentibus ad paucos professores redactum, in his rigorem à sede Apostolica temperari obnixè postulauit, quæ tandem, & si vota non læderent, minuebant tamen. Quid ex dispensatione ista rationabili in re quantumuis leui? per centum quinquaginta annos humana fragilitate, seruor ille in paucissimis remissus est, defatigati namque nonnulli remiges ex longa, & diuturna nauigatione lentescere cœperunt, quousque ille, qui infima mundi eligit, vt fortia quæque confundat; Beatam Virginem Theresam de Iesu destinauit, quæ ad pristinum feruorem, & austeritatem, tam illustrem portionem gregis Christi reuocaret. Huius nauigij Ductrix diuina iussione effecta vela disciplinæ regularis extendit, illius afflatum expectando, *qui educit ventos de thesauris suis*, remiges cœlesti doctrina ad laborandum adhortando. Quid inde? vix diuini spiritus cœlestis aura vela ista perflauit, & subito in similitudinem fulguris coruscantis, Angeli veloces in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis Discalceati Carmelitæ, tanquam naues cœlestia prima portantes, non contenti inter domesticos parietes sibi solis incumbere, sed proximorum saluti intendere, ad portus voluntatis eorum applicuerunt, gentium scilicet, & infidelium conuersioni incumbendo. Egregiam ea in re nauarunt operam. Pater frater Didacus de sanctissimo Sacramento dictus, & Pater frat. Didacus de Incarnatione, & Pater frat. Franciscus de Iesu in Regno Congi, prædicatione, & exemplo ad Christum innumeros populos adducentes. Hos imitati Pater frater Paulus Simon de Iesu Maria, Pater frater Thadæus de S Elisæo, Pater frater Vincentius de Sancto Francisco, à Clemente VIII. in Persidem missi locupletes manipulos in agrum Dominicum importarunt. Mirum certe præsagium est ex hac missione per lapidem prædicationis Apostolicæ (qui omnia regna confregit) iterum Persici regni reliquias, horum, & aliorum ministrorum prædicatione in puluerem redigendas.

Ex rel. ... & scrip. FF. Carm. Discalc.

Cæte-

Ceteri verò, qui ad missiones aptantur, studio, & diuinæ contemplationi iugiter incumbunt, & vt alijs sint canales, sibi ipsis conchæ fiunt, fluenta diuinorum charismatum suscipientes, quæ in alios effundant abundè, & vt Dei ministros se exhibentes in frigore, & nuditate, in ieiunijs, & austeritate, in silentio, & taciturnitate, tanquam nouelli filij Prophetarum studēt in Dei, & proximi dilectione fieri perfectissimi. Tunc enim facilius impetum mūdi vincere poterunt, & sæculum cruentum domare, quando in omni re nihil exequi didicerint, nisi ordinatissimam Dei voluntatem. O verè mundi luminaria, cum per istos iam cœperit illustrator animarum tenebricosis hominibus intelligentiæ suæ radium impartiri. O sal terræ, per quos terrigenæ, & filij hominum, saporis æternæ vitæ condimentum recipiunt, & restringunt carnis lasciuiam, & à putredine vitiorum seruantur illæsi. O lapides pretiosos, quos in fundamento cœlestis ædificij pariter posuit diuinus architectus, dum supra ipsorum prædicationē renascentis Ecclesiæ structura locatur. O Ciues Sanctorum, & Dei Domesticos superædificatos super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum cum instituti vestri, nedum de Elia, & Elisæo, sed & de Andrea Apostolo, & Christi Domini discipuli meritò glorientur.

Philipp. Hierosolymit. in Ioan. Ioseph. Antioch. Certè dicere possam religionem hanc, hoc tempore florentem illud assumere. Magna erit gloria domus huius plusquam primæ, nam quod prius floruerit tanta sanctitate, & doctrina, cultores illos eximios habuit viros robustissimos, Eliam, Elisæum, Cyrillum, Albertum; sed quod modo tanta amœnitate refloreat, mirabilius, cum per mulierem debilem, cœlesti virtute, & gratijs spiritualibus satis fortem, toto Orbe contradicente, tepiditate paucorum obsistente, ad antiquum feruorem repararit. Immutasti Domine signa, immutasti mirabilia, noua bella eligendo, Amazonem istam cœlestem armando, Theresam Virginem, prius cor eius sagittando charitate tua, vt ipsa quoque addisceret ad amorem sagittare, & sagittæ adhortationum eius acutæ, populos prosternerent, & transfigerent corda inimicorum regis. Non glorientur Israelitæ de partis antiquitus victorijs: illustriores namque hæ sunt ijs, quæ in die Madian reportatæ sunt, resonantibus enim tunc sacerdotalibus tubis, tunc muri Hiericho corruerunt; at nunc ostenso lumine spiritus, Sacerdotum horum nouissimorum prædicatione, iugum oneris Diaboli, & sceptrum exactoris eius superatum est. Et si de victorijs temporalibus voluerit gloriari, sancta ista religio non erit insipiens: si enim Imperij angustias, & discrimina præsentium temporum mente reuoluas, tanta erat copia aduersantium bellatorum in Germania, vt penè nostri, vel fugam meditarentur, vel congressum dissimularent, quando à Patre Fr. Dominico viro eximiæ perfectionis, ad pugnandum animati & orationibus (vt creditur) vnus mille fugabat, paucis de innumeris victoriam reportantibus; eius virtute, cui non est difficile saluare in paucis, vt soli Deo ascribatur Victoria. Glorientur ijdem Israelitæ dicentes: *Templum Domini, Templum Domini.* immutata enim sunt mirabilia, vbi enim per Zorobabelem, & Esdram vnicum templum instauratum est, magna refulgens gloria; per Virginem Theresiam ab anno 1562. viginti trium annorum spacio, vsque ad annum 1606. duo, & quinquaginta Monasteria, viginti monialium, triginta duo fratrum, ædificauit, vbi tanta abstinentia, & rigore obseruantiæ viuitur, vt illis cedant Rechabit. Nazarenorum,

Essenorum illustres domus. Glorietur Israel quod suo tempore plurimos peperit, innouata enim sunt signa, parturiente Virgine Theresia tot filios Christo sponso, quæ quando tot sanctitate, & perfectione insignes non peperisset, sat esset peperisse primogenitum illum insignem virum Fr. Ioannem à Cruce virum sanctitatis spectabilis, in cuius carne Christi Domini, Spiritus Sancti in specie columbæ, & Sanctissimæ Deiparæ imago impressa vsque ad hæc tempora cernitur: & indies parere non cessat strenuos bellatores, & in nouissimis diebus, vt auguror, pariet ardentissimos prædicatores, qui primo ipsorum parenti adiungentur ad pugnandum cum Antichristo, & eius sectatoribus, sic tandem ad mare vnde exeunt flumina reuertentur. Ex relatione, & approbatione facta per Ioannem Vigil Quinnones, Episcopum Valleoletanum, quæ de hoc Ioanne mirabilia narrantur addisces. Propero.

CAPVT XXVII.

De vinea florida, & frugifera Religionis de Mercede, seu Redemptionis Captiuorum, & Seruorum Beatissimæ Virginis Mariæ.

VSque ad præsens PP. de Mercede religio odorem, & fragrantiam spirat, *descendunt enim mare in nauibus facientes operationes in aquis multis*, vbi enim ferrum pertransit animas tot miserabilium captiuorum, humiliantibus Barbaris in compedibus Iesu Christi sanguine redemptos, nec sit fermè, *qui compatiatur super contritione Ioseph*, ipsi *descendunt mare in nauibus facientes operationes in aquis multis*, vt soluant, & redimant, *Vinctos in mendicitate, & ferro*, eum imitantes, qui è miserabili captiuitate peccati, & mortis, genus redemit humanum. *Ascendant vsque ad cælos* per contemplationem, *descendunt vsque ad abyssos*, ex alienæ miseriæ compassione, vitam contemplatiuam cum actiua coniungentes, totius hominis saluti cooperantes, vt animæ è manu diaboli prædicationibus, doctrina, confessionibus, corpora verò è manu Barbarorum dissoluantur. Vis videre operationes? 18343. Christiani multis ab hinc annis redempti recensentur. Verè illud propheticum adimpletur. *Redemit Dominus populum suum, & liberauit eum & venient, & exultabunt in Monte Sion, & gaudebunt de bonis Domini, Lætare Ierusalem, & cognosce tam tempus visitationis tuæ. Gaudete, & laudate simul deserta Ierusalem: parauit Dominus brachium suum sanctum in oculis omnium gentium*, & iterum: *leua in circuitu oculos tuos, & vide. Omnes isti congregati sunt, venerunt tibi.* hoc tibi auxilium missum de Sancto. In aquis multis operationes exercuerunt in nauigatione ad Indos, nam deduxit eos quoque Dominus in portum voluntatis eorum: amplissima enim Peruana Regna, hæc sacrosancta religio penetrauit cum Fräciscanis, Dominicanis, Patribus Iesuitis, dextras iungens societatis ad laborandum in vinea Domini anno 1550. Messis multa ex messoribus istis colligitur: tot enim sunt operarij, vt sex Prouinciæ huius religionis sacræ in America sint erectæ.

Seruorum verò religio hoc etiam sæculo palmites suos extendit, cælestis doctrinæ vberes fructus edendo, verè terra bona, & opima, quæ in fœcundissimo eius sinu tot perfectos fratres continet, qui iugi deuotione immolantes, non irrationalium pecudum carnes, sed verè hostias pacificas redolentes fragrantia fraternæ dilectionis, humilitatis, subiectionis, voluntariæ paupertatis: viriliter decertantes, tum aduersus carnem, & sanguinem, tum aduersus rectores tenebrarum, contra spiritales nequitias in cælestibus. Honorant innu-

innumerari certatim Dei templum sedulis, & sinceris obsequijs vitæ contemplatiuæ otium sectantes, & proximorum non immemores, prædicationibus, confessionibus incumbunt, quorum opera etiam fertilis gleba, trigesimum, sexagesimum, & centesimum fructum meritorum producit. Vnde magna multitudine dulcedinis fructuum huius vineæ iucundissimæ satiati fideles, & opulentissimè saginati memoriam abundantiæ suauitatis vbique eructant, de virorum istorum iustitia exultantes, illudque occinentes. *Et in seruis suis deprecabitur.* Psal. 134.

CAPVT XXVIII.

De florenti, & fructificante vinea PP. Minorum S. Francisci de Paula.

IN Florentissima verò Vinea PP. Minimorum illustris illa vitis supereminet S. Franciscus de Paula, in sextodecimo sæculo præsentis status Ecclesiæ, à Deo cælesti agricola plantata, vt nedum fructus ederet ad vitæ nostræ informationem, sed & folia quoque eius essent ad sanitatem gentium. Tepefacta enim temperie Christianarum exercitationum, tam felix planta virtutum prorupit in gemmas, & ex ipsis sarmentorum articulis tot bonum operum fructus emisit, vt quando nullum miraculum perpetrasset, sola vita eius esset vita miraculorum. In carne enim gradiens spiritu incedebat, communemque cum alijs in terra vitam degens, sanctorum angelorum regionem obtinuisse videbatur, cum eos in abstinentia, & virginitate tantopere æmularetur. Nunc verò cum nedum fructus sanctitatis degustemus, sed & pampinos, sertaque pendentia, velut quædam speciosæ vineæ monialia, gratias nempè gratis datas, & inter eas miraculorum patrandorum charismata videamus; non solum carpimus vuas, aureo vel purpureo colore nitentes sed & capita nostra ad defensionem ab æstu, & pluuia huius vitæ calamitatum, frondibus gratiæ spiritualis obumbramus. Sic vtrumque vitis ista felix germinauit, vnum quo vesceremur, aliud quo velut refrigerante defenderemur, vt illud decantaremus. *Sub vmbra illius, quem desideraueram sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Cant. 3.

Quid verò enumerem varietatem palmitum sanctorum virorum videlicet, qui ex illa vite prodiere? quàm diuersis in singulis, & pulcher ornatus, quàm difformis, sed suauis liquor in omnibus. Albi coloris vino torcularia hic redundant, vbi confessorum merita tanquam succus exprimuntur; sanguinis mero cella sponsi vinaria, ex huius vineæ botris repletur, qui pro bono fidei eiusdemque confessionis splendore pedibus se proculcari, & premi passi sunt. Quàm bene Minimus eructare potest, quod & sponsa in Canticis. *Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem,* vel, vt alij vertunt, *Vexillum eius in me amor,* non solum quia sub illius vexillo inclyto in quo pro stemmate cum meo fundatore, charitas inscripta cernitur, sed quia ob eandem charitatem occinunt. *Quoniam propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oues occisionis.* Martyres ergo martyrij prærogatiua eminentes primò recenseamus. Occurrunt hinc duo Martyres illustres, F. Abundancius, & Frater Bernardus Buel huius sancti Instituti in Hispania fundatores, à Mauris infidelibus occisi, quorum corpora anno circiter 1613. post centum, & septem annos à martyrio, in campo integra cum proprijs indumentis signisque martyrij, ab agricola, diuina reuelatione admonito, & Episcopo Guadix assistente, solemni processione reperta sunt, & in Parochiali Ecclesia solemniter tumulata, vbi signis quoque coruscant.

Cant. 2. — Ex Chro. Petri Iayme in vita D.F. Ambrosii de Iesu, p.193 — Ex iconibus illust. virorum impress. Romæ 1619.

Eadem laurea redimiti procedunt F. Andreas de Mora, & Didacus de Verdegio Hispani à Mauris in odium fidei in regno Granatensi interempti. In eodem Regno Granatensi septem alios pro fide occisos narrat Iayme in Chronico in vita F. Simonis Garcia. Similiter emicat F. Petrus Cuiellart Hispanus, qui ob confessionem fidei enecatus, victor triumphauit, triumphalem agonem Christi Domini, scilicet passionem imitatus; & F. Ioannes Vegel lapidibus obrutus coronā meruit immarcescibilem de lapide pretioso, Protomartyris vestigia sectatus.

Fol. 355. §. 357.

Sed & illustre martyrium consummarunt F. Archangelus de Longobardo cū socijs, quorū passio gloriosa in generali Capitulo Gratianopolitano anno 1529. recēsetur. F. Eustachius Dabril Gallus martyrij quoque palma laureatus incedit. Eo verò tempore quo quinti Euangelij præcones Germaniam dementarunt, & illud non auctoritate, vel legitima missione, sed vi, armis, seditionibus, cædes, incendia, vastitates meditando, stabilire putarunt, omnē operam, industriam in eo collocantes, vt cum armatis ministris pompaticè incedētes, nedum bona, fortunas, personas catholicorum inuaderent, sed & in ipsa sacra Cœnobiorum claustra, & templa debaccharentur, eaque funditus demolirent, insignia illa tria cœnobia in Austria (fundata per eos insignes Patres, quos ad petitionem Maximiliani, tunc Romanorum regis, postea Imperatoris eo nomine primi, Sanctus Pater Franciscus destinarat) incēsa sunt, fratribus partim in fugam versis, partim immaniter vexatis, inter quos P. Prouincialis Fr. Dionysius Baruita, & alij in Gallias secedentes tam efferatæ crudelitatis testes extiterūt. Quot verò in ea Prouincia Bellona furente, pro Christo occidi meruerint, certo numero definiri non adhuc potuit. Supra numerum centenariū à Lutheranis Hæreticis pro defensione fidei Catholicæ vltimo supplicio interemptos, fida dignorum Patrum relatio testata est, vt in Chronico Minimorum habetur.

In Chron. Gener. Minim. c. 6. § 6 c. 11 §. 5.

In Gallia verò, infernali Alecto Hugonistarum patente furorem Martium renouante, Fr. Nicolaus Fichetus Gallus pro confessione fidei Catholicæ martyrium ab Hæreticis passus est in partibus Tholosanis. Et noua Iezabele sanguinem sanctorum sitiente, Elizabetha Angliæ intrusa Regina, Frater alter Anglus Londini mori potius passus esse refertur, sæuissimā mortem sustinens, quam paternam prodere hæreditatem. P. F. Ioseph Torres, eo quod Missæ sacrificium constanter confessus est, à Luthericolis occisus, migrauit ad Christum.

Hos inuictos Martyres Confessorum turba subsequitur splendore fidei coruscans, charitate flagrans, iustitiæ pulchritudine, vbertate misericordiæ insignis, redūdantiam vitis fructiferæ copiosè demonstrans. Occurrit inprimis Deo deuotus P. F. Franciscus Binet, olim Monasterij Martini Ordinis S. Benedict. Prior, qui postea diuino instinctu Minimorum habitum è manibus S. Francisci suscipiens, eius socius & confessarius, atque in moderanda religione consiliarius, eidemque in Generalatu ter succedens: paupertatis, abstinentiæ, obedientiæ cultor eximius extitit. Hic pro canonizatione S. Francisci diligentissimè laborauit, eundemque maxima sui animi lætitia inter Sanctos relatum vidit, demum plenus bonis operibus in monasterio sanctissimæ Trinitatis Romæ feliciter in Domino obdormiuit anno 1524.

Petrus Daymen. vita F. F. Simonis Garzia c. 6 §. 4.

Fr. Paulus de Reandace à Paterno in Prouincia Calabriæ, Sancti Francisci socius,

socius, tanti parentis virtutum imitator, & hæres, miraculorum gloria conspicuus in eodem confessorum cuneo mirificè splendet, & florentia merita virtutum, & fructuum vbertas meritorum, scilicet copiâ, fœcunditatem vitis humilis, sed ad cœlos palmites extendentis abundè demonstrat. Tanta fuit huius viri sanctitatis, & miraculorũ multitudo, vt de ijs informationes iuridicæ pro sancta Apotheosi formarentur, at dum quoque eo tempore processus de vita, & miraculis Sancti Francisci formarentur, ne dilationem pateretur tanti Fundatoris canonizatio, neuè exturbaretur, & in aliud tempus differretur, diuina permissione processus F. Pauli perditus est. Illud certè memorandum, quod cum Pater Binet Generalis post indicta ieiunia, & sacras preces religiosa processione præeuntibus Fratribus, accensisque luminibus sepulchrum F. Pauli adijsset, illudque aperiri iussisset, corpus integrũ, brachijs in modũ crucis complicatis repertum est, vnde deuotione accensus, brachium vnum Generalis è corpore præscindere tentauit, vt tãquam pretiosas reliquias asportaret, sed quod erat emortuum corpus resedit, & his verbis Generalem alloquutus est. *Pater Generalis quid agis? Dimitte me.* Qua voce territus voluntatem Dei intellexit, ne reliquiæ sancti illius alio asportarentur.

Fr. Bernardinus de Cropalata S. Francisci à confessionibus, vsque ad obitum propter innocentiam, & vitæ simplicitatem ab eodem valdè dilectus, gratam speciem, vinumque virtutum optimum exhibet, vt præclaro calice inebrientur charissimi serui è vino, quod germinat Virgines. Iungitur his pariter F. Nicolaus de S. Lucido S. Francisci super pallium fretum Siciliæ transeũtis comes, qui præclarum istud miraculũ testatus est, & videre meruit quod si *mirabiles elationes maris, mirabilis* sit *in altis Dominus*, de quo pariter scriptũ est: *in mari via tua, & semita tua in aquis multis, & vestigia tua non cognoscentur.* Nectitur his quoque F. Antonius Bonus de Flumine frigido virtutum decore insignis, è primis socijs S. Frãcisci, cum F. Archangelo de Longobardo socio similiter eiusdem Sancti, qui zelo pœnitentiæ, & puritate insignis obtulit se Deo hostiã illibatam. Radiat hic Frãciscus Marianus Consentinus, cui oranti spiritus S. in Columbæ specie sæpius apparuit. Ibi Montus de Monteforti Panormitanus virginitatis dono, & spiritu prophetico conspicuus fulgorem emittit. Hic F. Ioãnes de Milasso, F. Sanctes Clericus Panormitanus, virginitati, & austeritati, & alijs virtutibus supra stellarum lucem rutilantes merita sua producunt, quæ sunt dona illius, *qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat.* Et omnes hi tanquam botri feracis vitis dulcem nobis exprimunt liquorem.

Ad similitudinem Vitis alij pullulant felices palmites eodem vitali irrigati charismatum succo; nam, & F. Antonius de Croculo Italus, vitæ Quadragesimalis etiam in infirmitate custos eximius, contemplatione ardens; inuenit quem diligebat anima eius: & Frater alter Antonius Delozrates Hispanus adeò pœnitentiæ, & carnis mortificationi intendit, vt nedum miraculis, sed & diuinis visionibus meruerit illustrari. Et Fr. Hieronymus de Maluiso eadẽ vitæ austeritate, & abstinentia præcipuus, ea donatus est gratia, vt sicut viuens corpus humilians mortalitatis miserias spirans perdidit, emortuum incorruptibilitate vestitum, fragrantiam redolens adipisceretur. Similiter eundem vitæ rigorem sectantes Frater Franciscus Genouensis laicus Beatissimæ Virginis cultor eximius, & Pater Frater Iacobus Ruet Gallus; sicut hic innocentia vitæ fuit conspicuus: ita ille auste-

Eadem laurea redimiti procedunt F. Andreas de Mora, & Didacus de Verdegio Hispani à Mauris in odium fidei in regno Granatensi interempti. In eodem Regno Granatensi septem alios pro fide occisos narrat Iayme in Chronico in vita F. Simonis Garcia. Similiter emicat F. Petrus Cuiellart Hispanus, qui ob confessionem fidei enecatus, victor triumphauit, triumphalem agonem Christi Domini, scilicet passionem imitatus; & F. Ioannes Vegel lapidibus obrutus coronā meruit immarcescibilem de lapide pretioso, Protomartyris vestigia sectatus. *Fol. 355. §. 357.*

Sed & illustre martyrium consummarunt F. Archangelus de Longobardo cū socijs, quorū passio gloriosa in generali Capitulo Gratianopolitano anno 1529. recēsetur. F. Eustachius Dabril Gallus martyrij quoque palma laureatus incedit. Eo verò tempore quo quinti Euangelij præcones Germaniam dementarunt, & illud non auctoritate, vel legitima missione, sed vi, armis, seditionibus, cædes, incendia, vastitates meditando, stabilire putarunt, omnē operam, industriam in eo collocantes, vt cum armatis ministris pompaticè incedētes, nedum bona, fortunas, personas catholicorum inuaderent, sed & in ipsa sacra Cœnobiorum claustra, & templa debaccharentur, eaque funditus demolirent, insignia illa tria cœnobia in Austria (fundata per eos insignes Patres, quos ad petitionem Maximiliani, tunc Romanorum regis, postea Imperatoris eo nomine primi, Sanctus Pater Franciscus destinarat) incēsa sunt, fratribus partim in fugam versis, partim immaniter vexatis, inter quos P. Prouincialis Fr. Dionysius Baruita, & alij in Gallias secedentes tam efferatæ crudelitatis testes extiterūt. Quot verò in ea Prouincia Bellona furente, pro Christo occidi meruerint, certo numero definiri non adhuc potuit. Supra numerum centenariū à Lutheranis Hæreticis pro defensione fidei Catholicæ vltimo supplicio interemptos, fida dignorum Patrum relatio testata est, vt in Chronico Minimorum habetur. *In Chron. Gener. Minim. c. 6. § 6. c. 15. § . 5.*

In Gallia verò, infernali Alecto Hugonistarum parente furorem Martium renouante, Fr. Nicolaus Fichetus Gallus pro confessione fidei Catholicæ martyrium ab Hæreticis passus est in partibus Tholosanis. Et noua Iezabele sanguinem sanctorum sitiente, Elizabetha Angliæ intrusa Regina, Frater alter Anglus Londini mori potius passus esse refertur, sæuissimā mortem sustinens, quam paternam prodere hæreditatem. P. F. Ioseph Torres, eo quod Missæ sacrificium constanter confessus est, à Luthericolis occisus, migrauit ad Christum.

Hos inuictos Martyres Confessorum turba subsequitur splendore fidei coruscans, charitate flagrans, iustitiæ pulchritudine, vbertate misericordiæ insignis, redūdantiam vitis fructiferæ copiosè demonstrans. Occurrit inprimis Deo deuotus P. F. Franciscus Binet, olim Monasterij Mamertini Ordinis S. Benedict. Prior, qui postea diuino instinctu Minimorum habitum è manibus S. Francisci suscipiens, eius socius & confessarius, atque in moderanda religione consiliarius, eidemque in Generalatu ter succedens: paupertatis, abstinentiæ, obedientiæ cultor eximius extitit. Hic pro canonizatione S. Francisci diligentissimè laborauit, eundemque maxima sui animi lætitia inter Sanctos relatum vidit, demum plenus bonis operibus in monasterio sanctissimæ Trinitatis Romæ feliciter in Domino obdormiuit anno 1524. *Petrus Iayme in vita P. F. Simonis Garzia c. 6 §. 41.*

Fr. Paulus de Reandace à Paterno in Prouincia Calabriæ, Sancti Francisci

socius,

socius,tanti parentis virtutum imitator,& hæres,miraculorum gloria conſpicuus in eodem confeſſorum cuneo mirificè ſplendet, & florentia merita virtutum, & fructuum vbertas meritorum, ſcilicet copiá, fœcunditatem vitis humilis, ſed ad cœlos palmites extendentis abundè demonſtrat. Tanta fuit huius viri ſanctitatis,& miraculorũ multitudo,vt de ijs informationes iuridicæ pro ſancta Apotheoſi formarentur, at dum quoque eo tempore proceſſus de vita,& miraculis Sancti Franciſci formarentur,ne dilationem pateretur tanti Fundatoris canonizatio, neuè exturbaretur, & in aliud tempus differretur, diuina permiſſione proceſſus F.Pauli perditus eſt. Illud certè memorandum, quod cum Pater Binet Generalis poſt indicta ieiunia, & ſacras preces religioſa proceſſione præeuntibus Fratribus,accenſiſque luminibus ſepulchrum F.Pauli adijſſet,illudque aperiri iuſſiſſet,corpus integrũ, brachijs in modũ crucis complicatis repertum eſt, vnde deuotione accenſus,brachium vnum Generalis è corpore præſcindere tentauit, vt tãquam pretioſas reliquias aſportaret, ſed quod erat emortuum corpus reſedit,&his verbis Generàlem alloquutus eſt. *Pater Generalis quid agis? Dimitte me.* Qua voce territus voluntatem Dei intellexit, ne reliquiæ ſancti illius alio aſportarentur.

Fr.Bernardinus de Cropalata S. Franciſci à confeſſionibus, vſque ad obitum propter innocentiam, & vitæ ſimplicitatem ab eodem valdè dilectus,gratam ſpeciem, vinumque virtutum optimum exhibet, vt præclaro calice inebrientur chariſſimi ſerui è vino,quod germinat Virgines. Iungitur his pariter F.Nicolaus de S.Lucido S.Franciſci ſuper pallium fretumSiciliæ tranſeũtis comes,qui præclarum iſtud miraculũ teſtatus eſt,& videre meruit quod ſi *mirabiles elationes maris, mirabilis* ſit *in altis Dominus*,de quo pariter ſcriptũ eſt: *in mari via tua,& ſemita tua in aquis multis,& veſtigia tua non cognoſcentur.* Nectitur his quoque F. Antonius Bonus de Flumine frigido virtutum decore inſignis,è primis ſocijs S. Frãciſci, cum F. Archangelo de Longobardo ſocio ſimiliter eiuſdem Sancti,qui zelo pœnitentiæ,&puritate inſignis obtulit ſe Deo hoſtiã illibatam. Radiat hic Frãciſcus Marianus Conſentinus, cui oranti ſpiritus S. in Columbæ ſpecie ſæpius apparuit. Ibi Montus de Monteforti Panormitanus virginitatis dono, & ſpiritu prophetico conſpicuus fulgorem emittit. Hic F.Ioãnes de Milaſſo, F. Sanctes Clericus Panormitanus,virginitati,& auſteritati,& alijs virtutibus ſupra ſtellarum lucem rutilantes merita ſua producunt, quæ ſunt dona illius, *qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat.* Et omnes hi tanquam botri feracis vitis dulcem nobis exprimunt liquorem.

Ad ſimilitudinem Vitis alij pullulant felices palmites eodem vitali irrigati chariſmatum ſucco;nam,& F.Antonius de Croculo Italus, vitæ Quadrageſimalis etiam in infirmitate cuſtos eximius, contemplatione ardens;inuenit quem diligebat anima eius:& Frater alter Antonius Delozrates Hiſpanus adeò pœnitentiæ, & carnis mortificationi intendit,vt nedum miraculis,ſed & diuinis viſionibus meruerit illuſtrari. Et Fr.Hieronymus de Maluiſo eadẽ vitæ auſteritate, & abſtinentia præcipuus, ea donatus eſt gratia, vt ſicut viuens corpus humilians mortalitatis miſerias ſpirans perdidit, emortuum incorruptibilitate veſtitum, fragrantiam redolens adipiſceretur. Similiter eundem vitæ rigorem ſectantes Frater Franciſcus Genouenſis laicus Beatiſſimæ Virginis cultor eximius, & Pater Frater Iacobus Ruet Gallus;ſicut hic innocentia vitæ fuit conſpicuus:ita ille auſte-

austeritatis pœnitentiæ virtute insignis, meruit pariter, vt in extremo eius vitæ die, 24. horarum spatio lampas ardens sine oleo reluceret. Hi ergo omnes fœcundi palmites viriditatem sanctæ conuersationis seruantes, fructum dederunt tempore suo, vt nec folium effluxerit, quando etiam, & vmbra, ad sedendum per contemplationem, tam illustris viris blandè, & suauiter inuitet.

Francisci Diag. in Hist. Prouinc. Arag. c. 75.

Sed & P. F. Ambrosius de Iesu virtutum sui parentis viuum exemplar extitit. Hic fuit confessarius B. Ludouici Beltrandi, quem à pueritia sanctis moribus informauit: cui prophetico spiritu prædixit, religiosum fore in familia Sancti Dominici, non de familia Minimorum (ad hanc enim adscribi summopere exoptabat) & hanc esse Dei voluntatem. Prædicationis dono mirificè claruit, vnde ex profundo iniquitatum insignes peccatores ad vitales auras adduxit. Tanto verò feruore in prædicationibus ardebat, vt publicè pro suis, & populi peccatis in suggestu se flagellaret. Erat magna velut mare contritio eius, vt fletum cohibere non posset, vnde, & dicere solebat, insigne fore Dei beneficium, si eo contritionis spiritu dotaretur in morte, quo afficiebatur, dum prædicationi incumberet in vitâ. Interdum ita diuinæ bonitatis considerationis dulcedine rapiebatur, vt in extasi positus, nec eorum puncturas, qui abstractionem illam experiri acubus volebant, vllo modo sentiret. Diuino instinctu admonitus, suam mortē in suggestu fore, prout ipse obnixis precibus impetrarat, prædixit. Die ergo Sanctissimæ Trinitatis, cum prædicationem feruentissimam haberet, in templo Monialium Minimarum; vocem ad recedendum à vita inuitantem, audiuit. Quid ille? *expecta parumper Domine, veniam.* Interim populum ad virtutes, & pœnitentiam in primis hortabatur, sed iterum voce ad eum delapsa, ad Crucifixum conuersus magna cordis contritione, hæc Dei auribus populo eum audiente, insonabat. *Trahe me post te, nulla parendi mora est: quandocunque & quocunque vis ducito, sequar trahe me, vt amem occurrat vita mea in tuis amoris amplexus. Age Domine, & fac excita me, & preuoca, accende, & corripe flagra dulcesce, diligam, tam expeditior curram, tam dice, ecce venio, in misericordes tuas manus commendo spiritum meum.* His dictis spiritum ad cœlestia suauiter emisit Ambrosius, corpore erecto, minimè corruente. Hoc modo raptus Ambrosius, supra astra locatur, qui dum viueret in carne mortali, ignitus Dei charitate, dum violenter detineretur in corpore, ad propriam sphæram anhelabat. Venerabilem hunc virum, eximium prædicatorem appellat Reuerendiss. D. F. Ioannes Lopez Episcopus Monopolitanus.

[illegible]

Humilitatem quoque sui protoparentis imitatus est P. F. Gaspar Bonus, verè Israëlita, in quo dolus non erat, cuius virtutes, quando aliquis enarrare voluisset, illud ex ore eius responsum reportabat. *Ego sum nomine Bonus, verbo autem, opere, & cognitione malus, & dignus pœnis Inferni*: tot autem fuit charismatibus, virtutum donis repletus, vt quoque extasis, spirituum prophetiæ, & miraculorum gloriam & claritatem externam super ipsum interdum altissimus, qui humiles respicit, impertiri dignatus sit. Quem, ne reuelationum magnitudo extolleret, variæ infirmitates, & Dæmonis tentationes vexabant, patientiæ robustæ exercendæ materiam tribuentes, quam virtutem specialiter in præfecturis (fuit enim Prouincialis Valentinæ Prouinciæ, & multorum Corrector Conuentuum) mirificè ostendit. Tandem sancto fine quieuit 24. Iulij 1604. cuius cadauer suauem odorem spirauit, & tres dies ad satisfaciendum

[illegible]

faciendum

faciendum populorum deuotioni, insepultum iacuit: miraculis Deo sanctitatem huius viri eximij contestante, quæ Ioannes Archiepiscopus Valentinus de Ribera authentica informatione suscipi iussit, eius præsentia funus cohonestando.

Idem in vita F. Gaspar Bon. c. 6.

Clari in sanctitate quoque extiterunt: Pater Fr. Petrus de Assumptione Maioricensis, feruentis prædicationis, & lachrymarum gratiâ dotatus, quas ex innumeræ multitudinis concursu, quæ ad eum concionantem, concurrere solebat, oculis eliciebat; miræ etiam abstinentiæ, & contemplationis vir: Et Fr. Simon de Palatio Prouinciæ quoque Maioricensis, qui præter virtutum opera illustria, claruit curationum gratia.

Idem in vita F. Ambro- Nerlegu c. 2. & 5. & in vita F. Ioan. de S. Maria c. 1.

Quis omnes numeret? insignem illum P. Fr. Antonium de los Reyes, & Bernardum Cabannes non recensere, piaculum est. Quorum primus genere illustris, sed moribus, & prædicatione illustrior, tanquam alter Antonius inimico generis humani bellum perpetuum indixerat, vnde & visibiliter cædi, & flagellari diuinitus ab eo, permissum est, vt spiritus eius inuictus probaretur. Alter religiosissimæ conuersationis: qui & morti proximus inuictum ab oratione spiritum non relaxans, postquam cœlestibus Sacramentis munitus esset, flexis genibus ad modum orantis, cum sancto Rosario in manibus repertus est animam creatori reddidisse.

Ex Iconibus Beat. Ord. S. Francisci de Paula.

Silentio non est prætermittendus Pater Fr. Didacus Barbutus Granatensis, vir insignis sanctitatis, ex cuius sepulchro flores liliorum inscripta nomina Iesus, & Mariæ, per triduum expresserunt. Fr. Hieronymus de Maluito Italus, vitæ austeritate, & abstinentia præcipuus, cuius corpus odorem aromaticum redolere visum est.

Sanctitate insigni enituit P. F. Ioannes de Sancta Maria, vir quem Dominus miraculis eximijs illustrare dignatus est, cuius quoque corpus à terra eleuatum, caput lumine circumlustrante in oratione deprehensum est, eiusdemque funus populorum multitudine cohonestatum est, quod in frusta ex deuotione conscissum esset, ni Fratrum Minimorum modestia obstitisset. Eum tanquam pluuiæ aduocatum Ciuitas Xerez Fronteræ sæpe experta est in suis necessitatibus. Vnde ad petitionem Capituli Canonicorum, Cardinalis, & Archiepiscopus Hispalensis Ninnus de Gueuara processum de vita, morte, & miraculis institui annuit.

Idem in eius vita.

Prodit etiam in apertum Pater Frater Simon Garcia, qui ab infantia inter cæteras virtutes, erga B. Virginem deuotionem cum lacte ebibit, vt ne dies vlla præterierit eius vitæ, quin eam Rosarij psalterio pijs affectibus deprecatus sit. Easdem virtutes mirificè excoluit religionem ingressus, patientiam inuictam, animi constantiam mirificam, abstinentiam incomparabilem ijsdem adiungens: In humilitate magnus, in paupertate diues, in obedientia loquens victorias, in puritate Angelus. Spiritu prophetico suam mortem prædixit, virginitatis lauream cœlo inferens, & baptismalem innocentiam 1605 Sed & qui minima elegit, vt fortia quæque confundat, eligit Fr. Andream de Castro Maris laicum tantæ simplicitatis, & sanctitatis, vt non mirum, si placita esset anima eius Altissimo, de quo scriptum est [*Et cum simplicibus sermocinatio eius;*] quem Dominus miris signis illustrare dignatus est. Huic morti appropinquanti cella resplendere visa est, ipsumque tales voces emittere fideliter testatum est [*Ecce iam ad te venio*] quibus verbis iampridē Sacramentis omnibus deuotè susceptis euolauit in cœlum: cuius funus populorum multi-

multitudine confluente ad reliquias præcidendas cohonestatum est. Cadauer præterquã quod suauiter olere obseruatũ sit, etiam nunc integrum perseuerat, obijt anno 1606. Dies me deficeret, si enarrarem virtutes, & sanctitatem Gasparis de Fosso Archiepisc. Regiens. P. Fr. Bartholomæi de Paterno, P. F. Matthæi de Solico, P. F. Bartholomæi de Martinez, P. F. Antonij, & F. Ioannis de Neapoli oblati, P. F. Bernardi Bonelli Episcopi Gerundensis. F. Io. à Neapoli clerici, P. F. Alphonsi de Villa maiori, & aliorum illustrium, quæ in nouissimo chronico exactè recensentur. Ad Virgines pergo.

In SS. Virginum agmine primatum tenent, Soror Hieronyma Paterno Neptis Sancti Francisci de Paula, & deuota Virgo Cæcilia Panormitana, eã subsequẽdo quæ à S. Francisco de Paula ad ordinẽ diuina visione vocata, ab eodẽ Sancto à plaga insanabili est curata; nec nõ Virgo Soror Maria Montenigro, & Soror MARIA de Arce virgo, & soror Agnes de Cassata virgo, & Soror Maria Messana virgo, & Soror Claudia Panormitana virgo. Has sequitur Soror Gratia Valentina in vita, & in morte miraculis clara, quæ cum alijs Virginibus eiusdem instituti, sequuntur Agnũ quocumq, ierit. Sic Martyres, Cõfessores, & Virgines peperit Altissimo hæc sancta Religio, vt nequaquam minima sit, & si minimam se humiliter fateatur.

Ex Syluestro Marul. Oceani Relig. lib. 5. c. 5. pag. 365.

Pastores; atque Doctores fœcundos palmites quoque produxit. Inter cæteros D. Fr. Didacum de Ystella, & D. Patrem Fr. Bernardinum Episcopum Gerund. Fr. Gasparem Fossum Archiepiscopum Regiensem, & alios. Doctores verò innumeros, quis edisseret? pauci è multis recensentur, qui typis suas lucubrationes mandarunt, vt Pater F. Martinus Codonnat; Pater Fr. Alphonsus de Vega, Pater Fr. Ioannes Thyernen. Pater Fr. Petrus Amoraga, Pater Fr. Petrus Ruijz. P. F. Gaspar Passarellus, Pater Franciscus, Tamaius, Pater Generalis Mena, innumeros reticeo.

Felix ergo vitis Franciscanæ religionis Minimorum, cuius succus tot fructus produxit, & botros, cuius etiam pampanis ecclesia non exiguo munitur subsidio, & à solis ardore persecutionum defenditur. An non grandis fuit defensio cum Ferdinando Hispaniarum Regi, per P. F. Abundantium, Patrem Fr. Bernardum Buil, Fratres Minimos, victoria repromissa est, si aduersus Mauros arma assumeret? quod & factum est. Cum enim Malacham Granatæ obsiderent, absque spe recuperationis, audito nihilominus per dictos religiosos nuncio, adeò roboratus est, vt ipsa nocte, fugientibus Mauris, libertas Vrbi, & Regno redderetur. In cuius rei memoriam celebre Monasterium ab ipso Rege ordini extructum, quod deinceps de Victoria nominari voluit, & Fratres vsque in hanc diem de Victoria nuncupantur: & meritò: nam Populus quoque quibus vitis agglutinatur coronis arbor est vmbrosa victricibus, quibus, & victorum capita coronantur,

Felix vinea, quæ adhuc seruat viriditatem iuuentutis suæ, viroremque à primordio receptum conseruans, ita fructum habens in tempore suo præparatum, vt folium eius non defluat, & omnia quæcunque facit, prosperentur.

CAPVT XXIX.

De florenti, & fructificante vinea Clericorum Regularium, qui & Theatini dicuntur.

CLericorum verò Regularium (qui & Theatini nuncupantur) vinea odorem suum, ex quo tempore plantata est, vsque

vſque ad hanc diem ſpirat, & adeò vberes produxit, atque producit fructus, vt ex ijs terræ feracitas cognoſci poſſit; cum non ſicut cætera campeſtria, quæ irriguis fontibus tanquam auxiliarijs copijs ab ipſa terra ſurgentibus irrigetur, ſed de cœlo pluuias expectet, nec enim illis victus procuratio, atque quæſitio promittitur, ſed in altum oculos attollere mandat: ille enim idem Deus, *qui eſcam dat pullis coruorum inuocantibus eum, & omne animal implet benedictione*, qui Abacuc ad paſcendum Danielem, & mulierem Sarreptanam, & coruum ad cibandum Eliam deſtinauit, illemet quotidie timoratos fideles excitat, vt ſeruis ſuis cibaria ſubminiſtrent, ſic enim in regulis dicitur conſtitutionum, [*neque per nos, neq; per alios petantur à ſæcularibus eleemoſynæ, ſed tota ſpes noſtra in Chriſti Domini verbis poſita ſit, qui ait, primum quærite regnum Dei.*] P.1.c.1. Ab hac altiſſima paupertate totius perfectionis radice, fœcundæ vites (huius enim ſancti inſtituti viri, tanquam aduenas, & peregrinos ex temporalium indigentia ſe exiſtiment) & iugiter eorum conuerſatio in cœlis eſt. Bonorum operum quoque, & ſpiritualium fructuum fœcunda pariter germinatio procedit, vt pulchritudo agri, hortorum plantaria, proceræ arbores plantis huius vineæ longè inferiores appareant. Si enim inter cana nimium, pruinas, frigora, viriditatem ſuam arua conſeruant, & cum ipſa tecta ſint gelu, partus ſui tamen exiguam ſpeciē viriditatis obtexunt; vineæ tamen huius fœcundæ vites, quamuis paupertate, mortificationibus, vigilijs, ieiunijs, laboribus tanquam gelu amiciantur (vt faciem frigoris huius ſuſtinere viribus naturæ nullus poſſit) tamen illa ita adeò fœcundatur, cœleſti virtute eius *qui dat niuem ſicut lanam, & mittit cryſtallum ſuam, ſicut buccellas*, vt multiplicentur incrementa frugum iuſtitiæ, & recondantur in horreis ſempiternis. Seruat indumentum ſuum ſemper olea, vel pinus, ſed tamen folia ſua ſæpè commutat, nec ea quaſi diuturna, ſed quaſi ſuccedanea prætendunt ſuæ arboris pulchritudine perpetui integritate veſtitus, vice muneris obumbrantes: non ſecus cum ſucceſſione morientibus, viuidus itidem ſpiritus perſeuerat, eadem ſpecies, idem ordo regulæ ſeruatur, & in orbem redit fructuum gratia copioſa. Sunt arbores in quibus pariter iuuentus viret, ſicut eſt palma, quæ conſeruatur iugiter, abſque foliorum immutatione; non diſſimiliter iuuentus huius ordinis ſancti, abſque eo quod folium ſacrarum legum à vento negligentiæ, vel ſocordiæ in deſſuetudinem effluxerit perſeuerat. Sed in vite ſiſtendo apparet ex ipſis ſarmentorum articulis fructus emittere, de quibus oriens vua formatur, paulatimque augeſcens immaturi partus retinet acerbitatem, nec poteſt niſi matura iam, & cocta dulceſcere. At in vinea iſta flores fructus parturiunt, & vel ipſæ emiſſiones, Paradiſus. Et quemadmodum ad verbum Domini feſtinarunt campi non commiſſam ſibi frugem edere, ignorata horti olerum genera florum miracula germinare, ripæ fluminum ſe veſtire mirtetis properauerunt, arbores cito ſurgere, cito ſe in flores induere, nec tā flores erumpere, quā fructus ex arbore, nulla præcedente immaturitate pendere. Sic in plantatione huius vineæ amœnitas in folijs, maturitas in fructibus extemplo proceſſit, quia enim expectabat Dominus vuas in clero, & paſſim faciebat labruſcas, nec maturos reddebat fructus (vnde Hæreticorum dentes, qui ex contractione vuæ acerbæ obſtupuerant, ſoliti, & ipſi diligere vinacia vuarum, imperfectorum clericorum vitia carpendo, non maturitatem bonorum admirando) voluit Dominus, electos ad ſortem Domini

Clericos regulares maturos, & perfectos in exemplum reformandi cleri proponere. Vnde & prouidit proceres vites cito surgere, cito se in flores induere, fructus maturos producere, vt foliorum Ecclesiæ gutturi dulces essent, & in tanto hæresum ardore ad vmbram effugerent, ad folia exhortationum, concionum, & aliarum piarum exercitationum, vt canerent [*sub vmbra illius, quem desideraueram sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.*]

Præcipuæ ergo vites è quibus fœcundi palmites processerunt, sunt Io. Petrus Carafa, qui postea ad Pontificatum summum euectus, Paulus Quartus est nuncupatus, B. Caietanus Tienæus, Paulus consiliarius, Bonifacius à Colle.

Cum igitur Aquilonares partes Hæreseos Lutherica flamma speciosa deserti combureret, & iam in discrimen res adduci poterat, vt scintilla ad alias partes Catholicas transuolaret, iamque praui indies pullularent mores, quibus populi inficiebantur, multique, quorum intererat, vtpote adsciti in sortem Domini, qui imperitæ plebi præire debuissent, potius sua tepiditate, vel etiam malo exemplo ad vitia inflectebant: in eam sententiam iuerunt, vt primæuum, vt Apostolicum instituum Deo duce rursus instauraretur, laboranti Ecclesiæ opem ferrent, primitiuæ Ecclesiæ feruore, oratione, sacramentorumque frequentia, & loco eorum clericorum, quos vel inscitia, & vel auaritia, vel improbitas corrupisset, alij subrogarentur, qui litteris, paupertate, bonitate toti Christiano orbi illucescerent. Sic probante Apostolico throno in augustissima æde Vaticana in altari Sancti Andreæ, sacrificio expleto, & cœlesti alimonia refecti, quatuor illi huius gregis duces, bini ad aram sancti Petri procedentes vota Altissimo labijs distinxerunt solemnia, Ioannem Petrum in Præpositum eligentes. His adiuncti Bernardinus Scottus, Hieronymus Consiliarius, Andreas Vrsinus, Thomas Guerretius, Marcus Pasqualinus, Matthæus Serauallensis, & Petrus laicus Perusinus Sacrorum Apostolorum numerum implentes, vt Apostolica vestigia imitarentur, quod & opere præstiterunt: in psalmis, hymnis Deo psallentes, & orantes, & pernoctantes in oratione Dei, die docentes turbas, instituendo, & formando hominum mores corruptissimos.

Sed mirum fuit, quod in primo flore non sit læsus botrus huius vineæ; grassante enim in Vrbe Roma Cæsareo exercitu, ima summis miscente audaace militum manu, nec valentes hi duodeni Patres hortationibus etiam cum proprij capitis periculo furentes turbas reprimere, nec publicum extinguere incendium, in Pincianam domum se conferunt, oculos ad lachrymas pro Dei ira extinguenda, venas ad sanguinem pro fidei contestatione parantes. Vix canes venatici prædam olfecerunt, & duobus stimulis agitati, auaritiæ, & odij, domum circumeunt, & inueniunt, & clausis columbis intus, foris strepunt accipitres, certantes singuli, quinam primus prædam inuadat. Quid illa exigua familia fugere inualida, ab insidiatoribus obstricta? animum ad virtutem parat; tam religiosa, vt mortem non timeret, tam obfirmata, vt expectaret, & ad sacram ædiculam confugientes, Deum auxiliarem interpellat. Christe, dicebat, qui Danielem à ferocium leonum ore liberasti, potes etiam domare belluinos horum hominum mores: tua virtute ro[t]auit ignis in camino Babylonis, & pueros illæsos seruauit: Susanna iam ad supplicium genu fixerat, & de imposturis triumphauit. Audax illa manus, quæ templum tuum temerare proposuerat, pœnas meritas luit, potest

tua

tua impedire tam nefarium facrilegium, quæ non paffa eft furtum. At illi omnia diligenter perfcrutantes, & nihil inuenientes apud eos qui omnia habebant, fola pauperie (de qua fcriptum eft, pauperies quafi vir armatus) prædones impauidè funt effugati. Verum Saxones admoniti à milite (quem Tienæus antequam facultates pro Chrifto abdicaffet inter gregarios famulos habebat harum quondam locuplete) in Pinceno delitefcere, nulla mora domum rurfus aggrediuntur, latibula perfcrutantur, auri facra fame extimulati, à Tienæo extorquere aurum non tantum minis, quam tormentis conantur; compreffis artubus inter arcarum labra, totoque corpore funibus in fublime fublato. Quid Chrifti pauper, fed fatis gratia cœlefti diues quondam diuitijs affluens, at fortunis omnibus abiectis, religiofam pauperiem amplexus propter Chriftum? Nudus ait nudum fequor, quartus iam annus eft, quo me hoftiam Chrifto folemni voto confecraui; fi vos ftipendijs Cæfari militatis, ego pauperie, & nuditate Chrifto milito, habens cum paupertate bonam militiam obedientiæ, & caftitatis, quæ ftipendijs militat fempiternis. Loricam iuftitiæ, quæ fpirituali munimine vndequaque me cingat, fcutum fidei, quo vulnera pellam, gladium fpiritus, quo Chrifti aduerfarios propulfem affumpfi. Ergo fi diuitias quæritis, quæ habeo, hæc do, immarceffibilium virtutum actus; fi fanguis expofcitur, fideiufforem non quæro, habeo vnde diffoluam, non mortis vadem eligo, fed executorem, patrimonio non poffum vexationem iftam redimere, fed cenfum habeo membrorum meorum, quæ pro religione expono, vnde fœnore felici ditari pores, nam non eft alia Martyrum vindicta, nifi carnificum conuerfio: moriar ergo innocens, ne moriar nocens, vt qui mortē machinatur, è nocenti innocēs fiat. Quod fi præripis mortem, nihil ages, quam quod me priuas præmio, te ipfum beneficio. Hæc & fimilia dicta, animum inuictum ad martyrium in Tienæo euidenter oftendebant. Alij fimiliter flexa ceruice, vt facræ victimæ prædonum mactationem expectabant impauidi, vnam fpirantes, fperantesq; beatorum fedem. Sed impij fatellites probro eos afficere maluerunt, quam gladio animaduertere. Reuinctis igitur poft tergum manibus, vt rabiem exaturarent, diris conuitijs inurbaniter impetitos, & infuper variè cruciatos, in carcerem detrudunt, *digni habiti pro nomine Iefu contumeliam pati*: è quo tandem incolumes Dei gratiâ egreffi funt, & per medias vrbis flāmas, mediofq; armatos hoftes, Deus ipfe quafi nube tectos ad Oftia Tyberina produxit incolumes. Quis hos martyrij merito priuabit? audi Chryfoft. [*Martyrium fratres non euentu tantum æftimatur, fed etiam propofito. Nō quū Martyr decollatur, tū fit Martyr fed ex quo propofitum oftēdit profitendi, Martyr eft, etiamfi non patiatur quæ Martyres folent*] fimilis caufa in irruptione Gothica, martyres fecit, appellare, quos propter paupertatem tormēta paffos hiftoriæ teftantur [*Eos ait Auguftinus, qui olim in irruptione Gothica fub Alarico Rege etiā non habentes quid proderent, dū habere credebantur, torti funt, profectò inter illa tormēta paupertatē confitentes, Chriftū fuiffe confeffos. Quapropter etfi non meruerunt ab hoftibus cædi, non potuiffe tamen fanctæ paupertatis confeffores, fine cæleftis mercede torqueri*] Sed ne tā fancta horum illuftrium virorū conuerfatio fub modio occultetur, tanquam lucernæ lucētes in caliginofo loco, reponantur fuper candelabrum, vt luceant omnibus qui in ampliffima Ecclefiæ domo commorātur.

In Pf. 55.

1. de Ciu. c. 10.

Primus ergo religionis Patrum Theatinorum (qui Clerici Regulares S. Syluestri, alias dici folent) Fundator, & Princeps,

Sebastian. Verron. in Chronic.

Recordatus in Hist. Monast.

imo Primus Cleri reformator, vt dicit Sebastianus Verronius, seu primus Apostolici ordinis Restitutor vt dicit Ricordatus, & primus Presbyter Regularis, quem tanquā Ducem Regularis Cleri, insecuti sunt alij ordinis Regularium Clericorum Societatis Iesu, Bernabitæ, Sommaschi, Ministri infirmorum, Clerici Minores. Hic ergo Io. Petrus ex illustrissima, antiquissima, Heroum insignium splendore, ac opibus, titulis, ac prærogatiuis ad summum cumulatissima, Carafa familia progenitus. Eius Mater cum Montem, qui Virginis nuncupatur ad Deiparæ templum pietatis ergo conscenderet, monita ab Eremita quodam fuit, vt pedetentim pergeret, & satagens sui vteri, quod Summum Pontificem concepisset, & gereret. Natus vna cum lacte pietatem ebibisse monstrauit; puerulus enim Dominicanorum Ecclesiam frequentabat, & religionis sancti Dominici sitientissimus, duodecim annos natus habitum postulauit, quod ætas tenera à discreta Patrum illorum repulsa, obtinere non potuit. Similiter anno 14. S. Dominici habitum induere proposuerat, sed diuina sic prouidentia disponente, & ad alium finem illum destinante, vi parentum à claustro, ad quod confugerat raptus, domū euocatus est, & sub optimis præceptoribus, artibus, Theologiæ, vtrique iuri, litterisque Græcis, Latinis, Hebraicis vsque ad miraculum eruditus; S. Thomæ doctrinæ fuit studiosissimus, vocabat illam *baculum senectutis suæ, & nunc Neapolim extinctum cum S. Thoma peperit*. Anno 30. Episc. Theatæ consecratus est; mox ad Ferdinandum Primum Nuncius destinatur, postea apud Angliæ Regem eodem titulo Apostolici Nuncij decoratus, tanta dexteritate, iustitia, fidelitate, res tractabat, vt ad Ecclesiæ summa negotia pertractanda natus videretur, Sed ignis religiosæ vitæ serpebat in corde eius, vt diuinæ, & cœlesti contemplationi vacaret expeditius, sarcina graui prælaturæ deposita, quam onus Angelicis humeris formidandum semper existimauit. De licentia ergo Sedis Apostolicæ Episcopatu se abdicans adscitis aliquot viris eiusdem sancti propositi socijs, ad contemplationis arborem manum extendit, ordinem Theatinorum Romæ fundat, suauissimos fructus decerpens, contemplationi, apta loca Veronæ, & Venetijs incolens, vita abstinentissima, pauperrima, & humilima contentus, se suaque diuino cultui addicēs, proximorum saluti intendens, manum suam extendit ad fortia, magno totius Christianitatis bono. Sed ne lateret lucerna sub modio ad Romanæ aulæ mores emendandos, Concilium Oecumenicum absoluendum, licet bis modestè reluctās, tertio tandē obtemperans, Paulo III. vocante Romam reuertitur, inter purpuratos Patres cohonestatur: iterū Theatinæ Ecclesiæ præficitur à Deo tanquam Aaron vocatus. Collato honore in obeundis Senatorijs muneribus intentus, ita doctrina, ac sanctitatis fama enituit, vt sol quidem inter sydera repentè ortus videretur: nam vitæ innocētia, religionis studio, eximia eruditione, diuinarum litterarum notitia, facundia insigni in dicēda publicè sententia, inuictaque animi libertate, nec minis, ac precibus reuocabatur, sic ad sui admirationem, & beneuolentiam accendit, vt ab eo tempore omni honore, Imperio, Summi Sacerdotis fastigio omniū ore fuerit adiudicatus. Eius consilio à Paulo III. Sacræ Inquisitionis Tribunal, tanquam turris; quæ contra Damascum respiceret, hoc est, aduersus hæreticam prauitatem, erectum est, ad id munus septem delectis viris Lacedæmoniorum, & Atheniensiū more, qui in improbos & perduelles nefarios, & refractarios, Apostatas,

Hære-

Hæreticos, Schiſmaticos, etiam flamma animaduerterent. Teſtes huius rei locupletiſſimi, Panuinius & Petramellarius in vita Pauli IV. Cynus de laud. Pauli IV. Tuanus t. 2 Hiſt. anno 1541. Antonius Card. Carrafa in Apol. Thilneus, & Antonius Cerrutus Carm. de Paulo IV. Bullengerus Ieſuita in Hiſt. ſui temporis, vnde Cardinalis Sirletus in icone Pauli IV. hoc elogio cohoneſtauit. Paul. IV. Chriſtianæ pietatis aſſertor, atque reſtitutor: eidemq; vſque in hodiernum diem Sacrum Tribunal Sancti Officij tanquam cultori, auctori, Romæ in templo Mineruæ anniuerſarijs ſuffragijs aſſiſtit: quare quod in nouiſſimè edita vita Sancti Ignatij, Pater Ribadeneira, ſine alicuius auctoris teſtimonio, ſuo Patriarchæ id opus tribuat nihil moror, potuit enim S. Ignatius (& ſic omnia cōcordant) à Cardinale Theatino, iam ſuggeſtum opus Paulo III. approbare, laudare, & ad defenſionem iam inſtituti operis ſe & ſuos excitare, & conſilio prio i auxilium miniſtrare. Ea etiam in re Carafa murum ſe oppoſuit pro domo Domini, eius diſcretionis, ſolus olfactus venatici canis more, lupos agnoſcebat, & quærentes oues perdere, ac mactare diſcerpebat, illud ſæpè pronuncians [*In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, vt diſperderem de Ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem.*] Vbi autem opus erat, ſeueritatem benignitate temperabat, & ad ſanādas animas pharmaca neceſſaria applicabat, cū quid, cui adhibendum foret omnium ſciret optimè. Eam ſanandi curam oſtendit cum M. Antonium Flaminium inſigniter linguarum, & bonorum artium diſciplinis eruditum, Hæreticorum tamen perſuaſione deceptum, propemodum iam ſupremo anhelitu palpitantem adijt, & vices eius dolens, quem videbat ad inferos properantem omni humana ſpe deſtitutum, nihil cunctandum ratus ad diuinum confugit auxilium, flexis genibus, à Domino conuerſionem obnixè poſtulabat. Vix orauit, & oratio eius diuinis beneficijs onuſta reuertitur, nam vitam à Deo, & ſalutem moribundo homini adſtantium admiratione impetrauit. Fidei Catholicæ reſtitutus Flaminius vixit Catholicè, eidemque altera vice in extremis laboranti aſſiſtente, & vidente Carafa, receptis ſacroſanctis Myſterijs, conſtanter fidei formula pronunciata, animam ſpe bona cumulatam efflauit.

Hæc adeo præclara geſta eo rem adduxere, vt aliquot annorum exacto curriculo, ad Summum Pontificatum euectus ſit, ac ipſo die, quo Ieſus Chriſtus cælorum faſtigia olim aſcēderat, vt videlicet, etiam candelabrum illud de tam ſublimi loco Vrbem, & Orbem illuminaturū eſſe ſignificaretur, cum ergo veluti fax noctu errantibus per mare, Eccleſiæ bono apparuiſſet, omnes ad rectam viam conuertit, cū Præfectis, & Præſidentibus confligens, cum ductoribus copiarum congrediens, apud Imperatores liberè loquens in concionibus, & Eccleſijs clamans, eos qui procul abeſſent, exemplo Pauli per epiſtolas conciliens, atque adiungens.

Ioanni, & Petro, Io. Petrus ſimilis, nā in tanta opulentia mollem, & delicatum vitæ cultum reſpuebat, in negotijs ſolitudinem reperiebat, vt nunquam non eſſet ſolus, etiamſi cum alijs eſſet, nunquam à vento arundo agitata, vtpote quę ad quoſuis tentationum ſpiritus, & varios caſus nunquam inflexa eſt, & vbi Ioannes ad Herodem liberè loquebatur, liberè Ioannes de teſtimonijs diuinis, Dei lege, libertate eccleſiaſtica tuendā loquebatur, illos admonens, vt intelligerent, & apprehenderent diſciplinam, ne perirent de via iuſta: Iudæam reformabat præcurſor Ieſu

minis, & adhortationibus: Io. iste totus erat in reformando orbe, abolendisque vitijs, & prauis, quæ irrepserant consuetudinibus, Iudæos glauci coloris signo distinxit, vsuris finem imposuit, simoniacam labem aboleuit, pedicones, & effæminatos puniebat. Hæreticos infelicia lolia, ne sementem Christi vitiarent, demetebat, ad Hæresum verò flammas & flagitiorum torrentes extinguendos, ne domus Christi accenderetur, omni tempore festinus accurrebat. In eo autem Petrum imitabatur eius successor Io. Petrus, quando diuino zelo percitus vtrumque gladium assumẽs, vbi multa, & varia cataplasmata, vel fomenta iuxta rei indigentiam essent adhibita, vt serpens sanaretur cancer, putridas carnes resecabat iudiciorum seueritate, ita factum est, vt acrioribus remedijs sæculo isto, indigente, propositis acerbioribus supplicijs, hominum libidinem, audaciamque frænaret. Quid faceret, vt scripsit pientissimus, & eruditissimus D. Antonius Caracciolus, quid faceret in tanto incendio Paulus, spectaret ne eminus deses, vt de turri Mœcenatica Nero, an vero accurreret celerrime extincturus? Accurreret vtique; nam, vt Sophocles ait, Acerbis in rebus celeritas est optima; alioqui, si Pauli properantia accusanda esset, accusetur & Sanctus ille Aphraotes, qui obiurgatus à Valente Imperatore Ariano, quod Monachus, & ætate grauis ad Gymnasium pergeret, vt Antiochenses in fide Catholica roboraret, quid ni, respondit, ô Imperator citus accurram ad restinguendum ignem, quo te incendente, domus Christi tota comburitur. Reprehendatur & magnus ille Chrysostomus, qui subito, ac Constantinopolim Episcopus inijt, diuino zelo percitus, redarguere cœpit corruptos ciuium mores, profligare hæreses, punire flagitia, potentiorum licentiam coercere, Clericos, Episcoposque deijcere de gradu, quem ignauè tenuissent, ac scelestè. Quem nec Gainas exercituum ductor, nec Eutropius Consul, nec Eudoxia minis, molitionibus potuerunt vnquam ab instituto cursu reuocare. Sed cum esset victor sui, excandescens in impios, ira non superabatur, ira in manu eius vocata veniebat, exiens non erumpens, nutu ad impetum ferebatur, non vtebatur illa, sed vtebatur. Illud mirum, quod cum potentibus potens superbis resistendo, cum humilibus suauis, & mitis, vt pater esset orphanorum, & iudex viduarum, vnde non sexus, non ætas, non conditio, vel persona discernebatur, omnibus omnia factus, vt omnes Christo lucrifaceret; sed non ita omnibus intendebat, vt se totum exponeret, quin quoque à cura eriperet generali, sibi enim pariter attendebat, oratione, meditatione, & pijs, sanctisque exercitationibus. ita denique totus suus, vt totus omnium esset, vt nec charitas, & regimen à custodia sui, nec sui solicitudo ab vtilitate communi eum impedire, vel retardare in aliquo videretur. Debet illi certè, etiam nunc vniuersus fermè orbis, nam quod religioni Christianæ puritas, sacris rebus cultus, Summis Pontificibus maiestas, Christiano orbi pax firma, sublatis Regum discordijs, restituta sint, cuncta Pauli IV. zelo, constantiæ, industriæ tribui debent.

Ex Antonio Caraccilio in vita Paul. 4.

Apud Theod. 4. hist. c. 20.

Non maculant Sancti Pontificis gloriam, quod suis nimium fiderit, indeque sint multorum calamitatum tanquam parua scintilla flammæ accensæ. Nam etiam scripsit quidam Ethnicus *Bonus, cautus, optimus venditur Imperator*, credulitas dixit alter *error magisque culpa est, & tamen in optimè cuiuscunque mentem facilè irrepit.* Et admiranti Petro, quod Apostolicæ Sedis Antistiti cõtra Equitium virum sanctum adulantium lingua

In vita Dioclet.

lingua subrepserit respondit Gregorius, *Quod miraris Petre, quia fallimur, qui homines sumus.* Certè magis execrandus est, *qui fraudulenter obrepsit, quam culpandus ille cui negligenter obreptum est*, scripsit S. Cyprianus excusans Cornelium à Basilide. Verum eam nebulam charitatis eius ardor dissoluit, nunquam enim fuit praua aliqua affectio calamitatum causa, sed temporum conditio, satanæ inuidia tentantis diuini nominis cultum, & gloriam impedire. testatur id ardens zelus diuini honoris, & tuendæ Pontificiæ dignitatis, quam nunquam Catholici Reges, Cæsaresque inclyti, sed quidam suis artibus violare pergebant, testatur Catholici pietas in conditionibus pacis, Ecclesiæ honorificis, regia etiam pietate, & religione dignis, testata sunt verba eiusdem pientissimi Regis Catholici vicem Ecclesiæ, & mortem Pauli Quarti dolentis atque dicentis, *Tunc sublatum tantum Pontificem, quando viuere debuisset.* Soli homines insigniter improbi, per insanam rabiem quem viuum extinctum cupiebant, emortuam statuam rapuerunt, fregerunt, non nouam iniuriam meditantes, sed veterem Cõstantino, Theodosio magnis atque optimis Principibus renouantes. Satis est ostendere tanti mali auctores fuisse qui sacri Tribunalis Sancti officij carceres cõfringere, Commissarium ordinis S. Dominici vulnerarunt, hæreticos 70. inter quos 42. dogmatizantes erant, liberarunt, Cœnobium Mineruæ adorti, vt Fratres Prædicatores, quos nouerunt pugiles fidei, flammis deuouerent, quod præstitissent, nisi impietati pietas Romana restitisset. At Pauli simulachrum aboleri potuit, virtutis imago deleri non potuit, bonorum omnium pectori infixa est, nec commendatione marmoris, aut pigmentorum fucis renitet, sed desiderio florescit animorum. Vna Pauli IV, obliuio, esset humani generis occasus. Quomodo aboleri virtus poterat, quando vsque in finem certaminis gloriosè decertans, palmam reportasse pijssimè creditur: si marmor frangebat impietas, animam quam cœlo præmiserat (illud enim post suscepta Sacramenta occinuit in extremo halitu, *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus*, lædere non potuit. Viuit in Christo gemma Sacerdotum grauissimus Christianæ pietatis atque superioris cultus assertor, atque restaurator.

1. dial. c. 4. Ep. 68.

Fœcundus alter palmes secundus post Petrum Carafam tanti sodalitij, ac huius Vineæ plantator Beati titulo decoratus Caietanus extitit, è nobili Tienensium familia, vir vita, præstantia, exemplo conspicuus, conseruatione humilis, mansuetus, modestus, pauci sermonis, in prædicationibus assiduus, cui de more erat persoluto matutino, precum officio, eodem quo psallebat loco, genibus humi fixis, mente orare ad horam vsque sacrificij. Hic Neapolim adueniens, vt religionis suæ fundamenta iaceret, egregiæ sanctitatis specimen exhibuit publico Ciuitatis voto S. Pauli Basilica super euersum Dionurorum phanum, à Christianis condita, sibi & suis concredita, quorum probitas, eruditio, religio, conceptæ de his opinionis non fallaciter respõdit. Opportuna certè, à diuina prouidentia ordinatio, tam insignem agricolam destinando, vt mala gramina, quæ serere satagebat satanas, vel in ipso ortu præscinderet. Siquidem Bernardinũ illum Okinum, & Petrum Martyrem Vermilium, ambos Hæreticorum antesignanos lupos esse sub ouina specie occultatos, detexit, qui per dulces sermones, & dulces benedictiones seducere conabãtur innocentium corda, venena lethalia hæresum sub mellitis verbis propinantes, quibus in fugam conuersis, securus mansit grex ille,

D. Ant. Caracciol. in eius vita.

ille, qui à S. Petro Apostolorum Principe fidei documenta perceperat. Paupertatis fuit amantissimus, vt redditus exhibitos abrenunciarit, & si nõnulli in ea essent sententia, vt certi prouentus censusque perpetui ad instar multorum aliorum ordinũ, exigi pateretur: ipse verò solum innixus Dei immediatæ prouidentiæ, & fortuitis piorum oblationibus, firmiter omnia sperabat, quæ diuini verbi firmitas in suo Euangelio sibi famulantibus promitteret inquiens, *Quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* Signis quoque eum Dominus illustrauit, nam mulierem quandam nobilem morti iam proximam, sacro liquore, qui è corpore Sancti Andreæ Apostoli fluit, pristinæ sanitati restituit, quod etsi S. Andreæ meritis adscribatur, à porrigentis exorantis Caietani virtute non est censendum alienum. Diaconum quendam suæ familiæ phrænesi apertaque dementia diu laborantem liberauit, vbi tota nocte Deum orando, & gemendo transegit, ipso illo die conualuit, adeoque menti restitutus, vt sacerdotio postmodum fuerit initiatus. Item cum nauis in Adriatico mari, qua ipse, alijque vehebãtur, iam penè ex procella valida mergeretur, fidei & precationum anchora cõfisus, iacto etiam in iratum mare cereo agniculo, extemplo tempestatem sedauit. Quis omnia enumeret?

Demum post innocentissimam vitam transactam, fractus senio, & febre super durum suum paleis infarcinatum lectulum decumbens, omni reiecta delicati strati mollitie, diuinis mysterijs munitus, mortem quam diu exoptauerat, lætanter excipiens, maxima animi deuotione, bonis operibus refertissimus, Christo Domino, quem in Cruce, & labore imitatus fuit, spiritum reddidit. Cuius anniuersarios honores Vicentini ciues celebrant, & authoritate Apostol. miraculorum, & vitæ acta recipiuntur.

Tertius subsequitur fœcundus palmes, Bonifacius à Colle, vnus ex illis duodecim, qui in barbarica irruptione sub Borbonio Duce, præ cæteris martyrij constantiam ostendit, dum ad truculenti militis iussionem, collum extendit, ad vulnus, ab euaginato iam gladio excipiẽdum, qui tametsi non cæsim, sed lato ense percussionem persenserit, nihilominus ictus vehementia, & naturalis mortis horror, viuaq; mortis imago, plus animum percussit, quã si reuera gladius caput obtruncasset. Nec martyrij palmam amisit, cum à sicario impœnitente in illud discrimen adductus, vt aut pugione confoderetur, aut absolutionem impertiretur, quam angustiam non aliter sopiuit, nisi positis genibus pectus exponendo, vt & tam insignem impietatem emolliret, & tam præclari facinoris coegerit esse declamatricem. Quomodo non charitati vota, charitati professio, charitati religio vniuersa tanti viri deseruiebant, quando animam suam non semel posuit pro dilecto suo? & quia mundana omnia desipiebant, cui solus Deus sapiebat, non honores ambiebat, nec gloriæ cupidus obsequia vberiora desiderabat, sed finem certaminis patiens laboris, propemodum securus meriti, præstolabatur. Ad honores, quos euocatio ad Pontificale Palatium promittebat, noluit obtutus defigere, *Satis*, dicendo, *est mihi, quod habeo, solum mihi superest sepulchrum.* Talia senex, qui cum veneranda canitie candorem immaculatum, & sanctam simplicitatem copularat, cœlo tantum dignus est habitus, qui radices non in terra fixerat, sed in cœlo.

Quartus, & huius vineæ conditor Paulus Consiliarius, Pauli IV. familiarissimus, quem intimi cubiculi Præfectum è

Venetijs

Venetijs accitum constituit, Vaticanæ ædis Canonicum fecit, vt his gradibus ad purpuræ dignitatem paulatim assumeretur, Sacrosanctam Vaticanam ædem diuino cultui,& sacrarum rerum nitori vehementissimè intentus, & multò magis virtutibus, & frequentissimis precibus eximius iste virtutis cultor mirificè illustrauit. Inde ex frigido temperamento Vaticani cœli tussi contracta, rupta pectoris vena, post dies quadraginta ad extrema deducitur, quem & ipse Summus Pontifex pluries visitauit; matremque quæ vicem suam dolebat, his verbis consolatum esse perhibetur. *Quid fles mater, si me mortalem genuisti immortalem me Christus regenerauit ad vitam, cuius meritu obtinere spero. Pectoris mei arcanum tibi non reuelare non possum. Ex Dei gratia virginitatis candorem hucusque illæsum seruaui. Donum Dei est, cuius totum est, quod sum, à quo peccatorum indulgentia, & meritorum, ipsius sunt dona; palmam humiliter, & supplex imploro.* Sic denique Sacramentis Ecclesiasticis ritè munitus, migrauit ad Christum. Magnus vir si non miraculis, magnus triumphis, quæ si patrasset augustiora fuissent opera, nunc verò virtutibus clarus, sunt hæc eminentiora, æternisque præmijs digniora.

Primus vitis Vineæ huius ab his quatuor plantatoribus institutæ efflorescit Bernardinus Scottus, qui anno 1525. religionem istam ingressus, eminentissimæ virtutis, & prudentiæ specimen ostendit. Cum Aloysio Lippomano Legato Apostolico in Germaniam collega destinatur ad scissuras de religione resarciendas ob publicationem, interim, cuius consilia, tanquam oracula à Legato recipiebantur.

In Pontificatum euecto huius almæ Religionis protoparente Paulo IV. primogeniti non est oblitus, quod eius mentem, & arcana primus omnium nouerat, & in cuius virtute, & integritate iamdudum conquieuerat. Eum Archiepiscopum Tranensem, & S.R.E. Presbyterum Cardinalem creauit. In ea dignitate omnibus virtutibus, sed religione, & prudentia inprimis tanquam sydus firmamenti emicuit: caput congregationis S. Officij ad cęsendos Hęreticos instituitur. At breui hinc migraturus, Placentinam Ecclesiam (ad quam ex Tranensi translatus erat) à se liberè cum omnibus redditibus abdicauit, vt expeditius in stadio curreret ad capessendam coronam vitę; quod accidit ab huiusmodi abdicatione, sequenti mense. Placidè obdormiuit in Domino, supereffluentem mensuram meritorum à iusto remuneratore recipiens 1568.

Non minori sanctitatis fama enituit D. Bartholomæus Veronensis, de quo Paulus IV. ad Caietanum scribens, hoc dedit testimonium sanctitati. *Primum quod apud nos irreprehensibiliter vixit, iugumque Domini vsque ad mortem constantissimè, libentissimeq; portauerit, tum quod in exitu longè maior apparuit, quàm quisque illum existimare potuisset.* *Ant. Caraciol. in vita B. Caiet.* Hic nocte Natiuitatis Domini ad Ecclesiam pergens Sacram Eucharistiam suscepit, lectoque decumbens, certaminis extremi vnctione perfusus est, qui vt idem Papa Paulus IV. scribit, *Sacramentum illud summa cum deuotione, & alacritate quasi futuræ victoriæ insigne suscipiens, in festo Sanctorum Innocentium inter choros Sanctorum Angelorum, & Patriarcharum, & Apostolorum victor abscessit.*

Insignis Pater Ioannes Marinonius virtutibus miris in hac Vinea effloruit, religionem ingressus est 1528. sub præfectura B. Caietani, & sub præfectura Pauli IV. solemnem professionem emisit, omnibus virtutibus, sed puritatis, innocentiæ, orationis, humilitatis, obedientiæ, charitatis præcipuè actibus emicuit, crucis mortificatio-

cationem iugiter in ſuo corpore portans, flagellis, ieiunijs, carnem ſpiritui, & alijs aſperitatibus ſeruire cogebat, lachrymarũ dono tanquam cœleſti imbre anima eius fœcundabatur. Nulla re magis delectabatur, quam ſui contemptu, vnde nihil magis, quàm honores formidabat. Archiepiſcopatum Neapolitanum multò lachrymarum imbre Paulo IV. propemodum vrgente, S. Thomæ Aquinatis, cuius erat ſtudioſiſſimus exemplo (ſalua virtute obedientiæ recuſauit. Virginitatem perpetuò coluit, multa prædixit, alijſque ſignis eius adhuc viuentis conuerſatio demonſtrata eſt. Obdormiuit in Domino tam incredibili omnium mœrore ob commune, priuatumque cuiuſque damnum, tam magna admiratione, ob ſingularem ipſius ſanctitatem, magnaſque virtutes, quibus ab ineunte ætate vſque ad extremam vitæ ſuæ horam maximè claruit, vt nemo illum non fleuerit, nemo non laudauerit, dixeritque Beatum: omnes illum hominem ſi poſſent omnes illius vitam imitari, illius vitæ terminum aſſequi maximè cuperent. Eius gloriæ, tum in primis eius innocentia, tum omnis animorum conceptus, & nonnullæ apparitiones, gloriam eius conteſtantes demonſtrant, eidemque tam illuſtrem vitam, vt ei Diuorum decernantur honores, ſatis ſuperque mereri. De eius vita, & ſigna authoritate ordinaria recipiuntur teſtimonia ad canonizationis effectum.

Felix quoque inſpicitur palmes Beatus Andreas Auellinus, qui 1556. religioni Theatinorum dedit nomen, tanquam alter Abraham, non modo à patria, vel gente, ſed ab ipſa ſuamet vita abſciſſus: ſponte cum Iſaac in hoſtiam ſe colligans. Et quaſi alter Iacob in ſuis præfecturis pro grege ſibi commiſſo inuigilans. Andreas alter Moyſes orationibus diuinas ligans manus; & tanquam alter Aaron, ac ſi totius mundi eſſet Sacerdos, pro vniuerſo orbe, Deo quotidie ſupplicans, & ſacrificans. Vt alter Phinees fornicantium æſtrum (quando ſacras virgines cuſtodiebat) fidei mucrone confodiens, ipſe in facie ſtigmata, & vulnera pro virginum Chriſti tutela reportans, miraculis, & ſignis, ipſis quoque ſyderibus cœli fulgentiora, & illuſtriora. Andreas alter Ioſias, qui abominationes Idolorum, hoc eſt peccatorum, & lucos denſos iniquitatum, declamando diſſipauit, & perdidit. Alter Elias zelo zelatus pro Domino Deo exercituum, peccatores arguendo, vitia deteſtando, regularem obſeruantiam, in qua viguit firmiter retinendo. Alter Eliſæus à lepra curando, quod in ſacris Confeſſionibus iugiter faciebat lepram à lepra optime diſtinguendo. Alter Paulus tanta in omnes homines charitate flagrabat, quaſi vniuerſum orbem genuiſſet; ſic perturbabatur, ſic curabat, ſic omnes in regnum Dei feſtinabat inducere, docendo, orando pro ipſis cum ipſis etiam ſupplicando, & terrendo dæmones, & corruptores animarum fugando, aliquando epiſtolis, aliquando præſentia, nunc ſermone, nunc rebus erigendo labantes, ſtantes firmando, humi iacentes attollendo, ſanando contritos, tepidos animando, & more periti medici artis ſuæ inſtrumenta geſtando, fixus ſtans in omnium arce virtutum locatus, omnem flammam incendio charitatis ardore vincendo.] Moritur quaſi communis orbis Pater anno ætatis ſuæ octuageſimo octauo, anno 1608. ab altari ad cœlum translatus: in altari enim apoplexia correptus, vbi dicere incepiſſet: *Introibo ad altare Dei*, iuge ſacrificium, quod explere non potuit in altari; ad regnum cœleſte ſeipſum ſacrificium offerens tranſmiſit, & ſanguis effuſus, tanquam abyſſus abyſſum inuo-

Mutuata ex Chry. de laud. Pauli.

inuocans sanguinem, qui è cadauere viuus, & floridus emanauit, vt sanguis sanguine miraculoso appretiaretur, & præmiaretur, promeruit. In Beatorum numero à Sede Apostolica adscriptus est anno 1624.

Sed & Iacobus Tornus etiam fama sanctitatis clarus procedit. Hic alter Antonius, ex oratione, ieiunijs, silentio, contra visibiles, & inuisibiles hostium generis nostri insultus pugna diuturna, à quibus non semel diuerberatus patientiæ, vt & in cæteris infirmitatibus, se præbuit exemplar. post 50. annos à professione maxima adstantium ædificatione, spiritum Deo reddidit, cuius vestes deuotionis ergo à populis præcisæ sunt in testimonium opinionis sanctitatis.

Vester palmes est Bernardus ille Tudertinus Staurofones, qui Crucis mortificationem in suo corpore quoque portauit, paludatus enim cilicio ingentem trabem Crucis sacrosanctæ imaginem efformantis baiulabat. Adhuc in seculo, & in religione moriens mundo, crucifixi expressit imaginem, vnde ad palmam meruit ascendere, qui fructus Crucis decerpserat.

Vester Petrus Foscarenus Parisiensis Doctor, qui & Episcopatum Baiocensem, deferente Paulo III. constanter recusauit. Eximiæ Orationis, & contemplationis vir, qui ann. 1551. ad Dominum migrauit Neapoli sanctitatis odorem spirans.

Vester Seuerus Fundensis, qui mortificatus prius, quàm mortuus, ab affectibus huius vitæ segregatus, antequam à vita separaretur, vitam sempiternam inuenit sanctè moriens 1542.

Vester Thomas Goduellus Conturbiensis, Episcopus Asaph creatus à Paulo IV. qui intrepidè Elisabeth Reginam Angliæ de vsurpato supremi capitis Ecclesiæ Anglicanæ titulo redarguit, minas & honores spernens. Sed Anglia hunc repudiauit Episcopum, vt totus mundus eundem coleret, Episcopi virtus eundem complexa est mundum, imò potius mundus eius virtutem. Vitæ sanctitate, fidei confessione, atq; doctrina conspicuus, nuper Romæ dolore omnium optimorum ex humanis sublatus, & vt dixit Nicolaus Sanderus felicissimè, & sanctissimè obdormiuit in Domino 1585.

Vester Hieremias ille Isachinus, cuius tanta in prædicando cōpunctio, vt S. Carolus in oratorio sui palatij, spiritus feruore delectatus, libentissimè, ac sæpissimè audiret disserentem. Abstinentia verò mirifica, vt sicut de Basilio legitur, cutis sola ossibus superinducta videretur. Charitatis virtute omnes superauit, ponens animam suam pro proximorum salute. Grassante enim lue Patauij, infectis, proprijs manib. deseruiebat, Sacramenta ministrabat, & cadauera sepeliebat; qua demũ percussus, inuictum spiritum, vna manu Crucem tenens, altera librum, ei tradidit, qui pro omnibus mortuus est, 1576.

Vester Io. Paulus Montrosanus, virtutum omnium emporium, ipsique generis humani hosti formidabilis: Dei enim organum, & instrumentum videbatur à cęlo lapsum ad energumenos liberandos. Sed signum virtutum extitit, in infirmitatibus admiranda & inuicta patientia: quarum omnium testimonium non vulgare, fuit concursus populorum in eius morte vitæ sanctitatem contestantium.

Vester Antonius Agellius Episcopus Acernensis linguarum peritissimus, nostrorum temporum Hieronymus, qui in restituenda 70. Interpretum, & vulgatæ sincera lectione ex emendatissimis codicibus talem operam impendit, vt propemodum ex labore, oculorum luce priuaretur.

Notæ illæ, quæ in Biblijs Sixtinis 70. Interpretum leguntur, fœtus Agellij existimantur. Tanquam oraculum in Congregationibus Sacri Concilij, & alijs habebatur. Ipsius quoque consilio innumera volumina Talmud flammis exposita; tantiq; viri pectus, & animum inuictum oblata ab Hebræis immensa auri pecunia, flectere non potuit, vt à recta sententia discederet: auroque repudiato, maiores diuitias existimauit veritatem defendere, quàm opulentam gazam obtinere, paratus quoq; ad sustinendum improperium Christi. Hic tandem Episcopatui renuncians, contemplationis quieti se tradēs, felicem cursum consummauit, multis ad posteros relictis suæ doctrinæ monumentis.

Dies me deficeret enarrantem, & recensentem memoriam Cardinalis pientissimi de Aretio Archiepiscopi Neapolitani (miræ sanctitatis viri, cuius vita, & signa, ordinaria auctoritate nunc examinatur.) Necnon & Saluatoris Caraccioli Episcopi Compsani, Pauli Tholosæ Episcopi Theatini, (vt alios silentio prætercam) hi enim proceres, & Episcopi, fuerunt fidelis populi Duces strenui, veritatis assertores, prauæ doctrinæ hostes, exempla bonorum operum, documenta virtutum, & norma fidelium. Quos non inflauit honor exhibitus, sed exercuit onus impositum, nec excellentiam cogitarunt suam in promotione, sed sarcinam: non gloriantes de officij dignitate, sed sudarunt potius sub pondere constituti: qui facti dispensatores Dominicæ domus, tanquam fideles, & serui prudentes, cœlestis Patris familias abundè donorum cœlestium charismata populis, tanquam cibaria diuina ministrarunt.

Etiam omnium virtutum genere hæc fœcunda vinea floret, & fragrat. Alius enim scientiæ floribus exornatur, alius discretionis ratione robustius communitur, alius humilitatis, alius continentiæ virtute præfertur, alius simplicitatis gratia decoratur. Hic magnanimitatis, ille misericordiæ, iste vigiliarum, ille taciturnitatis, & laboris studio supereminet cæteros. Intueor hunc singularis abstinentiæ, alium verò patientiæ admirandæ. Hunc summæ mansuetudinis, alium multę pietatis: istum in contemplatione frequenter excedere, hunc pulsare cœlos orationum instantia, aliosque in alijs præeminere virtutibus. Omnes deuotos considero, omnes donis cœlestibus, & gratia affluentes, tanquam spirituales reuera montes, qui à Domino visitantur, vt illorum species quasi quædam forma nobis imitanda proponatur, quia viua lectio est vita bonorum. Interioris puritatis, atque munditiæ, exterior munditia testis est sufficientissimus; vnusquisque enim solicitus pro decore domus Dei inuigilat, (vt verbis S. Hieron. vtar) *si nitet altare, si parietes absque fuligine, si pauimenta tersa, si vela semper in ostiis, creberque ianitor in porta, si sacrarium mundum, si vasa luculenta*, & in oēs cæremonias *pia solicitudo disposita, non minus, non maius negligitur officium.* *Epist. ad Heliod.* Cōstituunt iugiter diem solemnem in condensis frōdibus, florumq; sertis vsq; ad cornua altaris, diuersi generis floribus, & arborum comis, cancellos, & thecas Sāctorum exornando, vt nec genialis hyems purpureis rosis, & obdurata glacie, arua quoq; laxentur: vt floribus calathi cumulari possint, ad aras, sacrorumque ossium thecas exornandas. Tanta demū fide vniuersa procurant, atq; dispensant, vt etiā ea, quæ despectui habentur, paruaque reputentur, ac vilia; vt si tenuem festucam de oratorio, cella ve submouerint, mercedem se cōsecuturos à Domino, tota credulitate confidant. Multos ad Deum sanctè viuendo, & prædicando cōuertunt: verborū

salu-

salubrium medicaminibus curant, afflictos consolantur, errantibus viam salutis ostendunt, desperatis spem veniæ consequendæ promittunt, remorantes accendunt, vt plura eorum exemplo, & verbo regnorum cælestium efficiantur cohæredes, eorumdemque virtutibus crescunt, qui per eos, Deo auctore, proficiunt: & Deo suo inseparabiliter adhærentes (in quo solò credunt solida, ac permansura bona reposita) mundi eius gaudia, opes, commoditatesque fastidiunt: volétes enim Deum possidere, renunciant etiam redditibus in communi, vt sit illis Deus beata possessio. Compendio dicam hæc sancta Religio, nedum vinea, sed hortus conclusus est, specialiter consitus, pro delicijs Domini, imaginem cœlestis præseferens, imo videtur noua Hierusalem de cœlo descendisse à Deo parata, & ornata sicut sponsa viro suo.

Non desunt botri vineæ, siquidem Panormi lue grassante, vbi flexis genibus fermè vniuersi PP. domus S. Ioseph, Patri Præposito administrandum Sacramenta, & infirmis inseruiēdum se obtulissent: sors cecidit super P. Alexandrum Trotta, & P. Antonium Menghi, P. Caietanum Vndacium, & P. Antonium Borsa, & duos fratres Laicos. Hi admirabili charitate ægris famulantes, vitam in discrimen adduxerūt, vt Christo animas acquirerēt, qui pro omnibus mortuus est: vnde nedum apud homines, sed apud Dominum maximam sibi gloriā compararunt. Sed præ cæteris huic ministerio addicti, indefessius laborarunt P. Trotta, & P. Menghi: nā (vt Inquisitor Panormitanus suis litteris testatur) P. Trotta nedum infirmis viuentibus obsequia præstitit, sed etiam mortuorum cadauera tabo effluentia, proprijs humeris, tāquam alter Tobias ad tumulū deferebat. Vnde ipse quoque epidimia percussus, sui quoque oblitus, quamuis sacro perunctus oleo, è lectulo surgens, alios ad bene moriendum cōfortabat. Tandem febricitante expirans, charitatis præmium reportasse credendum est, P. Menghi post quatuor dies, quibus penè sopitus iacuerat, cœlestem harmoniam audire meruit, & B. Virginem cum Sanctorum choro incedentem inspicere. Et tandem maximo spiritus feruore spiritum Deo reddidit. Cui similiter eodem mortis genere adiunctus est alter frater Laicus, martyrij palma non defraudati (vt meritò inter botros vineæ recenseri debeant) quando sub Valeriano Imperatore pientissimi quidam fideles, quia grassante peste, infirmis ministrantes occubuere, in publicis Ecclesiæ tabulis inter Martyres annumerantur. Nam (vt dicit Dionysius Alexandrinus) propter incredibilem pietatem, & robustam fidem à martyrij splendore nihil distare videntur.

Die 28. mens. Feb.

Apud Euseb. lib. 7. c. 16. & 17.

Quantum verò oculis columbinis alias visus fuerit Mendicantium Ordinū chorus decorus & formosus, satis probatur ex Illustriss. Cardinali Bellarmino (vnde forte, vt aliqui scribunt, liber attitulatus de gemitu Columbæ, non esse ipsius existimatur, aut ibi suppositicia quædam esse inserta, de qua re non moror) vbi enim eorū Sacrosanctum statum aduersus hæreses nostrorum temporum argumentis approbasset, & ora hæreticorum de religionis statu, & religiosis obloquentium oppilasset, sic florentem etiam nunc religiosorum statum, præsertim S. Dominici, & S. Francisci, aureis verbis (tanto athleta fidei, & Hæreticorum hoste acerrimo dignis, & hoc tempore opportunis ad defectum religiosorum potius opprimendum, quam exemplandum) celebrauit. *Tertio & vltimo probatur*, nempe religiosorum Mendicantium status, *ex euentu. Nam hoc genus vitæ, innumeris signis, & prodigijs confirmatum est*,

Reuerend. Episcopus Monop. Chronic. p. 5. c. 62. l. 3. pag. 416.

est, quæ Deus edidit per SS. DOMINICVM & FRANCISCVM, auctores huius vitæ. Deinde AB EO TEMPORE conuersio Gentilium, confutatio hæreticorum, pietas populi Christiani, conuersatio Theologiæ, & innumera alia bona ordinibus Mēdicantiū, maxima ex parte accepta referēda sunt. Si ab eo tempore, vsque ad præsens ex verbis istis tam floret Mendicantium status, iuxta mentem pijssimi fidei athletæ, corruptus dici non potest, & fructus istarum vinearum nullo modo à spinarum scandalis, quæ vulgo obijciuntur, læsionem patiuntur, & si quæ essent, pulchriorem statum religionum, nō deformem, vel corruptum efficerent, vt illud etiam occini posset: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Vnde appellat spinas* (ait Aug. li. 3. cōtra Cresc. Grammat. c. 38.) *nisi propter malignitatem morum, & easdem vnde filias, nisi propter communionem Sacramentorum?* Sicut ergo in Ecclesia Catholica anima fidelis pulchrior redditur ex admixtione malorum; sic Religio scandala habens admixta, splendidior, vnde meritò idem Sanctus dixit in Ps. 92. *Necesse est, vt si proficis, inter iniquos viuas.*

CAPVT XXX.

De nouissimis operarijs vineæ Ecclesiæ Catholicæ Venerabilibus Patribus Societatis Iesu, & vberrimis fructibus per eos reportatis.

AD nouissimos vineæ Christi Domini cultores Patres venerabiles Societatis Iesu meritò nuncupatos (dicente Ambros. serm. 47. *consortium meretur nominis, qui consortium meretur & operis*) intuendos descendo. Vitis illa abundans, illico occurret de qua dici potest, quod scripsit Oseas. *Ibunt*
Cap. 14. *rami eius, & quasi oliua gloria eius, & odor eius vt Libani.* Abundans certè vitis nō in lateribus domus Dei plantata occurrit S. Ignatius Loyola, quā cum cælestis agricola ab actibus huius seculi præpurgasset conuertens militis lāceas in falces, & gladios in vomeres ad arandum gētilium pectora pro Euangelij disseminatione, adeo creuit in filijs suis, vt iam extenderit *palmites suos vsque ad mare, & vsq; ad flumen propagines eius.* Mittūtur siquidē rami eius (missionis enim quarto voto deuinci solent, qui solemnem professionem emittunt) & ad Indos, ad Lydios, ad Libyam, Æthiopiam, aliasque remotissimas regiones, ad Insulas longè, quæ de Deo non audierunt, alacriter properantes, tanquam cooperatores terram humani cordis, concionibus, confessionibus, lectionibus, Catechismo excolunt, & cælesti prædicationis imbre, & rore irrigantes, fœcundant & folijs, floribus, fructibus, hoc est, doctrina, verbo & exemplo viuidos ramos tantæ vitis satis ostendunt. Pendent è ramis botri, Martyres illustres, *nec* Ep. 16. ad Moysem, & Max.
deest dicam cum Cypriano *autumno, ad munera fungenda temporū gratia spiritualis, vindemia foris premitur & profutura poculis, in torcularibus vua calcatur.* Innumeri enim huius vineæ alumni, partim Sacerdotes, partim Laici à Gentilibus, aut Hæreticis expressi, vinum martyrij meracissimum, in cellam vinariam sponsi inferentes recensentur, à societatis huius teneræ incunabulis, vsque ad præsentia tempora qui lauerunt in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum, gloriosè pro Christo occumbentes. Hi sunt, Antonius Criminalis Protomartyr societatis, Consaluus Sylueira, Petrus Ex hist. societ. & litter. annu.
Martinez, Io. Baptista Secura, Ignatius Azeuedo cum triginta alijs socijs, Franciscus Castrius cum vndecim, Edmundus Campianus, Rodulphus Aquauiua cum quatuor socijs, Iacobus Salerius, Guilielmus Gualterus Chronic. pag. 750.
Saltomachius, Martinus Laterna, Iacobus Ghisai cum duobus socijs, *alij quoque* (vt Gualterus ait) *ex hac societate non pauci, qui hoc eodem sæculo per tyrannicam hostium Ecclesiæ vim, in cœlum euolarunt.* Et nuper in Regno Iaponiæ, vt ex litteris authenticis à P. Priore Prouinciali Ordinis Prædicato-

Apud Reuerēd. nostrum Fr. Io. Lopez. Ep. Monop. li. 3. c. 52. hist. S. Dominici, & nouiss. alijs Relat. Philipp.

rum apparet, cum Patribus S. Dominici, Francisci, Augustini, eadem fidei confessione contesserati, multi quoque venerabiles Patres Societatis gloriosè occubuerunt. *Vos ergo* dicam cum Cypriano *de Domini vinea, pingues racemi, & iam maturis fructibus botri pressura sacularis infestatione calcati,* Ecclesiam decorastis. *Vini vice sanguinem fudistis, ad passionis tolerantiam fortes, martyrij poculum libenter hausistis.*

Pendent hinc quoque Confessorum germina arboris frondosæ succum haurientia, quibus eadem S. Ignatij arbor tanquam ornamento vestitur. Aspice germen illud, filium, & socium S. Patriarchæ S. Franciscum Xauerium, germen sublime & gloriosum, virum planè Apostolicum, ex charismatibus Apostolis communicatis, prophetia, linguarum genere, miraculorũ dono, stipitem reddens clariorem (gloria siquidem patris filius sapiens) qui si nil aliud in horreum Dominicum inclusisset, quam trecenta hominum millia ex infidelitate conuersa (vt scribit Bozius) satis superque cumulata merita, & refertissima præmia ex sola prædicatione reportasset. At in omnibus virtutum actibus heroicis cum iugiter se exercuerit, eadem mensura remetitum est illi: mensuram siquidem bonam, confertam, coagmentatam, coagitatam, supereffluentem dedit Altissimus in sinum suum; iuxta mensuram meritorum eius, quæ iuxta mensurã donationis Christi metienda docuit Apostolus.

Lib. 6. de signis 63.

Post S. Franciscum occurrent tibi Beatus Aloysius Gonzaga, B. Stanislaus, B. Franciscus Borja eximię sanctitatis viri orbi notissimi, qui Beatorum albo iam sunt adscripti ab Apostolico Throno.

Famigeratissimi sunt primi huius vineæ cum S. Ignatio cultores, Lainius, Rodericus, Codurius, Iaius, Broetus, Faber, Bobadilla, Salmeron. Emicant cum his Antonius Araozius S. Ignatij propinquus. Antonius Corduba, qui oblatum sibi Cardinalatus honorem, Societati se addicens recusauit: & Iacobus Hozius, cuius anima à S. Ignatio inter cœlicolas visa est aggregari.

Nostris quoque temporibus cum sanctitatis opinione, decessit Pater Bernardinus Realinus, cuius vita, & signa ad beatificationis, aut canonizationis effectũ examinata sunt, similiter P. Bernardus Colnaga, vir doctissimus & piẽtissimus, qui pluribus annis sacram Theologiam interpretatus est, & Doctoris Angelici Thomæ Aquinatis doctrinæ studiosissimus, eius fuit Hyperaspistes. Pietate vero & religione mira effulsit: erga alias Religiones, præsertim SS. Dominici & Francisci adeò erat affectus, vt solo habitu ab illis discerni videretur, semper è chronicis, & monumentis harum sacrarũ Religionum exempla, & documẽta in concionando proferebat ad populos inflammandos, vt vbertim flendo purissima pectora emolliret, & ad pœnitẽtiam prouocaret magno animarũ fructu.

Quis vero recenseat Guzmannos, Padillas, multosq; alios Dynastarum & innumerabilium illustrium virorũ filios, calcatis mundi illecebris, nudũ Christũ sequentes, in altissima paupertate ditissimos, & virentibus meritorũ folijs vitem protoparẽtis eorum exornantes, & quis multitudinẽ eorũ, qui cum perfectionis, aut sanctitatis opinione obierunt recensere valeat? Pergo & eundem S. Ignatiũ vt oliuã cõtemplor, dicere enim potest *ego quasi oliua fructifera in domo Dei.* vnde quasi oliua erit gloria eius, An non oliua fructifera sanctus Ignatius, cuius fructum quinque sibi sapientes virgines, vt verbis vtar Hieronymi, parauerũt ex quo vulnerum mitigatur tumor, languentis membra requiescunt, in tenebris lumen accendit, vnguntur in agone certantes?

tantes? ad hoc enim S. Ignatij, & filiorum tendit institutum, vt ex cōfessionibus medela, ex prædicatione splendor, ex disputationibus, & congressibus cum Hæreticis victoria reportetur. Ad oliuam spectat, ad alendam iuuentutem scholarum, collegiorum & seminariorum erectio, vt diuinissimum omnium diuinissimorum sit litteris, & educationi adolescentium, & saluti animarum cooperari. Sed quæ Dei facultas? audi. Dei facultas sub figuli typo describitur: venit enim saluare, quod perierat, & conuertens pedibus rotam Euangelium præsignantem, quod fractum erat, in pristinam reduxit formam. Sed si, referente Plinio lib. 35. c. 12. Numa Rex Collegium figulorum instituit, Ignatius spiritualium figulorum Collegia erexit, ad peccatores, qui dicunt. *Facti sumus sicut vas perditum*, reparandos. Ad quod conuersionis munus, & tenellæ iuuentutis rectam educationem, omnem curam, industriam, laborem dirigunt. Horum figura in veteri testamento præcessit, nam de Iosaphat legitur, quod *tertio anno regni sui misit de principibus suis Benhail, & Obdiam, & Zachariam, & Nathanael, Micheam, vt docerent in ciuitatibus Iuda, & cum eis Leuitas Semeiam, & Nathaniam, & Zabadiam, Phasael quoque, & Semiramoth, & Ionatham, Adoniamque, & Tobiam, & Thobadoniam Leuitas, & cum eis Elisama, & Ioram Sacerdotes, docebantque populum in Iuda, habentes librum legis Domini, & circuibant cunctas vrbes Iuda, atque erudiebant populum.* Non est cur illud obijciatur Isaiæ 33. *Vbi est litteratus, vbi legis verba ponderans? vbi doctor paruulorum?* passim enim tibi occurrent doctissimi Theologi, Scholastici, Scripturarum Interpretes, vt si curiositatem explere cupias Scriptorum Societatis, in promptu habeas Ribadeneirā de Script. Societatis. Præter hos sunt etiam inferiorum artium Magistri, & paruulorum doctores, propter eum, qui sapientiam præstat paruulis, & paruulus pro nobis factus est, ad rudimenta prima edocenda se demittētes. Gloriam Libani in S. Ignatio pariter intueor, propter odoramenta bonæ famę & exemplorum, quibus suauissimè fragrant tanti parentis sectatores. Sed ex alio titulo in eo gloriam Libani aspicio, nam etsi ex instituto dignitates ecclesiasticas accipere recusent, nihilominus Apostolica Sede iubente, easdem ex obedientia acceptant. Duos viros insignes diebus nostris vidimus in S. R. E. Collegio cooptatos, Frācīscum Toletum (quem eius olim præceptor F. Dominicus Soto prodigium solebat appellare) alterum Robertum Bellarminum, fidei athletam robustissimum, olim Capuæ Archiepiscopum, vt meritò nouum Antoninum in subleuandis pauperibus, in vitæ perfectione Basilium, in confutandis Hæreticis Irenæum, à diuina prouidentia destinatum dixeris. Pluris galero insignitos vidisset parentum nostrorum ætas, ni Beatus Borgia, Antonius Corduba, Lainus, & alij de se humiliter sentientes, modestè nō reluctasset. Episcopos & Patriarchas multos quoque legimus, non tam ad honores delectos, quàm ad onera vineæ Domini in Indorum cultura consecratos, qui forma facti gregi nouo, opus Dei mirificè promouerunt.

2. Paralip. c. 17.

2. p. hist. Iesuit li. 2. p. 133.

Sed & mons Libanus aurea mala, citrea aliosque fructus, & plantas producit, ex quibus suauissimus euaporat odor, vnde in Cant. 4. sponsa sic commendatur, *Odor vestimentorum tuorum sic odor thuris, nardus, crocus, fistula, cinnamomum, cum vniuersis lignis Libani.* Nec dissimiliter ob virtutum fragrantiam eadem describitur odorem spirans. Ps. 44 *Myrrha & gutta, & casia à vestimentis tuis, à domibus eburneis, ex quibus delectauerunt te filia Regum in honore tuo.* Domus eburneæ, palatia eburnea, ait Isidorus l. 15. Ethic.

& ampla tecta dentium *era sunt*, *& linguæ Catechistarum & Concionatorum, è quibus tanquam è Christi Regis nostri instrumentis prodeũt, cum doctrina, honestarum actionũ exempla suauẽ exhalantia odorem:* quæ passim cum in huius sancti instituti concionatoribus, Catechistis, & alijs operarijs inspicias, dicas necesse est: Gloria Libani data est S. parenti Ignatio. O vitem abundantem, ô fructiferã oliuam, ô Libanum omni amœnitate refertũ, ô nouissimos operarios in vineã Domini conductos à patre-familias, qui non impa-rem in ecclesia laborem pertulerunt, quàm priores agricolæ portantes pondus diei, & æstus. Deerat tertius collabẽtis mundi sustentator, & de duobus prouisum erat Dominico & Frãcisco, qui manus diuinas tres in orbem sagittas iaciẽtes (sic visione, cum ordines Prædicatorum, & Minorum instituendi erant diuinitus ostẽsum est) restringeret; tertius supererat ad tertiam sagittam reparandam, en S. Ignatius, & sicut Deus Dominicum & Franciscum tanquam sagittas electas destinauit, vt sagittarent *corda inimicorum Regis*, è diuina pharetra sagitta tertia emittitur, Esaiæ vaticinium completur. *Mittam ex eis, qui saluati sunt ad gentes in mare in Africam, & Lydiam tendentes sagittam, in Italiam & Græciam ad Insulas longè ad eos, qui non audierunt de me.* Vnde hos tres ordines ijsdem penè institutis Dominus voluit colligari, vt vberem messem reportarent, non tantum fæces Israel conuertendo, sed salutem Domini, & lucem gentibus, adducendo vsque ad extremos terræ, Antipodes conuertendo, occidentales & orientales Indos lustrando; vt verè impletum sit de his præcipuè tribus ordinibus, quod dicit Esai. cap. 11. *& volabunt in humeros Philisthijm per mare simul prædabũtur filios Orientis.* Liceat vaticinium Viri Apostolici S. Vincentij Ferrerij coronidis loco sanctæ Societati adaptare. *Tria*, ait S. iste, *sunt nobis singulariter, & quasi assiduè meditanda. Primum Christus crucifixus, incarnatus. Secundum status Apostolorum, & Fratrum præteritorum nostri ordinis, & hoc cum desiderio, vt illis conformemur. Tertium status virorum Euangelicorum futurus & hoc debes die, noctuque meditari, scilicet statum pauperrimorum, simplicissimorum & mansuetorum, humilium, & abiectorum charitate ardentissima, sibi cõiunctorum, nihil cogitantium, aut loquentium, nec saporantium, nisi solum Iesum Christum & hunc crucifixum, nec de hoc mundo curantium, suique oblitorum, supernam Dei, & Beatorum gloriam cõtemplantium & ad eam medullitus suspirantium, & ad instar Pauli dicentium; Cupio dissolui & esse cum Christo & innumerabiles, ac inæstimabiles thesauros diuitiarum cælestium & super dulces, & mellifluos riuos diuitiarum, suauitatum, ac iucunditatum, & super omnia mirabiliter expansos & super infusos, & per conuersationes imaginari debes eos ipsos, vt cantantes canticum Angelicum cum iubilo citharizantium in citharis cordis sui, hæc imaginatio ducet te plusquam credi potest in quoddam impatiens desiderium aduentus illorum tempore.* Hæc ille, qui omnium ordinum, & inter eos florentis vineæ societatis Apostolicorum virorum saluti animarum insistentium œconomiam, fragrantiam, spiritu prophetico visus est (vt dicunt aliqui) describere, scio (vt dicit Orlandinus) de hoc oraculo magnam extitisse controuersiam, an de viris huius inclitæ societatis intelligendum esset, & Patres ipsos rogatos, qua erant modestia non sibi illud attribuisse, verum vt ponderat idem Pater Orlandinus. *Electorum est proprium*, vt dicit Gregor. *de se ipsis semper infra sentire, quàm sunt*; & subdit Orlandinus. *Vtinam talis euadat posteritas omnis, vt in eam vsquequaque Sancti viri prædicta conueniant.* quam perseuerantiam in illis, & nobis ab eo qui dat velle & perficere precamur obnixè, vt sublimitas sit virtutis

Orlan. lib. 2. nu. 56. Viegas in Apoc. in c. 3. sectio. 3. 34. mi. 6. 17.

honor sacris hisce institutis debetur, in quibus tam multi boni sunt, ceteri tam pauci, tam q; rari. hæc ille. Pręclarè S. Aug. in Ps. 47. illam vocem impiorum dicentiū, quod in Ecclesia *Vix inuenitur vnus, vel duo, sed paucissimi boni*, sic confutat. *Non audiamus tales voces, ne putemus paucos esse istos; multi sunt, sed inter plures latent. Non possumus enim negare plures esse malos & tam plures, vt inter eos prorsus boni non appareant grana in area. Nam quisquis aream videt, potest putare, quod palea sola sit. Da hominem inexpertum, & putat inaniter fieri quod boues mittuntur, quod ibi homines sub æstu desudant, vt conterant paleam: sed ibi est massa ventilatione purganda. Tunc procedit copia frumenti, quæ latebat in copia palearum & modo vis inuenire? Bonus esto & inuenies*, & postea exponēs illud. *Circumdate Sion & complectimini eam*, ait. *Nolite scandalis obiectis circundare, sed charitate circundate, vt qui benè viuunt in medio vestrum, eos intuemini & eorum imitatione Christum, cuius membra sunt, in corpore complectimini.* & postea illud exponens, *& distribuite domos eius* subdit. *tunc autem distribuitis & non confunditis, quando corda vestra in virtute eius ponitis: id est, cum facti fueritis per charitatem spirituales. tunc temere non iudicabitis, tunc videbitis nihil obesse bonis malos; quandiu sumus in hac area, distribuite domos eius.* Hanc S. Augustini doctrinam attendens detractor male laice de scandalis religiosos non taxabis.

Sed superexcedant spinæ fructus & flores exuperent, *an tu vniuersos etiā Chananæos* (viros seculares intellige) *Abrahæ vni antepones? an Madianitas Moysi? quid an trecentos illos, qui cum Gedeone forti animo lamberūt, tot hominum millibus pedes referentibus, inferiores esse contendes? an vernas Abrahæ numero, haud multo plures, multis illis Regibus, atque innumerabilibus copijs, quos (tametsi pauci essent, numeroque longè impares) persecuti sunt tamē, atque in fugā verterunt. Illud autem quomodo intelligendum esse cēses: si fuerit numerus filiorum Israel vt arena maris, reliquiæ saluæ fient? Quomodo autē illud? Reliqui mihi septem millia virorum, qui non flexerūt genua ante Baal, non est ita, non inquam ita est. Non in pluribus beneplacitum est Deo: tu quidem myriades numeras, at Deus eos, qui salutem consequentur. Tu infinitum puluerem, ego electionis vasa.*

Ex Naz. orat. ad 150. Episc.

Spirituum certè ponderator est Dominus, & multi ad spinas & paleas, qui relaxatè viuunt pertinere videntur, quos tamē vt lilia, & aristas colligenda prædestinatio diuina designat. Vnde illis sponsus dicit. *equitatui meo assimilaui te in currib. Pharaonis*, ac si dicat. esto sint in religione multi filij tenebrarum, adhuc (dicit S. Tho. in Cant. c. 1. illud exponens.) *Ego assimilaui te equitatui meo, qui attendi, quid prædestinationis in te fecerim, equis meis te comparaui. Videt enim Deus multos adhuc deditos luxuriæ, adhuc auaritiæ seruientes, & tamen attendit in secreto iudicio, quid iam de istis operatus est, quia habet equos Deus, sed multos adhuc videt Deus esse equos Pharaonis: & quia considerat ex occulto iudicio, occulta prædestinatione ad bonum commutandos, similes illos attendit iam equis suis, quia videt illos ad cursum suum ducendos, qui prius in curru Pharaonis deseruiebant. Vbi consideranda sunt occulta iudicia, quia multi videntur per prædicationem, per sapientiam, per largitatem equi Dei esse, & tamen occulto Dei iudicio equis Pharaonis assimilantur, quia illos videt de malis, ad bona verti & istos videt de bono ad malos reduci.*

Secundum autem præsentem iustitiam scandalosos quosuis, quomodouis, & quantumuis, enumeret malus laicus. Quam multi sunt, qui vel saltem exterius seruant, quæ votis promiserunt, & disciplinam regularem in suis institutis seruant, ex quibus interior perfectio potius demonstratur, quàm dissolutio arguatur? & mensus est, Angelus ille apud Ezech. *Latitudinem à facie portæ inferioris, vsque ad frontem atrij interioris extrinsecus centū* Cap. 40.

CAPVT XXXII.

De peculiari prouidentia erga Religiones SS. Benedicti, Dominici, Francisci &c. & de amicabili collocutione Turturis, vt inuicem sint colligatæ ad seruandam vnitatem spiritus in vinculo pacis.

SEd defecerit sanctus de Religionibus, & electus in eis non sit, & quiuis sit paliurus, vel spina de sepe; an præscindendæ sunt radices? an botrus relictus ex vindemia dissipandus? si tribus Beniamin deleta esset, quando ex hac Paulus prodijsset? si impiorum illorum Regum (quorum series in genealogia Christi Domini texitur) progenies deleta esset, quando sicut spina rosam produxisset Iudæa Mariam? Radix sancta est, alicubi rami fracti non desperandum, *potens enim est Deus iterum inserere illos*, vel alios germinare faciet, *Dicis ergo: fracti sunt rami, vt ego inserar. Bene, vide ergo bonitatem & seueritatem Dei &c. si permanseris in bonitate alioquin, & tu excideris*, & alios inseret. sic enim sapienter Hæreticos vrgens Illustrissimus Bellarmin. scripsit, *cum omnis ordo initio ferueat, ac multos homines excitet ad pietatem, paulatim autem postea feruorem illum remittat, Deus subinde nouos ordines excitando, quasi perpetuò feruorem in Ecclesia, nunc per hos, nunc per illos conseruat. Certè si quis legat vitam, & res gestas Sanctorum Antonij, Benedicti, Bernardi, Brunonis, Dominici, & aliorum, qui aut nouos ordines instituerunt, aut veteres, iam pene collapsos restituerunt, is fatebitur esse verissimum, quod diximus de mirifico ardore in studium pietatis, & multorum hominum conuersione à peccatis ad Deum per nouos ordines religiosos.* Interim gaudemus de aliquorum virore, dolemus de aliquorum ariditate. Non audemus, sicut nec dicere debemus totum cœtum nostrum esse verum, & viuum membrum gementis Ecclesiæ, *nam fides*, ait Conc. Trid. *nisi spes accedat, & charitas, neque vnit perfectè cum Christo, neque corporis eius viuum membrum efficit.* at quis dicet cœtum aliquem, vel vniuersum religiosorum, totum esse viuum membrum Ecclesiæ, nisi totum charitatem habere dicat? at quis id etiam affirmabit? sanctum dicere possumus ob sanctitatem multorum membrorum sanctorum, quæ in omni societate religiosorum sunt, à quibus tota communitas sancta dici, & denominari potest, membrum viuum dici nō potest, ne membra mortua, quæ in quacunque societate religiosorum sunt, secludi videantur à religiosa communitate. Vnde & ipsa Ecclesia dicitur corpus Christi, quod viua, & mortua membra, hoc est bonos, & malos comprehendit, non dicitur, viuum membrum, ne peccatores fideles vera membra, mortua tamen excludi videantur. Propter ergo membra mortua, quæ in quacunque congregatione sunt imperfectos nostros Fratres clamamus ad Dominum. *Ecce respice populus tuus, omnes nos. Ciuitas sancti tui facta est deserta, Sion deserta facta est. Hierusalē desolata. Domus sanctificationis nostræ, & gloriæ nostræ, vbi laudauerunt te patres nostri facta est in exustionem ignis, & omnia desiderabilia nostra versa sunt in ruinas.*

Ad Rom. cap. 11.

Lib. 2. de monach. c. 4. tomo 2 controu.

Sess. 6. c. 7.

Es. 64.

Nunquid super his continebis te Domine, tacebis, & affliges nos vehementer? Sed quomodo Deus gementem turturem de futura successione, & populorum profectu consoletur audiamus (Hæc dicit Dominus) *Quomodo si inueniatur granum in botro, & dicatur, ne dissipes illud, quoniam benedictio est, sic faciam propter seruos meos, vt non disperdam totum, & educam de Iacob semen, & de Iuda possidentem montes meos, & hæreditabunt eam electi mei, & serui mei habitabunt ibi, & erunt campestria in caulas gregum, & vallis Achor in cubile armentorum populo meo, qui requisierunt me*, vt non tantum quotidianis incrementis videatur progrediens, & vt verbis Nazianzeni

Es. 65.

Supra oratione ad 150. Episc.

ſtituti, quod ſummopere diligebat etiam futuro progreſſu, dixit ei Dominus noſter Ieſus Chriſtus. O ſi ſcires, quàm hi futuris temporibus Eccleſiam iuuabunt!

Siſto gradum, & præ lætitia geſtiens, ex nouis nobis adiunctis commilitonibus clamo, Eia milites Chriſti induamur arma lucis, qui ad defendendam Eccleſiam ſumus deſtinati. Soror noſtra es ô ſancta Societas, creſcas in millia, arctiſſimo vinculo charitatis nobiſcum es colligata, vt ſolus habitus diſtinguat, quos idem finis, & propoſitum indiuiſos facit. Recole quod S. Ignatius Loyola tuus fundator, & Princeps poſtquam ſeculari militia relicta, atque mundi pompis abdicatis in Dei militiam ſe tradidiſſet, atque ad ſalutem animarum promouendam totum ſe contuliſſet, ſuos quos condere volebat canones ex regula Monachorum protoparentis Benedicti, tanquam flores decerpſit, eiuſdemque S. Benedicti inſtitutis ſuos informauit. Caſini enim degens montem illum contemplationis aliquot menſibus inhabitauit, ibique velut alter Moyſes, & Legiſlator ſecundus, religioſarum legum tabulas fabricauit primis nō abſimiles, exercitia quoque ſpiritualia, quæ à diuino illo inſtitutore Gallo Ioanne Clanonio apud Monſerratū Cœnobita Benedictino partim didicerat, partim vſu, & exercitatione notarat, maximo animarum fructu compoſuit, & euulgauit. Recole quod Dominicanorum familia ab initio ſuę inſtitutionis iubente Magiſtro ordinis F. Franciſco Romeo arctiſſimo vinculo charitatis tibi eſt colligata. Nam & ſi Fr. Melchior Canus ille Magiſter inſignis latrarit expauens ad tunc recens tuum inſtitutum; cum eſſet Dominicanus canis functus eſt officio, nunquam oblatrauit tamen, non dum enim erat eo tempore ab Apoſtolica Sede confirmatum, vnde zelus eius incuſandus

P. Orland. l. 1. n. 17. & 23. hiſt. Soc.

Apud Ribad. in vita P. S. Ign.

non eſt, ſed excuſandus: commendanda verò plurimum charitas B. Ioannis Micon, & F. Ioannis de la Penna (quorum meminit Orlandinus) qui ab obtrectatoribus te defenderunt; ſed præcipuè Frat. Ludouici Granatenſis pietas laudibus efferenda, qui ex eodem Orlandino dixit. Nouellū Chriſti cœtum à Deo deſtinatum ad veterem ſanctitatem renouandam. Recole, quod Pius V. Dominicanus multa tibi priuilegia conceſſit. Fr. Matthæus Ori Inquiſitor Sāctiſſimi Patriarchæ tui innocentiam teſtatus eſt, atque aduersùs impios defendit. F. Bartholomæus Carranza Archiepiſcopus Toletanus Toletum Societatem per benedictam aduocauit. Generalia Capitula Dominicanis iniungunt, vt omnes FF. Prædicatores cunctos fidei commilitones diligant, præcipuè Patres Societ. Hanc dilectionem in fœderis ſignum, & mutuæ charitatis Franciſcana Religio opere demonſtrauit, quanta enim fuerit FF. Minorum erga veſtros beneuolentia in Monte Regio in Galeciæ Regno, monumentis ijdem Patres Societatis conſignarunt. Pater Frat. Laurentius Brunduſinus Capuccinus Coſentiæ veſtrum Collegium erigi procurauit, & obtinuit, cum ibi Quadragesimales conciones haberet. Viciſſim vero non pauci, ex tuis ſcholis, congregationibus, ad Religioſorum noſtrorum caſtra conuolarunt, veſtrorum exemplis ſatis ditati, & locupletati. Stemus ſimul, & nullus aduerſarius præualebit, maior nunc debet eſſe connexio, cum iam ſanguis ſanguinem tetigerit in illuſtri apud Iapones martyrio, quando P. Ioan. Baptiſta Soc. Ieſu cum P. F. Petro de Aſſumptione ord. S. Frāciſci, & P. F. Hernandez de S. Ioſeph ordinis S. Auguſtini, & Pater Fr. Alphonſus Nauarrette ordinis Prędicator. truncatis capitib. pro Chriſti fide torrentes ſanguinis inſtar quatuor fluminum Paradiſi ab vno charitatis

Lib. 14. n. 20.

L. 11. n. 69.

P. 2. hiſt. B. 2. n. 139.

In Generi. Cap. Neapol. 1600.

Orlandin. l. 16. n. 43.

In artic. Beatific.

Ex Reu. Lopez ſ. Hiſt. S. P. Dominici.

ritatis Dei, & proximi, sine qua, nec martyrium prodest, fonte emanantium hoc meruerunt, vt eadem tessera dilectionis, & fidei, & mutuæ beneuolentiæ vincti, fortius, vt hucusque fecimus, præliemur
Chrysol. de pace ho. 53. bella Domini. *Seruemus ergo fratres mandata, quæ vita sunt; teneat se profundæ pacis nexibus colligata fraternitas, & salutari vinculo charitatis, mutua se dilectione constringat, quæ operit multitudinem peccatorum.* Fratres vt cum eodem Chrysol. loquar, *lex est data non*
Serm. 123. *vni, sed omnibus, Christus non pro vno, nec ad vnum, sed ad omnes, & pro omnibus venit, vt reintegraret omnes, in vnum solum bonum, solum iucundum.*

Propheta futuri præscius sic proclamat. Ecce quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum. Quia Deo non singularitas est accepta, sed vnitas, Spiritus sanctus Apostolis in vnum congregatis vbertate tota sui fontis illabi-
Serm. 53. *tur &c.* Quamobrem, *locum non demus inimico, ne in tritici segete valeat seminare zizania, & securo iam rustico, & spe longi laboris eluso, expectatos fructus ipsa messis maturitate perdat, aut vinum vetustate suaue in liquore perfidiæ demutatum, infusa fæcis permixtione conturbet, aut inter dulcia mella, felle venena amariora confundat. Procul contentiones, procul lites, procul maledicta mittantur.* quæ si quando per factiosos pusillos, & malos detractores laicos excitentur, aut amplientur, comprimantur.

Vigilemus, nam vt egregiè ponderauit
Lib. x. epist. 84 Ambrosius. *Vigilant tentatoris insidiæ, vt vbi proficit deuotio subrepat elatio, & vt homo de bono opere in Domino glorietur. Sed solicitudo nos*
Phil. 2. *Apostoli contra hoc periculum monet dicentis, cum timore, & tremore vestram salutem operemini, Deus enim est, qui operatur in vobis velle, & perficere pro bona voluntate. Quanto ergo excellentius in mandatis Dei quique proficiunt, tanto maiores habent causas formidinis, & tremoris, ne de ipsis probitatis argumentis mens sibi bene conscia, & laudis auida in superbia rapiatur excessus, & fiat immunda vanitate, dum sibi videtur clara virtute,* sed contra hoc periculum, quid B. Petrus in prima epistola prædicet audiamus. *Si quis* (inquit) *loquitur,* 1. Petr. 4. *tanquam sermones Dei, si quis ministrat, tanquam ex virtute, quam administrat Deus, vt in omnibus honorificetur Deus per Iesum Christum, cui est gloria, & imperium, in secula. Amen.* Hæc ille. Pro hac autem pace seruanda placuit huic opusculo inserere, quæ olim Generales Ordinis S. Dominici & S. Francisci suis fratribus scripserunt, plurimum enim ad omnium religiosorum pacem, & quietem seruandam in vinculo dilectionis & charitatis proderit; vt quod duabus religionibus pro pacis exemplari destinatum est, cæteris omnibus sit commune.

CAPVT VLTIMVM.

Epistola Parænetica Fr. Huberti Magistri Generalis Ordinis Prædicatorum, & Fr. Bonauenturæ Fidanza Ordinis Minorum Ministri Generalis, pro pace, & concordia Religiosorum.

ANNO DOMINI M.CC.LXXIV.

Tempore Fr. Iordani Saxonis, vel vt alijs visum est Fr. Humberti Burgundi ex Vico de Romanis Generalis Magistri Ordinis Prædicatorum, & Magistri Bonauenturæ Ordinis Minorum Generalis.

Ex Chron. FF. Min. à Tu[illegible] nan[illegible] scriptis, & F. Heranдez del Castillo. 1. Chron. S. Domin.

ARGVMENTVM EPISTOLÆ.

ADmonentur Prædicatores, & Minores à suis Generalibus communibus, ijsdemque litteris, vt pari voto, & vnanimi conspiratione, se exerceant in concordia Ecclesiæ, qua per veram prædicationem, & probatæ vitæ exempla donis spiritualibus ditatur, & augetur.

EPISTO-

EPISTOLA.

CHarissimis, & dilectis in Christo Iesu FF. Minoribus, & Prædicatoribus per vniuersum orbem diffusis. Fr. Bonauentura Fidanza eorundem Minorum Generalis Magister, & Fr. Humbertus eorundem Fratrum Prędicatorum, vniuersis salutē, in Sācta vocatione dignè, & laudabiliter ambulare. *Saluator seculi, qui amat oēs, & neminē vult perire: post primā humani generis ruinā, ad tandem reparandā multimoda remedia per ministros varios generationibus singulis adhibēs incessanter: nouissime diebus istis in fine seculorum duos nostros ordines in ministerium salutis, prout indubitanter creditur, suscitauit, vocās ad eos viros nō paucos, & ditās eos donis cœlestibus, per quæ non solum suam, sed & aliorum efficaciter possent operari salutem verbo pariter, & exemplo.*

Hi sunt (vt ad gloriam Dei loquamur, non nostrā) dico magna luminaria, quæ lumine cœlesti sedentes in tenebris, & vmbra mortis vbique terrarū illuminant, & ministrāt. Hi sunt duæ tubæ veri Moysis Christi Dei nostri, quorum ministerio multitudinē populorū iam ad suū principatū cōuocauit. Hi sunt duo Cherubim pleni sciētia mutuo se respicientes, dū idē sentiunt, & alas suas extendentes ad populū, dum ipsum verbis, & exēplis protegūt, & discurrunt secundum obedientiæ volatū, super omnem populū disseminare scientiam salutarē. Hi sunt vbera spōsæ, ex quibus paruuli in Christo lac sugunt, quo nutriantur, & augmenta recipiāt in salutē. Hi sunt duo filij oliuæ splēdoris, qui adsistūt dominatori vniuersæ terræ, prōpti ad eius imperiū, quocūq; volūtas eius eos duxerit suā legationē implere. Hi sunt duo testes Christi, qui sacris amicti iā prædicant, & testimoniū perhibēt veritati. Hi sunt illæ duæ stellæ lucidæ, quæ secundū Sybillinū vaticiniū habēt species quatuor animaliū, in diebus nouissimis nomine agni vociferātes in directionē humilitatis, & volūtariæ paupertatis. Quid plura? Quis .n. enumerare plenè valeat sacros binarios, qui his sacris ordinib. poterunt coaptari, dū digne, quæ ad suā vocationē pertinent exequūtur? Nō caret autem ratione binarij huius ꝑductio, si quis excutiat diligentē. Noluit siquidē illa sapiētia q̄ prudēter in certo numero cūcta fecit vnicū ordinem ꝑducere, sed duos simul, vt emolumentū, societate mutua, tā ipsis, quam alijs proueniat. Ipsis quidē cū in calore sancto sese mutuo cōfouerent, dum contra insurgentes se alterutrum adiuuarēt, dum sancta æmulatione ad meliora se inuicem prouocarent. Alijs verò, quorum saluti daturi erant operā, dū virtus duplicata reperitur magis efficax in opere salutari, dum quod vni deesset, ex sui perfectione abūdanter reperiretur in altero, dū testimoniū, quod perhibituri erāt veritati, ex ore duorū tanquā verius, & credibilius redderetur. Pēsate, pensate quantū debet inter vos dilectionis sinceritas abūdare, quos eodē tēpore genuit Mater Ecclesia, quos ad id opus salutē sāctarū animarū cōmuniter operādo, æterna charitas ordinauit, quos professione in modico differentes, sic assimilant, tanquā fratres nos intimi diligamus, Deique quomodo veri discipuli cognoscemur nisi dilectionē habuerimus ad inuicē euidenter? Quomodo charitatē illā mutuā, q̄ ante omnia ab omnibus est habēda prædicationibus nostris aliorū cordibus inseremus, si læsa, vel deuians reperiatur in nobis? Quomodo stabimus contra tot persecutiones imminētes, si inter nos perturbatione aliqua diuidamur? O quantū exemplū mutuæ charitatis, & pacis requirunt à nobis Patres nostri B. Dominicus & B. Franciscus, cæteriq; Fratres nostri primitiui, q. sic in vita sua se tenere dilexerunt, tanquā sinceræ charitatis indicia ostenderunt, videndo se sicut Angeli Dei, suscipiendo se inuicē sicut Christū, honore inuicē præuenendo, in profectu mutuo congaudendo, altis se præconijs extollendo, vtilitates mutuas promouendo fideliter à scandalis & turbationibus alterutris cauēdo, cū summa diligētia, & (quod antiquus vidit, & inuidit hostis) quanta efficacia populi, quanta vtilitas vestra, quāta materia glorificādi Deum, semper ex supradictæ charitatis glutino sequebatur.

Vidit hæc procul dubio, & inuidit Leo iratus, & conatur charitatē antiquā suis machinationibus perturbare

Marginal notes: *Sanctorū Dominici, & Frācisci laudes.* — *Cur Deus plures ordines condidit.* — *Religiosorū ad inuicē dilectio diuinā monstrat charitatē.* — *Diabolus semper quærit inter Religiosos mutuā dilectionē*

perturbare. Cauete benedicti Domini, cauete, ne quãdo glorietur, & dicat. Praualui aduersus eos: quia recedentes à patrum vestigijs, iam secundùm assuetam non ambulant charitatẽ. Inueniat nos ille, tanquam viros virtutum sibi viriliter resistẽtes in defendendo pretiosissimam substãtiam prædicta charitatis relictam à Patribus, & omni custodia obseruandam. Quod vt fiat implorandum est adiutorium Altissimi, quod nunquam nos deserat contra hostem, & cauendum ab omnibus diligenter, quæ turbare possunt illam, quam ad inuicem habemus charitatem. Proinde cauendum est, ne vestrum aliqui propriã adeo sequantur cõmoditatem, quod cũ graui turbatione aliorũ loca, nimis notabiliter ei vicina recipiant, sed potius secundũ legem amicitia damnum proprium propter amicum diligant in hoc casu: & rursus cauẽdum, ne propter iniquitatẽ aliorum, alij sic se abominentur, quod hostilitas inter nos non fraternitas videatur. Cauendùm iterum, ne conceptum trãseundi ad alterum nostrorum ordinum, quem aliquis inuenerit in aliquo, debilitet, vel extinguat zelo ipsum attrahendi ad suum ordinẽ, sed potius inceptum propositum foueat, & confirmet. Item ne familiares, & benefactores alterius ordinis aliquis à sua deuotione audeat auertere, & ad ordinẽ suum cõuertere, vt ad alterum ordinẽ deriuetur fructus deuotionis huiusmodi, qui alt: proueniret. Item ne loca, quæ aliqui pro domibus cõstruendis, accipere proposuerint præsentientes hoc alij cautè surripiant, alios excludendo. Item, ne eleemosynas, quas deuotio fidelium aliquibus facere propedit, alij impediant, vt ipsi habeant sed potius cum intersunt testamentis, aut alijs negotijs, bona fide sint memores aliorum, pias subuentiones alijs fieri procurando. Itẽ ne alij sermones impediant aliorum; vel auditores subtrahant, aut ipsos sermones sibi subripiant alternatim. Quæ enim esset charitas subtrahere personas? subtrahere animos? subtrahere loca? subtrahere sermonẽ? quum secundũ n charitatis regulam, non quæ nostra, sed quæ sunt alterius (suadente Apostolo) q̃rere debeamus. Cauendum etiam ne quis vestrũ sic Sanctos suos, sic statum suum imprudẽter extollat, quod in aliorum depressionem laudes tales fieri videantur. Item ne quis obloquatur de alijs, non solum in publico coram multis, sed ne clanculò coram extraneis; nec inter Fratres proprios in secreto. Item ne sinistrum aliquid alij sciuerint, alijs denudent, vbi nulla est vtilitas, nec fructus, sed potius sic culpabiles charitatiuè corripiant, vel ostendant correctoribus eorundem. Quis .n. nesciat quantum per huiusmodi depressiones oblocutiones, criminationes lædatur charitas, imo procul pellatur ab omni genere amicorum. Cauendũ insuper, ne quis mala sibi relata de alijs facta, vel dicta, vel iniuriam aliorum leuiter credat, vel huiusmodi inter Fratres suos referat, & referẽdo aggrauet, corda fratrum concitet, & sic eius charitatem cõcutiat, in quibus potius fuerat confirmãda. Cauendum præterea, ne vestrum aliqui si læsi fortasse fuerint, interdum ab alijs minus iusta patientia, quæ de charitate producitur, obliti, sic suã extendant impatientiam, quod propter vnius, vel paucorum stultitiã contra alterius, siue aliorum fratrum innocentiam moueantur. Illud omnino cauendum, ne fratres, qui abhorrent hæc, & similia in alijs dissimulent, sed potius si tales, quos viderint in aliquo, zelo sancto succensi, statim fraterna correctione vtantur, vel per illos, quorũ interest corrigi faciant huiusmodi delinquẽtes. Illos autem, qui curam habent aliorum super eos reprehensibiles iudicamus, si in prædicta correptione fuerint negligentes. Obsecramus ergo fraternitatẽ vestram per charitatẽ, qui Deus est, vt ab huiusmodi & similibus offendiculis sollicitè præcauentes, faciemini diligenter, quæcunq; valere possunt ad pacem nostram, & mutuã in Domino charitatem, & indissolubilem vnitatem scientes quod vterq; nostrum pleno corde vult, & desiderat plenè hoc à suis subditis obseruari fideliter, & transgressores tanquam inimicos vnitatis, & pacis à suis correctoribus corrigi diligenter, & digne secundùm suorum exigentiam meritorum.

Et proponimus circa correptionem huiusmodi opportuno tempore non inueniri desides, vel remissi,

Perturbatiua religiosæ pacis sunt locorũ, & domorum nimia vicina ædificatio.

Exaltatio proprij instituti, & Sanctorũ deprimẽdo alios ordines.

Oblocutio de defectibus alterius ordin.

Propalatio defectuũ.

Impatiẽtia iniurias nõ tolerãs.

si sed inuigilare, zelo non modico & feruore. Hæc autem vobis omnibus, vt firmaremus, & incitaremus corda vestra, de quorum bona voluntate plenā habemus fiduciam; ad id quod ordinibus nostris cōmißis perutile reputauimus, super materiā supradictam, in extremi iudicij examine, cum de vobis nos oportebit reddere rationem, nostras poßimus animas liberare.

Ne autem per ignorantiam, & obliuionem circa supradicta, Frater aliquis de Prouincia poßit se aliqualiter excusare. Ego Fr. Humbertus Magister Ordinis Prædicatorum iniungo vobis Priori Prouinciali eiusdem Prouinciæ, quatenus circa ista de confirmanda charitate inter nos, & charißimos Fratres Minores litteras has, vel cōscriptum sub sigillo nostro factatis legi per omnes domos Prouinciæ vobis commißæ & exclusis nouitijs, & Fratribus illiteratis exponi vulgariter, & in domibus singulis ad horum habendam memoriam retineri. Sciatis autem, quod per singulas Prouincias ordinis nostri similes litteras destinaui. Sed & Venerabilis Pater Minister Generalis Minorum idem fieri per Prouincias sui ordinis ordinauit.

Hæc Epistola ad mutuam pacem & charitatem fouēdam nos cohortatur: qua pacem (vt dicit Cypr. ad Antonianū) seruare quoque non poßumus, nisi ad inuicem sustineamus, aut si tāta esset humilitatis & lenitatis obliuio, & arrogantiæ lactatio, *vt quis, aut audeat aut facere posse se credat, quod nec Apostolis concessit Dominus, vt zizania à frumēto putet se posse discernere aut quasi ipsi paleam ferre, & aream purgare mi concessum sit, paleas conētur à tritico separare, &c.*]

Quæ cum cognita, exploratàque habeamus patres, (vt dic ācum Naz.)] *Cōplectamur nos mutuò, exosculemur, vnū verè efficiamur eum qui maceria interstitiū soluit, ac per sanguinē suū omnia cōciliauit, atq; pacauit imitemur, &c. Omnes in vno spiritu maneamus, vna mente collaborātes fidei Euāgelij, vnanimes vnū idemq; sentiētes fidei clypeo armati, succinctos in veritate lūbos hábentes aduersus Satanam eiusque milites bellū gerētes, &c. præclarū depositum, quod à PP. nostris accepimus custodientes, &c.*] Hæc Fratres agamus, ac Deus pacis quæ intellectū exuperat, nobiscum erit in Christo Iesu Domino nostro, cui gloria in sæculum sæculi Amen. *Concl. de pace.*

FINIS.

INDEX.

Fama

CONGEMINATA VOX TVRTVRIS:

EX MANV-SCRIPTIS OPVSCVLIS A^dm. R^di P. M. F. Dominici Grauina, Ordinis Præd. excerpta.

PRÆLVDIVM I.

De occasione scriptionis, & argumento congeminatæ vocis Turturis, pro defensione Sacrarum Religionum.

In psal. 118. SApientissimè eloquentię Rhodanus magnus ille Hilarius, orthodoxiæ propugnator validissimus, extorrium & manifestè rebellium, nec non, & fictorum domesticorum insidijs, atque calumnijs frequentissimè impetitus pronunciauit [*Humana tentatio grauis non est, Apostolo dicente. Tentatio autem non apprehendat vos nisi humana. Sed calumnia grauis est. Calumnia autem est, vel cum bono operi facinoris malè nomen adscribitur, vel cum specie blandiente internæ malitiæ virus occulitur. Neq; enim eius directè maleuolentiæ opus est, sed fallax. & subdolum. & sub specie bonæ voluntatis malitiæ operatione desæuiens, & difficilè est cauere à talibus, qui sub nomine fratrum inimici sunt, sub nomine amicorum hostes sunt, sub filiorum specie parricidæ sunt*, &c. vt ibidem pluribus exemplis demonstrat. *in Psal.* 118. in ea verba: *Redime me à calumnijs hominum.*

A gemitu pientissimæ Columbæ excitatus Turtur Sacrarum Religionum statum, præcipuè SS. Benedicti, Dominici, Francisci, (nonnullorum infirmitatem fatendo) etiamnum Florentissimum demonstrauit, & quia cum ordinum pene collapso, & corruptione, scandala asserta multiplicia, & omnibus nota lachrymis Eminentissimi Viri deplorabantur; propter timores nocturnos, hæreticorum, scilicet & pusillorum offendicula euitanda (lingua enim vernacula gemitus columbinus exaratus omnium manibus terebatur, & à cerdonibus in compitis, in triuijs, inflatis buccis sacri ordines traducebantur, elaboratum est; vt quæ bona fide ab anima illa religiosissi-

ma scripta erant, vel tamquam monstruosi partus ablegarentur, vel commodam aut mitem interpretationem acciperent, & auctori potius Anonymo talis tribueretur fœtus, vel agnitus (si suum natiuum parentem ostendebat) quantumuis piæ intentioni conformis, à veritate difformis probaretur. Ex parte obducta erat cicatrix inflicti vulneris, donec elapso septennio nouū vulnus calumniæ infligitur sub specie bonæ voluntatis, & sub fraterno, & amicabili nomine, non recte curata plaga asseritur: proinde fascia scinditur, vlcus denudatur, imò & grauius recrudescit, super dolorem vulnerum nouos superaddendo. Sed & medicus cum suo Panario expostulatus, in ius vocatur, caueæ addicitur tanquam pœnam de medicina, & alligatione reportās; & (ne à Turturis metaphora discedatur) ob veris florentium Religionum amœnitatem festiuo cantu enunciatam, cauea in hanc formam à mure quodam Pontico muscipulæ statione digno, nuper fabrefacta sub hoc titulo. *Cauea Turturi malè contra gementem Eminentissimi Roberti Cardinalis Bellarmini Columbam exultanti à Theologo, veritatis vindice structa, & à Gregorio Rieldio SS. Theolog. DD. Ducal. coll. Eccl. apud Landshutanos Decano, & Serenissimi Electoris Bauariæ consiliario &c. publicata Monachij apud Nicolaum Henricum anno* 1631.

Certè ab ipso limine aberratum ab ista persona Anonyma (quam ex suo titulo sub Vindiciani nomine placet designare) dum velut vxor Ieroboam aliam se esse simulās, contra Ecclesiæ sanctiones, prodit ementitus auctor, nullo alio suffultus præsidio, quàm ficto Bauarici Consiliarij calamo, qui vt visum luscorum congregaret nigerrimo Decani liquore, atramentarium impleuit, non tam sua; quam aliena suppeditante manu Briaræa, & si tandem serò scribens, cum nec lustrum cum dimidio suffecerit ei ad parandas vindicias duplici titulo obiurgandas, ex calumnia, & stylo.

Quid Turturi, & caueæ? Si (Vindiciane) caueam, circum, vel theatrum significes, & in pœnam defensionis sacrorum originum, turturem exemplandum damnasti, ipsam Religionem offendisti, orbans hominem suo proprio, & singulari rectæ rationis, & iustæ defensionis bono, quod est ab omni humanitate alienum. Meminisse debebas iam pridem theatra, & amphitheatra è schola Christianorum obsoleta. Clamat adhuc ille aduersus Gentiles ad spectacula Christianos inuitantes. [*Aeque spectaculis vestris in tantum renunciauimus, in quantum originibus eorum, quas scimus de superstitione conceptas. Nihil est nobis dictu, visu, auditu, cum insania Circi, cum impudicitia Theatri, cum atrocitate arenæ, cum Xysti vanitate. Quo vos offendimus si alias præsumimus voluptates? si oblectari nouissimè nolumus nostra, iniuria est. si forte nostra non vestra.*] (*Ter. in Ap. cap. 37.*) & iterum. [*Odisse debemus istos conuentus, & cœtus Ethnicorum ad circos, & theatra confluentium, vel quod illic nomen Dei blasphematur, illic enim quotidiani in nos leones expostulantur, inde persecutiones decernuntur, inde tentationes emittuntur*] (*L. de Spectac. c. 37.*) nonne clamante præcone, *Turtur ad Leonem* pro ordinum defensione, pro piè gementis excusatione, & interpretatione, ad visendum expostulatum vndique confluent Christi hostes, & malè causam defensam, posseque impune ordines etiam in particulari atro lapillo designari, pronunciabūt? vel etiamsi censoriæ virgulæ Vindiciani non applaudent, cum digladiatoribus innocentibus in ludum calumniantiū Turtur veniet, & publicæ voluptatis adhuc hostia fiet, interim spectante cœlo, & singulos denotante, quis blasphemiam dixerit, quis audierit, quis linguam, quis aures Diaboli aduersus Deū, & Christo eius administrauerit, nec enim deerunt etiam domestici, qui consortes habere cupientes Deo dicatas personas, detractiones duplicabunt, dum eorumdem

defe-

defectus iterato in proscænio inuisendi proponentur. Interim religiosi viri tali spectaculo expositi, non effugient sedilia hostium Christi illam hæreticorum cathedram pestilentem, ipsumque aërem, qui desuper incumbit, attrahent, scelestis vilissimorum hominum vocibus constupratum.

An fortè cauea fossa humus in subterraneis constructa locis ambagibus, & circuitibus septa pro domo Turturi constructa? sit ea talparum, & vulpium portio, vulpes enim foueas habent (Clemente Alex. Strom. interprete) *qui in fodiendis effodiendisque diuitijs, homines praui, & planè terræ filij occupantur: volucres verò cœli nidos habent aptissima distinctione, & partitione secreti, qui* (ex eodem Clement.) *à diuitiarum gloria, & connubij sollicitudinibus expediti, ad cœlestis verbi cognitionem euolare possunt,*] Vel rursus caueam vulpes subeat, *versuta* (Nazianz. exponente) *quædam anima fideque dubia prædita ac pro temporum varietate alia atque alia, nouamque subinde, vt id rebus suis conducere arbitratur, formam assumens quam mortua, ac putrida corpora nutriunt, aut parua vineæ, magnis fuga subductis* &c.] Cæterum (ex eodem cũ Niceta) *aues ædificant partim à longinquo ad nidum se conferunt, aut referunt, partim iam in eum immigrant, vel circumuolitant, nemus cantu implentes, homines suo garritu demulcentes, ipsum Deum mutis vocibus concelebrantes,* quæ adeo Theologi magni animam rapiebant, vt per eas diceret. [*Gratia Deo per me habentur, atque ita illorum laudatio mea efficitur, nimirum à quibus ego laudis argumentum capio*] cum tamen ex cantu Turturis Anonymus sacris ordinibus acceperit materiam detrahendi.

Sed iam caueæ significationem aperit Vindicianus expressè, dum in operis argumento dicit [*Turturem grauina in caueam redactum, ne perniciosa libertate vagetur sed authori suo fœcunda voluptas nec illæsa seruetur*]

Lib. 4.

Oratione 2. de Theol.

Oratione in nonam Dominicam.

VIND.

Quasi etiam vim passus Turtur in cauea reclusus tempus suum, & beneplaciti Dei non agnoscat, quin veris felicitatem enunciet, cum tristitia obloquentium miscens florentium ordinum iucunditatem. Esto vinciatur Turtur, naturæ suæ conditionem nullus vincet. *Magna enim est vis veritatis* scripsit Hilar. *quæ cum per se intelligi non possit, per ea tamen, quæ ei aduersantur elucet; & immobilis manens firmitatem naturæ suæ, dum quotidie attentatur, acquirit*] & tunc Turturis vox perspicacius intelligitur cum arguitur, tunc obtinet cum impetitur, tunc vincit cum recluditur. Neque eius conditionem minuit quod risu comico sugilletur, vel quod conficta tragœdia hostibus comœdiæ argumẽtum subministret, ea enim est impiorum conditio (vt de suo tempore scripsit Nazianz.) *vt aliud quidpiam, ita sacra & diuina per ludum insectari, ludens. Et mihi mirum futurum sit, si me quoque, hoc est, extraneum pietatis fideique orthodoxæ præconem hac oratione vtentem ac non omnia ridenda esse, sed quædam serio, & grauiter agenda præcipientem, non riserit, quid dico riserit? Mirabor nisi pro mea benè merendi voluntate pœnæ à me expectentur &c.*] talis est fructus zelantium pro decore domus Dei, & sacris ordinibus, vt illud patiantur quod in principe nostro præcessit. *Zelus domus tuæ comedit me, & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me:* ipsa siquidem (ait Hilar.) *ieiunij continentia Saluatoris* (Religionibus familiaris) *recidit in opprobrium, cum à Diabolo tentatur, cum in templi pinnacula locatur, cum supra montem fertur, cum postremo ad adorandum Satanam totius mundi ambitione tentatur. Flet interdum & ingemiscit, & tristis est, & idipsum ad infirmitatis tribuitur exemplum omni denique generi hominum, obtrectatio efficitur, & canticum, & per istas obtrectationes, & contumelias, humanæ salutis sacramenta peragebat.* Quid mirum si in caueam recludatur Turtur contumelias, & opprobria

TVRT.

Hilar. lib. 7. de Trinit.

Nazianz. orat. 3. de pace.

Hilar. in psal. 38.

pro Religionum zelo, auditurus, *quando idem Dominus Noster infirmitates in se susceptas in filios zelantes transmisit, vt defensionem veritati pararent, qui prædicationis munus exequuntur?*]Nihil ergo mirandum si pro zelo opprobrium, pro laurea cauea constructa, nã (ex eodem Hilar. ibidem) *quæ Deus bona facit, multa corrupta nequitijs sunt ex remedijs venena, ex ferro ensis, ex igne conflagratio, vt ex cibus cruditas, ebrietas ex vino, & postremo partes, & membra corporum ad naturales vtiq; vsus, vtilesque formata, vitiorum se, ac criminum ministeria prabuerũt*, quod & in malè constructa cauea ex Religionum defensione factũ est: quam si culter, vel aliud ferramentum non dolauit, maledicentia velut nouacula ex hæreditate paterna pro censu relicta summa dexteritate & taciturnitate perfecit; vt si pater ex Irade tonsore Cleopatræ Reginæ descendens fortè fortuna in materialium pilorum tonsura se exercuisset (tales enim ministellos fabricatores mẽdaciorum tonstrinæ, Britãnorum, & eiusmodi officinæ educare solent) præstaret & soboles, nouacula linguæ, nedum capitis pilos, sed palpebras & supercilia, quæ ad ornamentum nobilioris partis gregis Christi pertinent, eraderet, eosdemque ignominiosè deturpatos velut nuncios Dauidis, spectandos proponeret in Anonymo opere, quod (vt ipse auctor est) inconditum, confusum, turbulentum, ancipitis, & præcipitis, ac proinde irrationabilis motus, fabricauit. Itaque dum caueam nouacula construxit, documenta artis suę Anonymus ostendit, & etiamsi se occultauit, ipse se prodidit.

PRÆLVDIVM II.

Vindicis veritatis Anonymi, seu Vindiciani, sic asserti, scriptionis apologeticæ, occasionis & argumenti Animaduersio.

VIND. TVrturis reclusio in cauea eo titulo publicata, quod *plusquam par erat nitrum glîscenti carboni infuderit, vt nedum quæ Cardinal. Bellarm. bona fide de Sacris Religiosorum Ordinibus commemorauit, ita calamo denigrauit, sed vniuersum ordinem, cuius ipse Cardinalis se membrum, ac filium in Dedicatoria prædicauit, insigniter obscuraret.*]

TVRT. E calcaria Vindicianus ad Carbonariam (vt veteri prouerbio dicebatur) processit, vbi enim calce parietes suffumigatos velut Æthiopem posuisset dealbare, carbonariam accendit, vt Turturem, & à Turture defensos denigraret, & exustularet. An parua inuritur nota Turturi, dum incẽdiariorum crimine denotatur, & absq; discussione causæ, vt criminosus recluditur prius, damnatus, quam intimatus? cũ prædamnare neminem incognita, & indiscussa causa liceat. *idque illorum iudicum sit proprium prius damnare, quam vniuersa nouerint, quia student damnare tamquam nocentes, quos vtique sciunt innocentes, constare de ipsa innocentia nolunt, quasi verò maior iniquitas sit, probatam innocentiam damnasse, quam inauditam, timentes ne si audierint, damnare non possint.* (Ex Lact. lib. 8. C. 1.) Incendiarius à Vindiciano Turtur proclamatur, quod nitro carbones accenderit, & circũuolitante flamma vniuersa Societas (vt fingit) in cineres, fauillasq; redacta sit. Suspicandum esset de incendio præmeditato, si spiritu ambitionis inflatus ad comparandũ sibi nomen, conflagrationi Turtur causam dedisset. Herostratis facinus (qui ad nomen immortalitate perennandũ Dianæ templum combussit) non leui coniectura Turturi exultanti tribui potuisset: nũc verò cum Vindicianus eum fateatur Sacrarũ religionũ Hyperaspistem multis diuinæ gratiæ donis cumulatũ, scriptis aliàs orbi notum, non ad incendium parauit manus, qui gloriam ore, & calamo sibi compararat. Si iusta defensio cum moderamine inculpatæ tutelæ, & aggressoris, & primo litem intentantis excusatio, denigratio est vel obtrectatio, præterquam quod

lucem

lucem est cum tenebris velle confundere, iam præclaros pronunciabimus, qui iustos homines torquent, interficiunt, exterminant; impios verò resistentes, & cum moderatione impetus declinantes, vel eludentes. Proinde melioris sint conditionis, qui nec causas criminationũ reddere possunt, cur tam vehementer detrahant, iisque irascuntur, qui semitas rectas sequuntur, & cũ corrigere, vel excusare aliorum acerba delicta possint, alienos errores, suis proprijs crudelioribus dicterijs coaceruant, dumque nocentes pungunt, innocẽtium cruore maculantur, & dicatas Deo mentes, euiscerata fama, acerbius sauciant: deteriores verò è contra sint, qui maledictum pro maledicto non rependentes, iræ & furori locum dant, multitudinem non maculari, ex singularium personarum næuis sustinentes, iniusti, scelesti, incendiarij appellentur, & iustificentur, qui non vnam, vel alteram domum vsque ad atomos comburunt, præ illis, qui vel solam scintillam, nec dolo, ad vnam solam familiam accendendam igne charitatis, non odio, incendendam intulerunt. Quæ cum rectæ rationi repugnent, potius scriptionis rationem & Vindicianum modum nitrũ carbonibus addidisse, quàm flammas extinxisse dicendum est. Nam si prætẽsa obtrectatio Turturis ignis, qui comburit syluã, & flamma comburens montes æmulo oculo videbatur, subtrahenda erant ligna, ne flammæ altitudo cõsurgeret: & vt si primos gradus conflagrationi causam, ex ordinum sacrorum incussione non præcidisset prudentia, secundas partes suppleret charitas, pares vires modesto Turturis descriptori rependendo, ignem extinguendo, ipsa nihilominus inextinguibilis suapte natura, cum nec flumina obruant illam: at cum Vindicianus, non carbonibus gliscentibus nitrum infuderit, sed incensæ moli carbones vrentes, calumniosam defensionem parans, superinduxerit, Babylonicam flammam innouauit, & sacris Religionibus detrahendo nouiter vt acriter inter linguas dolosas, titiones fumigantes se annumerauit. Verum perbellè Hilarius pronunciauit *Iniquitas inuerecunda est palam audet, palam volitur, palam perficit. Dolosa vero lingua semper fallax est, cum per simulationem innocentiam, sub Religionis lumine euertit Religionem, vt sola sagitta Domini potentes sint, quæ linguam dolosam valeant confringere, habentes in se virtutem perurendæ fraudulentiæ, atque vastandæ, vt vel desolationis carbo, vel vastet irrogande pœnam, vel purget ad perfectam innocentiam. Vtinam* (vt de quodam detractore dicebat Blesensis) *apponantur sagittæ, quæ eum transfodiant, & carbones desolatorij hunc incendant. Vtinam tu Seraphim, qui cœlesti carbone Prophetæ labia emũdasti, gehennali flamma totum os, & linguam eius emundando destrueres, & possemus cantare, & dicere: destruxisti eum ab emendatione.* Dolosè mox [*paratas vindicias* admonet Caueæ structor *ad innocentiæ leuamen non habentium consolatorem, nec defensorem, ne sub ferali* (inquit) *Grauinæ busto sepulta, relinqueretur. Nam teste Ambrosio, nedum pro verbo ocioso, sed etiam pro ocioso silentio rationem reddere oportet.*]

In Ps. 119

Petrus Bles. ep. 89.

VIND.

Audiat eundem quem citat I. off. cap. 2. Ambrosium extortè, & diminutè quod nõ solum pro verbo ocioso, sed pro verbo impuritatis, & turpitudinis multo magis vnusquisque reddet rationem. Vnde mox. *Grauiora sunt enim verba præcipitationis, quàm ociosa. & si pro verbo ocioso ratio poscitur, quanto magis pro sermone impietatis pœna exsoluitur.* Non est dicenda defensio, quæ vt vnum releuet, innumeros offẽdit, nec enim ait Ambros. *iudicandum vtile, nisi quod in communi prosit. Quomodo enim potest vni prodesse, quod inutile sit omnibus? mihi certe non videtur, qui inutilis est omnibus, sibi vtilis esse posit. Etenim si vna lex naturæ omnibus, vna vtique vtilitas vniuersorum, quod si vna vtilitas vniuersorum*

TVRT.

S. Ambr. 3. de off. cap. 3.

 rum

rum ad consulendum vtique omnibus naturæ lege constringimur. Non est ergo eius, qui consultum velit alteri, secundum naturam, nocere ei aduersus legem naturæ (*vt nec decet alteri manus porrigere, in alterum ensem distringere*) etiam ait Ambros. *Si qui in stadio currunt, ita feruntur præceptis informari, atque instrui, vt vnusquisque celeritate, non fraude contendat, cursuque quantum potest ad victoriam properet supplantare autem alterum aut manu deijcere non ausit, quanto magis in hoc cursu vitæ istius sine fraude alterius, & circumscriptione quærenda nobis victoria est?* Sic excuset innocentes ne nocentes faciat, & alios de innocentibus nocentes non faciat, & si vni suppetias fert, in alios calamum non stringat, manu vna panem, altera lapidem gestans. An autem magis defensiones paret, quam offensiones struat, videamus.

CAPITIS PRIMI, ANIMADVERSIO.

Vbi expenditur quæ fuerit Turturis excitandæ occasio.

VIND. PErgit Vindicianus, & occasionem Columbinæ scriptionis exponit, virtutes Eminentissimi Card. celebrat, & Turturem traducit quod voluerit gementem columbam sugillare. eius verba sunt. *Inter eximias Illustriss. Rob. Bellarmini virtutes, illæ quoque à S. Cypriano Christi fidelibus commendatæ fulserunt, in manibus diuina lectio, in sensibus Dominica cogitatio, iugis oratio, & salutaris operatio nunquam cessantes, vt quotiescumque inimicus accesserit clausum, aduersum se pectus & armatum inueniat. Non enim, inquit Christiani hominis corona vna est, quæ tempore persecutionis accipitur, habet & pax coronas suas, quibus de varia & multiplici congressione victores &c. Quotannis Card. Bell. ad vnius mensis spacium se Romæ in domo Nouitiorum S. Andreæ abdidisse scribitur, vt animum à negotiis reciperet, sacrisque commentationibus exerceret. Ex quo secedendi more simul opuscula quædam pia emanarunt, quibus beati otij fructum in omnes quoque mortales deuotus Præsul deriuaret. Ita libellus gemino tit. insignis, de gemitu Columbæ, siue de bono lacrymarum anno 1617. in lucem editus fuit, &c.*

Agnoscit Turtur Eminentissimi Card. (Cypriani elogijs cohonestati) solitos illos suos recessus, & ab actuosa vita feriatos dies ad soli Deo vacandum: plurimum commendat, feruentissimas illas lacrymas, & nocturnum clamorem, cœlum penetrantem nō diffitetur, nunquam de illius planctu, quo nedū genæ veluti conchilia margaritis ornabantur, & Ecclesia fœcunda reddebatur, stomachatus, solum modum sublimiorem inscriptione à multis desideratum exoptabat, vt loquente pupilla oculi plangentis (in lib. 2. cap. 6. vbi de religiosorum ordinibus tractat) tacuisset, & lingua, ibi enim, vt tu quoque scribis, idem *Cardin. in Regulariū ordinum membra incidit, quæ à primæuo suæ vocationis nitore plusculum deformata S. Matris lætitiā non præexpectatione cumularunt, proinde de istis dolenter ingemuit.* Vtinam fleuisset vt Anna, de qua scriptum est: *flens largiter loquebatur in corde, & vox penitus non exaudiebatur.* Nam & Chrysost. *illa potissimum est deprecatio, quum ab intimis voces sursum feruntur, hoc præcipuè mentis est exercitatæ, non intensione vocis, sed animi feruore precationem absoluere, sic orauit & Moyses, &c. quod sanè tum hæc facit mulier, vox inquit illius non audiebatur, & exaudiuit illam Deus.* habet enim nescio quid latentis energiæ, vnius lacrymulæ gutta, vt vel reseret cœli vectes, vel corda hominū emolliat, & sit fida cogitationum humanarum interpres, vt in loquela dissimiles nationes omnes, quæ sub cœlo sunt sese intelligant inundante lacryma, nec sint loquelæ neque sermones quorum non audiantur voces eorum. Aptissima quoque ad corrigendum lacryma, sed pro loco, vel tempore, nam si ita vox lacrymis iungatur, vt in specie deplorandi

TVRT.

Hom. de fide Anna.

randi deſignentur qui occultandi erant, tunc ſonus corporalis vocis canere tuba ante lacrymas & claſſicum perſonare videbitur, & effuſæ lacrymæ potius homines ſubmergent, quam ipſi emergant: & quæ mundaſſet abſque ſono vocis lacryma potius inquinabit, & vox inopportunè prolata etiam ſauciabit. Et quamuis quorundã lapſus lacrymarum fontes requirerent, nõ erant cum lacrymis voces in ſtantium pręiudicium extendendæ, nam & idem S. Cyprianus ep. 6. de quibuſdam Præpoſitis indiſcriminatim omnes tanquam lapſos deplorantibus & obiurgantibus ſcripſit, ea indiſcriminata correctione id agere *vt per paucorum prauos, & malos mores multorum, & bonorum gloria maculetur; quos* (ſubdens) *reuereri debebant, reprehenſores, ne ipſorum teſtimonio ac iudicio condemnati, eorũ ſocietate priuarentur*, idq; non minimum dedecus Eccleſiæ inferre, ſubdit idem Sanctus: *Eccleſia* enim (ait) *gloria, Prępoſiti gloria eſt.* Certè maxima gloria eſt, quod non ſint tot in religionibus purgamenta quàm ſunt eiuſdẽ lucidiſſima ornamenta. Accedit nec innumera & multiplicia mala certis documentis aſſerta, & multa conficta vel exaggerata ab æmulis certum, vniuerſalem, cumque manifeſtum planctum meruiſſe, & etiamſi meruiſſent, rectè dicebat Cyprianus ad Cornelium ep. 42. *Facilè non promenda ſunt, & incautè ac temerè publicanda, quæ diſcordiſſimo ſtylo ſcripta audientibus ſcandalum moueãt, & fratres longè poſitos ac trans mare conſtitutos incerta opinione confundant. Viderint qui vel furori ſuo, vel libidini ſeruientes, & diuinæ legis, & ſanctitatis immemores* (à quibus longo interuallo ſeiuncta Columba eſt) *iactitare interim geſtiant, quæ probare non poſſunt, & cum innocentiam deſtruere, atque impugnare non valeant ſatis habeant fama mẽdaci, & falſo rumore maculas inſpergere. Certè quod Præpoſitis & Sacerdotibus congruit danda opera eſt, vt talia cũ à quibuſdam ſcribuntur, per nos reſpuantur, vbi enim erit quod diſcimus, & docemus ſcriptũ eſſe: contine linguam tuam à malo.* mox ſubdens, *ſi quando talia quorundã calumnioſa temeritate conſcripta ſunt, legi apud nos non patimur.*

Hinc Turtur ſententiam Epiſcopi Monopolitani ſecutus illud opuſculum de gemitu Columbæ, Cardinalis per veſtigia Cypriani incedentis fœtum eſſe denegauit, vel ſaltem illud caput adſcititium, vel ſaltem nonnulla verba, vbi in ſpecie religiones SS. Benedicti, Dominici, & Franciſci deplorantur è margine in textum irrepſiſſe, vel ab aliquo ſciolo, putãte ſe obſequium præſtare Deo induſtrioſè appoſita probabiliter extimauit. Non eſt hoc Bellarminum Cardinalem incuſare, ſed propugnare, nec enim imitatorem Cypriani veriſimile eſſe potuit tranſgreſſum allatos canones Cypriani, nec tam authorem celebrem paulo ante religioſorum ordines à dicterijs Nouatorum defendentem, eoſdem cum Catholicis tractãdo perſtringẽtem, nec eodem ore calidũ, & frigidũ perflare decebat doctorem veritatis. Nec id temporis ratio poſtulabat, vt cum catalogum imperfectionum religioſorum Hęretici tanta auiditate contexunt, eiſdem ſubminiſtraretur indiculus. Quod ſi idẽ plangẽdi argumentũ antiquiores Præſules pręſtitiſſe legamus, ſaltẽ in genere id factũ eſt, ex illorum temporũ conditione, nec ſtatũ, nec mores Deo dicatorũ hominũ (vt modo ab hodiernis Hæreticis fit) traducebãt, *Poſtulabat olim tẽpus* ait Cyprianus, *cum prælium glorioſi certaminis in perſecutione ferueret, toto hortatu, & pleno impetu militũ vires fuerũt excitandæ, & maximè lapſorum mentes claſſico quodam noſtræ vocis animandæ, vt pœnitentiæ viam non ſolum precibus, & lamentationibus ſequerentur, ſed quoniam repetendi certaminis, & reparandæ ſalutis dabatur occaſio, ad confeſſionis potius ardorem, & martyrij gloriam noſtris increpiti vocibus prouocarentur.* Sed poſtea Nouatiani dogmate graſſante lapſis veniã Cyprian. ep. 52.

denegando, *collegij concordia, & colligendæ fraternitatis ac medendi vulneris vtilitas exigebat necessitati temporum succumbere, & multorum saluti prouidendum necesse fuit, & à seueriori disciplina, & correctione abstinere.* Si fidei negotio vrgente ex conditione temporum seruandum modũ disciplinæ edocuit Cyprianus, nonne moribus exigentibus idem seruasset, & seruandum docuisset?

Aug. ep. 7. Sed sit auctor eius operis Cardin. Bellarm. tanta erat humilitate, & modestia præditus, vt in eorum scriptorum numero habendus cum August. *qui proficiendo scribunt, & scribendo proficiunt* [*vnde idem quod August. vsurpare poterat, dicendo*] *Si aliquid vel incautius, vel indoctius à me positum est, quod non solum ab alijs, qui videre id possunt, merito reprehendatur, verumetiam à meipso, quia & ego saltem postea videre debeo si proficio, nec mirandum est, nec dolendum, sed potius ignoscendum, atque gratulandum, non quia erratum est, sed quia improbatum*, & infra: *Si talẽ me asseritis aduersus eos, quorum malitia, vel imperitia, vel intelligentia reprehendor, vt me nusquam scriptorum meorum errasse dicatis; frustra laboratis, non bonam causam suscepistis facile in ea re, me ipso iudice superamini.* & inferius. *Ab hac ergo excellentia tam longè absum, vt si nullum verbum quod reuocare vellem, protulero, fatuo sim quam sapienti similior illius cuius scripta summa sunt auctoritate dignissima, qui nullum verbum, non quod reuocare vellet, sed quod reuocari deberet, emisit. Hoc quisquis nondum est assecutus, secundas habeat partes modestiæ, quia primas habere non potuit sapientiæ, quia non valuit omnia non pœnitenda diligenter dixisse, pœniteat quæ cognouerit dicenda non fuisse* & demum. *Ego autem iudices veros & veritate seueros magis intueor, inter quos, & me ipsum primitus constituere volo, vt ad illos ea tantum reprehendenda perueniant, quæ à me quamuis sedulo perscrutante minime videri potuerunt.* Non ergo à Turture accusata columba, aut in ius vocata, nec eius *vexat censura columbas*, sed amicabiliter admonita, non secus vicissim SS. Augustinus, & Hieronymus amicabili censura se admonebant.

Biennio vero post deploratum eius funus Turtur opusculum suum aggressus, nolens præuenire cæteros, qui possent, & auderent tanquam murũ se opponere pro religionibus tuẽdis, cauit ne videretur primus qui omnium minimus procaciter responderet, satis iudicans paulo ante in vltima parte chronicorum S. Dominici Reuerendissimum D. Ioan. Lopez Episcopum Monopolitanum, & ante hunc P. Magistrum F. Petrum Caluum Lusitanum in opusculo de gemitibus iustorum, abundè gemitibus columbinis respõdisse: sed cum hi cum columba agant ac cum extraneo, & adhuc Eminentissimi Viri auctoritate religiosi expostularentur, ac premerentur, atque scioli suggererent (quod simpliciter tamen factum est) non simplici animo gemitus editos, sed laudem, atque rumusculos, & gloriolam populi requisisse, vt ipse, suique comites de alijs erratis crescerent, & multi obmurmurarent, illum prouocare, hos timere, illum scribere vt doctum, hos tacere vt imperitos, vt horum garrulitati Turtur occurreret, opusculum de florentissimo sacrarum religionum statu aggressus, prudenter negando opus de gemitu columbæ esse Eminentissimi genuinum fœtum, vel si eius esset, tam insignem parentem, omnimodè excusando, vtendo simili dilemmate quo Hieronymus August. ep. 14. interpellat, *Igitur aut tuum negato librum, si forte non tuus est: aut si tuus est, ingenuè confitere, vt si in defensionem mei aliqua scripsero, in te culpa sit, qui prouocasti, non in me qui respondere compulsus sum.*

Non est ergo quod de responsione ista VIND. conqueraris, dicendo, quod *nemo Bellarmino dum vitalem auram spirauit istiusmodi sauciorum agrimoniam detexit, vti plane decuisset, sed biennio post deploratum eius funus sub precioso Tur-*

so Turturis emblemate in ius vocatur, & de gemitibus ab octo ipsis annis inter sodales familiariter vsurpatis accusauit; satis enim dilationis ad respondendum causa assignata est præclarissimorum aliorum reuerentia, qui iam abunde responderant, & noua impudentium quorundam prouocatio. Sed circa substantiam operis à Vindiciano mox impetitur Grauina, quod *Turturis figmentum eo artificio composuit, vt Lector rerum adhuc ignarus Bellarminum Illustribus S. Benedicti, S. Dominici, S. Francisci ac cæteris religiosorum familiis non vulgariter detraxisse iudicaret, idque eo certius, quod columbam suam ordini quem supra sexaginta integris annis laudatissimè tenuit, dedicasset, eumque ob vitæ inculpatæ mores reliquis omnibus non obscurè antetulisset*, &c. ipsam *quoque Societatem de simili elationis vitio criminari cœperit.*] TVRT. VIND.

TVRT. Si totum opus Turturis legatur, totus in eo est, vt in nullo piè gementis minuat dignitatem, nec Societatis existimationē, sed tantum, vt delicatuli, & imperiti vulgares ad carpendum religiones prompti vsque ad verecundiam confutarentur. hæc argumenta, & sanctissima documenta ex Hieronymo mutuata amplificans. nempe *puerilem iactantiam reputari accusando viros illustres, suo nomini famam quærere; illam quoque inter amicos esse iustam reprehensionem, si nostram peram non videntes, aliorum iuxta Persium manticam consideremus.* & iterum ep. 14. *Non ita scribendum, ne fautoribus, inuicem, vel detractoribus nostris tribuamus materiam contendendi, & quod maius est, orthodoxiam calumniandi.* Ep. 13.

VIND. Hinc Vindicianus risum continere non valens, comminiscitur quod *Nescio quæ funesta, & barbara ab Hæreticis, & Catholicis hinc religiosis, inde secularibus formidans, ne quidem cum propria conscientia pacem conseruare potuit Grauina, nisi Turturis simulacrum in culmine suæ expostulationis, seu faculam in eminenti Pharo collocasset, ac florentissimum hac etiam tempestate omnium religionum statum, non sine triumpho proclamarit.*

TVRT. Meritò ex eminenti veritatis Pharo, nedum facula, sed & voce admonuit nauigātes, vt inter duas symplegadas (sunt ij duo scopuli in Pōto Euxino paruo discreti interuallo) hoc est iniustæ oblocutionis, & inopportunæ reprehensionis naufragiū euitarent: æquale enim periculum est vel iniqua de Dei ministris proferre, vel eorum defectus incautè propalare, propterea ad vocem, & lumen (ne quis frero hæreret) admonentis, & clamantis attēderent. Sunt enim præter exteros à nostra religione pusilli, *qui res aliter quam dictæ sunt suspicantur* (Nazianz. teste) *prout odio vel amore proferentis* inflammantur, dicentes, *Nihil esse tam suaue, & iucundum, quam de rebus alienis garrire, idque præsertim si vel beneuolentia quadam, vel odio trahantur, quibus affectibus veritas, vt plurimum, labefactari, ac surripi solet.* Vnde & idem S. subdit: *Præclare cum illo agitur, qui nec peccando, nec suspicione laborando quamdiu fieri potest ac ratio sinit offensionis scandalique materiam multitudini præbet: quippe cum iis etiam qui vnum ex paruis offenderint, quam certa, quam atrox, & acerba ab eo qui mentiri nescit pœna constituta sit, ignoremus.* In Apolog. 1.

VIND. Tu verò Turturi illudens addis. *Ego vero Turturis istius peregrinant vocem colli plumarumque inuisum decus. quo pede incessum, quo remigio alas mutaret obseruās, plurima reperi quæ lectoris spem, & solatia fallere possint, quin & in grandiores abducere errores quam publicæ rei tā sacræ quam prophanæ conducere, æquus fori arbiter existimet.* TVRT. Quomodo peregrina vox Turturis, & plumarum inuisum decus quę de scandalorum obiectione tanquā à verbo aspero pusillos liberare curauit, imo & ab errore, & falsa existimatione erga religiosos, non in errorem lectores inducere? Turturis maritimi aculeus formidabilis non terrestris canora vox exaltabunda execrabilis, nam vt scripsit Ambros.

 sicut

S. Hxam. c. 10.

sicut enim vipera os, si quis calcauerit recens dumtaxat grauius quàm venenum nocere perhibetur, & immedicabile vulnus serpere, ita etiã Turtur aculeo suo mortua amplius, quam viua periculi afferre memoratur. Cæterum *terrestris auis boni nuncia, & si non dulciter sonet, signat tamen dulcia* ait Bern. in Cant. ser. 59. *cuius in iugis montium, & in summitatibus arborum frequentior illi conuersatio est, vt si nunquam eam in viridi ramo residentem prospicias, tu ab eo discas voluptatum virentia velut virulenta deuitare.* Hoc præstitit Turtur non in atrijs, & palatijs principum degens, vt obijcit Vindicianus, sed in angusta cella inter sanctæ paupertatis angustias, florentem, & amœnum adhuc esse præsentem religionum statum occinendo, regulares omnium institutorum per solitudinem, abstinentiam, omniũ delectabilium mortificationem, patriæ cœlestis desiderium Turturis imaginem præseferre demonstrans, qui absque aliorum nota ingemiscunt ex præsentibus austeritatibus, ver cœlestis patrię suspirantes, *non sicut ij qui* vt dicit idem S. *pro patria abutentes exilio dederunt se comedere pinguia, & bibere mulsum.*

Nunquam vero Turtur nec incessum, vel alas mutauit tanquam auis discolor, vt lectoris spem, & solatia falleret, sed semper duo indefesse, & vniformiter in suo opere præstat, imperfectorum defectus gemendo, & ex perfectorum numero amœnitatem etiam nunc florentium omnium ordinum veraciter enunciando. Videat Vindicianus dum excusat tanti viri mentem, eo dolo vt pertinaci animositate religiosorum defectionem defendat, ne piũ zelum columbæ offendat, & indiscretã defensionem parando, dum plusquam par est secundum se totum vnus excipitur & religiosorum cœtus reliquus tanquam corruptus deploratur, Diabolo condonetur, & pro particulari vnius affectu, generalẽ offensionem regularium ex omniũ læsione incurrat: agnoscatque non leue crimen cõmittere, roborando quę bona fide scripsit, (vt fatetur) author columbæ, & maiora scandala sciat structorem caueæ præparare contentiosè asserendo, quæ simplici corde eructauit anima pientissima, quãdo si ea suboritura aduertisset, vel non scripsisset, vel calamum temperasset, vel litura quod esse poterat offendiculo obliterasset. *Eiusdem* (dicebat Tertull.) *modum est figere, qui medium aliquando diffuderat, is colliget, qui sparsit, is cadet syluam qui plantauit, is metet segetem qui seminauit. Non tamen vt accusanda caditur sylua, nec vt damnanda secatur seges, sed vt tempori suo parens.*

Lib. 1. contra Marc. in fine.

CAPITIS SECVNDI ANIMADVERSIO.

Vbi Turturis vox, habitus, & natale solum infacetè à Vindiciano describuntur.

TVRT.

CVM Sylla non solum aperto Marte sed dolis bellum gereret, Garbo illud dixisse memoratur quod *bellum gerens cũ Vulpe ac leone* (quorum vtrumq; in animo Syllæ habitabat) *à vulpe vehementius angeretur.* Aperto Marte aduersus sacros ordines pugnaturus Vindicianus, vt leonis sæuitiã abscondat, astutè verecundiam simulat, cum tamen leoninam cũ vulpina consulto consuerit, vt quò non pertingeret leonina, vulpina malitia assequeretur. Ad pessundandos ergo sacros ordines se accingens, cõposito gradu, dimissis oculis, obtortis ceruicibus, genis pudore suffusis incedens, quasi silentium sibi imperans, verecundia pædagogo assistente, à congressũ, retrahere pedem simulat, pro taciturnitate, Ecclesiasticum allegans, pro verecundia Ambrosium citans, videlicet, *non esse multum loquendum, vt verecunda, principia progressum commendent:* ait enim, *Vt minus cordate cum Grauina congrediar, illud Sapientis adhuc absterret in medio Magnatorum non præsumas: & vbi sunt senes non multum loquaris, vt verecunda*

Apud Plut. in vit. Sylla.

VIND.

cunda principia processum commendent, ex Ambros.

TVRT. Verum, ne vtriusque documenta seruauit, *Pulchra* ait Ambros. o loco quem allegat, *virtus verecundiæ & suauis gratia, quæ non in factis, sed etiã in ipsis spectatur sermonibus, ne modum progrediaris loquendi, ne quid indecorum sermo resonet tuus. Speculum enim mẽtis plerumque in verbis refulget, ipsum sonum vocis libret modestia, ne cuiusquam offendat aurem vox fortior.* Aggreditur mox Turturem & primo eius titulis, professoris S. Theol. in vniuersitate Regia, Cur. Episcop. Theol. Sancti Officij cõsiliarij illudit.

Off. c. 18.

VIND. *Depone*, ait, *quæso dona Fortunæ & Fautorum liberalitate concessa ornamenta ne quasi Pomparum fercula, & nutantium statuarũ motus imiteris. Verum mihi togam exhibe quam in dedicatoria ad Illustr. Card. de Cremona designasti albam tunicam nigredine variegatam, quam æquè Angelicam vtpote cœlitus S. Fundatori vestro monstratam appellites.*

TVRT. An tituli isti Vindiciano displicent, & cum Prædicatoria toga non cohærent? displicuerunt quondam Wiclepho ecclesiastici honores, qui etiam doctoratus Theologici gradum *Gentilitia introductum superstitione* in Ecclesiam calumniabatur, reclamante scriptura, *erant autem in Ecclesia, quæ erat Antiochiæ Prophetæ, & Doctores*, & perpetua consuetudine à temporibus Apostolorum vnumquodque seculum Doctoribus claruisse attestante. sed si non displicent honores in se, sed eorundem in hoc subiecto, cõiunctio, quàm sit id irrationabile res ipsa loquitur. Antiquitus enim Helisæus in concreto Patrem vocauit Eliam id est Magistrum (Hieronym. interprete) quo titulo Iob Eliphaz Themanitẽ *patrẽ hoc est magistrum* (ex eodem) cohonestauit, ipse quoque Christus Dominus magisterij elogio Nicodemum non spoliauit, cũ protulit: *Tu es magister in Israel, & hæc ignoras?* solus Vindicianus supercilio Thrasonico, nouã quadã Supermetaphysica abstractione collum Turturis monilibus expoliare gestit. an quia humanæ iactantiæ tituli fomitem administrant? esto. *Grande enim malum est* (ait Chrysostomus) *de seipso aliquid grande dicere atque mirabile, extremaque omnino dementia est nulla imminente necessitate rerũ, & necessitate violenta proprijs velle laudibus decorari*, tũc vero, ait idem, de illis aliquid attingere fas est, *quando id opportunissimũ tempus exegerit*, quod Samuelis, Dauidis, & Pauli exemplis luculẽter demonstrat. Opportunum certè tempus erat titulis primã pagellã Turturis onerari, cum honorari sacri ordines debebãt, & defensio in eos, qui paulò rigidius in eos oblocuti essent, dirigebatur. Ne ergo leue putaretur quod non ex aliqua auctoritate euulgabatur, non emendicatis, vel fortuitis, vel naturæ donis, sed religiosis titulis statui, & personæ conuenientibus se ornauit, vt eò grauior defensio monstraretur, quò publicis honoribus Dei munere, non sua virtute comparatis cohonestabatur.

Apud Wald. ... l. 2. a. 3. c. 67.

Act. 13.

In qq. Hebraic.

Hom. 5. de laud. Pauli.

Sed nescio qua fronte Vindicianus, defensorem reprehendit, quod *albam tunicam nigro pallio variegatam titulis exornarit*, cum hæ putidæ calumniæ de Gulielmi de S. Amore, Desiderij Longobardi lacunis exhalent. neque enim ob aliud à Sede Apostolica, hæreseos quoque nota inusti Mendicantium ordinum detractores, nisi quòd assererent inter cætera: *illicite magistrali laurea eorundem professores insigniri*, *Vniuersitatum cathedras ascendere.* quid si eosdem traduxissent quod cathedralibus in munere Theologico, & sacræ fidei Quæsitoribus in consilijs, & consultationibus inseruirent? Hoc Vindiciano reseruatum ex industria, vt his omnibus ornamentis Dominicanum Turturem expoliaret, & simplici toga contẽtum linqueret, & quamuis ad momentum eosdem titulos abdicare conatus sit (quasi prædicatoriæ togæ

hla,

fila, & stamina, subtegmine Magistrorum cathedraticorum, Theologorum, consultorum, à sui ortus initio, contexta non essent) tale tamen pallium suam professionē loquitur, videlicet Prædicatoriam familiā (præcipuè aduersus hæreses debellandas) doctrina, & Inquisitionis munere, esse institutam, vt grande beneficium orbis sit pallium taliter contextum, vel cuius solius aspectu, vel hæreses timent, vel improbi mores erubescunt propterea ex suo occursu Turturem tanquam æmulum inuidus non patitur, & totuis oculis mentis inspicit quem corporali obtutu benignè intueri se simulat pallio insultans, vt nec alieno vestiatur amictu, nec sit contentus suo, imo & ipsum reformidans nouus iamsta se ssuram contextu æ Prædicatoriæ suaui, & dulci sermone scindit, togæ magis amator, quam pallij. & cum scindi nequeat vi, verbis tanquam affectata, & circumornata textura traducitur.

VIND. Suspecta vero est quoque eiusdem indumenti depositionis adhortatio dicēdo, *vbi à Regiis, Archipræsulum & S. Inquisitionis fulgetris securum præstiteris vt liberius sine obseruatorum metu, in secreto cordis mei vulnera Turturi aperiam.*

TVRT. Apta fini suo hæc persuasio, vt liberior sit de sacris ordinibus, & impunis oblocutio inanis tamen & futilis, non enim publicè ausus est se prodere author, timens titulos Turturis videlicet Magisterij, Theologi, Consultoris, ne illum deprehenderet mulctandum ex Religiosorum diffamatione, & dum illum propriæ gloriæ affectus ad scribēdum impulit, dum in affectationē flabellatum, nec de incendio gloriæ flamma productior, quæ fumū exhalans, incensorem occultauit, & quem orbis ex isto fomite magnum expectabat, timor in publicum apparendi fecit minorem. Iam verò quod ad aperiendum vulnera humanitati Turturis, secreta, & abdita sint conquisita loca, vel hinc vulpinam versutiam intelligas, qui cum ferrum, & æs meditetur vulnerum causas, effectus tamen, hoc est vulnera ipsa aperire simulat, vbi sagittas semotis arbitris, in Turturem, quem titulis expoliare laborat, altius infigere meditetur. Archiacum scribit *Polymaus* ex decreto Senatus Archiuis ciuibus arma fabricasse, cumque eius officij procurator designaretur, noua arma largiens vetera tanquam Deorum phanis suspensurus accipiebat. Vbi omnium veterum arma solus collegisset, iisdemque inquilinos, & mercenarios, aliosque eiusmodi infimę sortis homines accinxisset, in Archiuos insurgens crudeliter trucidauit. Non dissimili astu vulnera impressurus Vindicianus non tantum Turturi, sed sacratis ordinibus, arma hoc est titulos quibus impugnari potest, auferre tētat, & quasi religionis prętextu, vt hominibus indebitos titulos postulat, noua arma commentus. Vtinam iisdē quæ à religiosis aufert, alios quos fictè laudat armaret ad pugnandum bella Domini, at cum maledicorum linguas potius hęreticorum accendat, eisdem ad oppugnandum arma subministret, versuta vulpes detegitur & sæuus Leo, vulpina insidians, leonina saucians. Sed iisdem indumentis Iulianum indutum Nazianz. perstrinxit, quod *veteratoria cuiusdam malignitatis arte, cum nec apertè posset Christianos allicere, nec tyrannicè cogere præ pudore sustineret, leonina,* ait, *pelli vulpinam, aut, si mauis, Minois laruam summa iniustitia prætexens, leniter viam afferebat edicto, quia* (ex eodem Nazianz.) *confutationes extimescebat sermones elegantes, & liberales artes, vna cum re, & nomine magistrorum eliminans.* Sed reuera, *nec confutationes effugit, imo vero imprudens seipsum his magis subiecit, & irretiuit, & timiditatem ostendit: Proinde ac si quis* (ait idem Greg.) *athletarum fortissimus sibi videatur, ac publico præconio omnibus præferri postulet, ne quisquam magni ac strenui animi vir certamen ineat.*

Lib. 3.

Naz. orat. 1. in Iul.

meat atque in arenam descendat, vel si descendat inermis pugnã meat. Simillima in Vindiciano ars veteratoria deprehenditur, dum titulorum arma ad Monomachiam prouocato deponenda suadet, ipse omni panoplia sycophantiarum ad certandum munitus, quod ignauiæ potius, quam fortitudinis argumentum est: imo in hoc victum se esse declarauit, dum sine legitima dimicatione coronas affectauit, & in hoc dimicatum, ne dimicationem non nisi spuerexcedenti conditione subiret.

Absoluta tam callida beneuolentiæ captatione, sed non impetrata à Turture cõditione, vbi Turturis naturã cum columba coniunxisset, & penè esse vnius speciei specialissimę ex gemitu Vindicianus nouus Physicus longo verborum circuitu probare contenderit, ac proinde (& si columbinus gemitus sit ab Eminentissimo assumptus) Turturem quoque (quem in sinu gerebat) gemitibus, aptissimè expressisse Cardinalem, admirabundus, quasi inter eiusdem consortij, & conditionis professores bellum emerserit, ictum primum & vulnus cordi Turturis impressit, videlicet quod: *Turtur contra columbam emerserit, peregrina auis, vltra columnas Herculis quæsita, voce parum columbina gladio, scuto, turri instructa (sic ludit) & Panario armatus alis ex Athlanticis rupibus exorta, Nilo monstrorum genitrice lota, Martia auis ex accipitrum genere, potius Vultur, quam Turtur ex gladio, & scuto inscribendus.* VIND.

Iam pridem Turturis cum columba arctissimam coniunctionem, etiamsi non eiusdem speciei, Turtur demonstrauit ex Aug. nec inter eos esse bellum, sed solum inter carnales homines & terrenos luculenter probauit. Vnde hæc repentina Metamorphosis Turturis in Picum Martium? Est quidem Vultur prædatrix auis, bellorum cupida, quæ exercitibus se agglomerat, cadaueribus insidet, funestum funden- di cruoris auspicium. Videat orbis si Turtur famam cuiusque fuerit deprædatus, si bella excitauit, si detractorum cuniculis se adiunxit, si scandalorum pudoribus delectatus, si corruptionem (vt fingitur) ordinum est ominatus, an potius & si graues lapsus aliquorum excusarit, & bella componi procurarit, odoribus putrida cadauera obtexerit, fœlicitatem, & amœnitatem enuncians? Contra, Vindicianus Martem euocare nititur, cui Vultur sacer erat, pro rostro lanceam habens, pro cantu ferale præsagium exhibens: aliquot annis inter semiputres Ornos, & antiquatas quercus delitescens, rostrum acuit, solus cantillauit à præliorum conflictu semotus, vt decursis septem annis ad classicum occinendum conuolaret, nec tantum bella præsagiret, sed instrueret acies, & loricatis se adiungens, religiosorum hostibus suppetias ferret: hoc enim habet Vultur ingẽti agmine (ex magno Basilio) castra militum comitari. Ex quo nido bellicosus hic ales prodijt? qui alterum Goliath illudentem castris Dei omnipotentis exprimit, qui velut alter Drances *cœlum territat armis*: solaque existimatione visus est volubili lingua montes Pyrenæos dissecare, fœlicius quã Annibal Alpes igni ferroque disiecit, at dũ vno lustro cum dimidio ferrum rubiginosum in vagina reconditum distringere conatus, nec valuit, & tandem euaginatum, pictum potius gladium, hoc est, infirmas ratiocinationes, quam verum, hoc est, firmas rationes, & si minaciter, denudauit. Quis ex isto bellico apparatu tam forti, & audaci bellatore in aciem prodeunte trepidare poterit, & metu perhorrescere? in summo discrimine res adducta videbatur, si solum ensis capulum tetigisset, verendum namque erat ne Lunæ cornua præcidisset, sed dum cariosum gladium exemit,

Spectatum admissi risum teneatis amici.

Etiam meminisse debebat Vindicianus Vul-

In Hexamer. hom. 8.

Vir. Æneid. li. 11.

1. p. c. 11. in fine.

Vulturinam cōditionem ineptissimè Turturi adaptatam, illius enim metaphora ad hæredipetas translata est, quod senibus orbis seu cadaueribus inhient vnde Seneca ep. 25. & 65. scripsit. *Si Vultur es*, cadauer expecta: & Martialis lib. 6.

Amisit Pater vnicum Silanus
Cessas mittere munera Oppiane.
Heu crudele nefas malaq; Parca,
Cuius Vulturis hoc erit cadauer?

Et quas hæreditates cū tuis Hugonosticis non inuasisti? Si scias Turturem biduo, vel triduo, vel ante illuc præuolasse vbi cadauera sunt futura, allusio ex illa litterarum mutatione satis concinna, dum Turturem in Vulturem commutasti: sin autem, insulsa satis, ex altero obijcere quæ obijcientem redarguunt. Sit alterius conditionis Vulturinæ imitator Vindicianus, quod Vultur fruges non attingit, nullum animal, & si imbelle occidit, vel insectatur, tantummodo quæ sponte interierunt, vel ab alijs relicta sunt cadauera (exceptis sui generis auibus) depascitur, hoc est, Vindicianus fruges & vineas florentium religionum non vastet, viua non carpat, & si mortuus depascitur, sui saltem (vt astutè, & falsò fingit) generis, cadaueribus illæsis, nec insideat.

VIND. Alterum telum aduersus Turturē contorquet Vindicianus, quod, *promittendo singultum, & exultationem athleticus processerit, medio in luctu pugnans, vellicans, expugnans, deplumans & deartuans Bellarmini columbā. Quis à Turture classicum expectasset?*

TVRT. Est id mutorum animalium proprium pugnare, pungere &c. *quia enim* ait *Lactantius sapientia carent, conciliatricem videmus sui esse naturam, nocēt enim alijs, vt sibi prosint, nesciūt enim quia malum est nocere: hinc etiam* (ex eodem) *insidiantur alijs, & dolo capiunt, vt deuorent, aliorumque insidias vario genere eludunt.* Ipsæ mitissimæ columbæ in granis eligendis certant, propulsant zelotypi alienos procos, in miluos gallina tuendo filios insurgit, & apparatu bellico pennis tētoria figit, iisdem, & rostro inimicos exagitat. Homo vero, qui scientiam boni, ac mali habet se abstinet à nocendo, & cum incōmodo suo, quod animal irrationale præstare non potest, solum tunc homini acies instruere licet, cum pro patria, publico bono, authoritate tamen publica, & ex officio hostes necesse est propulsare. Hinc fortitudo bellica in Sanctis quoque fuit commendabilis, & Summam ex Ambrosio retulere gloriam, nunquam tamen, ex eodē, incomitata processit. *Nunquam enim Dauid nisi lacessitus bellū intulit, & prudentiā fortitudinis comitē habuit in prælio. Neq; enim* (ait idē S.) *inferenda, sed depellenda iniuria lex virtutis est qui enim non repellit à socio iniuriā si potest, tam est in vitio, quàm ille qui facit. Vnde S. Moyses hinc primus orsus est tentamenta bellicæ fortitudinis. Nam cum vidisset Hebræum ab Aegyptio iniuriam accipientem defendit, ita vt Aegyptium sterneret, atq; in arena absconderet. Salomon quoque ait, eripe eum qui ducitur ad mortem. Iob quoque saluum fecit pauperem de manu potentis, & pupillum cui non erat adiutor.* Porrò multiplicia bella sunt quæ inferuntur vel propulsantur ex Chrysost. *Vnum commune cum nostri aduersus barbaros pugnant. Secūdum cum pacis tempore nos inuicem oppugnamus. Tertium cum vnusquisque aduersum se bella, seditionesque concitat, verbi gratia iræ, inuidiæ* [*vt ibidem exemplificat*] *Primum nihil ferè* (ait Sanctus) *nos lædere potest, nam si corpora trucident Barbari, nullum animabus periculum imminet. Secundum belli genus, si velimus, nec nocere potest, alijs enim pugnantibus pacifici esse possumus, Propheta dicente: Cum his qui oderunt pacem eram pacificus. Tertium formidabile quod mortem sempiternam parit, vnde & Iacobus: vnde bella, & lites in vobis, nonne ex concupiscentijs vestris? aduersus quas passiones propugnare eximia fortitudo est*, ait Ambros. In secundo autem belli genere, distinguendū est

Marginal notes: *Lib. 5. Inst. c. 18.* — *1. off. c. 35.* — *Cap. 36.* — *Hom. 7 in 1. Timot. 2* — *Ex S. Tho. 2. 2. q. 72. a. 3.*

est quod pertinet ad priuatam iniuriā, ab eo quod publicum concernit bonum, priuatas enim detractiones, vel contumelias sufferre tenemur in præparatione animi, *si expediens fuerit*, & si moderatè reprimenda sit conuiciantis audacia, sic fiat propter officium charitatis, id est bonum contumeliosi. tunc enim habet locum, *responde stulto iuxta stultitiam suam*, non propter cupiditatē honoris, & sic habet locum quod dicitur *ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam.*
Prou 26 Quando vero publica, & contumeliosa est detractio, omnino propulsanda est, siue sit materialis, siue formalis, nam (ex S. Doctore loc. cit.) multorum *profectus impeditur*
Ibidem. *propter contumelias nobis illatas.* Vnde S. Gregor. ait. *Hi quorum vita in exemplo imitationis*
Hom. 9. in Ezech. *est posita, debent si possunt detrahentium sibi verba compescere, ne eorum prædicationem non audiant qui audire poterant, & ita in prauis moribus remanentes, benè contemnere viuant.* Talis autem repulsio iusti belli rationem habet, & fortitudinis actus est elicitus, & à charitate imperatus. Vnde Bern. custodes Ecclesiæ (qui sunt Pastores, & Doctores) al-
Serm. 77. loquens in Cant. sic dicit. *Amice ad quid venisti (nisi fallor ad solam custodiam ciuitatis, vt quantum satis est procuretur, opus est viro forti, spirituali, fideli, forti ad propulsandas iniurias, spirituali ad deprehendendas insidias: fideli qui non quæ sua sunt quærat.*

Opusc. 19. ca. 19. Et ex his doctrinis Angelicus Doctor docuit quod *si in spiritualibus Religiosi quo ad religionem, vel statum impugnentur*, TOTIS VIRIBVS RESISTENDVM, *& præcipuè in illis in quibus non solum sibi, sed & alijs prosunt, quia cum religionis statum non assumant nisi vt spiritualibus vacent per huiusmodi impugnationem, perfectionis propositum impeditur.* Et obsistere detrahentibus (ait ibidem S. Thomas) *est officium charitatis, ad quam pertinet contercere molas iniqui, & de dentibus auferre prædam, item eruere eos qui ducuntur ad mor-*
Iob 29. *tem, & si vnusquisque*, ait idem Sanctus, *teneatur ad implenda officia charitatis, illis magis exhibenda* subdit *qui sunt nobis magis coniuncti*, cumque ait *magis coniuncti sint religioso alicui fratres suæ religionis, debet secundum charitatem resistere illis, qui fratres religionis suæ nituntur opprimere.* Hæc ex S. Doctore. Est quoque actus iustitiæ eadem defensio, quam S. Gregorij authoritate sigillamus; exponens enim ea verba Iob *in occursum pergit arma-* Cap. 39.
tis, sic inquit: *Plerumque quieti, atque inconcussi relinquimur, si obuiare prauis, pro iustitia non curamus: sed si ad æternæ vitæ desiderium animus exarsit, si verum lumen intrinsecus respi-* Greg. ibid. relatus etiā à S. Th.
cit, si in se flammam sancti feruoris accendit, inquantum locus admittit, in quantum causa exigit, debemus pro defensione iustitiæ nosmetipsos obijcere, & peruersis ad iniusta erumpentibus, etiam cum ab his non quatimur, obuiare. Nam cum iustitiam quam nos amamus in alijs feriunt, nos nihilominus sua percusione confodiūt, etiamsi venerari videantur. Et subdit S. Tho. *ex quo patet quod perfecti viri debent se vltrò ingerere ad aliorum iniurias repellendas etiam non prouocati*, multo magis prouocatis in ijs quæ ad religionum, maximè propriæ, defensionem pertinent, elaborandum & cōtrarijs obsistendum. Quid mirum si sentiens Turtur suam S. Dominici in specie occasione gemitus columbini ab incautis cum alijs religionibus SS. Benedicti, Francisci &c. materiali saltem detractione proscindi, in occursum perrexerit armatis, & indutus lorica iustitię sicut vestimēto, charitate præeunte, fortitudine comite, ad propulsandas religiosorum iniurias elaborarit?

Et an vno tantummodo elaboratum? videat lector & ferat iudicium. At id vitio tribuit Grauinæ Vindicianus alterum spiculum contorquens.

Quodammodo pugnat Turtur? modo fictè VIND.
laudat, modo grauius ferit, iam sublimis extollitur, repente in cœno volutatur.

In gloriam Turturis cedit grauius ferire, attol-

attolli, deprimi (adulatione ablegata quæ imponitur) Turtur amœnissimus tempore reuelatæ gratiæ Paulus erat, & nihilominus classicos vult esse Pastores, & Doctores. *Seruum Dei non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes; doctorem, patientem, cum modestia corripientem eos qui resistunt veritati.* & omnibus omnia fieri: suo præibat exemplo, *omnia omnibus factus sum; omnes in regnum Dei festinabat inducere* ait idem Chrysostomus, *dicendo, pollicendo, meditando &c. terrēdo verbo epistolis &c. conabatur erigere labantes, humi iacentes attollere, sanare contritos, torpentes oleo exhortationis animare, inimicis insonare terribiliter, hostes minaciter intueri, more optimi medici artis suæ instrumenta gestantis protector ipse bellantium*] an ex huiusmodi stylo & varietate culpandus Apostolus, qui armatus, & Panario instructus varijs bellandi instrumentis, & medicamentis pro animarū medela vtebatur? immerito ergo ex hac varietate dicis[*Grauinæ tot honorum gradibus sublime nomen, pro hedera operi malè concinnato impositum fuisse, & alium inferioris notæ scriptorem libellum capitaq; compilasse, &* [subdis] *quicquid demum contigerit grauem ex S. Hieronym. querelam pro Cardinal. Illustriss. Bellarm. deponere compellor, scribi contra se ac simul occultari, vt facultatem respondendi auferant. Nouum* inquit *malitiæ genus est accusare quod prodi timeas, scribere quod occultes. Si verba Bellarmino obiciuntur, cur eo viuente non prodierūt? si falsa, cur vel post obitū eius in lucem sparguntur? Maluissem Anonymum ludicri istius Turturis authorem in conspectu habere, sed quia Grauina suum nomen supposuit, pro altero quoque perferet quod S. Ambros. sapienter monuit. Quantumlibet quisque profecerit, nemo est qui doceri non egeat, dum viuit.*]

TVRT. Coronandus Turtur potius (si corruptibilem coronam affectare fas esset) lauro, myrto, & olea, & illustriori quaque frōde, & quod magis vsui, est cētenarijs quoque rosis ex horto Midæ lectis; at *hæ pompæ Diaboli* (dicebat Tertull.) *officia sæculi, honores, humana seruitia, laudes humanæ, gloriæ turpes. Si corona æmulanda, spinea capitis nostri æmulanda est, tale caput et rependendum quale nobis exhibuit, vel ne floribus coronemur, si spinis non possumus, quia non floribus possumus.* Sunt spinarum certæ puncturæ, dum suppositi-tium partum Turturi suppositum, & Grauinæ nomine tāquam hedera coronatum Vindicianus imponit, dum etiam malitiæ adscribit Turturis euulgationem postquā Bellarmino parentatū est: his lancinari patitur Turtur, vt coronetur, etiamsi ad sui operis probationem testium nubem habeat ne dum domesticorum, sed extraneorum, & pro dilatione habeat rationabiles causas, tum quia iam viuente Bellarm. à à Patre Magistro Petro Caluo Prouinciæ Lusitaniæ, & à Reuerendissimo Domino Episcopo Monopolitano gemitibus columbinis responsum erat, tum etiam, ex eodem Hieronym. altera ep. ad Pammachium, *Christiani pudoris est etiam apud amicos tacere, & humilitatem suam magis silentio commendari, quam respondendo, veteres amicitias ambitionemq; mouere;* coactus Turtur tandem, iam pridem elaboratum opus (viuente Bellarmino) ad retundendas obloquētium voces) ob gemitus columbinos, & nouam impressionem vulgari lingua descriptam) censoribus etiam tradere, vt probaretur, & canonicè imprimeretur, interim, satis concessit Bellarminus, probatum tandem opus lucem aspexit à Grauina editum vsque ad vltimum iota.

Tuum Vindiciane malitiæ genus est accusare quod prodi timeas, scribere quod occultas; tibi adaptari quoque possunt sequentia Hieronymiana. *Neque enim magnopere formidandi, sunt quos auctor suus prodere timuit,* & tantum legendos esse decreuit à suæ partis hominibus. Tunc (manifestante se authore) iure tibi cum eodem Hieronymo dicere poterit Grauina, *cognoscam criminis,*

Margin notes: TVRT. — Tim. 2. c. 2 — Hom. 3. de laud. Paulu. — TVRT. — De coro. militis c. 13

mina, aut diluam, aut in accusatorem quæ sunt obiecta retorquebo, & ostendam quod hucusque silentium modestia fuerit, non mala conscientia. Interim apud tacitum Lectoris iudicium purgatum me esse volui, & grauissimum inter amicos crimen refellere, ne prior læsisse videar. qui & vulneratus nequaquam contra persecutorem tela direxi, sed meo vulneri tantum admoui manum, quem obsecro vt absque præiudicio culpam in eum referat, qui lacessiuit. Interim tacente Grauina, insultante Vindiciano, ferulam insultans subeat, & proficiat flagris, qui noluit Doctorum erudiri documentis.

CAPITIS TERTII ANIMADVERSIO.

Vbi, qua mente Cardinalis Bellarminus columbæ gemitus induxerit, non sine aliorum & ipsius Cardinalis præiudicio, temerè Vindicianus & sinistre obgannit.

CVm propositum columbini gemitus Vindicianus aperuisset, & partitioné, seu segregationem prauorum membrorum à bonis retulisset, commendat gementem columbam, dicens, quod *vbi meliora membra à deterioribus segregasset, & priorum encomia absoluisset, posteriora non potuit calculo candido notare.*

VIND.

TVRT. Optima, & opportuna partitio fuisset, si à toto genere desumpta fuisset, & hoc tempore proficere potuisset. Sed dum non de omnibus fit ista diuisio deteriorum, & meliorum in vnaquaque congregatione dispersorum, vt massa quædam purior segregetur, ex partiali hac segregatione, ista purior, cæteris quibus præfertur argui posset. Nullam oblationem cũ fermento fieri mandauit Dominus. Est enim, dicebat Philo. *Difficile inanes tumores animæ consecrare*; quemadmodum fermenti proprietas est massam inflandi, & corrumpendi, ita & inanis illa iactantia, qua quis melior prædicatur inflat cor, totum corrumpit hominem: *modicum fermentum* dicebat Apostolus *totam massam corrumpit.* Ipsa natura Angelica id in inflato Apostata illo experta est; perdidit enim sapientiam in decore suo, dum sua pulchritudine captus, etiam diuinum solium affectauit. Pharisæi non sicut cæteros se existimabant, qui adeo inflati incedebant, vt cum nomine res concordaret, & ab omnibus se diuisos existimabant, & supereminentibus titulis dignos; ad quos cauendos illud Christus Dominus inculcauit. *Intuemini, & cauete à fermento Pharisæorum quod est hypochrisis.* Puros se existimabant Donatistæ, & propter paucos codicum traditores, persecutionis tempore, orthodoxiam ferè totam insimulabant, & vocabant speluncam latronum. Sed ampullosam istam superbiam sic. S. Aug. retundebat ostendendo traditores plures fuisse in parte Donati, *si & traditorum vocabula cupis addiscere, habes vestros Syluanum Cirtensem, Felicem curatori sacramenta tradentem; Habes Marianum ab aquis Tibilitanis Romano curatori tres codices offerentem: Habes Victorem Rusiuaziensem quatuor Euangelia velut deletitia comburentem, qui Cæcilianum absentem damnare ausi sunt innocentem. Hæc est spelunca latronum, hæc progenies traditorum, hæc mulier fornicaria. quæ relicto Christo, Donato prostituit lupanaria, cuius domus iuxta Salomonem secessus est mortis, cuius viæ sunt inferorum. quæ se mundam vocat, cum sit sordibus plena, quæ se innocentem clamat, cum sit sceleribus irretita, quæ pudenda committit, & facta sua in alteram dicit, ne prior audiat quæ commisit, de factis enim vestris Catholicos infamatis, vt populos à Domino separetis.* Non licuit Vindiciane tibi sic mentem Eminentissimi interpretari, illique imponere quasi optimorum consortium in vno quasi loco separatum demonstrarit, & ab hoc discretos atro lapillo signarit, in promptu enim August. Authoritate in te tua tela conuerti possent, & si vniuersus religionum cœtus quon-

Leu. 11.

Lib. de cõgress.

1. Cor. c. 5.

Matt. 16.

Lib. contra Fulg. Donat.

quondam asseritur florens, nunc verò degenerans à te mordicus defenditur, florida semper existente puriori massa, vel quod deplorandus sit omnis ordo, & præsertim SS. Benedicti Dominici, Francisci, à parte illa, quæ tota viuum membrum asseritur; impurior reputata portio exiccata, & deplorata, illud quod in simili causa Fulgentio August. respondit, vsurpare posset à te ignominiosè discreta. Donatista dicebat. *Recede à me non appropinques mihi, quia immundus es*, cui Augustinus ex persona cath. respondebat; *tua non timeo crimina, quia mea munita est conscientia Quem dicis tradidisse, nomen, locumque traditoris ostende, numquam id valebis ostendere sicut nec antea valuisti. Sed & si aliquem protuleris, mihi obesse non poterit dicente Domino, anima quæ peccauerit, sola morietur*; & iterũ Donatistis argumentibus. *Illi [nempe Cæcilianus, & alij Catholici] codices Dominicos ignibus tradiderunt, &c. persecutionem fecerũt, & vos eis in omnibus consensistis* (ecce crimina obiecta traditionis, thurificationis, iniustæ persecutionis) quid Augustin. respondit? *breuiter* (ait) *respõdeo* (quod sæpe respondi) *aut falsa dicitis, aut si vera sunt, non ad frumenta Christi, sed ad eorum paleam pertinent ista quæ dicitis. Nõ inde perit Ecclesia quæ optimo iudicio ventilata istorum omnium separatione purgabitur. Ego ipsam Ecclesiam requiro vbi sit, quæ audiendo verba Christi, & faciendo ædificat supra petram, & audiendo, & faciendo tolerat eos qui audiendo, & non faciendo ædificant super arenam; Vbi sit triticum quod inter zizania crescit vsque ad messem, non quod fecerint, vel faciant ipsa zizania. Vbi sit proxima Christi in medio filiorum malorum, sicut lilium in medio spinarum; non quid fecerint, vel faciant ipsæ spinæ. Vbi sint pisces boni qui donec ad littus perueniant, tolerent pisces malos pariter irretitos, non quid fecerint, vel faciant ipsi pisces mali*, & tres canones August. ingenio suo dignos ad Donatistarum ora oppilanda proponit dicens.

Lib. de vnit. Eccles. c. 16.

I. *Proinde remoueantur omnes moratoria tergiuersationes. Quicquid de peccatis hominum falsum obijcitur, conueniatur conscientia, & non obijciatur.*

II. *Quicquid de peccatis hominum etiam verum obijcitur, vel probari non potest, vel cum debuit probari non potuit, non obijciatur.*

III. *Quicquid de peccatis hominum & verum, & probatum obijcitur, nec tamen ad frumenta, quæ inter paleam latent, sed in ipsam paleam, quæ in fine separabitur pertinet, non obijciatur.* Siuè ergo falsa, siuè vera crimina obiecta religiosis malis, quibus ordines corrupti planguntur, religio quærenda, commendanda, & locus, & status encomijs celebrandus, videlicet quod sit Dei specialis domus; ager vel hortus deliciarũ Domini; portio Apostolicis retibus dotata; non discernendi, & seiungendi auditores tantum verbi à factoribus eiusdem verbi, non quid fecerint, vel faciant zizania, non quid fecerint, vel quid faciant spinæ, non quid fecerint, vel faciant pisces mali.

Inopportuna quoque discretio ista ac distinctio demonstratur hoc tempore, cum ab hæreticis ne dum religionum defectus in canticum vertantur, sed & status religiosus proscinditur, vnde mutata temporis causa, etiamsi recta facta esset illa partitio, id inconcinnè factum nunc esse, quod rectè ante factum iudicari potuisset. Sapienter Aug. distinxit in pulchrũ & aptum. *Pulchrum enim per se ipsum consideratur, atque laudatur, cui turpe, ac deforme contrarium est. Aptum vero cui ex aduerso est ineptum, quasi religatum pendet aliunde, nec ex semetipso, sed ex eo cui connectitur iudicatur: nimirum etiam decens, atque indecens vel hoc idem est vel perinde habetur.* Quare inter cætera, præcepta à Præsulibus seruanda in diuinorum eloquiorum, & etiam in correctione morum à magno Nazianz. illud est traditum, vt, *quando, & coram quibus loqui oportet, atten-*

Ep. 5.

Orat. 1. de Theol.

attendamus, ne mediocritatis fines excedamus. Per se enim bona perdunt aliquando boni gratiam, quia tractantur non benè, non aliter atque hyeme intempestiui sunt flores, nec mulieribus virilis, nec viris muliebris ornatus cōuenit, nec luctui musica, nec conuiuio lachryma. Quare eo nomine etiam celebris Basilius ab eodem Gregor. habitus, quod *disponeret sermones suos in iudicio, iuxta* Dauidis regulas, *locorum, & personarum, & temporis ratione seruata.* Quid dices Vindiciane? Turturem Panarium afferentem criminaberis, vt fecisti superius? At tu tui parentis Panario abuteris, vt inopportunè vinum, vel edax aliud medicamentum lapsis, vt fingis, ordinibus sit imponendum non sic faciebat, ex eodem August. magnus suorum temporum medicus Vindicianus: *Consultus enim à quodam, dolori eius adhiberi iussit medicamentum quod in tempore congruere videbatur, adhibitum sanitas consecuta est. Deinde post annos aliquot eadem rursus corporis causa commotus, hoc idem ille putauit adhibendum, adhibitum vertit in peius. Miratus currit ad medicū, indicat factū, at ille vt erat acerrimus ita respondit: Ideo male acceptus es, quia non ego iussi, vt omnes qui audissent parumque hominem nossent, non eum arte medicinali fidere, sed nescio qua illicita potentia putarent. Vnde cum esset à quibus poterat stupentibus interrogatus, aperuit quod non intellexerant, videlicet illi ætati iam non hoc se fuisse iussurum.* Solus nouus Vindicianus chirurgus (si non barbitonsor) à magno Vindiciano degenerans, indifferenter nobis non seruata ætatis & temporis ratione, probare videtur, & Bellarminum fictè laudat *quod non potuit valde nitido calamo posteriora donare.*

Orat. in fun. Basilij

Epist. 3.

VIND. At non semel (ait inferius nouus Vindicianus) *id præstitit Hieronym. ep. ad Onasum, vbi in nummarios inuehitur Sacerdotes &c. ep. ad Heliodorum, in imperfectos Dei famulos inuehitur,* & subdit: Magnus enim Doctor Hieronym. *Sapientiam quasi inter perfectiores locuturus, etiam liberiorem in vita improborum linguam assumpsit, eadem ergo causa Bellarminum apud Grauinam absoluere debet.*

TVRT. Proculdubio absolueret, si eadem causa recurreret; si non religiosi determinatè nominati essent Benedictini, Franciscani, Dominicani, in specie, vt alij omnes in genere; si apud perfectos fuissent reprehensi, & non etiam apud fæmellas diuulgati libelli vernacula lingua vt ab omnibus intelligerentur; si etiam canibus non obiectæ margaritæ nam vsque ad remotos ab orbe Britannos peruolasse libellus describitur, sub ceruicali Iacobi Regis repositus, de quo ferunt eius lectione delectatum, vt delicatius in errore permaneret, qui non ex fide personas, sed ex personis fidem metiebatur. Quanto laudabilius vnione hæc signata essent, & meliori notata lapillo? At tu Vindiciane dum non potuisse valde *nitido calculo donari* asseris; tu quoque ex Persio.

In vita Bellarm.

Quæque sequenda forent, & quæ vitanda vicissim.

Illa prius creta, mox hæc carbone notasti.

At niger nigro potius voluit calculo designari, sed si

Hic niger est, hunc tu Romane caueto.

Nec dubitandum si Vindicianam emphasim præuidisset vt pius censor, calculum reduxisset, vel opellam, vt dicitur, ad calculos reuocasset. Saltem ergo ad illos reuertamur calculos qui omissi, nimirum ad gloriosiora, & sublimiora consilia adhiberi solitos vel si mauis in vtraque lance vtrinque dicta expendantur velut calculi, vt an atro, vel albo lapillo sint ordines sacri denotandi iudicetur. Hæc ergo ponit in hac lance Vindicianus ex assertione columbæ, *Primum regulares multiplicari cœpisse sine numero. Secundum multos non à Deo, sed alijs rationibus ductos monasteria repleuisse. Tertium illud proinde Esaiæ impletum: multiplicasti gentem, non magnificasti*

VIND.

lætitiam, Quartum. Inde nata scandala esse grauia, multiplicia, omnibus nota. Quintũ quæ proinde vberem columbæ gemendi materiam præbeant, vt relaxationem adeoque corruptionem religiosorum ordinum deplorandi. Sextum. Neque negari posse quin magna in quibusdam ordinibus multitudo relaxatorum inueniatur: & fortasse nostris temporibus impleri quod S. Pachomij tempore contigit vaticinium, nonnullos regularium piè victuros, plurimos regulam neglecturos suamque penitus salutem perdituros esse. Hæc Bellarminus (ait Vindicianus) *adhibito etiam S. Francisci visu in modum statuæ Nabuchodonosoris, quorum singula* (subdit Vindicianus) *Grauinæ animo vsque adeo ægra fuerunt, vt totis viribus refellenda putauerit perinde ac si à circulatore quopiam, aut liuido regularium æmulo inter infames tibias & Sibariticas dapes decantata fuissent; atqui meminisse oportebat qui hæc manu sua exarauit, illum ipsum in esse purpuratum principem quem Grauina suspexit, & laudibus extulit* &c. & subdit. *Quomodo nunc tantus Bellarmini laudator repente animo linqui potuit, vt de tot virtutum, & doctrinæ gemmis exculto pectore crederet parum considerasse, ac digessisse quæ publico foro commissa vellet?*

TVRT. Primum expendamus exposita lance. Multiplicari cœpisse religiosos sine numero non diffitetur Turtur, & modus prudentialis desideratur, nam cũ plurium difficilior gubernatio sit quam paucorũ, multitudo posset tepiditatem parere, nisi Sanctissimis Legibus occurratur. Sed cum nostris temporibus illud impleatur. *Dilata tẽtoria tua, extende funiculos tuos, semen enim tuũ hæreditabit gentes, & ciuitates, quæ deserta erant inhabitabis*, & nunc vberius quam tempore Prosperi, videatur quod idem scripsit S. Prosper: *ex omni gente, ex omni conditione adoptãtur quotidie millia senum, millia iuuenum, millia paruulorũ, & effectibus gratiæ etiam ipsa quibus mundus atteritur, arma famulantur, vt in tanta multitudine conuertendorũ messis multa sit, operarij autem pauci.* In ipsis quoque fidelium populus in fide conseruandis, spirituali Sacramentorum pabulo alẽdis, nec sufficit vastissima religiosorum omnium multitudo. Quod si illud mirabile est (ex Prospero eodem loco) quod ex *diuina prouidentia, discordia ad vnitatem trahunt, & plagæ in remedia vertuntur, & Ecclesia vnde metuit periculum sumat argumentum*, nõ officiet multitudo Ecclesiasticæ vnitati, & paci, & qui ex parte materiæ, ex multitudine defectus nascerentur, ex maiorum bonorum fructu, & vtilitate compensarentur. Quis Ecclesiam Catholicam criminabitur ex superexcedẽti fideliũ numero? & nihilominus hoc ipsum prædicat Propheta, & inter mirabilia Dei recẽset, quod *multiplicati sint* valdè. *Annunciaui, ait, & locutus sum, multiplicati sunt super numerum.* Et cætera. *Est numerus, sunt super numerum* ait Aug. ibidem. *Numerus certus est pertinens ad illam cœlestem Hierusalem; nouit Dominus qui sunt eius, Christianos timentes, Christianos præcepta seruantes, Dei vias ambulantes, à peccatis abstinentes, si ceciderint confitentes, ipsi ad numerum pertinent. Sed nunquid soli sunt? sunt & super numerum, nam & si modo pauci sunt, pauci in comparatione multitudinis malorum frequentiorum, quantis turbis implentur Ecclesiæ, stipantur parietes, pressuris se vrgent, propè se suffocant multitudine &c. quanti fideles agglomerantur, quanta turba concurrunt, multi verè, & multi falsò conuersi; & pauciores sunt verè conuersi, plures falso conuersi, quia multiplicati sunt super numerum.* Talis ergo est Ecclesia ait idem Augustin. *de cuius paucitate dicitur in comparatione multorum malorum, quia angusta, & arcta via est quæ ducit ad vitam, & rursus ipsa est de cuius multitudine dicitur: sic erit semen tuum sicut stellæ cœli, & sicut arena maris, ijdem quippe fideles sancti, & boni, & in comparatione plurimorum malorum pauci sunt, & per se ipsi multi sunt: quia multi filij desertæ, magis*

De vocat Gent. lib. 2 cap. 10.

Ps. 39. Au. ibidem.

Ep. 48.

magis quam eius quæ habet virum, & multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent &c. & multa millia quæ numerare nemo potest videntur in Apocalyp. Ipsa est, quæ aliquando obscuratur, & tanquam obnubilatur multitudine scandalorum &c. sed etiam tunc in suis firmissimis eminet. & si aliqua in his verbis diuinis distributio facienda est, fortasse non frustra dictum est de semine Abrahæ: sicut stellæ cœli, & sicut arena quæ est ad oram maris, vt in stellis cœli pauciores, firmiores, clarioresque intelligantur, in arena autem maritimi littoris magna multitudo infirmorum atque carnalium. Non ergo (in simili arguendo in nostro proposito) multitudo religiosorum impetenda, & si sint multi imperfecti, qui licet excederent sicut arena maris stellas cœli, adhuc pauciores, firmiores, clariores, perfecti apparebunt; qui non pauci absolutè, sed comparatiuè pauci essent, & cum multi sint, in merito, non pauci, sed paucissimi piè viuentes, vel victuri in religione pronunciantur.

VIND. *Multos quoque non à Deo vocatos, sed alio fine religionem intrasse*, commemorat Vindicianus ex columbæ gemitu, *& est secundus calculus.*

TVRT. Dei attributum est quod spirituum sit ponderator, nec quis hominum corda, & fines quis perscrutari potest sine Dei dono, quod discretio spirituum ab Apostolo appellatur. Si id concessum fatetur Vindicianus, nonnullis cautis, discretis, exhibeat vrgentia probationum argumenta ad extorquendam fidem, difficile enim poterit suadere, eo spiritu dotatos Argi oculos habentes ad aliorum defectus intuendos, cum spiritus dona ad vtilitatem dentur, vt medela vulneribus apponatur, non quod passim cum nausea aperiantur. Quendam introducit S. August. non dissimilem Vindiciani Genio, qui bonis tantummodo se aggregare cupiebat, & à malis se separare, solitudinem aptam iudicauit, & cum paucis adiunctis socijs vitam transigere, sed etiam eum secuturum esse scandala didicit. rursus monasterium elegit vt cum solis bonis viueret, sed cum ei obijceretur malorum consortium, qui interdum monasteria ingrediuntur, vitare non posse, hanc politicam rationem, ex industria excogitauit. *cautus ero. nullum malum admittam,* ait August. *nullum hominem malum, nullum fratrem malum intrantem admissurus sum, cum paucis bonis bene mihi erit.* cui & August. *vbi cognoscis quem forte vis excludere? vt cognoscatur malus intus probandus est, & probari nisi intrauerit non potest? repelles omnes malos? dicis enim & nosti inspicere, omnes nudis cordibus ad te venient qui intraturi sunt? Ipsi se non nouerunt quanto minus tu? multi enim sibi promiserunt quod impleturi essent vitam illam sanctam in commune habentem omnia &c. missi sunt in fornacem, & crepuerunt. Quomodo ergo cognoscis eum qui sibi adhuc ignotus est? excludens malos fratres à conuentu bonorum, de corde tuo quisquis ista dicas, omnes malas cogitationes si potes à te exclude. Non intret in cor tuum vel mala suggestio. Non consentio inquit, sed intrauit tamen vt suggereretur. vnde autem intret quis nouit? &c. & pugnamus quotidie in vno corde nostro. Vnus homo in corde suo cum turpa luctatur suggerit auaritia, suggerit libido, suggerit voracitas, suggerit lætitia ista popularis, omnia suggeruntur, ab omnibus se continet. omnibus respondet, & ab omnibus auersatur, difficile est vt non aliqua feriatur.* Sic impossibile est subdolos, & malos cauere, quin intra septa Monasterij recipiantur. *In ps. 99. & 132.*

VIND. Sed aliud dictum in lance apponitur. *Religiosorum multitudini illud adaptari quod scriptum est in Esai. multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiam.*

TVRT. Sensus quidē iste à Spiritu sancto præuisus, non prouisus, vt de religionibus dictum sit: multiplicasti cœnobia, & cœnobitas, & non magnificasti lætitiam, quia vel relaxati penitus ordines, vel penè corrupti.

rupti. Iudæos respicit illa sententia, qui & si iuxta promissiones Abrahæ multiplicati fuerint nimis, pauci tamen receperũt Christum Abrahæ promissum. Sic lætitia multiplicationi non correspondit, nã ex Greg. *de Iudaa nonnulli pradicatorum ministerio ad cognitionem redemptoris perducti sunt, sed eiusdem gentis plenitudo Sancta Ecclesia assertionibus tanto audacius aduersatur, quanto infidelitatis sua tenebris profundius eiecta ad veritatis lumen non ducitur.* Gentiles quoque eadem sententia respicit donis naturalibus cumulatos, qui à fructu frumenti, vini, & olei multiplicati sunt, non magnificata lætitia est, cum exceptis paucis cum Ecclesia antiqua copulatis permissum est gentes ingredi vias suas. Nec magnificata est lætitia in tempore gratiæ, nam & si plenitudo gentium in Ecclesiam intrauerit, adhuc in vocatis illud habere locũ PP. plurimi docent, *multi sunt vocati, pauci vero electi*, multis alijs DD. piè in oppositam sententiam declinantibus. Quomodo ergo facta est extensio ad claustra vt maior pars nedum relaxata, sed reproba flammis gehennalibus ex approbato Vindiciani calamo addicatur? Habet sponsus mysticus syluarum lucos, & saltus, vbi lignorum syluestrium, & infructuosorum ingens multitudo; habet & hortum conclusum tanquam suas delitias: Syluis status secularium designatur, Hortis religiosorum cœtus. *Per hortum*, ex Guerrico Abbate. *Internas fratres internas intelligite delicias, per conclusionem custodiã disciplina, dilectio murus est* (ex eodem) *ante murale regularis districtio, illa sanctas, & affectus dulces includit, hac occasiones delinquendi repellit, & excludit.* priuilegiata certe sponsi portio, vt comparationem cum sæculo non admittat, nam si castitas (ex Nazianz.) diuidit mundum, castitas voto firmata cum Monastica disciplina nedum mundum diuidit, sed homines ab hominibus, vt in ipsomet Principis Palatio spiritualibus eunuchis, id est, vitam religiosam profitentibus detur *nomen melius à filiis, & filiabus*, ijsque priuilegijs decorentur, vt viuant purius, cadant rarius, citius resurgant. Si cõmunis, & æqua est comparatio, sæculi totius cum claustris, vel commune discrimen est, vel æqua retributio, vt quid dicunt religiosi cum propheta. *Quoniam propter te mortificamur tota die, extimati sumus velut oues occisionis?* miserabiliores essẽmus cunctis hominibus, nihil peculiare operabitur occasiones peccandi præcisio, Deo vacandi commoditas, iuge silentium, & ab omni strepitu secularium perpetua quies? *erubesce Sidon* diceret *mare* huius sęculi, quod tot æquales pisces seculares bonos vel malos, quot religiosos, sagena concludit: & tam Oceani sinus, vt fidæ stationes eodem vndarum fragore concutiuntur. & tamen verissimè pronunciauit Greg. *rectè mare vita secularium dicitur, quia dum procellosis actionum motibus concitatur, ab interna sapientia quiete, atque stabilitate disiungitur.* Et si è mari suam piscator hominum haurit piscium quoque multitudinem copiosam, non hauriet à flumine, maiorem & à stagno quod in horto concluditur? Habet (dicit Bernardus) *mare hoc magnum, & spatiosum pisces mundos, & dominica dignos mensa, quia ex his qui in seculi latitudine habitu actuque versantur, reliquit sibi multa millia quos Apostolica sagena trahit, vt cum educta fuerit segregentur à malis. Habet, & flumen pisces mundos quicumque inter dispensatores fideles inueniuntur. Fluuius quidem est Pradicatorum Ordo non in eodem permanens loco, sed excedens se, & currens, vt diuersas irriget terras. Sunt & in stagno mundi pisces qui in claustro Deo seruiunt in spiritu, & virtute. meritò siquidem stagnis monasteria comparantur. vbi quodammodo incarcerati, pisces euagandi non habent libertatem: quo videlicet parati sint semper ad epulas spiritales, dicentes singuli intra se. quando veniet qui me deferat? cunctis diebus quibus* nunc

In 1. Reg. c. 4.

Vide eundem hom. 46. in Ezech.

Serm. 35. in Cant.

Esa. c. 56. vide 161. Forerium.

Psal. 43. Rom. 9.

Esa. 23.

In Moral. li. 11. c. 25. ijs verbis & mare loquitur.

Serm. 1. de S. And.

nūc milito expecto donec veniat immutatio mea? an non respectiue plures à flumine, & stagno segregabuntur à malis ? *singuli* (ait Bernard.) *in mensa Dei apponi expectant*, [*vt saluandorum maior denotetur numerus.*] Solus Vindicianus calculatoris dictum firmat vt putridorum, & eijciendorum è sagena in fine secli copiosior sit multitudo religiosorum, vt lætitia magnificanda non sit ob multitudinem perditorum.

VIND. Aliud subinfert Vindicianus à columba positum dictum, nempè *inde nata scandala grauia, multiplicia, omnibus nota.*

TVRT. *Eph.* 85. *Error* (dicebat Bernard.) *humanæ mentis est, non modo bonum putare malum, & malum bonum, aut verum falsum, & è conuerso, sed etiam vera recipere pro dubijs, dubia pro certis.* edisserant aculeati censores, si proprio sensu, scientia, vel reorum confessione, tantam multitudinem scandalorum, & vberem segetem peccatorum grauissimorum, quæ & omnibus nota pronunciantur. an vero ex aliorum relatione, & rumore didicerint. an sicarios, adu[lteros], sepulchrorum effossores venificos sunt comitati, vel dum delicta narrabantur adfuerunt, cur non reprehenderunt ? cur ad crimina pronum non retardarunt: an ex scriptis iudicialibus id probabunt? Si in quascumque regularium omnium delinquentium informationes in tribunalibus scriptas oculos liceret inijcere, vel sontium indiculus formaretur, in infinitum paucissima, quæ eos numerosissima asseruntur delicta, inuenirentur luceque clarius multò plura exaggerata crimina per orbem, inania, & commentitia deprehenderentur. Si ex fama id pronunciatum est, *fama* dicebat Tertull. *incerti est, locum non habet, vbi certum. an vero fama credat nisi inconsideratus? quia sapiens non credit incerto. ab vno enim aliquando principe*, ait idem *exorta necesse est exire in traduces linguarum &c. ita medici seminis vitium cætera rumoris obscurat, vt nemo recogitet ne primum mendacium seminauerit, quod sæpe fit, aut ingenio æmulationis, aut arbitrio suspicionis, aut non noua, sed ingenita quibusdam mentiendi voluptate.* (*In Apol. c.* 6.) Quomodo ergo nota omnibus certo affirmantur, quæ affirmanti non sunt nota? qua fiducia hoc apertè declamatur, cū non cōstet an talia sint, vt taliter declametur? & si contra declamandum esset, declamandi modus seruari debuisset, vt non in specie, sed in genere delicta, non cū specificatione grauitatis, multiplicatis, notorietatis ferirentur. *Sapienter*, S. Greg. ait, *cū generaliter contra culpam inuectio intenditur correptionis verbū, libēter ad mentem ducitur, quia potens prauus ignorat quod hoc sibi specialiter dicatur &c. vnde fit plerumque, vt eo vehementius perpetratā culpam lugeat, quo reatum suum, & cū se percussum sentiat, nesciri putat.* (13. *Mor. c.* 3.) Et licet vt ibidē notat Gregor. in publicis, & manifestis publica sic adhibenda correptio, delectus habendus est Prælatorū, & Religiosorum, ne si vita eorū despiciatur, prędicatio cōtemnatur. *An nescis*, ait Chrysost. *fulgidam Christiani vitam vsquequaque lucere debere, & eū qui suam gloriam fœdat vbique postea inutilem, & nihil magnum lucrari posse etiā si fortunatus sit?* (*Tom.* 5. *ser contra cōcubinarios.*) multo magis id debetur religiosis, & Prædicatoribus, vnde idē subdit *nā si sal infatuatū fuerit, dicit, ad quid valebit vltra?* & postea *sal enim hos esse vult & lumē, & fermentū Deus, vt & alij à nobis vtilitatē accipiāt. Quod si illis dāno simus, nō vndequaque rei erimus? Nā sicut qui peruersam agit vitam nunquam saluatur, ita neque qui seipsum ignominia aspergit pœnam effugere poterit.* Fædatio autē fit (dicit postea Chrysost.) peccato scandali, & non propulsando obiecta scandala. *grande peccatum scandali*, ait Chrysost. *vt etiā si grauiter quis peccet, atque clam hoc faciat & neminem scandalizet minorem dabit pœnam, quam qui leuiter peccauit, idque imprudenter cum multorum scandalo*, & exemplificat de Moyse, qui non semel contradixit

Deo

Vulturinam cōditionem ineptissimè Turturi adaptatam, illius enim metaphora ad hæredipetas translata est, quod senibus orbis seu cadaueribus inhient vnde Seneca ep. 25. & 65. scripsit. *Si Vultur es*, cadauer expecta: & Martialis lib. 6.

Amisit Pater vnicum Silanus
Cessas mittere munera Oppiane.
Heu crudele nefas malaq; Parcæ,
Cuius Vulturis hoc erit cadauer?

Et quas hæreditates cū tuis Hugonosticis non inuasisti? Si scias Turturem biduo, vel triduo, vel ante illuc præuolasse vbi cadauera sunt futura, allusio ex illa litterarum mutatione satis concinna, dum Turturem in Vulturem commutasti: sin autem, insulsa satis, ex altero obijcere quæ obijcientem redarguunt. Sit alterius conditionis Vulturinæ imitator Vindicianus, quod Vultur fruges non attingit, nullum animal, & si imbelle occidit, vel insectatur, tantummodo quæ sponte interierunt, vel ab alijs relicta sunt cadauera (exceptis sui generis auibus) depascitur. hoc est, Vindicianus fruges & vineas florentium religionum non vastet, vina non carpat, & si mortuus depascitur, sui saltem (vt astutè, & falsò fingit) generis, cadaueribus illæsis, nec insideat.

VIND. Alterum telum aduersus Turturē contorquet Vindicianus, quod, *promittendo singultum, & exultationem athleticus processerit, medio in luctu pugnans, vellicans expugnans, deplumans & deartuans Bellarmini columbā. Quis à Turture clasicum expectasset?*

TVRT. Est id mutorum animalium proprium pugnare, pungere &c. *quia enim* ait *Lactantius sapientia carent, conciliatricem videmus sui esse naturam, nocēt enim alijs, vt sibi prosint, nesciūt enim quia malum est nocere: hinc etiam* (ex eodē) *insidiantur alijs, & dolo capiunt, vt deuorent, aliorumque insidias vario genere eludunt.* Ipsæ mitissimæ columbæ in granis eligendis certant, propulsant zelotypi alienos procos, in miluos gallina tuendo filios insurgit. & apparatu bellico pennis tētoria figit, ijsdem, & rostro inimicos exagitat. Homo vero, qui scientiam boni, ac mali habet se abstinet à nocendo, & cum incōmodo suo, quod animal irrationale præstare non potest, solum tunc homini acies instruere licet, cum pro patria, publico bono, authoritate tamen publica, & ex officio hostes necesse est propulsare. Hinc fortitudo bellica in Sanctis quoque fuit commendabilis, & Summam ex Ambrosio retulere gloriam, nunquam tamen, ex eodē, incomitata processit. *Nunquam enim Dauid nisi lacessitus bellū intulit, & prudentiā fortitudinis comitē habuit in prælio. Neq; enim* (ait idē S.) *inferenda, sed depellenda iniuria lex virtutis est qui enim non repellit à socio iniuriā si potest, tam est in vitio, quàm ille qui facit. Vnde S. Moyses hinc primus orsus est tentamenta bellicæ fortitudinis. Nam cum vidisset Hebræum ab Aegyptio iniuriam accipientem defendit, ita vt Aegyptium sterneret, atq; in arena absconderet. Salomon quoque ait, eripe eum qui ducitur ad mortem. Iob quoque saluum fecit pauperem de manu potentis, & pupillum cui non erat adiutor.* Porrò multiplicia bella sunt quæ inferuntur vel propulsantur ex Chrysost. *Vnum commune cum nostri aduersus barbaros pugnant. Secūdum cum pacis tempore nos inuicem oppugnamus. Tertium cum vnusquisque aduersum se bella, seditionesque concitat, verbi gratia ira, inuidia* [*vt ibidem exemplificat*] *Primum nihil ferè* (ait Sanctus) *nos lædere potest, nam si corpora trucident Barbari, nullum animabus periculum imminet. Secundum belli genus si velimus, nec nocere potest, alijs enim pugnantibus pacifici esse possumus, Propheta dicente: Cum his qui oderunt pacem eram pacificus. Tertium formidabile quod mortem sempiternam parit, vnde & Iacobus: vnde bella, & lites in vobis, nonne ex concupiscentijs vestris? aduersus quas paßiones propugnare eximia fortitudo est*, ait Ambros. In secundo autem belli genere, distinguendū est

Marginalia: *Lib. 5. Inst. c. 18.* — *1. off. c. 35.* — *Cap. 36.* — *Hom. 7 in 1. Timot. 2* — *Ex S. Tho. 2. 2. q. 72. a. 3.*

est quod pertinet ad priuatam iniuriã, ab eo quod publicum concernit bonum, priuatas enim detractiones, vel contumelias sufferre tenemur in præparatione animi, *si expediens fuerit*, & si moderatè reprimenda sit conuiciantis audacia, sic fiat propter officium charitatis, id est bonum contumeliosi. tunc enim habet locum, *responde stulto iuxta stultitiam suam*, non propter cupiditatẽ honoris, & sic habet locum quod dicitur *ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam.*

Prou. 26. Quando vero publica, & contumeliosa est detractio, omnino propulsanda est, siue sit materialis, siue formalis, nam (ex S. Doctore loc. cit.) multorum *profectus impeditur*

Ibidem. *propter contumelias nobis illatas.* Vnde S. Gregor. ait. *Hi quorum vita in exemplo imitationis*

Hom. 9. in Ezech. *est posita, debent si possunt detrahentium sibi verba compescere, ne eorum prædicationem non audiant qui audire poterant, & ita in prauis moribus remanentes, bene contemnere viuant.* Talis autem repulsio iusti belli rationem habet, & fortitudinis actus est elicitus, & à charitate imperatus. Vnde Bern. custodes Ecclesiæ (qui sunt Pastores, & Doctores) al-

Serm. 77. loquens in Cant. sic dicit. *Amice ad quid venisti (ni fallor ad solam custodiam ciuitatis, vt quantum satis est procuretur, opus est viro forti, spirituali, fideli, forti ad propulsandas iniurias, spirituali ad deprehendendas insidias: fideli qui non quæ sua sunt quærat.*

Opusc. 19. ca. 19. Et ex his doctrinis Angelicus Doctor docuit quod *si in spiritualibus Religiosi quo ad religionem, vel statum impugnentur*, TOTIS VIRIBVS RESISTENDVM, *& præcipuè in illis in quibus non solum sibi, sed & alijs prosunt, quia cum religionis statum non assumant nisi vt spiritualibus vacent per huiusmodi impugnationem, perfectionis propositum impeditur.* Et obsistere detrahentibus (ait ibidem S. Thomas) *est officium charitatis. ad quam pertinet conterere molas iniqui, & de dentibus auferre prædam, item eruere eos qui ducuntur ad mor-*

Iob 29. *tem, & si vnusquisque*, ait idem Sanctus, *tenetur ad implenda officia charitatis, illis magis exhibenda* subdit *qui sunt nobis magis coniuncti*, cumque ait *magis coniuncti sint religioso alicui fratres suæ religionis, debet secundum charitatem resistere illis, qui fratres religionis suæ nituntur opprimere.* Hæc ex S. Doctore. Est quoque actus iustitiæ eadem defensio, quam S. Gregorij authoritate sigillamus; exponens enim ea verba Iob *in occursum pergit arma-* *Cap. 39.* *tis*, sic inquit: *Plerumque quieti, atque inconcussi relinquimur, si obuiare prauis, pro iustitia non curamus: sed si ad æternæ vitæ desiderium animus exarsit, si verum lumen intrinsecus respi-* *Greg. ibid. relatus etia à S. Th.* *cit, si in se flammam sancti feruoris accendit, inquantum locus admittit, in quantum causa exigit, debemus pro defensione iustitiæ nosmetipsos obijcere, & peruersis ad iniusta erumpentibus, etiam cum ab his non quatimur, obuiare. Nam cum iustitiam quam nos amamus in alijs feriunt, nos nihilominus sua percussione confodiũt, etiamsi venerari videantur.* Et subdit S. Tho. *ex quo patet quod perfecti viri debent se vltrò ingerere ad aliorum iniurias repellendas etiam non prouocati*, multo magis prouocatis in ijs quæ ad religionum, maximè propriæ, defensionem pertinent, elaborandum & cõtrarijs obsistendum. Quid mirum si sentiens Turtur suam S. Dominici in specie occasione gemitus columbini ab incautis cum alijs religionibus SS. Benedicti, Francisci &c. materiali saltem detractione proscindi, in occursum perrexerit armatis, & indutus lorica iustitię sicut vestimẽto, charitate præeunte, fortitudine comite, ad propulsandas religiosorum iniurias elaborarit?

Et an vno tantummodo elaboratum? videat lector & ferat iudicium. At id vitio tribuit Grauinæ Vindicianus alterum spiculum contorquens.

Quodammodo pugnat Turtur? modo fictè laudat, modo grauius ferit, iam sublimis extollitur, repente in cœno volutatur. VIND.

In gloriam Turturis cedit grauius ferire, attol-

attolli, deprimi (adulatione ablegata quæ
TVRT. imponitur) Turtur amœnissimus tempore reuelatæ gratiæ Paulus erat, & nihilominus classicos vult esse Pastores, & Do-
Tim.2.c.2 ctores. *Seruum Dei non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes; doctorem, patientem, cum modestia corripientem eos qui resistunt veritati.* & omnibus omnia fieri: suo præibat exemplo, *omnia omnibus factus sum; omnes in*
Hom. 3. de laud. Pauli. *regnum Dei festinabat inducere* ait idem Chrysostomus, *dicendo, pollicendo, meditando &c. terrēdo verbo epistolis &c. conabatur erigere labantes, humi iacentes attollere, sanare contritos, torpentes oleo exhortationis animare, inimicis insonare terribiliter, hostes minaciter intueri, more optimi medici artis suæ instrumenta gestantis protector ipse bellantium*] an ex huiusmodi stylo & varietate culpandus Apostolus, qui armatus, & Panario instructus varijs bellandi instrumentis, & medicamentis pro animarū medela vtebatur? immerito ergo ex hac varietate dicis[*Grauinæ tot honorum gradibus sublime nomen, pro hedera operi malè concinnato impositum fuisse, & alium inferioris notæ scriptorem libellum capitaq; compilasse, &* [subdis] *quicquid demum contigerit grauem ex S. Hieronym. querelam pro Cardinal. Illustriss. Bellarm. deponere compellor, scribi contra se ac simul occultari, vt facultatem respondendi auferant. Nouum* inquit *malitiæ genus est accusare quod prodi timeas, scribere quod occultes. Si verba Bellarmino obiciuntur, cur eo viuente non prodierūt? si falsa, cur vel post obitū eius in lucem sparguntur? Maluissem Anonymum ludicri istius Turturis authorem in conspectu habere. sed quia Grauina suum nomen supposuit, pro altero quoque perferet quod S. Ambros. sapienter monuit. Quantumlibet quisque profecerit, nemo est qui doceri non egeat, dum viuit.*]

TVRT. Coronandus Turtur potius (si corruptibilem coronam affectare fas esset) lauro, myrto, & olea, & illustriori quaque frō-
De coro. militis c.13 de, & quod magis vsui, est cētenarijs quoque rosis ex horto Midæ lectis; at *hæ pompæ Diaboli* (dicebat Tertull.) *officia sæculi, honores, humana seruitia, laudes humanæ, gloriæ turpes. Si corona æmulanda, spinea capitis nostri æmulanda est, tale caput et rependendum quale nobis exhibuit, vel ne floribus coronemur, si spinis non possumus, quia non floribus possumus.* Sunt spinarum certæ puncturæ, dum suppositiuum partum Turturi suppositum, & Grauinæ nomine tāquam hedera coronatum Vindicianus imponit, dum etiam malitiæ adscribit Turturis euulgationem postquā Bellarmino parentatū est: his lancinari patitur Turtur, vt coronetur, etiamsi ad sui operis probationem testium nubem habeat ne dum domesticorum, sed extraneorum, & pro dilatione habeat rationabiles causas, tum quia iam viuente Bellarm. à à Patre Magistro Petro Caluo Prouinciæ Lusitaniæ, & à Reuerendissimo Domino Episcopo Monopolitano gemitibus columbinis responsum erat, tum etiam, ex eodem Hieronym. altera ep. ad Pammachium, *Christiani pudoris est etiam apud amicos tacere, & humilitatem suam magis silentio commendari, quam respondendo, veteres amicitias ambitionemq; incurrere:* coactus Turtur tandem, iam pridem elaboratum opus (viuente Bellarmino) ad retundendas obloquētium voces) ob gemitus columbinos, & nouam impressionem vulgari lingua descriptam) censoribus etiam tradere, vt probaretur, & canonicè imprimeretur, interim, satis concessit Bellarminus, probatum tandem opus lucem aspexit à Grauina editum vsque ad vltimum iota.

Tuum Vindiciane malitiæ genus est accusare quod prodi timeas, scribere quod occultas; tibi adaptari quoque possunt sequentia Hieronymiana. *Neque enim magnopere formidandi, sunt quos auctor suus prodere timuit*, & tantum legendos esse decreuit à suæ partis hominibus. Tunc (manifestante se authore) iure tibi cum eodem Hieronymo dicere poterit Grauina, *cognoscam crimina,*

mina, aut diluam, aut in accusatorem quæ sunt obiecta retorquebo, & ostendam quod hucusque silentium modestiæ fuerit, non malæ conscientiæ. Interim apud tacitum Lectoris iudicium purgatum me esse volui, & grauissimum inter amicos crimen refellere, ne prior læsisse videar, qui & vulneratus nequaquam contra persecutorem tela direxi, sed meo vulneri tantum admoui manum, quem obsecro vt absque præiudicio culpam in eum referat, qui lacessiuit. Interim tacente Grauina, insultante Vindiciano, ferulam insultans subeat, & proficiat flagris, qui noluit Doctorum erudiri documentis.

CAPITIS TERTII ANIMADVERSIO.

Vbi, qua mente Cardinalis Bellarminus columbæ gemitus induxerit, non sine aliorum & ipsius Cardinalis præiudicio, temerè Vindicianus & sinistre obgannit.

CVm propositum columbini gemitus Vindicianus aperuisset, & partitionẽ, seu segregationem prauorum membrorum à bonis retulisset, commendat gementem columbam, dicens, quod *vbi meliora membra à deterioribus segregasset, & priorum encomia absoluisset, posteriora non potuit calculo candido notare.* VIND.

TVRT. Optima, & opportuna partitio fuisset, si à toto genere desumpta fuisset, & hoc tempore proficere potuisset. Sed dum non de omnibus fit ista diuisio deteriorum, & meliorum in vnaquaque congregatione dispersorum, vt massa quædam purior segregetur, ex partiali hac segregatione, ista purior cæteris quibus præfertur argui posset. Nullam oblationem cũ fermento fieri mandauit Dominus. Est enim, dicebat Philo. *Difficile inanes tumores animæ consecrare;* quemadmodum fermenti proprietas est massam inflandi, & corrumpendi, ita & inanis illa iactantia, qua quis melior prædicatur inflat cor, totum corrumpit hominem: *modicum fermentum* dicebat Apostolus *totam massam corrumpit.* Ipsa natura Angelica id in inflato Apostata illo experta est; perdidit enim sapientiam in decore suo, dum sua pulchritudine captus, etiam diuinum solium affectauit. Pharisæi non sicut cæteros se existimabant, qui adeo inflati incedebant, vt cum nomine res concordaret, & ab omnibus se diuisos existimabant, & supereminentibus titulis dignos; ad quos cauendos illud Christus Dominus inculcauit. *Intuemini, & cauete à fermento Pharisæorum quod est hypochrisis.* Puros se existimabant Donatistæ, & propter paucos codicum traditores, persecutionis tempore, orthodoxiam ferè totam insimulabant, & vocabant speluncam latronum. Sed ampullosam istam superbiam sic. S. Aug. retundebat ostendendo traditores plures fuisse in parte Donati, *si & traditorum vocabula cupis addiscere, habes vestros Syluanum Circensem, Felicem curatori sacramenta tradentem; Habes Marianum ab aquis Tibilitanis Romano curatori tres codices offerentem: Habes Victorem Rusiuaziensem quatuor Euangelia velut deletitia comburentem, qui Cæcilianum absentem damnare ausi sunt innocentem. Hæc est spelunca latronum, hæc progenies traditorum, hæc mulier fornicaria, quæ relicto Christo, Donato prostituit lupanaria, cuius domus iuxta Salomonem secessus est mortis, cuius viæ sunt inferorum, quæ se mundam vocat, cum sit sordibus plena, quæ se innocentem clamat, cum sit sceleribus irretita, quæ pudenda committit, & facta sua in alteram dicit, ne prior audiat quæ commisit, de factis enim vestris Catholicos infamatis, vt populos à Domino separetis.* Non licuit Vindiciane tibi sic mentem Eminentissimi interpretari, illique imponere quasi optimorum consortium in vno quasi loco separatum demonstrarit, & ab hoc discretos atro lapillo signarit, in promptu enim August. Authoritate in te tua tela conuerti possent, & si vniuersus religionum cœtus

Leu. 11. *Lib. de cõgress.* *1. Cor. c. 5.* *Matt. 16.* *Lib. contra Fulg. Donat.*

quondam asseritur florens, nunc verò degenerans à te mordicus defenditur, florida semper existente puriori massa, vel quod deplorandus sit omnis ordo, & præsertim SS. Benedicti Dominici, Francisci, à parte illa, quæ tota viuum membrum asseritur; impurior reputata portio exiccata, & deplorata, illud quod in simili causa Fulgentio August. respondit, vsurpare posset à te ignominiosè discreta. Donatista dicebat. *Recede à me non appropinques mihi, quia immundus es*, cui Augustinus ex persona cath. respondebat; *tua non timeo crimina, quia mea munita est conscientia. Quem dicis tradidisse, nomen, locumque traditoris ostende, numquam id valebis ostendere sicut nec antea valuisti. Sed & si aliquem protuleris, mihi obesse non poterit dicente Domino, anima quæ peccauerit, sola morietur*; & iterũ Donatistis argumentibus. *Illi* [*nempe Cæcilianus, & alij Catholici*] *codices Dominicos ignibus tradiderunt, &c. persecutionem fecerũt, & vos eis in omnibus consensistis* (ecce crimina obiecta traditionis, thurificationis, iniustæ persecutionis) quid Augustin. respondit? *breuiter* (ait) *respõdeo* (quod sæpe respondi) *aut falsa dicitis, aut si vera sunt, non ad frumenta Christi, sed ad eorum paleam pertinent ista quæ dicitis. Nõ inde perit Ecclesia quæ optimo iudicio ventilata istorum omnium separatione purgabitur. Ego ipsam Ecclesiam requiro vbi sit, quæ audiendo verba Christi, & faciendo ædificat supra petram, & audiendo, & faciendo tolerat eos qui audiendo, & non faciendo ædificant super arenam; Vbi sit triticum quod inter zizania crescit vsque ad messem, non quod fecerint, vel faciant ipsa zizania. Vbi sit proxima Christi in medio filiorum malorum, sicut lilium in medio spinarum; non quid fecerint, vel faciant ipsæ spinæ. Vbi sint pisces boni qui donec ad littus perueniant, tolerent pisces malos pariter irretitos, non quid fecerint, vel faciant ipsi pisces mali*, & tres canones August. ingenio suo dignos ad Donatistarum ora oppilanda proponit dicens.

Lib. de vnit. Eccles. c.16.

I. Proinde remoueantur omnes moratoria tergiuersationes. Quicquid de peccatis hominum falsum obijcitur, conueniatur conscientia, & non obijciatur.

II. Quicquid de peccatis hominum etiam verum obijcitur, vel probari non potest, vel cum debuit probari non potuit, non obijciatur.

III. Quicquid de peccatis hominum & verum, & probatum obijcitur, nec tamen ad frumenta, quæ inter paleam latent, sed in ipsam paleam, quæ in fine separabitur pertinet, non obijciatur. Siuè ergo falsa, siuè vera crimina obiecta religiosis malis, quibus ordines corrupti planguntur, religio quærenda, commendanda, & locus, & status encomijs celebrandus, videlicet quod sit Dei specialis domus; ager vel hortus deliciarũ Domini; portio Apostolicis retibus dotata; non discernendi, & seiungendi auditores tantum verbi à factoribus eiusdem verbi, non quid fecerint, vel faciant zizania, non quid fecerint, vel quid faciant spinæ, non quid fecerint, vel faciant pisces mali.

Inopportuna quoque discretio ista ac distinctio demonstratur hoc tempore, cum ab hæreticis ne dum religionum defectus in canticum vertantur, sed & status religiosus proscinditur, vnde mutata temporis causa, etiamsi recta facta esset illa partitio, id inconcinnè factum nunc esse, quod rectè ante factum iudicari potuisset. Sapienter Aug. distinxit in pulchrũ & aptum. *Pulchrum enim per se ipsum consideratur; atque laudatur, cui turpe, ac deforme contrarium est. Aptum vero cui ex aduerso est ineptum, quasi religatum pendet aliunde, nec ex semetipso, sed ex eo cui connectitur iudicatur; nimirum etiam decens atque indecens vel hoc idem est vel perinde habetur.* Quare inter cætera, præcepta à Præsulibus seruanda in diuinorum eloquiorum, & etiam in correctione morum à magno Nazianz. illud est traditum, vt, *quando, & coram quibus loqui oportet,* atten-

Ep. 5.

Orat. 1. de Theol.

attendamus, ne mediocritatis fines excedamus. Per se enim bona perdunt aliquando boni gratiam, quia tractantur non benè, non aliter atque hyeme intempestiui sunt flores, nec mulieribus virilis, nec viris muliebris ornatus cōuenit, nec luctui musica, nec conuiuio lachryma. Quare eo nomine etiam celebris Basilius ab eodem Gregor. habitus, quod *disponeret sermones suos in iudicio, iuxta* Dauidis regulas, *locorum, & personarum, & temporis ratione seruata.* Quid dices Vindiciane? Turturem Panarium afferentem criminaberis, vt fecisti superius? At tu tui patentis Panario abuteris, vt inopportunè vinum, vel edax aliud medicamentum lapsis, vt fingis, ordinibus sit imponendum non sic faciebat, ex eodem August. magnus suorum temporum medicus Vindicianus: *Consultus enim à quodam, dolori eius adhiberi iussit medicamentum quod in tempore congruere videbatur, adhibitum sanitas consecuta est. Deinde post annos aliquot eadem rursus corporis causa commotus, hoc idem ille putauit adhibendum, adhibitum vertit in peius. Miratus currit ad medicū, indicat factū, at ille vt erat acerrimus ita respondit: Ideo male acceptus es, quia non ego iussi, vt omnes qui audissent parumque hominem nossent, non eum arte medicinali fidere, sed nescio qua illicita potentia putarent. Vnde cum esset à quibus poterat stupentibus interrogatus, aperuit quod non intellexerant, videlicet illi ætati iam non hoc se fuisse iussurum.* Solus nouus Vindicianus chirurgus (si non barbitonsor) à magno Vindiciano degenerans, indifferenter nobis non seruata ætatis & temporis ratione, probare videtur, & Bellarminum fictè laudat *quod non potuit valde nitido calamo posteriora donare.*

Orat. in fun. Basily

Epist. 3.

VIND. At non semel (ait inferius nouus Vindicianus) *id præstitit Hieronym. ep. ad Onasum, vbi in nummarios inuehitur Sacerdotes &c. ep. ad Heliodorum, in imperfectos Dei famulos inuehitur,* & subdit: Magnus enim Doctor Hieronym. *Sapientiam quasi inter perfectiores locuturus, etiam liberiorem in vita improborum linguam assumpsit, eadem ergo causa Bellarminum apud Grauinam absoluere debet.*

TVRT. Proculdubio absolueret, si eadem causa recurreret; si non religiosi determinatè nominati essent Benedictini, Franciscani, Dominicani, in specie, vt alij omnes in genere; si apud perfectos fuissent reprehensi, & non etiam apud fæmellas diuulgati libelli vernacula lingua vt ab omnibus intelligerentur; si etiam canibus non obiectæ margaritæ nam vsque ad remotos ab orbe Britannos peruolasse libellus describitur, sub ceruicali Iacobi Regis repositus, de quo ferunt eius lectione delectatum, vt delicatius in errore permaneret, qui non ex fide personas, sed ex personis fidem metiebatur. Quanto laudabilius vnione hæc signata essent, & meliori notata lapillo? At tu Vindiciane dum non potuisse valde *nitido calculo donari* asseris; tu quoque ex Persio.

In vita Bellarm.

> *Quæque sequenda forent, & quæ vitanda vicissim.*
>
> *Illa prius creta, mox hæc carbone notasti.*

At niger nigro potius voluit calculo designari, sed si

> *Hic niger est, hunc tu Romane caueto.*

Nec dubitandum si Vindicianam emphasim præuidisset vt pius censor, calculum reduxisset, vel opellam, vt dicitur, ad calculos reuocasset. Saltem ergo ad illos reuertamur calculos qui omissi, nimirum ad gloriosiora, & sublimiora consilia adhiberi solitos vel si mauis in vtraque lance vtrinque dicta expendantur velut calculi, vt an atro, vel albo lapillo sint ordines sacri denotandi iudicetur. Hæc ergo ponit in hac lance Vindicianus ex assertione columbæ, *Primum regulares multiplicari cœpisse sine numero. Secundum multos non à Deo, sed alijs rationibus ductos monasteria repleuisse. Tertium illud proinde Esaiæ impletum: multiplicasti gentem, non magnificasti*

VIND.

lætitiam, Quartum. Inde nata scandala esse grauia, multiplicia, omnibus nota. Quintũ quæ proinde vberem columbæ gemendi materiam præbeant, vt relaxationem adeoque corruptionem religiosorum ordinum deplorandi. Sextum. Neque negari posse quin magna in quibusdam ordinibus multitudo relaxatorum inueniatur: & fortasse nostris temporibus impleri quod S. Pachomij tempore contigit vaticinium, nonnullos regularium piè victuros, plurimos regulam neglecturos suamque penitus salutem perdituros esse. Hæc Bellarminus (ait Vindicianus) *adhibito etiam S. Francisci visu in modum statuæ Nabuchodonosoris, quorum singula* (subdit Vindicianus) *Grauinæ animo vsque adeo ægra fuerunt, vt totis viribus refellenda putauerit perinde ac si à circulatore quopiam, aut liuido regularium æmulo inter infames tibias & Sibariticas dapes decantata fuissent; atqui meminisse oportebat qui hæc manu sua exarauit, illum ipsum esse purpuratum principem quem Grauina suspexit, & laudibus extulit* &c. & subdit. *Quomodo nunc tantus Bellarmini laudator repente animo linqui potuit, vt de tot virtutum, & doctrinæ gemmis exculto pectore crederet parum considerasse, ac digessisse quæ publico foro commissa vellet?*

TVRT. Primum expendamus exposita lance. Multiplicari cœpisse religiosos sine numero non diffitetur Turtur, & modus prudentialis desideratur, nam cũ plurium difficilior gubernatio sit quam paucorũ, multitudo posset tepiditatem parere, nisi Sanctissimis Legibus occurratur. Sed cum nostris temporibus illud impleatur. *Dilata tẽtoria tua, extende funiculos tuos, semen enim tuũ hæreditabit gentes, & ciuitates, quæ desertæ erant inhabitabis*, & nunc vberius quam tempore Prosperi, videatur quod idem scripsit S. Prosper: *ex omni gente, ex omni conditione adoptãtur quotidie millia senum, millia iuuenum, millia paruulorũ, & effectibus gratiæ etiam ipsa quibus mundus atteritur, arma famulantur, vt in tanta multitudine conuertendorũ messis multa sit, operarij autem pauci*. In ipsis quoque fidelium populus in fide conseruandis, spirituali Sacramentorum pabulo alẽdis, nec sufficit vastissima religiosorum omnium multitudo. Quod si illud mirabile est (ex Prospero eodem loco) quod *ex diuina prouidentia, discordia ad vnitatem trahunt, & plagæ in remedia vertuntur, & Ecclesia vnde metuit periculum sumat argumentum*, nõ officiet multitudo Ecclesiasticæ vnitati, & paci, & qui ex parte materiæ, ex multitudine defectus nascerentur, ex maiorum bonorum fructu, & vtilitate compensarentur. Quis Ecclesiam Catholicam criminabitur ex superexcedẽti fideliũ numero? & nihilominus hoc ipsum prædicat Propheta, & inter mirabilia Dei recẽset, quod *multiplicati sint* valdè. *Annunciaui, ait, & locutus sum, multiplicati sunt super numerum*. Et cætera. *Est numerus, sunt super numerum* ait Aug. ibidem. *Numerus certus est pertinens ad illam cœlestem Hierusalem; nouit Dominus qui sunt eius, Christianos timentes, Christianos præcepta seruantes, Dei vias ambulantes, à peccatis abstinentes, si ceciderint confitentes, ipsi ad numerum pertinent. Sed nunquid soli sunt? sunt & super numerum, nam & si modo pauci sunt, pauci in comparatione multitudinis malorum frequentiorum, quantis turbis implentur Ecclesiæ, stipantur parietes, pressuris se vrgent, propè se suffocant multitudine &c. quanti fideles agglomerantur, quanta turba concurrunt, multi verè, & multi falsò conuersi; & pauciores sunt verè conuersi, plures falso conuersi, quia multiplicati sunt super numerum*. Talis ergo est Ecclesia ait idem Augustin. *de cuius paucitate dicitur in comparatione multorum malorum, quia angusta, & arcta via est quæ ducit ad vitam, & rursus ipsa est de cuius multitudine dicitur: sic erit semen tuum sicut stella cœli, & sicut arena maris, ijdem quippe fideles sancti, & boni, & in comparatione plurimorum malorum pauci sunt, & per se ipsi multi sunt: quia multi filij desertæ, magis*

De vocat Gent. lib. 2 cap. 10.

Ps. 39. Au. ibidem.

Ep. 48.

magis quam eius quæ habet virum, & multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent &c. & multa millia quæ numerare nemo potest videntur in Apocalyp. Ipsa est, quæ aliquando obscuratur, & tanquam obnubilatur multitudine scandalorum &c. Sed etiam tunc in suis firmissimis eminet & si aliqua in his verbis diuinis distributio facienda est, fortasse non frustra dictum est de semine Abrahæ: sicut stella cœli, & sicut arena, quæ est ad oram maris, vt in stellis cœli pauciores, firmiores, clarioresque intelligantur, in arena autem maritimi littoris magna multitudo infirmorum atque carnalium. Non ergo (in simili arguendo in nostro proposito) multitudo religiosorum impetenda, & si sint multi imperfecti, qui licet excederent sicut arena maris stellas cœli, adhuc pauciores, firmiores, clariores, perfecti apparebunt; qui non pauci absolutè, sed comparatiuè pauci essent, & cum multi sint, in merito, non pauci, sed paucissimi piè viuentes, vel victuri in religione pronunciantur.

VIND. *Multos quoque non à Deo vocatos, sed alio fine religionem intrasse*, commemorat Vindicianus ex columbæ gemitu, *& est secundus calculus.*

TVRT. Dei attributum est quod spirituum sit ponderator, nec quis hominum corda, & fines quis perscrutari potest sine Dei dono, quod discretio spirituum ab Apostolo appellatur. Si id concessum fatetur Vindicianus, nonnullis cautis, discretis, exhibeat vrgentia probationum argumenta ad extorquendam fidem, difficile enim poterit suadere, eo spiritu dotatos Argi oculos habentes ad aliorum defectus intuendos, cum spiritus dona ad vtilitatem dentur, vt medela vulneribus apponatur, non quod passim cum nausea aperiantur. Quendam introducit S. August. non dissimilem Vindiciani Genio, qui bonis tantummodo se aggregare cupiebat, & à malis se separare, solitudinem aptam iudicauit, & cum paucis adiunctis socijs vitam transigere, sed etiam eum secuturum esse scandala didicit. rursus monasterium elegit vt cum solis bonis viueret, sed cum ei obijceretur malorum consortium, qui interdum monasteria ingrediuntur, vitare non posse, hanc politicam rationem, ex industria excogitauit. *cautus ero. nullum malum admittam*, ait August. *nullum hominem malum, nullum fratrem malum intrantem admissurus sum, cum paucis bonis bene mihi erit.* cui & August. *vbi cognoscis quem forte vis excludere? vt cognoscatur malus intus probandus est, & probari nisi intrauerit non potest? repelles omnes malos? dicis enim & nosti inspicere, omnes nudis cordibus ad te venient qui intraturi sunt? Ipsi se non nouerunt quanto minus tu? multi enim sibi promiserunt quod impleturi essent vitam illam sanctam in commune habentem omnia &c. missi sunt in fornacem, & crepuerunt. Quomodo ergo cognoscis eum qui sibi adhuc ignotus est? excludens malos fratres à conuentu bonorum, de corde tuo quisquis ista dicas, omnes malas cogitationes si potes à te exclude. Non intret in cor tuum vel mala suggestio. Non consentio inquit, sed intrauit tamen vt suggereretur. vnde autem intret quis nouit? &c. & pugnamus quotidiè in vno corde nostro. Vnus homo in corde suo cum turpa luctatur. suggerit auaritia, suggerit libido, suggerit voracitas, suggerit lætitia ista popularis, omnia suggeruntur, ab omnibus se continet. omnibus respondet, & ab omnibus auersatur, difficile est vt non aliqua feriatur.* Sic impossibile est subdolos, & malos cauere, quin intra septa Monasterij recipiantur. *In ps. 99 & 132.*

Sed aliud dictum in lance apponitur. *Religiosorum multitudini illud adaptari quod scriptum est in Esai. multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiam.* VIND.

Sensus quidē iste à Spiritu sancto præuisus, non prouisus, vt de religionibus dictum sit: multiplicasti cœnobia, & cœnobitas, & non magnificasti lætitiam, quia vel relaxati penitus ordines, vel penè corrupti. TVRT.

S. Hxam. c.10. *ficut enim vipera os, si quis calcauerit recens dumtaxat grauius quàm venenum nocere perhibetur, & immedicabile vulnus serpere, ita etiã Turtur aculeo suo mortua amplius, quam viua periculi afferre memoratur.* Cæterum *terrestris auis boni nuncia, & si non dulciter sonet, signat tamen dulcia* ait Bern. in Cant. ser. 59. *cuius in iugis montium, & in summitatibus arborum frequentior illi conuersatio est, vt si nunquam eam in viridi ramo residentem prospicias, tu ab eo discas voluptatum virentia velut virulenta deuitare.* Hoc præstitit Turtur non in atrijs, & palatijs principum degens, vt obijcit Vindicianus, sed in angusta cella inter sanctæ paupertatis angustias, florentem, & amœnum adhuc esse præsentem religionum statum occinendo, regulares omnium institutorum per solitudinem, abstinentiam, omniũ delectabilium mortificationem, patriæ cœlestis desiderium Turturis imaginem præseferre demonstrans, qui absque aliorum nota ingemiscunt ex præsentibus austeritatibus, vt cœlestis patrię suspirantes, *non sicut ij qui* vt dicit idem S. *pro patria abutentes exilio dederunt se comedere pinguia, & bibere mulsum.*

Nunquam vero Turtur nec incessum, vel alas mutauit tanquam auis discolor, vt lectoris spem, & solatia falleret, sed semper duo indefesse, & vniformiter in suo opere præstat, imperfectorum defectus gemendo, & ex perfectorum numero amœnitatem etiam nunc florentium omnium ordinum veraciter enunciando. Videat Vindicianus dum excusat tanti viri mentem, eo dolo vt pertinaci animositate religiosorum defectionem defendat, ne piũ zelum columbæ ostendat, & indiscretã defensionem parando, dum plusquam par est secundum se totum vnus excipitur & religiosorum cœtus reliquus tanquam corruptus deploratur, Diabolo condonetur, & pro particulari vnius affectu, generalẽ offensionem regularium ex omniũ læsione incurrat: agnoscatque non leue crimen cõmittere, roborando quę bona fide scripsit, (vt fatetur) author columbæ, & maiora scandala sciat structorem caueæ præparare contentiosè asserendo, quæ simplici corde eructauit anima pientissima, quãdo si ea suboritura aduertisset, vel non scripsisset, vel calamum temperasset, vel litura quod esse poterat offendiculo obliterasset. *Eiusdem* (dicebat Tertull.) *modum est figere, qui medum aliquando diffuderat, is colliget, qui sparsit, is cadet syluam qui plantauit, is metet segetem qui seminauit. Non tamen vt accusanda caditur sylua, nec vt damnanda secatur seges, sed vt tempori suo parens.* Lib. I. contra Marc. in fine.

CAPITIS SECVNDI ANIMADVERSIO.

Vbi Turturis vox, habitus, & natale solum infacetè à Vindiciano describuntur.

CVM Sylla non solum aperto Marte sed dolis bellum gereret, Garbo illud dixisse memoratur, quod *bellum gerens cũ Vulpe ac leone* (quorum vtrumq; in animo Syllæ habitabat) *à vulpe vehementius angeretur.* TVRT. Apud Plut. in vit. Sylla. Aperto Marte aduersus sacros ordines pugnaturus Vindicianus, vt leonis sæuitiã abscondat, astutè verecundiam simulat, cum tamen leoninam cũ vulpina consulto consuerit, vt quò non pertingeret leonina, vulpina malitia assequeretur. Ad pessundandos ergo sacros ordines se accingens, cõposito gradu, dimissis oculis, obtortis ceruicibus, genis pudore suffusis incedens, quasi silentium sibi imperans, verecundia pædagogo assistente, à congressu, retrahere pedem simulat, pro taciturnitate, Ecclesiasticum allegans, pro verecundia Ambrosium citans, vid. licet, *non esse multum loquendum, vt verecunda, principia progressum commendent:* ait enim, *Vt minus cordatè cum* VIND. *Grauina congrediar, illud Sapientis adhuc absterret in medio Magnatorum non præsumas: & vbi sunt senes non multum loquaris, vt verecunda*

cunda principia processum commendent, ex Ambros.

TVRT. Verum, ne vtriusque documenta seruauit, *Pulchra* ait Ambros. eo loco quem alleg. *virtus verecundiæ & suauis gratia, quæ non solum in factis, sed etiã in ipsis spectatur sermonibus, ne modum progrediaris loquendi, ne quid indecorum sermo resonet tuus. Speculum enim mẽtis plerumque in verbis refulget, ipsum sonum vocis libret modestia, ne cuiusquam offendat aurem vox fortior.* Aggreditur mox Turturem & primo eius titulis, professoris S. Theol. in vniuersitate Regia, Cur. Episcop. Theol. Sancti Officij cõsiliarij illudit.

Loff. c. 18.

VIND. *Depone*, ait, *quæso dona Fortunæ & Fautorum liberalitate concessa ornamenta ne quasi Pomparum fercula, & nutantium statuarũ motus imiteris. Verum mihi togam exhibe quam in dedicatoria ad Illustr. Card. de Cremona designasti albam tunicam nigredine variegatam, quam æque Angelicam vtpote cælitus S. Fundatori vestro monstratam appellites.*

TVRT. An tituli isti Vindiciano displicent, & cum Prædicatoria toga non cohærent? displicuerunt quondam Wiclepho ecclesiastici honores, qui etiam doctoratus Theologici gradum *Gentilitia introductum superstitione* in Ecclesiam calumniabatur, reclamante scriptura. *erant autem in Ecclesia, quæ erat Antiochia Prophetæ, & Doctores*, & perpetua consuetudine à temporibus Apostolorum vnumquodque seculum Doctoribus claruisse attestante. sed si non displicent honores in se, sed eorundem in hoc subiecto, cõiunctio, quàm sit id irrationabile res ipsa loquitur. Antiquitus enim Helisæus in concreto Patrem vocauit Eliam id est Magistrum (Hieronym. interprete) quo titulo Iob Eliphaz Themanitẽ *patrẽ hoc est magistrum* (ex eodem) cohonestauit; ipse quoque Christus Dominus magisterij elogio Nicodemum non spoliauit, cũ protulit: *Tu es magister in Israel, & hæc ignoras?* solus Vindicianus supercilio Thrasonico, noua quadã Supermetaphysica abstractione collum Turturis monilibus expoliare gestit. an quia humanæ iactantiæ tituli fomitem administrant? esto. *Grande enim malum est* (ait Chrysostomus) *de seipso aliquid grande dicere atque mirabile. extremaque omnino dementia est nulla imminente necessitate rerũ, & necessitate violenta proprijs velle laudibus decorari*, tũc vero, ait idem, de illis aliquid attingere fas est, *quando id opportunissimũ tempus exegerit*, quod Samuelis, Dauidis, & Pauli exemplis luculẽter demonstrat. Opportunum certè tempus erat titulis primã pagellã Turturis onerari, cum honorari sacri ordines debebãt, & defensio in eos, qui paulò rigidius in eos oblocuti essent, dirigebatur. Ne ergo leue putaretur quod non ex aliqua auctoritate euulgabatur, non emendicatis, vel fortuitis, vel naturæ donis, sed religiosis titulis statui, & personæ conuenientibus se ornauit, vt eò grauior defensio monstraretur, quò publicis honoribus Dei munere, non sua virtute comparatis cohonestabatur.

Apud Tr... l. 2. c. 67.

Act. 13.

In qq. Hebraic.

Hom. 5. de laud. Pauli.

Sed nescio qua fronte Vindicianus, defensorem reprehendit, quod *albam tunicam nigro pallio variegatam titulis exornarit*, cum hæ putidæ calumniæ de Guilielmi de S. Amore, Desiderij Longobardi lacunis exhalent. neque enim ob aliud à Sede Apostolica, hæreseos quoque nota iusti Mendicantium ordinum detractores, nisi quòd assererent inter cætera *illicite magistrali laurea eorundem professores insigniri, Vniuersitatum cathedras ascendere.* quid si eosdem traduxissent quod cathedralibus in munere Theologico, & sacræ fidei Quæsitoribus in consilijs, & consultationibus inseruirent? Hoc Vindiciano reseruatum ex industria, vt his omnibus ornamentis Dominicanum Turturem expoliaret, & simplici toga contentum linqueret, & quamuis ad momentum eosdem titulos abdicare conatus sit (quasi prædicatoriæ togæ

 filia,

fila, & stamina, subtegmine Magistrorum cathedraticorum, Theologorum, consultorum, à sui ortus initio, contexta non essent) tale tamen pallium suam professionẽ loquitur, videlicet Prædicatoriam familiã (præcipuè aduersus hæreses debellandas) doctrina, & Inquisitionis munere, esse institutam, vt grande beneficium orbis sit pallium taliter contextum, vel cuius solius aspectu, vel hæreses timent, vel improbi mores erubescunt propterea ex suo occursu Turturem tanquam æmulum inuidus non patitur, & totuis oculis mentis inspicit quem corporali obtutu benignè intueri se simulat pallio insultans, vt nec alieno vestiatur amictu, nec sit contentus suo, imo & ipsum reformidans nouus iamsta scissuram contextuiæ Prædicatoriæ suaui, & dulci sermone scindit, togæ magis amator, quam pallij. & cum scindi nequeat vi, verbis tanquam affectata, & circumornata textura trahitur.

VIND. Suspecta vero est quoque eiusdem indumenti depositionis a libertatio dicẽdo, *vbi à Regis, Archipræsulum & S. Inquisitionis fulgetru securum præstiteris vt liberius sine obseruatorum metu, in secreto cordis mei vulnera Turturi aperiam.*

TVRT. Apta fini suo hæc persuasio, vt liberior sit de sacris ordinibus, & impunis oblocutio inanis tamen & futilis, non enim publicè ausus est se prodere author, timens titulos Turturis videlicet Magisterij, Theologi, Consultoris, ne illum deprehenderet mulctandum ex Religiosorum diffamatione, & dum illum propriæ gloriæ affectus ad scribẽdum impulit, diù in affectationẽ flabellatum, nec de incendio gloriæ flamma productior, quæ fumũ exhalans, incensorem occultauit, & quem orbis ex isto fomite magnum expectabat, timor in publicum apparendi fecit minorem. Iam verò quod ad aperiendum vulnera humanitati Turturis, secreta, & abdita sint conquisita loca, vel hinc vulpinam versutiam intelligas, qui cum ferrum, & æs meditetur vulnerum causas, effectus tamen, hoc est vulnera ipsa aperire simulat, vbi sagittas remotis arbitris, in Turturem, quem titulis expoliare laborat, altius infigere meditetur. Archiacum scribit *Polymaus* ex decreto Senatus Archiuis ciuibus arma fabricasse, cumque eius officij procurator designaretur, noua arma largiens vetera tanquam Deorum phanis suspensurus accipiebat. Vbi omnium veterum arma solus collegisset, ijsdemque inquilinos, & mercenarios, aliosque eiusmodi infimę sortis homines accinxisset, in Archiuos insurgens crudeliter trucidauit. Non dissimili astu vulnera impressurus Vindicianus non tantum Turturi, sed sacratis ordinibus, arma hoc est titulos quibus impugnari potest, auferre tẽtat, & quasi religionis prętextu, vt hominibus indebitos titulos postulat, noua arma commentus. Vtinam ijsdẽ quæ à religiosis aufert, alios quos fictè laudat armaret ad pugnandum bella Domini. at cum maledicorum linguas potius hęreticorum accendat, eisdem ad oppugnandum arma subministret, versuta vulpes detegitur & sæuus Leo, vulpina insidians, leonina saucians. Sed ijsdem indumentis Iulianum indutum *Nazianz.* perstrinxit, quod *veteratoria cuiusdam malignitatis arte, cum nec apertè posset Christianos allicere, nec tyrannice cogere præ pudore substineret, leonina, att. pelli vulpinam, aut, si mauis, Minois laruam summa iniustitia prætexens, leniter viam afferebat edicto, quia* (ex eodem Nazianz.) *confutationes extimescebat sermones elegantes, & liberales artes, vna cum re, & nomine magistrorum eliminans.* Sed reuera, *nec confutationes effugit, imo vero imprudens scripsum his magis subiecit, & irretiuit, & timiditatem ostendit: Proinde ac si quis* (ait idem Greg.) *athletarum fortissimus sibi videatur, ac publico praconio omnibus præferri postulet, ne quisquam magni ac strenui animi vir certamen ineat.*

L. 6. 5.

N. 7. orat. 1. in Iul.

ineat atque in arenam descendat, vel si descendat inermis pugnã ineat. Similima in Vindiciano ars veteratoria deprehenditur, dum titulorum arma ad Monomachiam prouocato deponenda suadet, ipse omni panoplia sycophantiarum ad certandum munitus, quod ignauiæ potius, quam fortitudinis argumentum est; imo in hoc victum se esse declarauit, dum sine legitima dimicatione coronas affectauit, & in hoc dimicatum, ne dimicationem non nisi spuerexcedenti conditione subiret.

Absoluta tam callida beneuolentiæ captatione, sed non impetrata à Turture cõditione, vbi Turturis naturã cum columba coniunxisset, & penè esse vnius speciei specialissimę ex gemitu Vindicianus nouus Physicus longo verborum circuitu probare contenderit, ac proinde (& si columbinus gemitus sit ab Eminentissimo assumptus) Turturem quoque (quem in sinu gerebat) gemitibus, aptissimè expressisse Cardinalem, admirabundus, quasi inter eiusdem consortij, & conditionis professores bellum emerserit, ictum primum & vulnus cordi Turturis impressit, videlicet quod: *Turtur contra columbam emerserit, peregrina auis, vltra columnas Herculis quæsita, voce parum columbina gladio, scuto, terri instructa (sic ludit) & Panario armatus ales ex Athlanticis rupibus exorta, Nilo monstrorum genitrice lota, Martia auis ex accipitrum genere, potius Vultur, quam Turtur ex gladio, & scuto inscribendus.*

VIND.

Iam pridem Turturis cum columba arctissimam coniunctionem, etiamsi non eiusdem speciei, Turtur demonstrauit ex Aug. nec inter eos esse bellum, sed solum inter carnales homines & terrenos luculenter probauit. Vnde hæc repentina Metamorphosis Turturis in Picum Martium? Est quidem Vultur prædatrix auis, bellorum cupida, quæ exercitibus se agglomerat, cadaueribus insidet, funestum funden-

t.p.c.11. in fine.

di cruoris auspicium. Videat orbis si Turtur famam cuiusque fuerit deprædatus, si bella excitauit, si detractorum cuniculis se adiunxit, si scandalorum pudoribus delectatus, si corruptionem (vt fingitur) ordinum est ominatus, an potius & si graues lapsus aliquorum excusarit, & bella componi procurarit, odoribus putrida cadauera obtexerit, fœlicitatem, & amœnitatem enuncians? Contra, Vindicianus Martem euocare nititur, cui Vultur sacer erat, pro rostro lanceam habens, pro cantu ferale præsagium exhibens; aliquot annis inter semiputres Ornos, & antiquatas quercus delitescens, rostrum acuit, solus cantillauit à præliorum conflictu semotus, vt decursis septem annis ad classicum occinendum conuolaret, nec tantum bella præsagiret, sed instrueret acies, & loricatis se adiungens, religiosorum hostibus suppetias ferret: hoc enim habet Vultur ingẽti agmine (ex magno Basilio) castra militum comitari. Ex quo nido bellicosus hic ales prodijt? qui alterum Goliath illudentem castris Dei omnipotentis exprimit, qui velut alter Drances *cœlum territat armis*; solaque existimatione visus est volubili lingua montes Pyrenæos dissecare, fœlicius quã Annibal Alpes igni ferroque disiecit, at dũ vno lustro cum dimidio ferrum rubiginosum in vagina reconditum distringere conatus, nec valuit, & tandem euaginatum, pictum potius gladium, hoc est, infirmas ratiocinationes, quam verum, hoc est, firmas rationes, & si minaciter, denudauit. Quis ex isto bellico apparatu, tam forti, & audaci bellatore in aciem prodeunte trepidare poterit, & metu perhorrescere? in summo discrimine res adducta videbatur, si solum ensis capulum tetigisset, verendum namque erat ne Lunæ cornua præcidisset, sed dum cariosum gladium exemit,

In Hexamer. hom. 8.

Vir. Æneid. li. 11.

Spectatum admissi risum teneatis amici.

Etiam meminisse debebat Vindicianus

Vulturinam cōditionem ineptiſſimè Turturi adaptatam, illius enim metaphora ad hæredipetas translata eſt, quod ſenibus orbis ſeu cadauetibus inhient vnde Seneca ep.25.& 65. ſcripſit. *Si Vultur es*, cadauer expecta: & Martialis lib.6.

Amiſit Pater vnicum Silanus
Ceſſas mittere munera Oppiane.
Heu crudele nefas malaq; Parcæ,
Cuius Vulturis hoc erit cadauer?

Et quas hæreditates cū tuis Hugonoſticis non inuaſiſti? Si ſcias Turturem biduo, vel triduo, vel ante illuc præuolaſſe vbi cadauera ſunt futura, alluſio ex illa litterarum mutatione ſatis concinna, dum Turturem in Vulturem commutaſti: ſin autem, inſulſa ſatis, ex altero obijcere quæ obijcientem redarguunt. Sit alterius conditionis Vulturinæ imitator Vindicianus, quod Vultur fruges non attingit, nullum animal, & ſi imbelle occidit, vel inſectatur, tantummodo quæ ſponte interierunt, vel ab alijs relicta ſunt cadauera (exceptis ſui generis auibus) depaſcitur, hoc eſt, Vindicianus fruges & vineas florentium religionum non vaſtet, viua non carpat, & ſi mortuus depaſcitur, ſui ſaltem (vt aſtutè, & falsò fingit) generis, cadauetibus illæſis, nec inſideat.

VIND. Alterum telum aduerſus Turturē contorquet Vindicianus, quod, *promittendo ſingultum, & exultationem athleticus proceſſerit, medio in luctu pugnans, vellicans, expugnans, deplumans & deartuans Bellarmini columbā. Quis à Turture claſsicum expectaſſet?*

TVRT. Eſt id mutorum animalium proprium pugnare, pungere &c. *quia enim* ait *Lactantius ſapientia carent, conciliatricem videmus ſui eſſe naturam, nocēt enim alijs, vt ſibi proſint, neſciūt enim quia malum eſt nocere: hinc etiam* (ex eodem) *inſidiantur alijs, & dolo capiunt, vt deuorent, aliorumque inſidias vario genere eludunt.* Ipſæ mitiſſimæ columbæ in granis eligendis certant, propulſant zelotypi alienos procos, in miluos gallina tuendo filios inſurgit, & apparatu bellico pennis tētoria figit, iiſdem, & roſtro inimicos exagitat. (Lib.5. Inſt. c.18.)

Homo vero, qui ſcientiam boni, ac mali habet ſe abſtinet à nocendo, & cum incōmodo ſuo, quod animal irrationale præſtare non poteſt, ſolum tunc homini acies inſtruere licet, cum pro patria, publico bono, authoritate tamen publica, & ex officio hoſtes neceſſe eſt propulſare. Hinc fortitudo bellica in Sanctis quoque fuit commendabilis, & Summam ex Ambroſio retulere gloriam, nunquam tamen, ex eodē, incomitata proceſſit. *Nunquam enim Dauid niſi laceſſitus bellū intulit, & prudentiā fortitudinis comitē habuit in prælio. Neq; enim* (ait idē S.) *inferenda, ſed depellenda iniuria lex virtutis eſt qui enim non repellit à ſocio iniuriā ſi poteſt, tam eſt in vitio, quàm ille qui facit. Vnde S. Moyſes hinc primus orſus eſt tentamenta bellicæ fortitudinis. Nam cum vidiſſet Hebræum ab Aegyptio iniuriam accipientem defendit, ita vt Aegyptium ſterneret, atq; in arena abſconderet. Salomon quoque ait, eripe eum qui ducitur ad mortem. Iob quoque ſaluum ſeci pauperem de manu potentis, & pupillum cui non erat adiutor* Porrò multiplicia bella ſunt quæ inferuntur vel propulſantur ex Chryſoſt. *Vnum commune cum noſtri aduerſus barbaros pugnant. Secūdum cum pacis tempore nos inuicem oppugnamus. Tertium cum vnuſquiſque aduerſum ſe bella, ſeditioneſque concitat, verbi gratia iræ, inuidiæ* [*vt ibidem exemplificat*] *Primum nihil ferè* (ait Sanctus) *nos lædere poteſt, nam ſi corpora trucident Barbari, nullum animabus periculum imminet. Secundum belli genus ſi velimus, nec nocere poteſt, alijs enim pugnantibus pacifici eſſe poſſumus, Propheta dicente: Cum his qui oderunt pacem eram pacificus. Tertium formidabile quod mortem ſempiternam parit, vnde & Iacobus: vnde bella, & lites in vobis, nonne ex concupiſcentijs veſtris? aduerſus quas paßiones propugnare eximia fortitudo eſt*, ait Ambroſ. In ſecundo autem belli genere, diſtinguendū (1. off. c. 35.) (Cap. 36.) (Hom. 7 in 1. Timot. 2) (Ex S. Tho. 2.2. q. 72. a.3.)

eſt

eſt quod pertinet ad priuatam iniuriã, ab eo quod publicum concernit bonum, priuatas enim detractiones, vel contumelias ſufferre tenemur in præparatione animi, *ſi expediens fuerit*, & ſi moderatè reprimenda ſit conuiciantis audacia, ſic fiat propter officium charitatis, id eſt bonum contumelioſi. tunc enim habet locum, *reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam*, non propter cupiditatẽ honoris, & ſic habet locum quod dicitur *ne reſpondeas ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam.*

Prou. 26. Quando vero publica, & contumelioſa eſt detractio, omnino propulſanda eſt, ſiue ſit materialis, ſiue formalis, nam (ex S. Doctore loc. cit.) multorum *profectus impeditur*

Ibidem. *propter contumelias nobis illatas.* Vnde S. Gregor. ait. *Hi quorum vita in exemplo imitationis*

Hom. 9. in Ezech. *eſt poſita, debent ſi poſſunt detrahentium ſibi verba compeſcere, ne eorum prædicationem non audiant qui audire poterant, & ita in prauis moribus remanentes, benè contemnere viuant.* Talis autem repulſio iuſti belli rationem habet, & fortitudinis actus eſt elicitus, & à charitate imperatus. Vnde Bern. cuſtodes Eccleſiæ (qui ſunt Paſtores, & Doctores) al-

Serm. 77. loquens in Cant. ſic dicit. *Amice ad quid veniſti (ni fallor ad ſolam cuſtodiam ciuitatis, vt quantum ſatis eſt procuretur, opus eſt viro forti, ſpirituali, fideli, forti ad propulſandas iniurias, ſpirituali ad deprehendendas inſidias: fideli qui non quæ ſua ſunt quærat.*

Opuſc. 19. ca. 19. Et ex his doctrinis Angelicus Doctor docuit quod *ſi in ſpiritualibus Religioſi quo ad religionem, vel ſtatum impugnentur*, TOTIS VIRIBVS RESISTENDVM, *& præcipuè in illis in quibus non ſolum ſibi, ſed & alijs proſunt, quia cum religionis ſtatum non aſſumant niſi vt ſpiritualibus vacent per huiuſmodi impugnationem, perfectionis propoſitum impeditur.* Et obſiſtere detrahentibus (ait ibidem S. Thomas) *eſt officium charitatis, ad quam pertinet contercere molas iniqui, & de dentibus auferre prædam, item eruere eos qui ducuntur ad mor-*

Iob 29. *tem, & ſi vnuſquiſque*, ait idem Sanctus, *teneatur ad implenda officia charitatis, illis magis exhibenda* ſubdit *qui ſunt nobis magis coniuncti*, cumque ait *magis coniuncti ſint religioſo alicui fratres ſuæ religionis, debet ſecundum charitatem reſiſtere illis, qui fratres religionis ſuæ nituntur opprimere.* Hæc ex S. Doctore. Eſt quoque actus iuſtitiæ eadem defenſio, quam S. Gregorij authoritate ſigillamus; exponens enim ea verba Iob *in occurſum pergit armatis*, ſic inquit: *Plerumque quieti, atque inconcuſſi relinquimur, ſi obuiare prauis, pro iuſtitia non curamus: ſed ſi ad æternæ vitæ deſiderium animus exarſit, ſi verum lumen intrinſecus reſpicit, ſi in ſe flammam ſancti feruoris accendit, inquantum locus admittit, in quantum cauſa exigit, debemus pro defenſione iuſtitiæ noſmetipſos obijcere, & peruerſis ad iniuſta erumpentibus, etiam cum ab his non quatimur, obuiare. Nam cum iuſtitiam quam nos amamus in alijs feriunt, nos nihilominus ſua percuſſione confodiũt, etiamſi venerari videantur.* Et ſubdit S. Tho. *ex quo patet quod perfecti viri debent ſe vltrò ingerere ad aliorum iniurias repellendas etiam non prouocati*, multo magis prouocatis in ijs quæ ad religionum, maximè propriæ, defenſionem pertinent, elaborandum & cõtrarijs obſiſtendum. Quid mirum ſi ſentiens Turtur ſuam S. Dominici in ſpecie occaſione gemitus columbini ab incautis cum alijs religionibus SS. Benedicti, Franciſci &c. materiali ſaltem detractione proſcindi, in occurſum perrexerit armatis, & indutus lorica iuſtitię ſicut veſtimẽto, charitate præeunte, fortitudine comite, ad propulſandas religioſorum iniurias elaborarit?

Cap. 39.

Greg. ibid. relatus et... à S. Th.

Et an vno tantummodo elaboratum? videat lector & ferat iudicium. At id vitio tribuit Grauinæ Vindicianus alterum ſpiculum contorquens.

Quodammodo pugnat Turtur? modo fictè laudat, modo grauius ferit, tam ſublimis extollitur, repente in cœno volutatur. VIND.

In gloriam Turturis cedit grauius ferire, attol-

attolli, deprimi (adulatione ablegata quæ
TVRT. imponitur) Turtur amœnissimus tempore reuelatæ gratiæ Paulus erat, & nihilominus classicos vult esse Pastores, & Doctores. *Seruum Dei non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes; doctorem, patientem, cum modestia corripientem eos qui resistunt veritati.* & omnibus omnia fieri: suo præibat exemplo, *omnia omnibus factus sum; omnes in regnum Dei festinabat inducere* ait idem Chrysostomus, *dicendo, pollicendo, meditando &c. terrēdo verbo, epistolis &c. conabatur erigere labantes, humi iacentes attollere, sanare contritos, torpentes oleo exhortationis animare, inimicis insonare terribiliter, hostes minaciter intueri, more optimi medici artis suæ instrumenta gestantis protector ipse bellantium*] an ex huiusmodi stylo & varietate culpandus Apostolus, qui armatus, & Panario instructus varijs bellandi instrumentis, & medicamentis pro animarū medela vtebatur? immerito ergo ex hac varietate dicis[*Grauinæ tot honorum gradibus sublime nomen, pro hedera operi malè concinnato impositum fuisse, & alium inferioris notæ scriptorem libellum capitaq́; compilasse, &* [subdis] *quicquid demum contigerit grauem ex S. Hieronym. querelam pro Cardinal. Illustriss. Bellarm. deponere compellor, scribi contra se ac simul occultari, vt facultatem respondendi auferant. Nouum* inquit *malitiæ genus est accusare quod prodi timeas, scribere quod occultes. Si verba Bellarmino obijciuntur, cur eo viuente non prodierūt? si falsa, cur vel post obitū eius in lucem sparguntur? Maluissem Anonymum ludicri istius Turturis authorem in conspectu habere, sed quia Grauina suum nomen supposuit, pro altero quoque perferet quod S. Ambros. sapienter monuit. Quantumlibet quisque profecerit, nemo est qui doceri non egeat, dum viuit.*]

Tim. 2. c. 2

Hom. 3. de laud. Pauli.

TVRT. Coronandus Turtur potius (si corruptibilem coronam affectare fas esset) lauro, myrto, & olea, & illustriori quaque frōde, & quod magis vsui, est cētenarijs quoque rosis ex horto Midæ lectis; at *hę pompæ Diaboli* (dicebat Tertull.) *officia sæculi, honores, humana seruitia, laudes humanæ, gloriæ turpes. Si corona æmulanda, spinea capitis nostri æmulanda est, tale caput ei rependendum quale nobis exhibuit, vel ne floribus coronemur, si spinis non possumus, quia non floribus possumus.* Sunt spinarum certæ puncturæ, dum suppositi-tium partum Turturi suppositum, & Grauinæ nomine tāquam hedera coronatum Vindicianus imponit, dum etiam malitiæ adscribit Turturis euulgationem postquā Bellarmino parentatū est: his lancinari patitur Turtur, vt coronetur, etiamsi ad sui operis probationem testium nubem habeat ne dum domesticorum, sed extraneorum, & pro dilatione habeat rationabiles causas, tum quia iam viuente Bellarm. à à Patre Magistro Petro Caluo Prouinciæ Lusitaniæ, & à Reuerendissimo Domino Episcopo Monopolitano gemitibus columbinis responsum erat, tum etiam, ex eodem Hieronym. altera ep. ad Pammachium, *Christiani pudoris est etiam apud amicos tacere, & humilitatem suam magis silentio commendari, quam respondendo, veteres amicitias ambitionemq́; incurrere;* coactus Turtur tandem, iam pridem elaboratum opus (viuente Bellarmino) ad retundendas obloquētium voces) ob gemitus columbinos, & nouam impressionem vulgari lingua descriptam) censoribus etiam tradere, vt probaretur, & canonicè imprimeretur, interim, fatis concessit Bellarminus, probatum tandem opus lucem aspexit à Grauina editum vsque ad vltimum iota.

De coro. militis c. 13

Tuum Vindiciane malitiæ genus est accusare quod prodi timeas, scribere quod occultas; tibi adaptari quoque possunt sequentia Hieronymiana. *Neque enim magnopere formidandi, sunt quos auctor suus prodere timuit*, & tantum legendos esse decreuit à suæ partis hominibus. Tunc (manifestante se authore) iure tibi cum eodem Hieronymo dicere poterit Grauina, *cognoscam crimina,*

mina, aut diluam, aut in accusatorem quæ sunt obiecta retorquebo, & ostendam quod hucusque silentium modestiæ fuerit, non malæ conscientiæ. Interim apud tacitum Lectoris iudicium purgatum me esse volui, & grauissimum inter amicos crimen refellere, ne prior læsisse videar, qui & vulneratus nequaquam contra persecutorem tela direxi, sed meo vulneri tantum admoui manum, quem obsecro vt absque præiudicio culpam in eum referat, qui lacessiuit. Interim tacente Grauina, insultante Vindiciano, ferulam insultans subeat, & proficiat flagris, qui noluit Doctorum erudiri documentis.

CAPITIS TERTII ANIMADVERSIO.

Vbi, qua mente Cardinalis Bellarminus columbæ gemitus induxerit, non sine aliorum & ipsius Cardinalis præiudicio, temerè Vindicianus & sinistre obgannit.

CVm propositum columbini gemitus Vindicianus aperuisset, & partitionē, seu segregationem prauorum membrorum à bonis retulisset, commendat gementem columbam, dicens, quod *vbi meliora membra à deterioribus segregasset, & priorum encomia absoluisset, posteriora non potuit calculo candido notare.*

VIND.

TVRT. Optima, & opportuna partitio fuisset, si à toto genere desumpta fuisset, & hoc tempore proficere potuisset. Sed dum non de omnibus fit ista diuisio deteriorum, & meliorum in vnaquaque congregatione dispersorum, vt massa quædam purior segregetur, ex partiali hac segregatione, ista purior cæteris quibus præfertur argui posset. Nullam oblationem cū fermento fieri mandauit Dominus. Est enim, dicebat Philo. *Difficile inanes tumores animæ consecrare*; quemadmodum fermenti proprietas est massam inflandi, & corrumpendi, ita & inanis illa iactantia, qua quis melior prædicatur inflat cor, totum corrumpit hominem: *modicum fermentum* dicebat Apostolus *totam massam corrumpit.* Ipsa natura Angelica id in inflato Apostata illo experta est; perdidit enim sapientiam in decore suo, dum sua pulchritudine captus, etiam diuinum solium affectauit. Pharisæi non sicut cæteros se existimabant, qui adeo inflati incedebant, vt cum nomine res concordaret, & ab omnibus se diuisos existimabant, & supereminentibus titulis dignos; ad quos cauendos illud Christus Dominus inculcauit. *Intuemini, & cauete à fermento Pharisæorum quod est hypochrisis.* Puros se existimabant Donatistæ, & propter paucos codicum traditores, persecutionis tempore, orthodoxiam ferè totam insimulabant, & vocabant speluncam latronum. Sed ampullosam istam superbiam sic. S. Aug. retundebat ostendendo traditores plures fuisse in parte Donati, *si & traditorum vocabula cupis addiscere, habes vestros Syluanum Circensem, Felicem curatori sacramenta tradentem; Habes Marianum ab aquis Tibilitanis Romano curatori tres codices offerentem: Habes Victorem Rusiuaziensem quatuor Euangelia velut deletitia comburentem, qui Cœcilianum absentem damnare ausi sunt innocentem. Hæc est spelunca latronum, hæc progenies traditorum, hæc mulier fornicaria, quæ relicto Christo, Donato prostituit lupanaria, cuius domus iuxta Salomonem secessus est mortis, cuius viæ sunt inferorum, quæ se mundam vocat, cum sit sordibus plena, quæ se innocentem clamat, cum sit sceleribus irretita, quæ pudenda committit, & facta sua in alteram dicit, ne prior audiat quæ commisit, de factis enim vestris Catholicos infamatis, vt populos à Domino separetis.* Non licuit Vindiciane tibi sic mentem Eminentissimi interpretari, illique imponere quasi optimorum consortium in vno quasi loco separatum demonstrarit, & ab hoc discretos atro lapillo signarit, in promptu enim August. Authoritate in te tua tela conuerti possent, & si vniuersus religionum cœtus

Leu. 11.

Lib. de cōgress.

1. Cor. c. 5.

Matt. 16.

Lib. contra Fulg. Donat.

quondam asseritur florens, nunc verò degenerans à te mordicus defenditur, florida semper existente puriori massa, vel quod deplorandus sit omnis ordo, & præsertim SS. Benedicti Dominici, Francisci, à parte illa, quæ tota viuum membrum asseritur; impurior reputata portio exiccata, & deplorata, illud quod in simili causa Fulgentio August. respondit, vsurpare posset à te ignominosè discreta. Donatista dicebat. *Recede à me non appropinques mihi, quia immundus es*, cui Augustinus ex persona cath. respondebat; *tua non timeo crimina, quia mea munita est conscientia Quem dicis tradidisse, nomen, locumque traditoris ostende, numquam id valebis ostendere sicut nec antea valuisti. Sed & si aliquem protuleris, mihi obesse non poterit dicente Domino, anima quæ peccauerit, sola morietur*; & iterū Donatistis arguentibus. *Illi* [*nempe Cæcilianus, & alij Catholici*] *codices Dominicos ignibus tradiderunt, &c. persecutionem fecerūt, & vos eis in omnibus consensistis* (ecce crimina obiecta traditionis, thurificationis, iniustæ persecutionis) quid Augustin. respondit? *breuiter* (ait) *respōdeo* (quod sæpe respondi) *aut falsa dicitis, aut si vera sunt, non ad frumenta Christi, sed ad eorum paleam pertinent ista quæ dicitis. Nō inde perit Ecclesia quæ optimo iudicio ventilata istorum omnium separatione purgabitur. Ego ipsam Ecclesiam requiro vbi sit, quæ audiendo verba Christi, & faciendo ædificat supra petram, & audiendo, & faciendo tolerat eos qui audiendo, & non faciendo ædificant super arenam; Vbi sit triticum quod inter zizania crescit vsque ad messem, non quod fecerint, vel faciant ipsa zizania. Vbi sit proxima Christi in medio filiorum malorum, sicut lilium in medio spinarum; non quid fecerint, vel faciant ipsæ spinæ. Vbi sint pisces boni qui donec ad littus perueniant, tolerent pisces malos pariter irretitos, non quid fecerint, vel faciant ipsi pisces mali*, & tres canones August. ingenio suo dignos ad Donatistarum ora oppilanda proponit dicens.

Lib. de vnit. Eccles. c. 16.

I. Proinde remoueantur omnes moratoria tergiuersationes. Quicquid de peccatis hominum falsum obijcitur, conueniatur conscientia, & non obijciatur.

II. Quicquid de peccatis hominum etiam verum obijcitur, vel probari non potest, vel cum debuit probari non potuit, non obijciatur.

III. Quicquid de peccatis hominum & verum, & probatum obijcitur, nec tamen ad frumenta, quæ inter paleam latent, sed in ipsam paleam, quæ in fine separabitur pertinet, non obijciatur. Siuè ergo falsa, siuè vera crimina obiecta religiosis malis, quibus ordines corrupti planguntur, religio quærenda, commendanda, & locus, & status encomijs celebrandus, videlicet quod sit Dei specialis domus; ager vel hortus deliciarū Domini; portio Apostolicis retibus dotata; non discernendi, & seiungendi auditores tantum verbi à factoribus eiusdem verbi, non quid fecerint, vel faciant zizania, non quid fecerint, vel quid faciant spinæ, non quid fecerint, vel faciant pisces mali.

Inopportuna quoque discretio ista ac distinctio demonstratur hoc tempore, cum ab hæreticis ne dum religionum defectus in canticum vertantur, sed & status religiosus proscinditur, vnde mutata temporis causa, etiamsi recta facta esset illa partitio, id inconcinnè factum nunc esse, quod rectè ante factum iudicari potuisset. Sapienter Aug. distinxit in pulchrū & aptum. *Pulchrum enim per se ipsum consideratur; atque laudatur, cui turpe, ac deforme contrarium est. Aptum vero cui ex aduerso est ineptum, quasi religatum pendet aliunde, nec ex semetipso, sed ex eo cui connectitur iudicatur: nimirum etiam decens, atque indecens vel hoc idem est vel perinde habetur.* Quare inter cætera, præcepta à Præsulibus seruanda in diuinorum eloquiorum, & etiam in correctione morum à magno Nazianz. illud est traditum, vt, *quando, & coram quibus loqui oportet,* atten-

Ep. 5.

Orat. 1. de Theol.

attendamus, ne mediocritatis fines excedamus. Per se enim bona perdunt aliquando boni gratiam, quia tractantur non benè, non aliter atque hyeme intempestiui sunt flores, nec mulieribus virilis, nec viris muliebris ornatus cõuenit, nec luctui musica, nec conuiuio lachryma. Quare eo nomine etiam celebris Basilius ab eodem Gregor. habitus, quod *disponeret sermones suos in iudicio, iuxta* Dauidis regulas, *locorum, & personarum, & temporis ratione seruata.* Quid dices Vindiciane? Turturem Panarium afferentem criminabe-ris, vt fecisti superius? At tu tui parentis Panario abuteris, vt inopportunè vinum, vel edax aliud medicamentum lapsis, vt fingis, ordinibus sit imponendum non sic faciebat, ex eodem August. magnus suorum temporum medicus Vindicianus: *Consultus enim à quodam, dolori eius adhiberi iussu medicamentum, quod in tempore congruere videbatur, adhibitum sanitas consecuta est. Deinde post annos aliquot eadem rursus corporis causa commotus, hoc idem ille putauit adhibendum, adhibitum vertit in peius. Miratus curit ad medicũ, indicat factũ, at ille vt erat acerrimus ita respondit: Ideo male acceptus es, quia non ego iussi, vt omnes qui audissent parumque hominem nossent, non eum arte medicinali fidere, sed nescio qua illicita potentia putarent. Vnde cum esset à quibus poterat stupentibus interrogatus, aperuit quod non intellexerant, videlicet illi ætati iam non hoc se fuisse iussurum.* Solus nouus Vindicianus chirurgus (si non barbitonsor) à magno Vindiciano degenerans, indifferenter nobis non seruata ætatis & temporis ratione, probare videtur, & Bellarminum fictè laudat *quod non potuit valde nitido calamo posteriora donare.*

Orat. in fun. Basily

Epist. 3.

VIND. At non semel (ait inferius nouus Vindicianus) *id præstitit Hieronym. ep. ad Onasum, vbi in nummarios inuehitur Sacerdotes &c. ep. ad Heliodorum, in imperfectos Dei famulos inuehitur*, & subdit: Magnus enim Doctor Hieronym. *Sapientiam quasi inter perfectiores locuturus, etiam liberiorem in vita improborum linguam assumpsit, eadem ergo causa Bellarminum apud Grauinam absoluere debet.*

Proculdubio absolueret, si eadem causa recurreret; si non religiosi determinatè nominati essent Benedictini, Franciscani, Dominicani, in specie, vt alij omnes in genere; si apud perfectos fuissent reprehensi, & non etiam apud fæmellas diuulgati libelli vernacula lingua vt ab omnibus intelligerentur; si etiam canibus non obiectæ margaritæ nam vsque ad remotos ab orbe Britannos peruolasse libellus describitur, sub ceruicali Iacobi Regis repositus, de quo ferunt eius lectione delectatum, vt delicatius in errore permaneret, qui non ex fide personas, sed ex personis fidem metiebatur. Quanto laudabilius vnione hæc signata essent, & meliori notata lapillo? At tu Vindiciane dum non potuisse valde *nitido calculo donari* asseris; tu quoque ex Persio.

Quaque sequenda forent, & quæ vitanda vicissim.

Illa prius creta, mox hæc carbone notasti.

At niger nigro potius voluit calculo designari, sed si

Hic niger est, hunc tu Romane caueto.

Nec dubitandum si Vindicianam emphasim præuidisset vt pius censor, calculum reduxisset, vel opellam, vt dicitur, ad calculos reuocasset. Saltem ergo ad illos reuertamur calculos qui omissi, nimirum ad gloriosiora, & sublimiora consilia adhiberi solitos vel si mauis in vtraque lance vtrinque dicta expendantur velut calculi, vt an atro, vel albo lapillo sint ordines sacri denotandi iudicetur. Hæc ergo ponit in hac lance Vindicianus ex assertione columbæ, *Primum regulares multiplicari cœpisse sine numero. Secundum multos non à Deo, sed alijs rationibus ductos monasteria repleuisse. Tertium illud proinde Esaiæ impletum: multiplicasti gentem, non magnificasti*

magis quam eius quæ habet virum, & multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent &c. & multa millia quæ numerare nemo potest videntur in Apocalyp. Ipsa est, quæ aliquando obscuratur, & tanquam obnubilatur multitudine scandalorum &c. Sed etiam tunc in suis firmissimis eminet & si aliqua in his verbis diuinis distributio facienda est, fortasse non frustra dictum est de semine Abrahæ: sicut stella cœli, & sicut arena, quæ est ad oram maris, vt in stellis cœli pauciores, firmiores, clarioresque intelligantur, in arena autem maritimi littoris magna multitudo infirmorum atque carnalium. Non ergo (in simili arguendo in nostro proposito) multitudo religiosorum impetenda, & si sint multi imperfecti, qui licet excederent sicut arena maris stellas cœli, adhuc pauciores, firmiores, clariores, perfecti apparebunt; qui non pauci absolutè, sed comparatiuè pauci essent, & cum multi sint, in merito, non pauci, sed paucissimi piè viuentes, vel victuri in religione pronunciantur.

VIND. *Multos quoque non à Deo vocatos, sed alio fine religionem intrasse*, commemorat Vindicianus ex columbæ gemitu, *& est secundus calculus.*

TVRT. Dei attributum est quod spirituum sit ponderator, nec quis hominum corda, & fines quis perscrutari potest sine Dei dono, quod discretio spirituum ab Apostolo appellatur. Si id concessum fatetur Vindicianus, nonnullis cautis, discretis, exhibeat vrgentia probationum argumenta ad extorquendam fidem, difficile enim poterit suadere, eo spiritu dotatos Argi oculos habentes ad aliorum defectus intuendos, cum spiritus dona ad vtilitatem dentur, vt medela vulneribus apponatur, non quod passim cum nausea aperiantur. Quendam introducit S. August. non dissimilem Vindiciani Genio, qui bonis tantummodo se aggregare cupiebat, & à malis se separare, solitudinem aptam iudicauit, & cum paucis adiunctis socijs vitam transigere, sed etiam eum secuturum esse scandala didicit. rursus monasterium elegit vt cum solis bonis viueret, sed cum ei obijceretur malorum consortium, qui interdum monasteria ingrediuntur, vitare non posse, hanc politicam rationem, ex industria excogitauit. *cautus ero. nullum malum admittam,* ait August. *nullum hominem malum, nullum fratrem malum intrantem admissurus sum, cum paucis bonis bene mihi erit.* cui & August. *vbi cognoscis quem forte vis excludere? vt cognoscatur malus intus probandus est, & probari nisi intrauerit non potest? repelles omnes malos? dicis enim & nosti inspicere, omnes nudis cordibus ad te venient qui intraturi sunt? Ipsi se non nouerunt quanto minus tu? multi enim sibi promiserunt quod impleturi essent vitam illam sanctam in commune habentem omnia &c. missi sunt in fornacem, & crepuerunt. Quomodo ergo cognoscis eum qui sibi adhuc ignotus est? excludens malos fratres à conuentu bonorum, de corde tuo quisquis ista dicas, omnes malas cogitationes si potes à te exclude.* Non intret in cor tuum vel mala suggestio. *Non consentio inquit, sed intrauit tamen vt suggereretur. vnde autem intret quis nouit? &c. & pugnamus quotidiè in vno corde nostro. Vnus homo in corde suo cum turpa luctatur. suggerit auaritia, suggerit libido, suggerit voracitas, suggerit lætitia ista popularis, omnia suggeruntur, ab omnibus se continet, omnibus respondet, & ab omnibus auersatur, difficile est vt non aliqua feriatur.* Sic impossibile est subdolos, & malos cauere, quin intra septa Monasterij recipiantur. In ps. 9. & 132.

Sed aliud dictum in lance apponitur. *Religiosorum multitudini illud adaptari quod scriptum est in Esai. multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiam.* VIND.

Sensus quidē iste à Spiritu sancto præuisus, non prouisus, vt de religionibus dictum sit: multiplicasti cœnobia, & cœnobitas, & non magnificasti lætitiam, quia vel relaxati penitus ordines, vel penè corrupti. TVRT.

nūc milito expecto donec veniat immutatio mea? an non respectiue plures à flumine, & stagno segregabuntur à malis ? *singuli* (ait Bernard.) *in mensa Dei apponi expectant*, [*vt saluandorum maior denotetur numerus.*]Solus Vindicianus calculatoris dictum firmat vt putridorum, & eijciendorum è sagena in fine secli copiosior sit multitudo religiosorum, vt lætitia magnificanda non sit ob multitudinem perditorum.

VIND. Aliud subinfert Vindicianus à columba positum dictum, nempè *inde nata scandala grauia, multiplicia, omnibus nota.*

TVRT. *Eph. 85.* *Error* (dicebat Bernard.) *humanæ mentis est, non modo bonum putare malum, & malum bonum, aut verum falsum, & è conuerso, sed etiam vera recipere pro dubijs, dubia pro certis.* edisserant aculeati censores, si proprio sensu, scientia, vel reorum confessione, tantam multitudinem scandalorum, & vberem segetem peccatorum grauissimorum, quæ & omnibus nota pronunciantur. an vero ex aliorum relatione, & rumore didicerint. an sicarios, adulteros, sepulchrorum effossores venificos sunt comitati, vel dum delicta patrabantur adfuerunt, cur non reprehenderunt ? cur ad crimina pronum non retardarunt : an ex scriptis iudicialibus id probabunt? Si in quascumque regularium omnium delinquentium informationes in tribunalibus scriptas oculos liceret inijcere, vel sontium indiculus formaretur, in infinitum paucissima, quæ eos numerosissima asseruntur delicta, inuenirentur luceque clarius multò plura exaggerata crimina per orbem, inania, & commentitia deprehenderentur. Si ex fama id pronunciatum est, *In Apol. c.6.* *fama* dicebat Tertull. *incerti est, locum non habet, vbi certum. an vero fama credat nisi inconsideratus ? quia sapiens non credit incerto, ab vno enim aliquando principe*, ait idem *exorta necesse est exinde in traduces linguarum &c. ita modici seminis vitium cætera rumoris obscurat, vt nemo recogitet ne primum mendacium seminauerit, quod sæpe fit, aut ingenio æmulationis, aut arbitrio suspicionis, aut non noua, sed ingenita quibusdam mentiendi voluptate.* Quomodo ergo nota omnibus certo affirmantur, quæ affirmanti non sunt nota? qua fiducia hoc apertè declamatur, cū non cōstet an talia sint, vt taliter declametur? & si contra declamandum esset, declamandi modus seruari debuisset, vt non in specie, sed in genere delicta, non cū specificatione grauitatis, multiplicatis, notorietatis feriventur. *Sapienter*, S. Greg. ait, *cū generaliter contra culpam inuectio intenditur correptionis verbū, libēter ad mentem ducitur, quia potens prauus ignorat quod hoc sibi specialiter dicatur &c. vnde fit plerumque, vt eo vehementius perpetratā culpam lugeat, quo reatum suum, & cū se percussum sentiat, nesciri putat.* 13. 3. Et licet vt ibidē notat Gregor. in publicis, & manifestis publica sic adhibenda correptio, delectus habendus est Prælatorū, & Religiosorum, ne si vita eorū despiciatur, prædicatio cōtemnatur. *An nescis*, ait Chrysost. *fulgidam Christiani vitam vsquequaque lucere debere, & eū qui suam gloriam fœdat vbique postea inutilem, & nihil magnum lucrari posse etiā si fortunatus sit?* multo magis id debetur religiosis, & Prædicatoribus, vnde idē subdit *nā si sal infatuatū fuerit, dicit, ad quid valebit vltra?* & postea *sal enim hos esse vult & lumē, & fermentū Deus. vt & alij à nobis vtilitatē accipiāt. Quod si illis dāno simus, nō vndequaque rei erimus? Nā sicut qui peruersam agit vitam nunquam saluatur, ita neque qui seipsum ignominia aspergit pœnam effugere poterit.* Fœdatio autē fit (dicit postea Chrysost.) peccato scandali, & non propulsando obiecta scandala. *grande peccatum scandali*, ait Chrysost. *vt etiā si grauiter quis peccet, atque clam hoc faciat & neminem scandalizet minorem dabit pœnam, quam qui leuiter peccauit, idque imprudenter cum multorum scandalo*, & exemplificat de Moyse, qui non semel contradixit Deo

Deo cum mitteretur in AEgyptum, & in deserto incredulus. Num.10. demonstratur, & increpatus non est. Sed ad aquas cõtradictionis acriter reprehensus cum peccati detestatione, *quia*, inquit, *non sanctificastis me coram filijs Israel. Illa enim*, dicebat Chrysostomus, *priuatim, & occultè accidebant, hoc autem manifeste, & apud omnem populum committebat: propterea quia dehonorabatur Deus coram illa multitudine, etiam mortis comminatione correctio clausa est; tantam curam & Deus facit, vt non blasphemetur nomen suum; similiter, & sancti, non quod Deus habeat vt à nobis glorificetur, nullius enim indiget, & perfectus est, sed ex ea re multum damni hominibus. Quando enim apud nos male audit nomen Dei, & gloria eius nobis nihil vltra potest, multo minus vos. Omnia igitur faciamus, vt nulla sit occasio scandali, etiam si iniustè reprehendant, diluamus crimina, & imitemur sanctos, quibus tantum fuit studium gloria Dei, & sua propter Deum.* & infra: *& si sint veluti ebrij quicquid in buccam venit loquentes & talia vt nullum responsum mereantur, non grauemur* (ait S) *respondere, & mansuete cum eis agere, donec ab hac ebrietate illos liberemus, quantum scilicet ad nos attinet.* Etiam si obiecta crimina vera essent, magna cum discretione ab oculis insipientium remouenda, & in malè obiecta reclamandum, nam & si majus sit scandalum publicè peccare quam secreto, peius est scandalum publicum, ab alijs tamen ignoratum sine vlla vtilitate, & fructu, sed potius cum maiori scandalo euulgare, cum dedecore ministrorum Dei, & eorum apud quos euulgatur salutis dispendio. Vnde vt dicit Gregor. in Ezechiel. *Sciendum est quod linguas detrahentium sicut nostro studio non debemus excitare, ne ipsi pereãt, ita per suam malitiam excitatas debemus aquanimiter tolerare, vt nobis meritum crescat, aliquando etiam compescere, nedum de nobis mala disseminant, etiam eorum qui audire nos ad bona poterant corda innocentium corrumpant &c.* Hom. 7. in Ezech. *Hi etenim quorum vita in exemplo imitationis est posita, debent, si possunt detrahentium sibi verba compescere, ne eorum prædicationem non audiant, qui audire poterant, & in prauis moribus remanentes, benè viuere contemnant*, vt superius dictum est.

VIND. Pergamus alia expendere quæ exhibet Vindicianus, nimirum *relaxationem imo & corruptionem omnium ordinum materiam plangendi columbinis oculis ministrasse.*

TVRT. Non prior lacryma tua Vindiciane quã interitus omnium ordinum. primo lacrymatur Cocodrilus quem in Nili sabulo degluttiendum insectatur. Lacrymæ multæ sunt quę putridis cadaueribus adhibentur, quare Simonidis lacrymas has iustius appellabis, quæ cum elegijs, & nænijs in defunctorum parentatione fundebantur & *magno feruore spiritus*, ait Greg. *Spirituales lacrymæ producuntur* (vt fecit columba) & vt dicit Chrysostomus, *beatiores sunt qui aliena peccata lugent, præsertim omnes DD. populi Christiani, qui specialiter signantur quod lugeãt super iniquitates quæ fiunt in medio Hierusalem.* Sed bene ait Angelicus Doct. *Tertia beatitudo, Beati qui lugent scientia coniuncta est, ex recto enim iudicio innotescit malum quod lugendum est. vnde pariter, qui lugendi sunt noti esse debent*, vnde & si interdum decipiantur pij plangentes iustos, velut mortuos, quos reputant peccatores, non mirum, quando & Iacob Patriarcha Ioseph filium suum velut à fera pessima deuoratum amarissimè fleuit, & externa, & cruentata veste deceptus est. Illud aliud expendamus Vindiciane. *Negari non potest quin in religionibus sit magna multitudo relaxatorum, ac proinde ex visione Pachomij plurimos salutem neglecturos, & perdituros.* Lib. 4. Reg. c. 1. Hom. 9. in Matt. c. 5. 2. 2. q. 9. a. 4. in 3. beatit. VIND.

TVRT. At hæc multitudo malorum, multitudinem bonorum non excedit, & nescio si caste dici possit, in religione multò plures esse malos quàm bonos statio, malefida carinis religio fuisset, si plures naues naufragium

gium passuræ essent, quam si in medio seculi Oceano nauigassent. Frustra conflagrante mundo, ex alto descendens magni consilij, Angelus, præpotenti dextera, religiosi manum apprehenderet, vt Loth cōtigit, nedum morali motione suadens, dicendo: *in montem saluum te fac*: nec frustra

Gen. 16. dixit Loth. *est Ciuitas hæc iuxta ad quam possum fugere, & parua hic, & saluabor in ea*, si cū æquali discrimine in Sodomis habitare potuisset. Nimis pauper factus esset Christus ex superadditione consiliorum, si multo plures futuri erant consiliorum, & præceptorum Dei transgressores, quàm obseruatores, vel plures in immensum votifragi, & apostatæ, quàm altissimo vota reddentes quæ distinxerunt labijs suis. Super arenam non petiā solidam perfectionis statū fundasset, si ex collisione nubiū, atque ventorum, ruiturus erat, vt asseritur, religiosorū cœtus, à quo ædificio, & si interdum, & successiuè nonnullæ tegulæ cadant, vt etiā collidantur, nunquam tamen ex vi ventorum, & spiritu procellarum, vel stillicidijs integra humiliatur contignatio, aut tectū discoopetitur, vel parietes concidunt, vel domus vsque ad fundamentū exinanitionem patitur, imo hoc est erga religiosos maximum diuinæ protectionis argumentum, ventum validum Diabolici astus re-

Petrus Blesens. de Ser. 21. primere, qui vt dicit Blesensis *se totum effudit ad tentandum, omnia artis suæ experitur molimina, nihil, quo tentare possit, relinquit intactū: quos enim in mundo quietè possidet qui tanquam puluis rapiuntur à facie terræ, non multum impellere laborat ad lapsum, ipsi enim per se in præcipitium currunt*. at contra religiosos (vnde mirandū non est si in tanto confli ctu multi cadant) vehemens ventus particulares casulas, hoc est particulares homines sub magna domo contentos interdum con-

Ex Greg. lib. 2. mor. c. 27. cutit, *dum* (ex Greg.) *fortis tentatio quatuor virtutes quatit, & quasi quassatis angulis domus obruitur*, sed vt idem (subdit) *dum tentatione quatitur, ei contra hostis sui insidias munimem humilitatis ostenditur, & vnde pertimescit eneruiter cadere, inde accipit fortiter stare*. & cadentibus ex vi ventorum vna vel altera cella integrum magnæ domus religionis ædificium perseuerat. *Licet autem*,

Ad fratres de monte Dei. ait Bernard. (vel quicumque autor sit) *magna sint miracula diuina, quæ Dominus gessit in terris, hoc tamen super omnia alia enituit, & cæteris cuncta illustrauit, quod sicut dictum est, in paucis simplicibus totum mundum, & omnem sapientiæ eius altitudinem sibi subiugauit, quod etiam cœpit operari in vobis. Ita Pater, ita, quoniam sic placitum est ante te: abscondisti hæc à sapientibus &c. nolite timere pusillus grex, sed omnino confidite, quia complacuit Deo patri dare vobis regnum*. an montes Gelboe visitabit Dominus abundanter, & à monte Sion transibit, qui est religiosus status? & cur scriptum est: *in stillicidiis eius lætabitur germinans*: & iterum *pinguescent speciosa deserti*? vt quid Vindiciane suspicaris, vel suspicis montes caseatos qui abiecta simplicitate lactis in vitiorū corruptione degenerantes in coagulum densantur, atque concrescunt, & cum illis comparas religionis statum? Mons religionis est velut mons Sion in quo beneplacitū est Deo habitare in eo. Hic currus Dei non vnus vel alter, sed multiplex millia lætantium, ardentes faces, collucentes ignes propter bonorum operum exempla, prædicationis tonitrua, vnde Dominus in eis, in Sina, in Sācto, pro quibus specialiter ascendens in altū dedit dona hominibus, quę dona? (ait Bern.) religionum scilicet varietaté, multiplici charismatum varietate refertam. Solus Vindicianus vult Sion esse montem caseatum, vt cœteros, numerosum exercitū restringit, faces exstinguit, largam Dei donorum affluentiam specialium prærogatiuarum coarctat, cum contra spei nostræ diffidentiā nedum multitudine bonorum, sed etiam prædestinatorū ipse insinuet suo promisso

Psal. 65.

Psal. 67.

Apol. ad Guill.

Deus: *vos qui reliquistis me sedebitis super sedes iudicantes duodecim tribus Israel, &: prosperum iter faciat Deus salutarium nostrorum:* ille qui ex vocatione speciali homines religiosos traxit ad Apostolicam perfectionem, ille inquam Deus salutarium nostrum, qui si est saluator omnium, maximè fidelium, multo magis eorum qui ex statu religioso capiti configurantur.

VIND. Sed terret nos Vindicianus *Pacomiano exemplo, & S. Francisci visione. Pachomio enim reuelatum est, ait, nonnullos regularium pie victuros &c. suamque salutem penitus perdituros, Francisco ostensa statua velut illa Nabuchodonosor,* quæ in luteos pedes degenerauit.

TVRT. Hæc nō rectè intellecta certè sunt puerorū terriculamenta. Cur dimidiata visio adducta? cum imperfectorum, & lapsorū reuelatio Pachomio facta esset, reuelanti Deo in fontes lachrymarum erumpēs hæc respondit. *Frustra laboraui si ita futurum est. quid Dominus? bono animo esto, semen tuum non deficiet in æternum, quia etiam qui post te salui fient videbuntur eos superare, quorum summum etiam vitæ studium ex tenebris resilientes ad veritatem, exercebunt iustitiam. amen tibi dico inuenientur cum ijs, qui nunc citra illam reprehensionem vitam agunt, & eandem consequentur salutem.* Vbi illa multitudo præscitorū tanta constantia, & asseueratione diffamata? Si religio Pachomij in alijs continuata religionibus, vsque ad finem mundi promittitur duratura, nec inferiores fore religiosi instituti sectatores, primis, & feruētissimis institutoribus, & præcessoribus, vnde erupit tepidorum, & præscitorum tanta multitudo ad euacuandas promissiones Dei? Truncata auctoritate vellet Vindicianus nos esse stipites, & truncos quibus aniles quoque fabellæ suaderentur. Sed non satis fuit, plangenti truncatā Pachomij authoritatē afferre, nisi quoque transmutatā exhiberet, nam in visionis prima parte asseritur: *nonnullos perdituros esse salutē,* & quomodo id expositum est, *nonnullos, id est paucissimos?* nouum Grammaticandi genus nouā inducere posset Theologiā; sed vt nō præualet vetus Grammatica contra Theologiā (*Dracones enim Pharaonis deuorauit draco Moysi, & suauitatis Theologicæ lepor euacuat scientiā vanitatis*) multo minus noua quę ab vtero matris suæ aberrat, principijs scilicet Grammaticalibus. Grāmatici vt synonima tradunt: *Nonnullos, & aliquos,* qua Poëtica licentia nōnulli ad paucissimos sunt redacti? Metaphrastes melius legit quam habeat Dionysij Abbatis versio, videlicet: *claudicabunt non pauci.* Visio vero statuæ S. Francisci ostensa nō respicit multitudinē, vel paucitatē bonorū, vel saluandorū in sua religione, sed graduationē actuum virtutum, eaq; significatum, vt procedente tempore toto genere nō sint cōmuniter æquandi posteriores prioribus, qui primitias spiritus acceperunt, eundē feruorem retinendo. nūquam tamen reuelatum maiorem improborum numerum fore, vel præscitorum: & hæc etiam visio omni Ecclesię statui cōmunis est. vnde Greg. *In Samuele, ait, nouum sacerdotium diximus designari. quid est quod senuit, nisi quia per decurrentium spacia temporum S. Ecclesia ducitur, in nonnullis sacerdotibus conuersationis pulchritudo veteratur. Senuit autem Samuel quia vigor authoritatis emarcuit. Quasi enim iuuenis erat Samuel quando Sacerdotum ordo solis cœlestibus desiderijs inhians, dum nulla terrena quærebat, quo efficacius superna prædicare poterat, eo ad ea nihilominus verbis, & exemplis subditorum animos ascendebat. Valebat enim robore, & iuuenili pulchritudine radiabat, dum vim cœlestis verbi in splendore ostenderet Sanctæ conuersationis &c. nam & mortuas animas viuificabat verbo, sed miro flore iuuentutis enitens mortua corpora resuscitabat imperio. Cū & cæcis visum, claudis gressum, & omnibus ægritudinibus medelam tribueret, & adeo Sanctissima conuersationis pulchritudo radiabat, vt maioris virtutis esset*

Hie. Pet. Blesen. ep. [illegible]

Apud Sur. 14 Mai.

Lib. 4. 1. Reg.

ſet hoc non poſſe viuere, quã alio alijs ſubuenire.o Velut ergo in iuuentute vigebat Samuel quand_ in ordine ſacerdotũ pariter fulgebat, & mira vir_tus operis, & tã immenſa pulchritudo Sanctæ cõuerſationis, ſed iã dictum eſt quod Samuel ſenuit, multa enim tempora elapſa ſunt ex quibus multi eorũ amorem ſæculi ſequuntur, quorum virtute depelli gaudia mundi ab aliorum cordibus debuerunt. Quod tamen non idcirco dicimus vt Sanctæ Eccleſiæ nonnullos viros religioſos habeat, ſed quod pauci ſunt qui in prædicationis culmine perfectè nouerint mundum contemnere, & ſummis deſiderijs inhærere. Vbi Gregor. in ſtatu Eccleſiaſtico religioſos comprehendente, nõ reſtringit ſe ad paucitatem ſeruantium præcepta Dei, & prædeſtinatorum, cum non paucos ſimpliciter, ſed comparatè in eis aſſerat reperiri perfectos, videlicet perfectè mundum contemnẽtes, qui à principio erant, capite aureo perfectionis in ferrum, & lutũ deſinente. An maior auctor columbæ gemitus, Gregorio in cuius auribus diuinitus columba inſuſurrabat? Semper ad-

Serm. 6. de Aduent. uertes, ait S. Bernard. *in omnibus ferè congregationibus viros repletos conſolatione ſuperabũdantes gaudio, iucundos ſemper, & hilares feruẽtes ſpiritu, die ac nocte meditantes in lege Dei, crebro ſuſcipientes in cœlum, & puras manus in oratione leuantes, ſollicitos obſeruatores conſcientiæ, & deuotos ſectatores bonorum operũ, quibus amabilis diſciplina, dulce ieiunium, vigiliæ breues, labor manuum delectabilis, & vniuerſa denique conuerſationis huius auſteritas refrigerium videtur. Contra ſanè eſt inuenire homines puſillamines, & remiſſos, deficientes ſub onere, virga, & calcaribus indigentes, quorum remiſſa lætitia puſillanimis triſtitia eſt, quorum breuis, & rara compunctio, animalis cogitatio, tepida conuerſatio, quorum obedientia ſine deuotione, ſermo ſine circumſpectione, oratio ſine cordis intentione, lectio ſine ædificatione, quos denique, vt videmus vix gehennæ metus inhibet, vix pudor cohibet, vix frenat ratio, vix diſciplina coercet: non tibi horum in vita inferno appropinquare videtur? dum intellectu affectui, & affectu intellectui repugnante, neceſſe habent mittere manum ad opera fortium, qui cibis fortium minime ſuſtentantur, ſocij plenè tribulationis, ſed non conſolationis.* & licet mox concludat, quod talium vita non ſolum ſit periculoſa, de moleſtiſſima plena miſeriæ, & doloris, & inferno plane proxima, & vmbra mortis. nunquam tamẽ, quod approbat Vindicianus, deſcripſit, plurimos eſſe ſalutem perdituros ne dum maiorem partem religioſorum collocãs inter mortuos ſæculi, ſed & inferno inferiori. *Interim qui Deo religionibus deſeruitis, ne deſperantes voſmetipſos à via iuſta excidatis* (alloquar cum Bernard.) *obliti quæ retro ſunt, prætermiſſis ſcandalis, quæ iuxta iter, vobis à dextris, & ſiniſtris poſita ſunt, in anteriora veſtra vos extendite. Si enim ad ſingula volueritis vel laudatoribus reſpondere, vel cum detractoribus litigare, tempus perditis cuius in propoſito ſancto non leuis eſt iactura.* Hæc ſunt ergo Vindiciane, quæ expenſa, & inuentus es in ſtatera minus habens. Iam verò quod expenſis calculis denigrandum Graninam pronunciaris (*purpuratum Principem à ſe etiam mirificè commendatum, ſuſceptum, ac ſi opuſculum de gemitu columbæ à circulatore æmulo, aut liuido regularium æmulo inter infames tibias, & Sibariticas dapes decantatum fuiſſet*; & quod peius *eundem Principem quem paulo ante laudauerat ſugillarit, quod minus digeſſerit, quæ publicè foro commiſſa vellet*; Malus appenſor es Vindiciane, & ma-

lus arbitrer, vnde verbis Bleſenſis, *in tuam,* *Petro Bleſ. ep. 89.*

tuorumque ruinam complicum, fabâ hæc recudetur in caput tuum, omnis enim fraus in ſe reuerſa colliditur, de dolo non colliges niſi fructum doloris, & orditus es telam, vt diploide veſtiaris. Verbum Eſaiæ eſt. Qui ordimini telam in vmbra Aegypti confidentes, diem amaritudinis expectate. maledictus *inquit Salomon ſuſurro, & bilinguis in populis, turbat enim pacificos.*

Certè nihil indignius quã linguam exa- *Epiſt. 4.*
cuere aduerſus fratrem ſuum, multo magis *Exod 22*
in Prin-

in Principes.præclarè Blesensis. *Verba quibus vita Principum deprauatur, occultari non possunt, atque in publicum deducta magnorum suscitat indignationem, & authoribus suis vertuntur in malum*, scriptum est *Principi populi tui non maledices*. multo magis Principi Sacerdotum:eoque turpius est quo lædere facile est ex sententijs tetrastricis.facile autē *& pastinaca, & scorpius mortem inferunt. vnde nec sapiens quisquam præclarum nomen sibi potest assumere, quod nocendi facultatem habeat, cum leuissima animalcula mortem inferre possunt*. Quare non mediocris punctura tua est, quod veluti scorpius dum defensionē simulas, acriter pungis. Quæ punctura est Cardinalis amplissimi quod suæ propositiones de assertis scandalis religiosorum, eorundemque ferme corrupto statu, & paucitate saluandorum, vel B llarmini negentur, vel exponantur, vel ad summū de excessu(qua decebat modestia) arguerentur?an pastinaca vel scorpius fuerunt Nathan, vel Paulus, ille cum Dauid, iste cum Petrum arguebat? *Nemo* (dicebat Gregor.) *est qui ita viuat, vt aliquatenus non delinquat, ille ergo se amplius veritatem desiderat amari, qui sibi à nullo vult contra veritatem parci. Hinc etenim Petrus increpationem Pauli libenter accipit. Hinc Dauid increpationem subditi humiliter audiuit, quia rectores boni dum priuato deligere amore se nesciunt, libera puritatis verbum obsequium humilitatis credunt*. non fieri (dicebat Damianus) *sibi credat iniuriam Prælatus, cum à minori corripitur, sed consulentem potius, vel medicum sui vulneris arbitretur. Nunquid enim Nathan Propheta cum Dauid tam austeræ seueritatis inuectione corripuit indignationem Regis mortis incurrit? &c. & Petrus reprehensus à Paulo non in accusationis tulit iniuriam, sed benigne, & patienter accepit quod non ex liuore, sed ex charitate procedere perspicuè recognouit*. aliud est sagittare in occulto rectos corde; aliud ad amorem sagittare:primum detractorum est:secundum amantium corrigentium. Nardus erat anima illa Cardinalis Deo deuota humilis in hac valle plorationis, nec inferiorum correctiones sale prudentiæ conditas respuebat. *Perfectus autem humilis* (ait Bernardus) Vindiciane *non solum est intellectu, sed & affectu, intellectu quo quis qualis sit intus se agnoscit, & dicitur humilis veritate, affectu quando in præparatione animi eandem velles* (ait Bern.) *de te tenere sententiam quantum in te est, quoniam plerumque non expedit innotescere omnibus, quæ nos scimus de vobis, & ex ipsa veritate, & charitate vetamur palam fieri velle quod noceat agnoscenti, & quicumque saltem non est humilis veritate, illud accipit: dolose egit in conspectu eius, vt iniquitas eius inueniatur ad odium. pondus, & pondus dixit ille abominatio apud Deum: quid enim tu te depreciaris in secreto apud teipsum veritatis trutina ponderatus, & foris alterius pretij metiens maiori te pondere vendis nobis, quam ab ipsa accepisti? Time Deum, & noli hanc rem pessimam facere, vt quem humiliat veritas, extollat voluntas, hoc enim est resistere veritati*, agnouisset proculdubio in luce veritatis adductus feruore charitatis:Non expedire hoc tempore religiosorum statum corruptum prædicare, vel esse multiplicibus scandalis religiones oneratas:multo plures esse impios, quā iustos: & plurimos salutem esse perdituros, quæ cum non rectè asserta reputentur à Theologis grauioribus, vel ad minus hoc tempore minimè conducentia, vt euulgētur, admonitiones non sagittas cruentantiū, sed amantium reputasset, sub hac luce veritatis inspectas, nec vt contumeliam, vt existimas, & suggeris, admonitionē existimasset, vel propulsasset. Illud potius laudasset: *corripiet me iustus in misericordia & increpabit me*: illud quod tu facis adulādo exprobasset: *oleū autem peccatoris non impinguet caput meum*; qui sibi b[illegible] allicere videris Cardinalē, velut scorpius eundē pungis, du Turturē mordes humilitatis virtute eum priuan-

Naziauz. in 56. sent.

2. lib. cur. past. c. 8.

Epist. 12. ad Alex.

Serm. [illegible] in Cant.

Psal. 140

priuando, in admonitionis libentissima acceptatione, & dum velut apis mellitam doctrinam de amplitudine personæ tradis cum feriendo tuo morsu, & aculeo, te destruis, & si tanquam lucens ignis exardescere videaris in spinis, momento cum ipsa flamma perstrepens euanescis.

VIND. Duriorem vero existimat aculeum Anonymus, quo inquit Turtur columbam pungit, tractatum operis cum epistola nũcupatoria confundẽs, videlicet: *Quod suum fœtum Societati suæ matri dicarit, eamque vocarit viuum, & verum membrum gementis columbæ, id est Ecclesiæ, cuius velocitas ad extremas oras peruenit, omnesq; ferè prouincias orbis, ad plangendum inuitata sint, vt conuertat Deus relaxatos religiosos ad prudentiam, & feruorem Patrum iustorum*, & addit quod etiam Turtur taxarit Cardinalem *de odiosa distinctione inter deploratos, & deplorantes.*

TVRT. Si hæc omnia Vindiciane in epistola dedicatoria, & opere Eminentissimi habentur, quod & tu fateris dicendo: *Cardinalem apertissimè tradere eiusmodi distinctionem, & Sociorum suorum tanquam gementium, omnibus reliquorum gregibus tanquam lugendorum gloriabundum anteferre*; Quid est quod asseris pungi columbam, ex ostensione dedicationis operis, & progressus operis columbini, cum potius ex hac distinctione incomparabiliter Turtur lædatur? Pungitur ne quis quia pungit, an ille, qui pungitur? & tamen singultum Turturis læsi cõprimere vis ne audiatur. Si enim gementem Turturẽ comprimis dum dicis, quod

VIND. *fodit Grauina innocentis viri conscientiam, quæ ex puro sanctoque in matrem, sociosque affectu, illud amice spectabat, vt quoscunque posset ad lachrymarum bona gustanda prouocaret &c. & cum aliquot in Ecclesiæ statuum defectus gemitibus subijciendos putauit, etiam regularium sine discrimine expedire censuit, qui vitam ducerent irreprehensibilem, quod si acerrimus fuit Cassianus vitiorum religiosorum reprehensor, cur id Cardinali est denegandum?*

Gell. 4. c. 26. coll. 23.

TVR. Non foditur innocentis conscientia sed Vindiciani, qui non vnius, vel alterius, sed innumeras pene vineas non tam fodit, quã confodit, & ita fodit, quod sicut diuisiones aquarum habẽs in manu sua, irriguum superius suis clientibus quos simulatoria arte defendendos suscepit, inferius alteris distribuit. *Qui sic dimittit aquam caput est iurgiorum*, & gemitum, planctumque subministrat, & quod peius, vt à gemitu reuocẽtur, calumnia nota aspergũtur. O nouum, dicam, crudelitatis genus; si gemitus prouocatis, cur damnatis gementes? si ex præiudiciali distinctione tanquam rei existimamini, quomodo contra innocentium lamentationes, & quærelas tribunal erexistis, *auulsa* (dicebat Bernardus in naturali calamitate ex obitu fratris sui Gerardi) *auulsa sunt viscera mea à me, & dicitur mihi ne fleueris? sentio sentio quia nec fortitudo mea fortitudo lapidis.* Hæc est Tyrannorum potentia quod illatæ iniuriæ volunt vt beneficia extimentur, & patientium quærimoniæ calumniæ habeantur, vnde dicebat Seneca, *potentiorum iniuria hilari vultu, non tantum patiẽter gerenda sunt*: cum ipsi lachrymas qui plangi debent sibi assumant vice versa, & virtutem ostendant. *Irascuntur diuites* (dicebat Ambros.) *& calumniantur vt noceant, si non obtinuerint quod desiderauerint, cum autem calumniati nocuerint dolere se simulant, tristes tamen, & tanquam mœsti non corde sed vultu in possessionis direptæ locum prodeunt, & impressionis suæ iniquitate potiuntur.* Ea die qua Caius Caligula, innocentem patris cuiusdam filium obtruncari mandauit, conuiuio lautissimo pater exceptus est. Aulicis præcepit Imperator, vt obseruarent conuiuæ vultum, & si lachrymam aliquam deprehenderent, lachrymarũ fontes sanguinis cruore siccarent. Inter epulas referunt ssimas perdurauit pater. *Non aliter quam si filij sanguinẽ biberet, potiones natalibus vix honestas senex hauriebat. Interim nec lachrymas emisit, nec*

Prou. 13.

Serm. 26. in Cant.

Lib. 2. de ira. c. 33.

Lib. de Nabuch. c. 11.

dolorem aliquo signo erumpere passus est, & cœnauit tamquam pro filio exorasset; Tyranno commiserationem post epulas ostendéte, & genas lachrymulis exornante. An non Vindiciane dum calumniaris Turturem quod innocētis conscientiam foderit, eius vocem suffocas, ne gemitus emittat? tacebit ex perfectione Turtur, & ex Ambros.

Psal.118. *dabit in sepulturam os suum, vt tanquam sepeliatur os proprium ne loquatur, & velut quoddam aggere verbum obstruat, ne vocem doloris emittat, vt vocē ipsam velut busto quodam in tumulo sepeliat, quā extorquere, aut excitare possit iniuria.* Interim dum ille fontes lacrymarum comprimit, ad tuas lacrymas defensas mundus oculos conuertet, & an rationabiliter emittantur obseruabit.

CAPITIS QVARTI ANIMADVERSIO.

Vbi de plorantium, & plorandorum oppositione, Vindicianus discurrit, non leuiter sacros Ordines exulcerans.

VIND. APtum in plangendo ordinem Columbæ commendat Vindicianus, eiusdem præsupposita distinctione membrorum in viua, & mortua ex satis nota, & familiari doctrina S. August. cuius loca idem Vindicianus commemorat, & Grauinam subtili aculeo pungit, quod & si eam distinctionem acceptet, *tamen nimium contendit Christi sponsam esse fuscam, & nescio qua improborum obductione denigrari debere.*

TVRT. Sed *infixo aculeo fugit* (vt veteri prouerbio dicebatur) nec enim simpliciter enunciauit Turtur Ecclesiam esse fuscam, quam totam pulchram Spiritus sanctus prædicat, sed cum modificatione illa *auersos, &* *non dum conuersos*, citans eundem August. & vt fucum lectori faceret simpliciter pronunciasse Vindicianus Turturi imponit, quod cum modificatione secundum quid, seu secundum aliquos (exponendo idem dictum quod est August.) pronunciauit.

3. de doctrin. Chris. c. 32.

VIND. Mox Grauinam sugillat, *nimium discruciari quod Cardinalis etiā regulares personas exemplo Hieremiæ in bonas, & malas ficus, & in plures calathos iuxta visionem S. Pachomij distinxerit.*

TVRT. Cum Thessale somnium Orestis narrat, quando enim discruciatus Turtur ex illa partitione, cum in eo totus sit, & in eo conatus sit, vt in quacumque congregatione, quæ sub cœlo est, bonos, & malos reperiri demonstret? illud est quod solum impugnat Turtur, quod in vno calatho probet Vindicianus, quod columba ficus optimas selegerit, in cæteris mixturam corruptarum pronunciet. Quid est hoc (vt dicebat Aristophanes) nisi *ficos petere*, hoc est ex ista blandiloquentia, non solum cum Atheniensibus rusticis blandientibus ficus quotannis recipere, sed etiam ab Vrbanis, & nobilibus ex vnius calathi extollentia, cæterorum depressione, maiora dona expetere? exinde ad argumenta Grauinæ eam distinctionem reprobantis, non in toto genere, sed cum excessu vnius, super alias accedit Vindicianus, dissoluenda proponendo prius obiectionem, deinde adhibens potius fugam quàm vel apparentem solutionem.

I. OBIECTIONIS

Vindiciana solutio refutata.

VIND. ARgumentabatur Grauina (subdit Vindic.) *de eiusmodi distinctione, & partitione inopportunam fuisse, & præbere materiam obloquendi, propter paucorum imperfectionem in omnes ordines.*

Exemplo, filiorum Noe potius tegentium, quā detegentium verenda patris, tegenda quam euulganda religiosorum delicta.

Imitatione S. Antonini, qui si claustralium remissionem deplorauit, eorumdem instaurationem occinuit.

Quid Vindicianus? *oblitum esse Grauinam concionatoris officium, cuius est bellum vitijs indicere, & ex Bernardo planctum mouere, &*

propterea

propterea non debuisse à tam insigni Prelato auferre potestatem Regularium vitia corrigendi.

TVRT. Quis lachrymas detinuit plorantis? distributionem non probamus vt pro omnibus religionibus hinc planctus aut Threni tantum resonent, pro vna vero & sola sint hinc lætitiæ, sonitus, tripudia absque gemitibus. Cum Ioannem Baptistam repudiassent Pharisæi, illa parabola à Domino perstricti sunt. *Cui ergo similes dicam homines generationis huius* (dicebat Saluator) *& cui similes sunt: pueris sedentibus in foro, & loquentibus ad inuicem, & dicentibus: cantauimus vobis tibijs, & non saltastis: lamentauimus, & non plorastis. Venit Ioann. Baptista neque manducans, neque bibens, &c. Venit filius hominis manducans, & bibens; & dicitis: ecce homo deuorator, & bibens vinum amicus publicanorum, & peccatorum.* Significans (ait August.) nec luctu pœnitentiæ in Ioanne significata, neque ex lætitia Regni in modo conuersandi Christi Domini, Iudæos conuersos, nec ad planctum, nec ad spiritualem lætitiam. Per hos diuersa quoque instituta designauit. quædam in maxima abstinentia fundata, quædam quæ à communi vita non degenerant propter conuersationem quoque peccatorum; & his cantus, illis planctus cōuenienter aptatur. Vtraq; vituperans, Iudæorum malitiā imitatur. Sed lusus ille puerorum (ex Cyrillo relato in catena) etiam hoc habebat in more quod nec *gaudentibus congaudebant mœrentes, nec qui gaudebant confirmabant se flentibus; deinde arguebant se inuicem improperantes incompassionis malitia: tale quid* (subdit) *passam fuisse Iudæorum plebem vna cum Principibus, Christus innuebat* &c. indicans permixtum debere esse luctum cum lætitia, & deploratos vnum subire chorum cum cantantibus, ne inuicem improperentur ex incompassionis malitia. Qui enim in Domino gaudent deploratis compatiendo eiusdem se adiungere debent, & mœrentes, cum gaudentibus sociare. Partiri ergo religiosos velut illam cateruam puerorum, vt à choro cantantium excludantur, qui planguntur, & mœrent; vel è contra, vt à plangentium turba gaudentes separentur, vt inuicem, non se conforment, dissonantiam maximam parit: impermixta esset diuersitas, quæ sic ordinanda, vt ex cantantium choro deplorati non excludantur, sicut nec à mœrentibus exultantes; alioquin si mœsti ab inflantibus tibias, vel à timpanum pulsantibus segregentur, *quid* (vt dicit August.) *non audebit typhus* morticinæ pelliculæ? quo non se præcipitat *præsumptio carnis, & sanguinis.*

Luc c. 7.

Sed quis aufert à Prælatis virgam correctionis nisi qui in culpis iacere constituit? clamat Apostolus de Prælato, *vt potens sit exhortari in doctrina sana & eos qui contradicunt arguere.* Et Esaias; *clama ne cesses.* Vnde non negat Turtur quod affers Vindiciane de Apostolo dura exprobrante Neophitis Hebræis, opera mortua, iniuriam, & contemptum Christi, spe eosdem alliciendo ad salutem, sed modum desiderauit in columbæ planctu, vt opportune hæc dicerentur. Vnde Gregor. sic dicit; *ne Rector incautus ad loquendum proruat, hoc quod iam præmisimus per semetipsam veritas discipulis clamat. Habete sal in vobis &c. prouidendum quoque est sollicita, intentione Rectoribus, vt ab eis non solum* [*verba*] *praua nullo modo, sed ne recta quidem nimiè, & inordinatè proferantur: quia sæpe dictorum virtus perditur, cum apud corda audientium loquacitatis incauta importunitate leuigantur, & authorem suum hæc eadē loquacitas inquinat, qua seruire auditoribus ad vsum profectus ignorat. Vnde benè per Moysen dicitur: vir qui fluxum seminis patitur, immundus erit. In mente quippe audientium semen secutura cogitationis, est qualitas audita locutionis quia dum per aurem sermo concipitur cogitatio* [*audientis*] *in mente generatur. Vnde & ab*

Epist. 48. *Tit. 1.* *Es. 58.* *2. p. Past. cap. 4.* *Leu. ca. 15.*

huius

huiusmodi sapientibus Prædicator egregius semini verbius est vocatus. Qui ergo fluxum seminis patitur immundus asseritur, quia multiloquio subditus ex eo se inquinat, quantò si ordinatè promeret, prolem rectæ cogitationis edere in audientium corda potuisset: dumq; incautus per loquutionem defluit, non ad vsum generis, sed ad immunditiam semen effudit. Vnde Paulus quoq; cum de instantia prædicationis admonet, reducit. Testificor coram Deo, & Christo Iesu, qui iudicaturus est viuos, & mortuos per aduentum ipsius, & regnum eius: prædica verbum, insta opportune, importune. Dicturus importune præmisit opportune, quia scilicet apud auditoris mentē ipse sua vtilitate se destruit, si habere importunitas opportunitatem nescit. Inopportuna redargutio, cum imperitæ multitudini culparum mōstruositates religiosorum, & si redarguendæ proponātur. Id non intellectum (vt fingis Vindiciane) paruulis, sed magis scandalum præstat; Oues Iacob concipientes sub aspectu virgarum in canalibus, tales ediderunt partus, qualis erat virgarum varietas: nonne ad exempla Religiosorum maculati partus prodibunt, cum audiente populo lapsus Sanctorum, non secus ac ille dicere poterit Iouem sinum Danaæ inuadentem intuendo, *qui templa cœli summo sonitu concutit, & ego homuncio non facerem? & ego vero illud feci libens.* Quæ proles virtutis nascetur ex cōceptu scandalorum mentibus supplicium infixo, nisi oblocutio, & peruersa imitatio? mel virtutum religiosorum populis, nō fella ob oculos ponenda, vnde scriptum est: *ingressus est populus saltum, & apparuit fluens mel. Quid est* ait Greg *quod populus terra ingressus saltum? nisi quia religiosi, & simplices viri, per exempla bonorum operum sæpe ad notitiā sæcularium deducuntur, vbi mel apparet, quia de exemplo boni operis, apud sæculares inueniunt, & DEVOTIONIS latitudinem, & fructū VENERATIONIS. Quid est enim ager in saltu nisi deuotio in inculto, & inexpurgato corde sæcularium? & quid mel super faciem agri nisi dulcedo fauoris? qui meritò post ingressum vulgi apparere dicitur, quia videlicet aspera sæcularium corda, si prius religiosorum exempla non vident, nec latitudine deuotionis se valent distendere, nec aliena sanctitatis gloriam prædicare. Ante ingressum quidem tantum saltus est, nec agrum habet, nec fluens mel, post ingressum vero, & latitudinē agri habet, & dulcedinem mellis quia sæpe qui diligunt mundū, sanctorum exempla feruenti amore recipiunt vt bonū quod vident, sibi non solum placeat sed etiā prædicare attentius concupiscant.* Vindicianus vero mordicus tuetur rationabiliter esse intuenda proposita scandala, *quia* inquit, *pestilente flagellato stultus sapientior erit* nescie seum locum ad iustitiam vindicatiuam referri, non correctionis virgam, quæ modum, & opportunitatem requirit. Nonnè velle publicè ea redarguere, & si publica, est fel in saltu potius apparere, vt non possint amplius sæculares, nec deuotionis latitudinem colligere, & fructum venerationis? fel potius erat abscondendum, & solummodo mel, exempla bonorum, intuenda proponere Israelitico etiam populo per Moysen à Domino iubetur (vt idem aduertit Greg.) *vt cum quis egreditur ad requisita naturæ mittat paxillum in balthoo, & fossa humo abscondat, quæ egesta fuerint* vbi Greg. *Ventris quippe egestio fossa humo paxillū legitur, cum mentis nostræ superfluitas subtili redargutione discussa, ante Dei oculos per compunctionis suæ stimulum celatur* Solus Vindicianus, quæ occultanda sunt in publicum apparere non cogitans, oculis transeuntium subijcit, quod si terrenæ cogitationes nostræ ab ira districti Iudicis in humilitate mentis cęlantur ita aliorum defectus, maximè religiosorum cælandi, non fossæ effodiendæ, vt malus odor exhalet, cum nostrum curare sit vt simus Christi bonus odor in omni loco.

Exemplum verò filiorum Noe à Grauina adductum sic impetit Vindicianus, quod

Aug. li. 2. de Ciuit. c. 7.

1. Reg. c. 14

Ibid. lib. 5.

Prou. c. 9.

31 Mor. c. 13

VINDIC.

quod *ad rem non faciat, ad subditos potius pertinet, & reliquos, qui nullum, vel angustum in aliorum correptionem ius habent. Nunc autem* (ait Vindicianus) *Bellarminus scripsit, quæ Prælatum Ecclesiæ decebant, eumq; qui magis purpuram, quam illa virum ornaret.*

TVRT. Sed ad omnes quoque Doctores, & magistros in suo tamen ordine, & gradu idem exemplum extenditur, inter quos religiosi & sacerdotes qui populum instruũt, qui meritò dicunt: *subiecit populos nobis*, sunt enim ex administratione Sacramentorum, & prædicatione verbi, populorum ductores; quamuis principalius Patrum nomen, Episcopi, & supra sortiantur: In quibus omnibus si non sit aliquod imitandum, nullo modo propalandum: *subtilis namque* ait Gregor. *via tenenda est rectitudinis, & humilitatis, vt sic reprehensibilia magistrorum facta displiceant, quatenus subditorum mens à seruanda Magisterij reuerentia non recedat, quod bene in Noe inebriato exprimitur, cuius nudata verecunda boni filij auersi texerunt. Auersari quippe dicimus quod reprobamus. Quid est ergo quod filij verecunda patris superiecto dorsis pallio auersi venientes operiunt; nisi quod bonis subditis sic Præpositorum suorum mala displiceant, & vt tantum hæc ab alijs occultentur; operimentum auersi referunt, quia iudicantes factum, & venerantes magisterium, nolunt videre quod tegunt.* Nec Prælatis quoque verenda fratrum detegere licet, hoc est non seruato ordine charitatis, & opportunæ redargutionis. Vnicuique enim Deus mandauit de proximo suo. Vnde Chrysostomus vbi factum Cham recensuisset, & pœnam, mox ad omnes sermonem dirigens dicit: *Quid patientur, qui peccata fratrum euulgant, & non solum non contegunt, & excusant, sed magis ea faciunt manifesta, multaque ex hoc operantur peccata? quando enim manifestas fratris peccatum, non illum tantum ignominiosiorem fecisti, & segniorem fortè ad virtutis viam, sed & eos qui audiunt facis negligentiores, & ad socordiam inducit: neque enim hoc solum, & Deum blasphemare facis*; vt ibidem eleganter Sanctus prosequitur, concludens: *Ne detegamus proximorum lapsus, & si ab alijs eos didicerimus, ne satagamus vt nuditas videatur, sed sicut grati illi pueri obtegamus, adumbremus, admonitionibus, consilijs.* Nouum est certè quod concedis Prælatis priuilegium, quod non concluditur sub regulis charitatis, & solis subditis, non detegere verenda Prælatorum præceptũ intimari doces; eos vero, qui in alios ius habẽt à præcepto eximis; idque docuisse Cardinalem, qui potius *purpuram honorabat, quam ab illa honorabatur*, adiungis; tot peccata in tam ventosa periodo committens, quot verba pronuncias, dum Cardinalem à charitatis legibus exemptum facis, ius alios corrigendi plus quam par est, extendens, & Cardinalitium consessum tot Eminentissimorum virorũ virtutibus cumulatum, atque refertum, & splendoribus emicantem, ex vno radio illustrari potius, quam omnes simul vnum illustrare pueriliter iactans.

20. Mor. c. 15.

Hom. 29. in Genes.

VIND. In Sancti Antonini exẽplo, arguta subtilitate discrimen inuenire te putas, quod *S. Antoninus historiam texebat; Bellarm. Ascetæ officium subibat, nec à S. Antonini vestigijs declinauit qui benignum affectum in regulares* (inquit Vindicianus) *effudit, se & alios ad orandum pro illis incitauit, easq; lacrymas elegit, quæ mores in meliora studia commutaret.*

TVRT. Sed satis elumbe discrimen Vindicianus inuenit. Quid enim refert quod defectus aliorũ, vel Philippicè pandas, vel Asceticè monstres, aut historica diligẽtia manifestes? fortè solummodo prohibendi libri qui non historicè, sed Asceticè Prælatorũ, & Religiosorũ defectus enunciãt? quasi nõ æquale periculum immineat honori, & famæ proximi si Asceticè describantur delicta, & non historicè recenseantur. Si culpa hæc extenuari posset, historicus minus culpãdus, cuius est verũ nõ reticere si defectus

nõ promulgãdos promulgat, & propterea culpatur quia non rectè promulgat; & magis Asceta, qui doctrinã parænеticam tradens, quid seruandũ sit correctione, & reprehensione, ipse nõ seruat. Credo Præsulẽ, Præsulis vestigia sectatum: nec lacryma, vel oratio, & huiusmodi actionẽ inopportunam illam reprehendẽdi ordines omnes sine delectu personarum, & tẽporis iustificare possunt, & si intentio excusari possit: nã & virga, & baculus correctionis opportunæ ipsa sunt, quæ consolantur, *si sit amor, sed non emolliens*. In reprehendendo (vt dicit Greg.) *sit rigor, sed non exasperans, sit zelus, sed nõ immoderate sæuiens, sit pietas, sed non plusquã expediat, parcens: vt dum se in arce regiminis iustitia clementiaq; permiscent, is, qui præest corda subditorũ, & terrẽdo demulceat, & tamen terroris reuerentiã demulcẽdo cõstringat*: & sic emẽdationis fructus habeatur, vt nullo modo religiosorum iniquitas propaletur &c.

2.p. Past. c.6.

II. OBIECTIONIS
Vindiciana solutio improbata.

IMprobat *distinctionem Grauina* (ait Vindicianus) *deplorantium à deploratis quod in deplorantibus collocentur viua membra, in deploratis arida reponantur, eo argumento, quod viua membra, in oculis Dei pateant: proinde cui tribuitur munus plangendi recordetur non in se, sed in Domino gloriari: demum non ad omnes omnium ordinum professores viui membri laudem extendendam, sed ad eos qui vera viuaq; charitate informãtur*. Quid Vindicianus fatetur, *nonnisi ex sola charitate viuos esse filios Ecclesiæ & tamen rigidam*, ait, *censuram Grauinæ, neque admitte re posse: nam*, ait, *sacræ litteræ non discernunt Dei amicitiam tantum ex Deo cognitis arcanis donis, sed ex legitimo vsu donorum infinitus enim thesaurus est hominibus, quo qui vsi sunt participes facti sunt amicitiæ Dei, propter disciplinæ dona commendati, disciplinam intelligens initium sapientiæ, quæ disciplina concupiscentiæ, & cura disciplinæ dilectio, dilectio custodia legum, custodia legum consummatio incorruptionis, incorruptio facit esse proximum Deo; in qua gradatione indicia clarissima viui membri habemus, etiam si corda non scrutemur: etiam S. August. hoc modo cum Ioanne discreuit paleas à tritico, absq; respectu ad veram & vitalem cuiusq; charitatem quæ Deo comperta manet.*

VIND.

TVRT. Gloriatur Grauina quod rigida sit eius cẽsura, etiamsi vt dixit ille [*Vexet censura columbas*] nam cum ex insigni laude veri, & viui membri quis extolli poterat, nõ ad indicia, sed & ad rei veritatem secundum se & formaliter (vt magistros loqui decet allocutus est) de verè enim viuo mẽbro tractabatur, ac proinde ad formale constitutiuũ oculos direxit, ad charitatem, qua cũ discernantur pij ab impijs, id nõ potest nisi oculis sponsi innotescere. Vnde se extollẽdi ex hac ignoratione præsidium? & si manifesta sint opera carnis, vt non difficile cognosci queãt impietatis radices; fructus tamen spiritus non demonstrant manifeste radicem, cum eosdem hypocrisis possit simulare, & potest mentiri iniquitas sibi, & de sua iustitia applaudere: sunt enim, ait Greg. *nonnulla quæ sciri à nobis facilè nequeunt, etiam cum geruntur, nam sæpè recto studio cõtra delinquentium culpas accendimur, & cum vltra æquitatis metas per iram rapimur, hoc zelum iustæ districtionis extimamus. Sæpè officium prædicationis assumimus, vt per hoc fraternæ vtilitati seruiamus, sed nisi placeamus cui loquimur, nequaquam libẽter accipitur quod prædicatur &c. Horrendum, modo vnum, idemq; opus culpa peragit, quod virtus inchoauit. Sæpè & ab ipsis exordijs aliud cogitatio expetit, alia actio ostendit. Sæpè se fidelẽ sibi, nec ipsa cogitatio exhibet, quia aliud ante mentis oculos versat, & longe ad aliud ex intentione festinat: nam plerumque nonnulli terrena præmia appetunt, & iustitiam defendunt, seq; innocentes existimant, & esse defensores rectitudinis exultant, quibus si spes nũmi subtrahatur, à defensione protinus iustitiæ cessatur, & tamen defensores iustitiæ se cogitant, sibiq; se rectos asserunt, qui nequaquam rectitudinem, sed num-* 9.mor.c.15

mos quærunt &c. sæpè rectà agimus, nequaquam præmia, nequaquam laudes ab hominibus expectamus, sed tantum mens in sui fiduciam erecta, his à quibus nihil expetit, placere contemnit, eorũ iudicia despicit, seq; malè liberum per abrupta elationis rapit, & inde sub vitio peius obruitur, vnde quasi deuictus vitijs nullis se appetitionibus subiacere gloriatur &c. vnde rectè dicitur: etiam si simplex fuero hoc ipsum ignorabit anima mea. Quare cum non possit amicitia cum Deo (etiam fatente Vindiciano) non nisi indicijs deprehendi, quæ nec certam exhibent cognitionem, propterea non se existiment esse certò de viuorũ numero laudati fictè Vindiciani clientes, ac proinde quasi ex officio sibi assumere debere Threnos, & planctũ: & si ex indicijs quæ deprehendit affectum prauum non cognoscat se habere deplorans, de charitate adhuc incertus, si pro charitate de aliorum defectibus dolet, de hoc dolẽdum quoque, quod adhuc proximis, & de Dei donis sit incertus, & in spem assurgat, ad sanctas operationes exercendas, etiam alios plangendi, ita tamen, vt seipsum quoque plangat. vnde Gregor.
4. mor. c. 18. *Viri sancti ita incerti sunt, vt confidant, atq; ita confidunt, vt tamen ex securitate non torpeant, quia ergo plerumque mens, & in perfecta rectis actibus trepidat: restat postquam bonum opus agit, lachryma expiationis exquiratur, quatenus ad æterna præmia meritum recti operis subuehat humilitas postulationis,* alioquin si solis indicijs fallacibus inhærebit, & non in Dei bonitate confidat, & de eius iustitia, & iudicio trepidet, quantumuis lacrymis obruatur, se potius merget, quam emerget, & potius inquinabitur, quam mundabitur, etiam si alios lacrymis lauare videatur; *sunt namque*
Cap. 19. *nonnulli,* ait Gregor. *qui lamenta habent, sed humilitatem non habent, quia afflicti plangunt, sed tamen in ipsis fletibus, vel cõtra proximorum vitam superbiunt, vel contra ordinationem conditoris eriguntur. Hi nimirum, aquas habent, sed niuis aquas non habent, & mundi esse nequeunt quia humilitatis fletibus minimè lauantur, sed etiamsi lamentis supernæ compunctionis plangentes mundarentur* (vt ponderat idem Gregorius) *intentam etiam Deo animam ipsa adhuc corruptibilis caro diuerberat, eiusq; amoris pulchritudinem obscurans, & illicitis cogitationum motibus fœdat.* & lacrymarum fluentis indiget, vt leuiculas culpas abluat.

III. OBIECTIONIS

A Vindiciano oppugnata vindicatio.

ET hic Vindicianus reprehendendum pronunciat Grauinam dicentem; *Non debere astringi solum planctum super alios ad sola viua membra, cum omnium sit membrorum causa communis, & in omni congregatione mali bonisque admisceantur: vnde intulit, quod non est aliquis cœtus dicendus membrum viuum, vnde, nec Ecclesia membrum viuum attitulatur, sed corpus quod membra viua, & mortua continet.* VIND.

Merito non fecit separatum cuneum Grauina flentium atque dolentium, sed permixtè in omni religione deploratos, & deplorantes permiscuit, propterea omniũ esse causam communem voluit, ne vnus se aduersus alterum inflaret, sed quo artificio Vindicianus plangendi communem causam facit? TVRT.

Omnibus ait mortalibus gemendi necessitatem incumbere, sed cum discrimine inter mortuos, & viuos: mortui deflere debent, vt vitalem (ait) *auram recipiant: viui se, & alios plangere vt adeptam spiritus copiam vbique conseruent, & adaugeant: sic Esaias reos, & innocentes inuitauit ad fletum: sic in Prato Sophronij Georgius excitauit vnumquemque ad plorandum se, pro sua noxa, vel innocentia, & in alios commiseratione, ita & Bellarm.* ait, *idipsum præstitit, quin? idemmet iustus potest habere rationem deplorantis, & deplorati, dum à bonis meritis culpas abstrahit, quarum intuitu, & deformitate turbatur, vnde, & Apostolus turbatur de corpore mortis huius, etiamsi maximis donis esset cumulatus.* & idẽ ait, *esse deplorandos alios, ac seipsum per abstractionem malorum à bonis meritis, & factis &c.* VIND.

TVRT. Dicat Vindicianus, & fateatur, si in ea parte corrupta sint viui, qui aliorum errata valeant deplorare, & seipsos quoque pro sua culpa, vel erga alios, ex innocentia, & commiseratione, & illa subtili abstractione, sint quoque ijdem qui plangentes, & deplorati? Si affirmet: illa est causa communis quam euincebat Turtur, vt in omni statu sint deplorantes, & deplorati, ac subinde viua; & mortua vbique membra, in omni congregatione reperiantur. Si neget, separatus cuneus in superbiæ monte à Vindiciano locatur, qui eò damnabilior, quo elatior rectè Blesensis. *Superbia natione cœlestis est, semper in altum nititur, vt grauius cadat*; erudiantur isti lamentatores, & deploratores aliorum ordinū à Gregorio, quod *plerumque vni eidemque homini, & insunt quadam iudicabilia, quæ apparent, & magna quæ latent. In nobis autem sæpè magna in facie prodeūt, & nonnumquam, quæ reprehendenda sunt, occultantur. Hinc ergo humilianda est nostra mentis elatio, quod, & illorum, infirma sunt, & in publico nostra vulgantur. Quæ ergo de aperta infirmitate reprehendimus, superest, vt de occultæ fortitudinis æstimatione veneremur, & si de aperta se infirmitate nostra mens eleuat, occulta sua infirmitate considerans se se in sua humilitate premat.* Eam vero propositionem defendit, quod cum vna communitas Ecclesiæ alteri comparatur, non potest viui membri totaliter, quoad omnes, sibi rationem vindicare, ne tota illa congregatio in se continere videatur solos viuos. Nobilius est viui nomē quàm Sancti, viui enim membri ratio complectitur illos solum qui per charitatem quoque Christo incorporantur, vt definit Concil. Tridentinum: Sancti vero etymon nedum charitate præditos, sed quoscumque, etiam si non omnes charitate ornati sint fideles, ex fidei professione complectitur, vnde Paulus scribens omnibus Christianis, qui Romæ erant, Sanctos eos vocat: *Omnibus qui Romæ sunt vocatis sanctis.* Vnde ad excludendam existimationē Catharorum, & aliorum Nouatorum dicentium solum viua membra pertinere ad Ecclesiam, noluit Ecclesia viuam se attitulare, sed sanctam, ne peccatores qui mortua membra sunt excludi viderentur.

Ep. 90.

33. mor. c. 8

Sess. 6. c. 19

Rom. 1.

VIND. Solam autem Vindicianus Societatem defendit callide, & fictè: *posse dici verū, & viuum, membrum, quando per Antonomasiam, ait, vrbs opulenta dicitur propter multitudinem potētiorum habitatorum; integer exercitus victor, etiamsi non omnes milites pugnæ aleam subierint, & Ecclesia viuum Christi membrum, & tota pulchra dici nihil prohibet, non secus, ac vetus Hierusalem domina gentium, & Princeps Prouinciarū pronūciabatur, vt supponitur ex materia de fide.*

TVRT. Sed alia est ratio membri viui, alia ratio sancti: ratio viui consistit in viuificantis gratiæ, & charitatis vita: at hæc non est forma constitutiua Ecclesiæ corporis: admittimus comparationē in ordine ad sanctitatem, nō in ordine ad esse viuum. Si ergo non constituitur Ecclesia per esse viuum, multo minus constituuntur in esse cætere communitates Ecclesiæ, ex eadem enim specifica forma totum, & partes denominātur. Ratio sancti consistit in gratia principaliter: minus principaliter in fide, fideique professione, quod vniuersalius est, cū ergo sanctitas analogicè vniuersa complectatur mēbra Ecclesiæ: esse vero viuum nequaquam, sancti nō viui rationem assumpsit Ecclesia, & quamuis viuam se potuisset attitulare, non membrū viuum, sed corpus viuū se attitulasset, & in ea acceptione, neque denotata fuissent omnia membra viua, sed propter multa membra viua, viuam se attitulare potuisset; cæterum membrum viuum totalitatem eiusdem membri interdum significat, vt si viuum sit, nulla eius pars excludatur, vt auris, nasus, quare ne putetur quod omnis pars Ecclesiæ sit viuificata spiritu gratiæ, membrum viuū noluit se appellare, & si Vindicianus

nouus

nouus Adam omne quod libuerit appellare, ipsum erit.

VIND. Quid inde conficitur discursu Vindiciano? *potest Societas dici verum, & viuum membrum Ecclesiæ, quia multi sunt in gratia.*

TVRT. Sed quæso te, quid amplius habebit præ cæteris? an ita aliæ religiones sunt mẽbra mortua, vt nulla in aliquibus, vel multis vitæ gratiæ signa appareant? & si vel vnus esset, aut duo (vt ad hominem arguatur contra Vindicianum) eadem ratione propter illos paucos, cur non vocas viuum membrum congregationes ordinum reliquorum? si propter paucos victores, addo si propter vnum victorem, exercitus dici potest victor, imo, & si cum Societas aliqua, vel communitas totius Societatis debitum persoluit, vel quęlibet satisfecisse dici posset de rigore iustitiæ, cur viui rationem à tota communitate excludis, propter multos quos prætendis mortuos? non omnes ergo selectos milites fatearis necesse est, *nam & multi sunt*, ait Greg. *qui volunt*
7. mor. c. 12. *esse humiles, sed tamen sine despectu, esse contenti proprijs, sed sine necessitate, esse casti, sed sine maceratione corporis, esse patientes, sed sine contumelijs volunt, cumque adipisci virtutes quærunt, sed labores virtutum fugiant, quid aliud quam exhibere belli certamen in campo nesciunt, & triumphare in vrbibus de bello concupiscunt?* Itaque qua conditione ergo cessat comparatio, & erectio super cęt. alioquin si se effert hoc primum damnum patitur (ex Greg.)
Lib. 34. mor. c. 18. superbus, *quod clauso cordis oculo iudicij æquitatem perdit: nam cuncta, quæ ab alijs bona geruntur displicent, & sola ei quæ ipse, vel prauè egerit placent, semper aliena opera despicit, semper miratur, quæ ipse facit, quia & quicquid egerit egisse se singulariter credit, atque in eo quod exhibet per gloriã cupiditatem sibimet fauet per cognitionem, & cum se in cunctis transcendere cæteros existimat, per lata cogitationum spacia, secum deambulans laudes suas tacitus clamat.* Sed non ignorabat (dicit Vindicianus) Bellarminum, suo VIND.
gemitu mortua regularium membra proscindere; *cum omnibus mortalibus incumbat plangendi necessitas malis, & bonis; illis, vt vitã recipiant; his vt adeptam vitam conseruent, & adaugeant, vnde omnes habitatores Hierusalem innocentes, & rei* (ait Vindicianus) *ad plangendum inuitantur*, & Gregorij solitarij dicto confirmat, quem legimus, *vel pro sua noxa, vel innocentia, & in alios commiseratione ad plangendum inuitasse.*

Non contemnit Turtur hanc explica- TVRT.
tionem, dummodo in Societate fateatur Vindicianus esse membra mortua mixta viuis, sicut in omnibus religionibus fatetur Turtur, imò ea proprietas est iusti plangentis, quod (vt ait Ambrosius) *se accuset pro alio, etiam si ipse non habeat, quod accuset*, quod autem vt alios accuset, seipsum excuset, non iustus sed Pharisæus deprehenditur: & præstat tunc peccatoribus, & cæteris mortuis membris numerari, & per pœnitentiam reuiuiscere, quàm superbiẽdo, aliorum commiseratione, à iustitia cadere. Existimant se alij esse cœlos stillantes stillas lacrymarum super corda peccatorũ, sed nesciunt multoties deploratos in meritis deplorantes excedere, nam ex Chrysologo de aquis fletuum cantatur illud, *& aqua, quæ super cælos sunt laudent nomen Domini.* & iterum *en mutatur ordo rerum, pluuiã* Ser. 13.
terra cælum dat semper, ecce nunc rigat terra cælum, imo super cælos, vt vsque ad Dominum imber lacrymarum prosiliat. Sint ipsi innocẽtes, sufficit cæteris religiosis, vt sint pœnitentes, & super cœlos ex humilitate collocentur.

In vnoquoque (subdit Vindicianus) *possu-* VIND.
mus distinguere plorantem à deplorato, sicut Apostolus in seipso inferiorem à superiori distinguebat, vt mens à bonis meritis se abstrahens, malefacta deploret, similéque Greg. aduertit in pœnitentia Magdalenæ, & (subdit Vindicianus) *idem iuris esse in alijs deplorandis, quod in seipso,*

 idest,

id est, vt illum explicemus, vt sicut idem est deplorans, & deploratus, abstrahēdo mala facta à rectis, ita respectu cęterorum ad ipsum fieri potest, vt plangenda, à bonis factis in alijs separemus.

TVRT. Vtique si id præstitum esset à gemente Colūba, vel si id explicatū esset, nulla Turturis compositione opus fuisset, nunc vero, quia humilis Societas non suorū peccata plangēda, sed ad aliorum ordinū putrida asserta cadauera collacrymandū expressis verbis inuitata est, sola à planctu de delicto è culpa inuitata videtur excludi, quæ ad solam ex commiseratione deplorationem stimulata. qua ergo fronte contra Grauinā concludis Vindic. non illis solis, sed omnium viuis religionū mēbris negotium alios plangendi Bellarminū præscripsisse? & licet ab omnibus Christi fidelib. Columbæ auctor gemitus exposcat cap. 2. & c. speciales lacrymas, à suis videtur peculiariter exigere, dum specialiter suam matrem ad plangendum inuitat, quasi isti sint Metaphysici, qui merita à culpis abstrahētes exitus aquarum deducant, super noxas pœniteat religiosorum, etiam si virtutibus floreant, & multo magis si cum bonis operibus intendant super numerosam multitudinem, & relaxationem, imo corruptionem omnium ordinum religiosorū. Semel accipe Vindiciane qui recusas, & refutas Turturis benignas excusationes cum merearis accusationes, raros esse innocentes, multo plures pœnitentes, & peccatores, in quibus *quædam sunt peccata viua, quædā quæ occiduntur, viua* ex Gregor. *quæ aut in mente adhuc per concupiscentiam regnant, aut quæ per conuersionem contempta, sed per pœnitentiā adhuc non sunt deleta, illa quidem viuunt adhuc ad voluptatem, ista viuunt ad pœnam: quia & si peccare deseruimus, nisi commissa plangamus commissorum obligatione retinemur.* Deploratorū ergo communior causa videtur, quæ non ad reputatos relaxatos restringenda erat.

In 6. I. Reg. c. 15.

CAPITIS QVINTI ANIMADVERSIO.

Vbi quàm legitimè Grauina Cardinalem excuset, ostenditur, & sardonico risui Vindiciani insultantis occurritur.

SVMMA CAP.

In eo autem plangendi genere excusatur columba, quæ ex feruenti zelo, vt in multis sanctis accidit, excessit, vt propterea opus de gemitu columbæ alium Parentem habere sit existimatum. Sed si deplorantis columbæ geminus fœtus, lapsus venialis fuit, quo magni nominis Doctores etiam irretiti quem charitate Christiana Turtur etiam excusauit & modificauit.

VIND. IRonicè Grauina adhuc impetitur à Vindiciano dicente, quod *ex aulica consuetudine didicerit Principum auribus parcere, neque vel absentibus obiectare, quæ olim innotescēt, vnde Paulus in Principem Sacerdotum pro latam vocem liberius mitigauit; idcirco Cardinalem, si in correctionis verbo, zelo, & pietatis feruore excessisset, excusandum suscepisse palamque professum, tantum aduersus furiosorum linguas, qui verba columbæ malitiosè distorquerent, defensiones parasse. Quam autem ingeniosè pium Grauina propositum executus sit, amico lectori monstrare constitui.*

TVRT. Non ex aulica consuetudine Grauina didicit Principes maximè sacerdotali prę eminētia insignitos revereri, sed è scripturarum penu, & PP. doctrina quorum libros terit, solam cellā diligens, non curias Principum frequentare (quorū scalæ ambitiosorum & ociosorum vestigijs attritæ, & pœne consumptæ) didicit ex Blesensi, quòd *Sacro eloquio pollens, qui tenetur fontes deriuare suos, talentumque sibi à Domino traditum cum lucro ad Dominum reportare, omnino inexcusabilis est, si curialibus vinculis se innectit.* Si interdum illas adit, nonnisi ad Ecclesiasticos pergit, ad Archiepiscopale Palatiū, ad Sancti Officij tribunal, quod sui muneris est præstat, non vt fauores captet, vel tempo-

Ep. 14.

temporalia bona, quæ tãdem assequuntur venatores, & aucupes Dominorum, quibus obsequia exhibent, prædam magis sequentes, quam homines. Vnde non vt aulicus, sed vt Theologus reuerentiã quibus debeatur, didicit, & ex ijsdem Tribunalibus apprehendit, quomodo temerariæ, scandalosæ propositiones expurgãdæ sint, & censurandæ.

Quod vero minus feliciter Grauina suũ propositum in reuerentia erga Cardinalẽ assecutus sit eundem excusando, hoc argumento probat, Logomachia se crucians.

VIND. *Excusatio ait reum fatetur, non absoluit, solũ delicti grauitatẽ minuit* (ex authoritate Gre-

Lib. 8. ep. c. 51. gorij) *Si ergo Grauina excusationes pro Cardinali texit, malè consuluit eius innocentia, præsertim adhuc in dicta causa: quod præcipitandi genus in Exconsule Leontio vehementer reprehendit*, hic discursus Vindiciani.

Si præcepta Platonis Grauina seruare

TVRT. voluisset, illud de Legibus transcripsisset Αγὼν οὐδέχεται χήψεις, id est, *certamen non admittit excusationes*: acrius in propositionẽ, sicut pure prolata est, spicula contorsisset: nunc vero excusationẽ immiscendo à

Lib. 6. certamine abstinuit, & non vt fingis Vindiciane: *Totam Turturis molem in tam amplissimum Card. velut in arcẽ catapultas detorquet.* Illud tamen præceptũ Bern. seruauit Gra-

Serm. 40. uina. *Caue alienæ conuersationis esse, aut curiosus explorator, aut temerarius iudex, etiamsi perperam actum quid deprehendas, nec sic iudices proximum, magis autem excusa. excusa intẽtionem. si opus non potes, puta ignorantiã, puta subreptionem, puta casum. Quod si omnem dissimulationem rei certitudo recusat. suade nihilominus ipse tibi, & dicito apud temetipsum: vehemens tẽtatio fuit, quid de me illa fecisset, si accepisset in me similiter potestatẽ* plus præstitit Grauina, qui cum cerneret religiosorum traductionẽ in particulari, dissimulationem non pati posse, pro personæ asserentis reuerentia, nec ignorantiam, nec subreptionẽ, nec casum, in homine sapientissimo notare voluit, sed excessum solum de feruenti Zelo promanantem. an est hoc vel minimam culpeculam in Ecclesiastico Principe denotare? Turpiter paralogizas Vindiciane, quod excusatio culpam monstrat, innocentiã denigrat, nam si vel de limine scholas Thomisticas salutasses didicisses ab Angelico

intentionem excusare operantem, si per se illud nõ intendat, & vt in plurimum non accidat, vt si incidens lignum in sylua per quã transit homo proijciens lignum interficiat hominem, & [*secundũ eundem*] *excusari dicitur quod est simile malo, licet non sit malum, vel non est tantum quantum apparet: item actus excusatur, vel ex parte facientis quod non imputetur ei, vel ex parte actus quod non sit malus*; suffragatur authoritas Gregorij dicentis, *turpe esse defendere, quod iustum non esse constitisset*, hoc enim manifestum peccatum est iudici, de causæ meritis, non visis legalibus actis, iudicare, & ad præcipitantiam, quæ vitium est, pertinet, quod in Exconsule illo reprehendit Pontifex idem Gregorius. De malo q. 1. a. 3. ad 15. 4. d. 20. q. 1. a. 3. 4. 4. d. 31. q. 2. a. 1.

§. I.

Primam excusationem Grauinæ factam pro Cardinali Bellarmino à Vindiciano perperam impugnari.

VNA fuit inter cæteras excusatio Turturis, quod forte Bellarminus author non fuerit eius opellæ, videbat enim scriptores graues ante opus suum euulgatum ita sentire, alijs illam attribuentes. vnde sic scripserunt. Magister Caluus lib. 2. defensi. Sac. Relig. cap. 6. ad innominatos refert hanc opellam dicens. *Qui sibi nomen membrorum viuorum attribuerunt, non hic, vel ibi degunt, nec huius, vel illius sunt familiæ, huius, vel illius status; per omnes partes orbis sparsi sunt, & per vniuersalem Ecclesiam seminati, si vnius familiæ, vel domus, vel status essent, possemus ab illis cauere, quia in vna familia, vel loco degentes possemus tanquam signatos*

Iudæos

Iudaos cognoscere eosque euitare. Hic liber impressus est anno Domini 1623. Valentiæ post impressionem priorem Lusitanam.

Illustrissimus etiam & Reuerẽdissimus Dominus F. Ioannes Lopez Episcopus Monopolitanus ante Grauinæ editum opusculum sic habet in quinta parte chronic. Hispanica lingua descripta. *Cum peruenit ad Hispaniæ Regna tractatus quidam impres-*

Li. 3. c. 63. *sus Parisijs, temporum conditio in suspicionem adducere potuisset aliquem hominem doctum è multis quos Gallia progenuit, eum descripsisse tribuendo illi fœtus patrem tam catholicum, & grauem, vt honoraretur, eique magis adhibere tur fides, vbi religiones exulcerat. In eorum defensionem, vt honor ijsdem exhiberetur, lingua Lusitanica scripsit Magister F. Petrus Caluus Regius Concionator Philipp. III. & IV. in ijsdem Regnis eximiæ authoritatis, quam attitulauit: Defensio lacrymarum iustorum afflictorum, & Sacrarum Religionum Tractauit de sanctis lacrymis Christi Iesu Redemptoris, suadens titulos, quorum illius libri author allegat, non posse ad eum finem dirigi, quo scribitur, illius motiuum est (quamuis Catholicus author, vel hæreticus reticens nomen) ab ordinibus sacris demere fidem & reuerentiam in sua secta obsequium, & manifestum totius Christianitatis detrimentum. Primum motiuum fundendi lacrymas aggreditur ampliare, ex relaxatione iniquit, quæ his temporibus est in Religionibus. Si inimici manifesti sunt & bellum apertum, non est difficile animis eos propulsare, vel si potentiores, & fortiores, fuga bellum eludere. Cæterum si inimici, sub amicorum larua occurrunt, & sub specie boni medẽdi defectibus in compitis, & triuijs eos buccinando euulgant, nomen charitatis, admonition is cõmiserationis ijs, quæ scribuntur affigendo, Satanæ est astutia, qui cum bellum inferis inferri à religiosis quotidiè experiatur, ad eas eradicandas astus suos refert, &c.* Hæc & alia ex Caluo Magistro insigni refert, & sequitur Monopolitanus Antistes, fuit impressus liber in Hispania, Valleloleti anno 1621. Horum placitis Grauina innuit, & probabilia existimauit.

VIND. Sed quid tu mussitas Vindiciane, dum dicis. *Qui alijs authoribus columbæ gemitum, aut certè quædam illi inserta adscribunt, non admodum Grauinæ displicent, quanquam non gratis apponat hæc verba: Qua de re non moror. Breuis censura, sed morosula, indicat ei non curæ esse quis columbam excluserit &c. Interim totã Turturis molem in Cardinalem Bellarminum velut in arcem catapultas detorquet. aut ergo Grauina imposturam sub columbæ schemate credidit, & tunc minimè negligere debebat, quia validissimum excusandi Cardinalis, imo & defendendi propugnaculum reperit; aut non credidit, & tum iniquitatem imposturæ oportebat refellere, ne riduculè oppugnaret, quem alij columbæ parentem negassent.*

TVRT. Non faciebat indiculum Grauina de scriptoribus Ecclesiasticis, & de eorum legitimis fœtibus, propterea authorum illorum authoritate motus, noluit primo in hac re immorari: & placebat Grauinæ se extricare à defensione eius libelli, & prudenter credidit supposititium. Et quia erant aliæ rationes, quibus author Cardin. Bellarminus significabatur, authores negantes esse Bellarmini opus, nec citauit expresse, nec eorum verba retulit, quæ nunc pro defensione Grauinæ recitari opus fuit: & sufficiebat illi (addita etiam alia coniectura) contrarium dixisse Bellarminum in controuersis, ijs, quæ in gemitu descripserat, vt alijs tale opus tribueretur.

Verum in propria sententia Turtur authorem Bellarminum agnoscit, cui amicabiliter opus esse suum ex aliorum sententia denegabat, & probationes adductæ pro sua sententia faciunt, ea quæ præcipuè quod in suo Indiculo Bellarminus pro suo opere agnoscat. Ipse Vindicianus astutus, & garrulus, dum sine documento vocem Turturis supposititiam dixit, & alium facit authorem eius operis, hallucinatus

fortè

forte in vestibulo, cum authorem Gallum Epigrammatis, etiam opellæ fabricatorem existimauit.

Coniectura vero Grauinæ à te impugnata Vindiciane, *quod non erat verisimile ordines cœnosos ab oculis columbinis inspectos, cum decoros, & formosos columba inspiciat, non turbidos fontes*, valida est, & vehemens, & quæ magis candidum animum Grauinæ monstrat Cardinalem excusantem (in aliorum sententia negantium illud esse Cardinal. opus) quàm non soluens, omnia perturbare satagis; & alios vt perturbatores vis pronunciare, & *quadrupedes bestias Grauinam æmulatum dicis, quæ nisi flumen* VIND. *Nili pede turbauerint, non bibunt.*

TVRT. Non solum quadrupes bestia, Nili flumen pede turbat, quod sæpè præstat Camelus, sed etiam qui aliorum nominis claritatem obscurat dicente Scriptura: *Fons turbatus pede &c. sic iustus cadens coram impio.* Prou. 26. talis es tu qui puram intentionem Turturis criminaris, qui & politica vrbanitate, & omnia moderante charitate, non ex simulatione, sed sinceritate processit; dum noluit sibi persuadere columbinos oculos ad turbida, fluenta inspexisse: & alienam voluisset Grauina sententiam teneri non esse opus illud à calamo Bellarmini profectum, quam propriam sententiam sequédo Cardinalem in discrimen adduci, qui ne adduceretur, varias excusationes, & hanc primam pientissimè est meditatus, vt candorem virtutis Bellarminianæ magis tueretur.

VIND. Tu vero gratis pungis de allata coniectura Grauinam dicendo. *Durum haud dubiè erat Cardinalem de inspectione externorum defectuum obiurgare, quare politica vrbanitate aculeum velare oportebat, simulando credendi difficultatem. Sed rarò simulatio canescit. Vanum fuit (si non improbum) de altero effutire, quod credi nolis, aut si fide digna reputes calamo fidem abrogare.*

TVRT. Non decet mi Vindiciane in schola veritatis educatos simulatoriè agere, hæc vigeant in bellis, vbi illud locum habet.

Dolus an virtus? quis in hoste requirat? Dũ vtramque sententiam Grauina de authore secutus est, apertè, & modestè processit, & quæ sine fuco latentem insinuasset catholico authori, infirmauit, & cognito eiusdem fidei defensori. Nunquam tamen aliã coniecturam negandi operis Bellarminiani (recensitam ab eodem Turture, videlicet non esse verisimile ordines prædictos paulo antè vt fluentes à columba celebratos, paulo post deploratos, vt defloratos) dissoluit Vindicianus, sed silentio inuoluit: si mala erat cur silentio sepulta? si bona cur non in lucem prolata? Sed non opus est magis laborare cum author Bellarminus agnoscatur. Tua cauea, firma habet argumenta, quod eruperit de Britannorũ vicinia, & hoc tamdiù disceptabitur donec pandaris, vel ipse te prodas.

§. II.

Secunda excusationis pro Bellarmino contra Vindicianum defensio.

LAudas Vindiciane Grauinam dicentẽ excessum zeli in scriptoribus quandoque ex pietate, corrigendi studio, commiseratione procedere, quandoque ex vitij alicuius impulsu iræ, vindictæ, æmulationis, eamque partitionem piã, & orthodoxam fateris. *Verum id quod sequitur*, ais perti- VIND. net non ad accusationẽ, *sed ad excusationem, dum Grauina admonet eos etiã lectores legendos ne maleuoli, & simplices detractionis spiritum ebibant, & primo eam admonitionem sic conaris impetere, quia sequeretur, quod omnes DD. Apostolicè arguentes opportunè importunè in Grauinæ tribunali non effugerent imprudentiæ crimen.*

TVRT. Falleris Vindiciane falleris, & in ipsis terminis implicaris, & Gregorij ferula castigandus, qui ait, *Apostolus 2. Timot. 4. dicturus importunè præmisit opportune, quia scilicet apud auditoris mentem ipsa sua vtilitate se destruit, si* 2. p. cur. Pas. c. 4. *habere*

habere importunitas opportunitatem nescit. inopportunitas, & importunitas est cum non suo tempore, & loco correctio adhibetur, vel maius scandalū ex reseratione defectuum in audientium cordibus aggeneratur, vnde Gregor. eodem cap. dicit. *Prouidendum quoque est sollicitè Rectoribus, vt ab eis non solum praua nullo modo, sed ne recta quidem nimie, & inordinatè proferantur, quia sæpè dictorum virtus perditur cum apud corda audientium loquacitas inquinat, quæ seruire auditoribus ad vsum profectus ignorat; vnde bene per Moysen dicitur. Vir qui seminis fluxum patitur immundus est. In mente quippe audientiū semen secuturæ cogitationis est qualitas auditæ locutionis, quia dum per aurem sermo concipitur cogitatio in mente generatur, vnde & ab huius mundi sapientibus prædicator egregius seminiverbius est vocatus, qui ergo fluxum seminis patitur immundus asseritur, quia multiloquio subditus ex eo se inquinat, quod si ordinatè promeret prolem rectæ cogitationis edere in audientium corda potuisset, dumque incautus per loquacitatem defluit, non ad vsum generis, sed ad immunditiam semen effundit*, & mox allegat authoritatem citatam Apostoli. Si incauta est prædicatio inopportuna, incauta erit & lectio inopportuna, & quæ non generat, sed magis occidit, dū ex eleuatione defectuū indignantur. Vide exitum, omnes ordines turbati, omnes scādalizati, nullus propter hæc ad meliorem frugem conuersus [Opponit deinde Vindicianus, exulceratā columbam, dum Turtur de Cardinali protulit hæc verba, quod *cautè legendus est, vel in seueritate, vel in remißione correctionis peccauit. quod si ita est, nec releuauit, nec zelus moderabitur excessum, quem tamen Grauina in Bellarmino confitetur.*

Leu. c. 15.

Act. c. 17.

VIND.

TVRT. At cum charitas omnia absorbeat, cur damna inde emergentia finguntur admonitione cautæ lectionis in legētibus de duriusculorum verborum emendatione? an tam grandia hæc peccata sunt, vt nec zelo vel charitate superētur, cum his omnia, & maiora obruantur? Nec quia laudatus à Grauina, ex excessu non erat Card. admonendus qui se excessisse humillimus Cardinalis fassus esset admonitus; siquidem *iustorum iustitia*, ait Greg. *ad examen diuinæ iustitiæ deducta iniustitia est, & sordet in districtione iudicis, quod in existimatione fulget operantis.* cuius ratio ex eodem Gregorio accipi potest: quia *plerumque vitia virtutes se esse mentiuntur. sæpe* (subdit) *inordinata remißio pietas creditur, & effranata ira spiritualis virtus æstimatur, vnde necesse est, vt Rector animarum virtutes, & vitia vigilanti cura discernat, ne remittendo quod ferire debuit, ad æterna supplicia subditos pertrahat, aut immaniter feriendo quod delinquitur ipse grauius delinquat.* Negabit Vindicianus hunc excessum, sed reclamat Gregorius, *sæpè namque magnis hoc DD. mirandisque contingit, vt quod alta charitate fecerunt, eo modum correctionis exaggerant, & lingua aliquid quod non debet dicat &c. sed verbum prolatæ contumeliæ tantò citius parcitur, quantò ex qua radice prodeat pensatur.* & cum immoderatè increpatio attenditur, vnde corda delinquentium deprimuntur, *tunc* (ait idem) *necesse est vt exasperatus Rector, cum subditorum mentem plus se quam debuit percußisse considerat apud se semper ad pœnitentiam recurrat, vt per lamenta veniam in conspectu veritatis obtineat, ex eo etiam quod per zeli eius studium peccat.* & adducit (sicut in Moralibus) loc. cit. legem Deuter. 19. allegoricè, & pulcherrimè eandem doctrinam explicando. Quare obiectio Vindiciani non tam Grauinianam quam etiam Gregorianam oppugnat doctrinā, dum excessus eiusmodi incompatibiles cū charitate ab ea absorberi putat, & velut paradoxa existimat, & vnde ex charitate cōmendari, & ex excessu posse reprehēdi, quasi contradictoria existimat, in patrū lectione, & Theologia parum versatus iudicatur.

4. Mor. c. 8

2. Past. c. 9

Lib. 10. mor. c. 5.

1. p. past. c. 10.

Malè

VIND. *Male vero Grauina*, subdit Vindicianus, *argumentatum esse ex dissensione inter Hieronymum, & Augustinum ad probandum excessum Bellarminianum, & à scientijs ad virtutes morales transitum fecisse, cum sit diuersa* (ait) *ratio, nam in scientijs solum probabiliter concluduntur res, ac proinde opinandi libertas datur donec ab Ecclesia decisum aliquid fuerit; in virtutibus bonitas vt & malitia actionis ex habitibus, & fine mensurantur, vnde & S. Gregor. exēplo casura lignorū declarat & excessum procedere docet, cum sermo durus effunditur. quare* (subdit) *talis excessus Bellarmini non potuit à virtute procedere. virtute enim nullus male vti potest, ex Aug. quæ est principium vsus, cum malus esse ne queat virtutis actus ex Sancto Doctore.*

TVRT. Sed fumos vendit Vindicianus, non enim tantū de dissensione, & contentione Scholastica locutus est Grauina, sed etiam de dissensione quantum ad effectum, cum multa hincinde inter Hieronym. & Augustinum verba pungitiua intercesserint, quę velut paleas feruens actus charitatis absumpsit: quare nō est facta digressio à materia scientiarum ad virtutes morales, cum leuissimæ culpæ inter illos SS. deprehenderentur. Nec vllus negauit actuum bonitatem, vel malitiam dependere ex habitibus, & actibus, qui ex fine mensurantur, & inter actus malos (licet veniales, vt durus sermo &c.) vel excessus computantur, qui non à charitate eliciriuè, vel imperatiuè tāquam principio procedunt, scit enim cum August. virtute non quidem male vllum vti posse (S. Thoma interprete) tanquam obiecto, sed tanquam principio actus. vnde omissa alia responsione Caiet. principiū mali actus, nō potest esse aliqua virtus, vnde erogatio eleemosynæ si fiat propter vanam gloriam, quia eius principium est misericordia, non est mala, vt exit à misericordia, sed vt est à nuda potentia, vel à vitio quod principiat illum actum secundū substantiam, & circumstantiam finis extrinseci vitiati; & si id Magistro Soto in hunc articulum minimè arrideat dicenti, nullo modo etiam si finis sit extrinsecus illum actum procedere à misericordia, satis est ad soluendum argumentum, non esse incompatibilem, excessum venialem cum charitate. quare potuit anima Bellarmini pientissimi, vti charitate, optando, & procurando in intentione reformationem fieri religiosorum à Regentibus eorundem (vt hic innuit Vindicianus) in executione postea scribendo illa rigida verba, excessum culpabilem venialem potuit committere; nullo modo à charitate imperatiuè, vel à misericordia eliciriuè procedentem, & in vno actu mereri, in altero culpari potuit, sicut Ægyptiæ obstetrices bonum actum exercuerunt intendendo paruulorū salutem (propter quod remuneratas sacra Scriptura commemorat) non autem dicēdo Pharaoni officiosum mendacium, cuius assertione, culpabilem, leuem tamen noxam contraxerunt. Sic verbosa Theologia Vindiciani in fumos euanescit.

1. 2. q. 55. a. 4. ad 4.

§. III.

Tertiæ excusationis discussio.

SYdera de cœlo auferre se putat Vindicianus conglomerando tertiæ excusationis Grauinianæ impugnationem: ea erat excusatio: *esse in religionibus scandala, suppositum negare possum* (dicebat Grauina,) *vel modificare, vt piam reprehendentis relatoris mentem Christiana charitate excusem.* Quid Vindicianus? *Hic excusationis modus in verbo errat; quod enim negatur penitus aboletur, veluti si quis planetarum distinctos cœlos habere inficiaretur, non excusaret qui proprium singulis planetis cælum assignaret, sed magis refelleret. absit ergo politicum verbum, vt piam mentis relatoris excusem; candide dixisset Grauina, vt confutem.* TVRT. VIND.

TVRT. Et hic quoque, Tragici cothurni strepitu, ex magni crepa verborum iactantia.

Et sunt (vt dicitur prouerbialiter) *tua verba sine pera, & pecunia*: Si caderet excusationis vocula super illam particulam, *suppositum negare possum*, benè ratiocinaretur Vindicianus, nunc vero cum super illam disiunctiuam, *vel modificare* addatur mox: *vt piam reprehendentis relatoris mentem Christiana charitate excusem*, non negatio est, sed affirmatio, & miror in Dialecticis Summulis Decanum iubilatum tam puerilliter hallucinatum: nec verbum politicum est, sed Christianum, efficere, vt quod ex natura sua lætale esset ordines infamare, ex modificatione, cum pia intentione, Christiana charitate modificata, veniale demonstretur.

Quod vero sui immemorem faciat Grauinam, non præstitisse hanc promissionem dicendo, *neque id præstitit eo loco Grauina, neque alibi*, videlicet modificationem scandalorum, legat cap. 15. vbi id ex professo tractat, & promissionem adimplentē cernet; videlicet scandalorum assertionem, id non simpliciter, sed ex conditione temporum accipiendum docet: & cap. 14. vbi scandala illa, quæ sunt ex infirmitate naturæ admisit, non grauia, & hæc ad summum in paucis non multis. idem docetur cap. 13. ex authoritate Hieronymi de custodia virginitatis, cum ea moderatione, quod illa authoritas ante ortum Mendicantium præsentibus temporibus adaptari possit, non de omnibus vniuersaliter (vt nec indefinitè) sed aliquibus.

VIND. Causatur vero inaniter Grauinam quod *Bellarminianam moderationem Hieronymiana moderatione clariorem adducere quoque potuisset; nimirum vt scandala &c. intelligantur de membris mortuis non viuis, quibus à Bellarm. tribuitur regularis vitæ custodia &c. contra solos enim disciplinæ corruptores columba inuehebatur.*

TVRT. Non poterat adhiberi moderatio, vbi nedum relaxatio, sed pene corruptio omnium ordinum, vix paucis bonis remanentibus, à plangentibus innumeris pœnè Apathia Stoica à Vindiciano decoratis, plangebatur; & vbi solum membrum viuum vna portio celebrabatur, altera in funus velut mortua deducebatur. Modificatio adhuc in quæstionem cadere posset, vtrum plures sint viui in portione columbæ, quam sint in alio religiosorum cœtu, & cū totidem sint in portione columbæ mortui, quot in vnaquaque familia aliorum ordinum, propterea sua modificatione cōtentus Grauina ea quam adhibuit, excusare conatus est Bellarmini mentem. Eeris adhuc Turturem subdendo.

VIND. *Aliud moderationis specimen* (ait Vindicianus) *Grauina dedit quod similius est contradictioni, videlicet, quando Cardinal. multitudinem relaxatorum in ordinibus asserit; Grauina infert paucos existere, neque in eos Esaiæ dictum: multiplicasti gentem, &c. conuenire. Cardinalis, ait, in Ordinibus esse scandala grauia, & multa, & omnibus nota; Grauina dicit exilia, & extrinseca esse, iniquè proclamari atque inde potius: bonorum vitam inclarescere ex grauioribus rara cerni, eaque vt plurimum falsis rumoribus cōficta. Cardinalis timet ne plures religiosi salutē sint perdituri; Grauina florentissimum statum prædicat, vt accessorum sit paucos, vel propè nullos de salute periclitari.*

TVRT. Totum hoc mi Vindiciane ad suppositum pertinet, quod Bellarminus asserit, Grauina negat. Vnde tota antithesis non ad modificationem pertinet. Cantilenam verò eandem canis, & mirabar si quid cōferres noui (dicam, cum Dorio in Phormione) dum subdis.

VIND. *Hac ratio columba, & excusandi, quoad fieri posit vt initio operis præmittitur; Lectorem facit perplexum, vt tali Patrono nunquam in ius ambulare velit.*

TVRT. Meritò perplexum Lectorem facit, ista ratio excusandi, vt inoffenso pede decurrat, & adducatur per semitas æquitatis, vt pōderet rationes antequā iudicet, nevè sub spe-

ſpecie Zeli ſanctorũ carnes dilaniet incautus, vel etiã religioſos ſicut oues in inferno ponat mortuos, qui ne ad inferos properent illud occinũt. *Quoniã propter mortificamur tota die, extimati ſumus ſicut oues occiſionis.*

VIND. Adhuc ſubdis. *Satius Cardinalẽ de erroribus ſuis ſine blanditiarum fuco ſine eiuſmodi excuſationũ ludibrio cõmonuiſſes, ſicut gratiſſimas ſemper de ſuis lucubrationibus cenſuras habuit.*

TVRT. Non poterat librum, quem non totum percurrerat Grauina, nec accuſare, nec excuſare, vnde vt dicebat Hieronymus aduerſus Ruff. *non prius antidotum adhibendum, quin prius venenum detegatur*, vel veneni ſpecies, & eo, quo detecta tempore, iam fatis conceſſerat, & prudentiæ erat ex prouerbio Diogeniano *procul à Ioue, & fulmine conſiſtere*, etiam ſi vixiſſet.

§. IV.

Quarta ſcilicet excuſationis expenſio:

VIND. AD quartam excuſationem impugnandã, celeri greſſu Gallus in ſua ſola domo pugnare ſciens, pergit. *Mali laici pia verba columbæ ſiniſtrè interpretantur: ſic autem Grauina velut è Sorbona decretum pronunciat, quia Religioſi multi ſunt, & naturæ infirmitate capti, multa quoque ſcandala ſequantur neceſſe eſt. Edamus, quod ſint, & eſſe potuerint.* Hæc ex Grauina Vindic. addẽs. *Sẽſus eſt velut in grãdi exercitu, ſi quilibet miles, vel minutũ calculũ ad Mercurij columnam proijciat, maior exurget aceruus, quam quò veteres Abſalonem ſepeliuerunt; proinde, neque in tantis religioſorum armentis minutum eſſe poterit quod à ſingulis per infirmitatem delinquitur. Laudo excuſantũ ingenium; ſic enim & in Sophiſmatis dialecti ludificant, magnus eſt, & Doctor eſt, ergo magnus Doctor eſt.*

TVRT. Bona eſt conſequentia, quando nedum SS. Benedicti, & Dominici, & Franciſci, ſed & omnium ordinum Bellarminus viros corripiẽdos ſuſcepit, vt propterea multa ſcandala ſint, quia de multis collecta: *etiam multa pauca*, vt dicebat Ariſt. *magnum faciunt ſatis*, & quadrat Mercuriale exemplum de militibus vnius exercitus ex plurimis ſingulis ſingulos calculos appendẽtibus ad Mercurij columnam, vt maior exurgat aceruus, eo quod ſuper Abſalonis ſepulchrum eſt importatus. Sed hanc conſequentiam ac ſi clumbem, & ſophiſticam neſcio cur rideas, dicendo ſic arguiſſe Grauinã, vt ſophiſticè ludificaret: *magnus eſt & Doctor, ergo magnus Doctor eſt.* Non ſunt hæc Vindiciani tui coloſſi, hoc eſt ingenij fragmenta, nec illud Alexandri Seleucienſis Sophiſtæ apud Philoſtratum, ad Acticum literatorum columen, directum τευμάχια σου ἐσμὲν οἱ σοφισαὶ πάντες hoc eſt *fruſtula, vel particulæ tuæ ſumus omnes quotquot Sophiſtæ dicimur*, cum adhuc egeas Summularum lectione. Illa (quam tu adducis) fallacia figuræ dictionis eſt, & accidentis, & diſſimilis eſt ab argumento Grauinæ, quod ex proportione, & enumeratione Arithmetica deducitur, nimirum quod ex pluribus pauca collecta, ſimul adunata cumulus efficiatur: putabat Vindicianus pygmæa *Acrothinia* (vt dicebat Philoſtratus in Niceta) *coloſſo accommodare*, hoc eſt friuolam, inanem impugnationem, firmiſſimo & eminentiſſimo diſcurſui poſſe aptari, hoc eſt inepta firmiſſimis ratiocinationibus connectere.

VIND. Adhuc impugnat eandem excuſationem dicens: *Sed enim Cardinalis verba hunc ſenſum nõ recipiunt. Bellarminus loquitur de illorum ſcandalis, qui ordines relaxant, & deprauationem moliuntur, vt inde diſcrimen ſalutis incurrant. Hæc ſcandala non ex communi infirmitate naturæ naſcuntur, & laicis innoteſcunt; lacrymarum fontem aperiunt: at hæc nec pauca, nec parua mundo innotuerunt.*

TVRT. Adhuc Vindic. ceu partus maculas non deponit, & in eodem ſaxo voluitur, vt velit excluſis, quos exiſtimat corruptos, ſolũ paradiſum ſitum in ſua Orientali plaga, eundemque in vna parte & portione gregis conſtituat, cum aliarum præiudicio,

ſolaque illa ſit benedicta terra, omnis autem alia ab illa vepres, & ſpinas producẽs, ſit maledictioni proxima: & totus cardo quæſtionis in hoc conſiſtit, quam, ſæpè in oculis noctem habens, noluit aduertere. Num relaxatores deprauatores, & qui ſalutis diſcrimen incurrunt, quæuè ex communi infirmitate non proueniunt ſcandala, nec leuiter à laicis ſentiuntur, & Cardinalem ad plangendum incitarũt, nec pauca, nec parua mundo innotuerunt, ſolũ ſint in veteribus religionibus, & ſola excipiatur Societas ab his malis, an vero eadem cum reliquis includatur, vt etiam ex parte ſicut, & cæteræ in multis religioſis, lacrymis deploranda ſit. Affirmat Grauina, incluſionem è doctrina Patrum edoctus, defendit Vindicianus tumidus præſeruationem, pro qua parte ſtet victoria, res ipſa loquatur, & ſapientum Doctorum exiſtimatio, & rerum magiſtra experientia.

§. V.

Quinta excuſationis defenſio.

VIND. QVintam excuſationem (Siſiphi arte) Vindicianus comminiſcitur, *ſolum ait Grauina aduerſus fratrum linguas extorquentiũ, amplianttium, defenſionem paramus*, & ſubdit. *Varia hic animum tenent perplexũ*; primo ergo ſic inuehitur, *ſi tam funeſtos Grauina reperit amplificatores, cur tam parcè in illos detonuit, totam autem refutationis molem in Cardinalẽ, & Societatem conuertit? cur quæ furioſa lingua peſſum dederunt, cor ſimplex, & pia columba luere debent? an exiſtimauit Grauina Cardinalem laicorum relationibus, ceu flabellis in regulares inflammatum fuiſſe? iſtud ſimplicitatem à ſcriptura reprehenſam arguet: qui cito credit leuis eſt* Eccleſ. 19. *corde, & minorabitur.*

TVRT. Non parcè, ſed abundè cap. 12. Turturis puſilli, & detractores arguuntur, & paſſim vbi ſeſe offert occaſio. Nunquã tamen, nec in Cardinalem, nec Societatem ſtylum acuit, ſed illam propoſitionẽ, quãta potuit dexteritate, & modeſtia profunda radice defixam in innumeris mentibus ſimplicium, eradicandam curauit, quæ antiquorum ordinum merita, & fructus oblitterabat, & adhuc fœcundis, & ſacratis religionibus ſterilitatis notã attribuebat, pariter demonſtrãte in 2. p. Grauina, quod omnes religiones velut oues fœcundæ ſint gemellis fœtibus ſanctitatis, & doctrinæ & fermè ſterilis non ſit inter eas. Et quoniã eadem illa aſſertio inuidiæ erat ſeminariũ, elationis fomentum, contemptus aliorum miniſtra, concordiæ, & vnitatis euerſiua, propterea religionis eiuſdem alumni, præter excuſationem authoris admoniti ſunt (non reprehenſi) tentationibus, quæ ſanctos nõ effugiunt locum non dare, nimirũ elationis, prælationis ſuper alios, in quod vitium, iam in culmine virtutum poſiti facillimè corruunt, dicente Gregorio, *nos adhuc quotidie, vt Leænam capi per vitium elationis inuenimus. Sapè namque homo acceptis virtutibus in audaciam ſuæ præſumptionis erigitur, &c. & Leæna more propter ſuperbiam ad ſuperiores partes in cauea permeat, qui cum de virtute, extollitur, lapſus ad deſideria in humilitate relegatur.* 9. mor. c. 33. Aliud ergo erat aliquos imperfectos è Societate admonere, aliud Societatem ſugillare. Ne vnquam Grauina, quod ſomniat Vindicianus) flabellatum dixit Bellarminum ſæcularium falſa in regulares informatione, cum prius opus editum ſit, quàm à ſæcularibus prælectum, imò potius ex eo libro ſæculares flabellatos, ſemper enim ad religionum defectus intuendos igniti; & leui aura in maiorem flammã aſſurgunt: ipſos quoque Aſcetas præmonuit, ne de laudibus ſuperbirẽt calor enim (ait Tertull.) *eſt omnis affectus, verum cum in affectionem flabellatur, ita de incendio gloria ardor eſt.* Lib. de pallio c. 4.

VIND. Adhuc pergit; & Grauinæ mentem in dubiũ adducit; an ſyncerè Cardinali ſimplicitatem attribuat, & longo verborum appa-

apparatu à simplicitatis notione orditur, conglobata definitione eam designando, quod *sit veritatis comes, doli, ac duplicitatis inimica, blandiri nescit.*

TVRT. Adde, ex reputato Bernardo tract. de vita solit. ad fratres de monte Dei, quod sit *perfecta ad Deum conuersa voluntas, vnam petēs à Domino hanc requirens, nō ambiens multiplicari in hoc sæculo. Vel est simplicitas in conuersatione, vera humilitas scilicet virtutis, magis cōscientiam amplectens quam famam, cum non refugit vir simplex videri stultus cum stulto, vt sapiens fiat:* ibidemq; idem auctor præmittit, quod cum voluntas auersa à Deo fuerit, & per seipsam per superbiam extra se nimiū fuerit abrepta, fit prudentia carnis, & ipse sibi sapientia esse videtur cum stultitia sit: hæc quoque poterat addere Vindicianus solidius. Sed quorsum tendit descriptio à Vindiciano allata? vt hanc virtutem hodie à religiosis pectoribus exulare, solum in vnico Bellarmino eminere odiosa comparatione ostendat, ait enim:

VIND. *Cum hac virtute prisci in tenebris micarent, rara vel hodie visitur, ac ferè in religiosis pectoribus, hoc est tenera conscientia excultis. Hanc in Bellarmini vita prudentes quoque viri suspexerunt, vt autem per eandem hoc loco Cardinalis excusetur simillimum paradoxo est.*

TVRT. In simplicitate describenda, astutiā serpentis in silentio mordentis assumpsisti Vindiciane; vt nec religiosis pectoribus parceres, vt singularis Bellarminus appareret. Fuit (quod non negamus) in Bellarm. maxima bonitas, maxima simplicitas; an cæterorum iustorum simplicitas arctanda, Iob. cap. 12 fermè irridenda, vti scriptum est. *Deridetur iusti simplicitas?* Certe pro simplicitate tuēda, in simplices inuehi non est prudentiam cum simplicitate coniungere, sed serpentis astutiam cum mundi prudentia copulare, hæc vero Gregorio describente est mundi 10. mor. c. 16. sapientia. *Cor machinationibus tegere, verbis velare, quæ falsa sunt vera ostēdere, quæ vera sunt falsa demonstrare. Hæc nimirum prudentia vsu à iuuenibus scitur, hæc à pueris pretio discitur, hāc qui sciunt cæteros superbiendo despiciunt: hāc qui nesciunt subiecti, & timidi in alijs mirātur, quia ab eis hæc eadem duplicitas, iniquitatis nomine palliata diligitur, dum mentis peruersitas vocatur. Hæc sibi obsequentibus præcipit honorum culmina quærere, adepta temporalis gloriæ vanitate gaudere, irrogata ab eis mala multiplicius reddere, cum vires suppetunt nullis resistentibus cedere, cum virtutis possibilitas deest, quicquid explere per malitiam non valent, hoc in pacifica bonitate simulare. At contra sapientia iustorū est nihil per ostensionē fingere, sensum verbis aperire, vera vt sunt diligere, falsa deuitare, bona gratis exhibere, mala libentius tolerare quam facere, nullam iniuriæ vltionem quærere, pro veritate contumeliam lucrum putare. Sed hæc iustorum simplicitas deridetur, quia ab huius mundi sapientibus puritatis virtus fatuitas creditur*: non mirum ergo si hæc simplicitas in religiosorum ordinum pectoribus rara videatur, quia à multitudine obtrectatorum obnubilatur, & fatuitas à superbis existimatur.

VIND. Paradoxum vero putat Vindicianus dicens, quod *Grauina simplicitatis titulo Cardinalem laudauit, & eundem de errore, vel imprudentiæ lapsu sugillet; cum tamen prudentia eidem indiuiduo nexu copuletur, vnde si verè Cardinalem laudauit, quod simplici corde de regularibus scripserit omnia verè, & prudenter, & inculpatè scripsisse asseuerare necesse sit.*

TVRT. Nexu indiuiduo iuncta est prudentia cum simplicitate, propterea vtrumque Dominus coniunxit, *estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ* (sic exponit 1. mor. c. 7. Greg.) *vt simplicitatem columbæ astutia serpētis instrueret, & rursus serpentis astutiam columbæ simplicitas temperaret.* Sed vt ponderat S. Cyprianus hoc Saluatoris dictum, *vtrumque dicit esse coniunctum, quia prouidere nos cōuenit, & sollicito corde vigilantes subdoli hostis insidias intelligere pariter, & cauere, ne qui Christū sapientiā Dei patris induimur, minus sapere* Lib. de vnit. Eccles. in-

intuenda salute videamur, neque enim persecutio sola metuenda est, & ea, quæ subruendis, ac deijciendis Dei seruis aperta impugnatione grassatur. Facilior cautio est, vbi manifestior persecutio est, & ad certamen animus ante præstruitur, quando se aduersarius profitetur: plus metuendus est, & cauendus inimicus, cum latenter obrepit, cum per pacis imaginationem fallens, occultis occursionibus serpit, vnde, & nomen serpentis accepit: certè manifestè se prodidit serpentis astutia, cum per Wicleph, Lutherum, Cẽturiatores &c. apertum campum occupãs spicula in religiosos intorsit: latenter curat etiam, vt sub virtutis imagine, in qua, vel solum venialiter peccatur incauti opinionem malam de religiosis concipiant. Nec tamen hic næuus, vt nec cæteri Sanctorum lapsus, sanctitati, vel iustitiæ electorum præiudicant. *Non est necessarium* ait
1.2.q.58. a.2. S. Thom. *quod in virtute vigeat sensus rationis, quoad omnia, sed solum quantum ad ea, quæ sunt agenda secundum virtutem &c.* vnde etiã,
Matt.10. *qui videntur simplices, eo quod carent mundana*
2.2.q. 48. a.16. *astutia possunt esse prudẽtes secundum illud: estote prudentes sicut serpentes &c.* imo ex S. Tho. *cum principalis eius actus consistat applicare cognitionem ad operandum, potest impediri, si per obliuionẽ cognitio non subest, adde si incõsiderantia procedat, vt ipsa nihilominus prudẽtialis virtus nõ tollatur, quæ solũ per passiones ex Philosopho 6 Ethic corrũpitur,* & sic non est necesse adstringi Grauinam ad fatendum, omnia prudenter, & si inculpatè, descripta à Bellar. Nec talis incogitãtia, vel inaduertẽtia sapientiam, vel prudentiam Eminentissimi viri, sed humanæ naturæ nostræ conditionẽ ostendit: quare nõ nisi calumniosè Vindiciane dicis, Grauinam eam simplicitatẽ Bellarmino attribuisse, quæ hebetibus, & mitionibus tribui solet, quos vulgo vocamus. *Iuuã de Buena alma, y Adam de Barro* & propterea cautè deplorationem legẽdam Turtur præmonuit, & cum illo cæteros huiusmodi plangentes, non quantum ad doctrinam, sed doctrinę importunitatem, vel ob incapacitatem aliorum, & periculum infirmitatis quorũdam; haurire enim poterant ignorantes, & insipientes pessimam opinionem de religionibus, quod diabolus prætendit, cuius astutia est, ait Cypria. loco cit. *circumueniendi homines cæca, & latebrosa fallacia: sic ab initio statim mũdum fefellit, & verbis mendacibus rudes animas incauta credulitate decepit.*

Mox locum Mauritij Imperatoris contra Gregorium Papã inducit Vindicianus, videlicet, quod *simplex (Papa) vocatus sit: cui Greg epist. 31 Vrbana simplicitatis vocabulo, inquit, me fatuum appellatis, scio grauem sacerdoti iniuriam esse, vt veritati seruiens fallax credatur, & Augustum monet, vt propter eum cui sacerdotes seruiunt illis dominari velit, vt etiam debitam reuerentiam impendat: & similiter Vindicianus Grauinam*, in Bellarminum iocatum esse criminatur. VIND.

Sed expendamus verba Greg. vt quam sit dissimilis à dicto ioco Grauina monstretur. TVRT. *In Serenissimis iussionibus suis Dominorum pietas dum me quibusdam redarguere studuit, parcendo mihi minimè pepercit, nam in eis vrbane simplicitatis vocabulis me fatuum appellat. In Scriptura enim sacra, cum in bona intelligentia ponitur simplicitas sæpe prudentia, aut rectitudini sociatur. Vnde etiã de S. Iob scriptum est: erat vir simplex, & rectus; & Paulus Apostolus admonet dicens: estote simplices, & prudentes in bono: & per semetipsum veritas admonet dicens: estote prudentes &c. ego igitur qui in Serenissimis Dominorum iussionibus ab Arnulphi astutia deceptus, non adiuncta prudentia, simplex denuncior, constat proculdubio, quia fatuus appellor.* Sed candida mens Grauinæ detegitur, nam cum columbam placuerit se attitulare Bellarmino, eidem proprietatem à Christo Domino attributam, ipse quoque illi attribuit, *estote simplices sicut columba:* quod cum ad candorem animi, & rectitudinem referatur, quæ sine pruden-

tia

tia intelligi nequit, columbam describens, cum simplicitate rectitudinem, & reliquas virtutes copulatas nō obscurè designauit; quod non fecerit Mauritius, rectè reprehensus est, quod Papam Christum Domini vellicarit, quod non fecit Grauina, qui dum ad dona Dei respexit animam Bellarmini replentia, quicquid de gratia descendit, expressit, quicquid verò infirmitatis, & lapsus, in homine quoque humiliter de se sentiente (qui cum Apostolo dicebat: *Parco autem vobis ne quis me existimet supra id*
2. Cor. 11. *quod videt in me*) satis vrbanè, & modestè denotauit.

§. VI.

Sexta excusationis vindicatio.

VIND. IMpetitur sexta excusatio Grauiniana, quæ in encomijs Cardinalis fundabatur, videlicet *Grauinam se encomiastem agere, videlicet insignem athletam dū scriberet cōtrouersias aduersus hæreticos religiosorum hyperaspisten se ostendisse.* Quid deducit Vindicianus? *ex hoc elogio insinuasse Grauinam Cardinalem insigniter mutatum, pœnè contraria sibi conscribendo, & delirij speciem pro excusatione Cardinali tribuisse.*

TVRT. Non percepit Vindicianus vim rationis Grauinianæ, videlicet ob hoc rationabiliter à multis existimarū illud opusculum è penu prudentissimi Bellarmini, non esse profectum, nec enim verisimile erat tam insignem authorē tam breui tempore retractasse, quę tanta asseueratione pientissimè descripserat. De Circe, fabula est notissima, quod eadem virga mentem adimeret, & redderet (dicebat Plutarchus) & monstrosum est simul grauem, & acutam vocem reddere, quæ omnia in Iureconsultos, qui causam eandem nunc tuentur, nūc impugnant, & in Rhetores, qui eadem norunt laudare, & vituperare, eleuare atque attollere, vsurpabantur.

VIND. Quare, cum petit, Vindicianus. *Si Grauina Rhetorum illud præceptum acceptet, vt mutato quæstionis statu, dictionis genus mutandum quoque sit?*

TVRT. Respondetur: acceptat, si de diuersis materijs, vel personis, vel si de vna eademque persona, mutatis circumstantijs sermo incurrat; alioquin esset per duodecim artes Cyrenes excurrere (sic Aristophanis Poetæ cuiusdam varietatem impetebat, modum ipsius deijcientem) Age expendamus si hæ circumstātiæ seruatæ sint, si opus illud Vindicianus tueatur ex officina Bellarmini. Seruatas prætendit Vindicianus dicens: *aliud genus dictionis competit iudiciali, aliud demonstratiuo, aliud exegetico, aliud Panegyrico generi. Quando Bellarminus, cum septemcipiti hydra pugnabat, viua ordinum membra opponenda censuit, vt extracta ab oculis albugine hæretici conspiceret, quam longe à vero & æquo insanè contra regularium obseruantiam criminationes struerent. Idem artificij senex Bellarminus adhibuisset, si denuo contra hæreticos, aut etiam contra frigidos catholicos insurgere voluisset, qui tot regularum ordines inter superflua numerant: horum mendicitate, vel priuilegijs Rempub. grauari; sine his feliciorem auorum nostrorum extitisse conditionem declamant. Verum Bell. in diuexa ætate, aliud scriptionis argumentū arrisit, tot enim cum hæreticis congressibus didicerat, nulla re vehementius illos exasperari, & in perfidia indurari quàm assiduis clericorum, & regularium scandalis, improba scilicet vita licentia, hostes in Redemptoris sponsam perditè armari. Quid faceret grandæuus, & ad præmia optima gesta rei properabundus miles? dissimulare nequijt, in orationes, & gemitus (vnica fatiscētis æui solatia) effunditur, cunctorum Ecclesiæ status officij, & periculi commonefecit. Quid aliud Grauina in hoc themate incidenti suasisset consilium? ex causæ visceribus petendum erat, mortuis clericorum, seu regularium membris luctus, & tristes Odæ conueniebant, aut si aliam docendi, & scribendi artem Grauina Cardinali monstrare decreuisset, funeralia eius non debebat expectasse.*

TVRT. Eundem ſtylum eundemq; dicendi modum, hoc luctuoſiſſimo ſæculo Cardinalem vſurpare debuiſſe, & tam frigidos reprehendendo, vel exhortando Catholicos, quàm hæreticos proſcribendo ſeruare neceſſe erat, nam ex eodem Bellarm. teſte lib. 2. de Monachis in præfatione. *Hæretici hanc partem petunt, ac vt Monaſticen vituperet, portentoſa mendacia quotidie de monachis fingunt, & quacunque oblata occaſione in monachos inuehuntur, atq; eos ad odium vulgi rapiũt, & primarios Antichriſti ſatellites vocant, non eo certè ſpectant, vt ordines ſolum hominum religioſorum deijciant, Monaſticenque de medio tollant, ſed vt Eccleſiam totam hac ratione perturbent, ac lædant, eoſque, ſi fieri poſſet, à fundamentis euertant*: pleni ſunt hæreticorum libri ſycophantijs, ſcommatibus, detractionibus, quibus onerantur religioſi, vt eſſet immenſum Oceanum in concha concludere. Vnum exemplum ſat eſt adducere ex Beza. vbi monachos vocat *ſuperſtitioſos, guloſos, ebrioſos, amphoras potius quam homines, ignorantes, blaſphemos, inuidos, ambitioſos, proditores, homicidas &c.* ipſaque monaſteria vocat *luſtra, & teterrimarum, ac monſtruoſiſſimarum libidinum officinas, vel fœtidiſſimas potius cloacas, quarum fœtorem ne Diaboli quidem ipſi poſſunt amplius ſuſtinere.* Nonne magna occaſio hæreticis præbetur eos libros dictando vbi religioſorum, & Cleri defectus recenſentur? Quam plauſibiliter ad hanc theſim ſuam probandam hæretici è Catholicorum libris etiam ad Catholicos directos atque tranſmiſſos, aut ex alijs Catholicorum ſcriptis ea dicta in quibus defectus religioſorum, & clericorum perſtringuntur, ad ſuum inſtitutum maledicentiæ, & criminationis aſſument? Vnũ exemplum proponam. Scripſerat quondã ardenti zelo cum hæreticis pugnans, ſed catholicos plangens B. Petrus Damianus lib. cui titulus *Gomorrhæus* ad Leonem IX. deſtinatum, rogãs, vt Petri gladiũ ſtringeret aduerſus illos clericos, qui infandis obſcœnitatibus erant denotati. Quid ex hoc libro collegit Mornæus in myſt. inquit. *Sodomiticum ſcelus ex cœlibatus rigore eas radices in clero Rom. defixit, vt Petrus Damianus erēmum petere coactus, librum conſcribat, cui titulus Gomorrhæus*] qui liber, & à Leone IX. probatus, tamen in alia circumſtantia temporis ab Alex. II. ſuppreſſus ad tempus quod tantæ obſcœnitates legi non potuiſſent quin legentium aures offenderent, vt dicit doctiſſimus P. F. Leonardus Coquet. & licet de ſuppreſſione Mornæus rideat; *ſupprimi iuſtum fuit ab Alex. huiuſmodi libros, vbi & maxima delicta recenſentur, & reprehenduntur, non fas, vt paſſim manibus hominum terantur.* Quando ex Damiani libro tanquam veſpa non mel, ſed fel componit Hæreticus, quid non colligent Beza, & alij eiuſdem farinæ homines, cùm eis argumenta debacchandi recenſendo eoſdem defectus quos ipſi obijciunt religioſis hominibus, abundè miniſtrantur? Idem eſt ſi immediatè tradantur tela quibus aduerſus nos militant, vel ſi in eo armamentario recondantur, vnde eadem ad ſuũ vſum accommodent. Vetuſtus eſt hic hæreticorũ mos quæcunque de Eccleſiaſticis crimina reperiunt in vnum confarcinare, vt catholicæ Eccleſ. de eorum lapſibus inſultẽt: vnde Aug. *nec obijciatis hæreticis, niſi quia nõ ſunt catholici, ac ſimiles eis ſatis, qui non habendo quid in cauſa ſuæ diuiſionis affectent, & ea ipſa plura falſiſſima iactant, vt quia ipſam diuina ſcriptura veritatem, qua vbique diffuſa Chriſti Eccleſia commendantur criminari & obſcurare non poſſunt, homines per quos prædicatur, adducant in odium, de quibus & fingere quicquid in mētem venerit poſſint*: quid ſi non fingere, ſed euidẽtibus atteſtationibus noſtrorũ multiplicia, orbi nota, religioſorum ſcandala promulgentur? ſi has propoſitiones quas columba deſcripſit, in hæreticorum libris legiſſet, & ab hæreticis eſſent obiectæ, vt de

Marginalia: Tim. 2. — Inconf. a. 14. — Prog. 41. p. 255. — F. Leonar. Coquæus in Anti-morn. loc. cit. — Ep. 137.

de facto consimiles obijciuntur (vt ex eorũ dictis supra citatis apparet) versutiã hæreticam confutare nõ destitisset; quod è personis statũ, non personas è statu religionis metiantur, & iustissima exceptione à malis bonos ab obiectis criminibus separasset, nec vnquam corruptionem penè omnium religionum asseruisset, religiosorum alijs, nec ijs paucis partibus, sanis existentibus; quare nescio vnde tã exacta trutina seueri iudicij emetiferit Vindiciani, vt solũ deploranda in columba religiosorum scandala in membris mortuis ostentaret, & mẽbrorum viuorum prototypa hæreticis admiranda proponeret; cum neq; ista proficerent, & per illa subsannandi, & insultandi etiã viuis mẽbris ansam arriperent. Quanto melius Augustini vestigia sequimur, vt statum à personis primo separemus, & in personis nõ bonos tantum, nec malos, sed malos cum bonis admixtos prædicemus: nam hinc hæretici decipiuntur, imò vt dicit idem August. *falluntur homines vt vel non suscipiant meliorem vitam, vel temere aggrediantur, quia, & cum quidam laudare volunt sic laudant vt non ibi dicant mala, quæ mixta sunt, vt & qui vituperare volunt tam inuido, & animo peruerso vituperant, vt claudant oculos aduersus bona, & sola mala, quæ ibi sunt, vel putantur exaggerẽt.* (& iterum) *Tu qui laudas bonos dic mixtos malos, tu qui vituperas, vide ibi, & bonos:* hoc consilium, & solidam doctrinam, non de suo cerebro natam Grauina, in Turture, vt ad eius manus perueniret exposuit, quod opus dum cudebatur, inopinato funere, tam insigni viro parentatũ est. *In ps. 99*

VIND. Subdit Vindicianus ad causandam excusationẽ Grauinianam. *Non insolens fuisse id dicendi genus religiosorum defectus propalandi, nam ex Io. Gersone multa, & grauia de regularium moribus lamentatus est in serm. ad Concil. Rhemense in tractatu de verbis Domini, & ad quatuor abusuum genera contraxit, continui tenoris, indiscreti feruoris, indebitæ occupationis, & nimiæ timiditatis.* Sed nunquam Gerson in specialibus ordinibus designat esse scandala grauia, multiplicia, omnibus nota: quæ si recensuisset in Concilio, cum eiusmodi orationes ianuis clausis idcirco fiant, ne sæculares vitia clericorum, & regularium audiant, & scandalizentur (ex vsu, & praxi synodali) vel non esse sæcularibus propalanda scandala Clericorum ex hoc euincitur. Sed & Gerson licet pius, & doctus, suos etiam notabiles contraxit næuos, nam Gregorium IX. Romam suasu S. Catharinæ Senensis Sedem transferentem ex Auenione cum Diua sugillat, cui aliquantulum parcendum, quod nationi Gallicæ addictus id finxerit, quod Gallici scriptores minimè referũt. Idem apud Coquetium, Concilium Pisanum laudauit, Concilijs Pontificiam Maiestatem in rebus fidei finiendis supposuit, vnde vt dicit Posseu. aliquando in suo sensu abundans *& dixit, vel scripsit quæ nemini ambigendum est, quin secus sensisset si sequentia tempora, & secundas cognitiones (vt vocant) audiuisset, præsertim ea, quæ ab eadem Ecclesia ritè congregata, non semel profecta fuerunt:* de quibus sententijs cõciliaribus, nõ Gersonicis scriptum est Hieronymo interprete: *verba sapientium quasi stimuli, tradita sunt à pastore vno &c.* *In Antimor. t. 2. pag. 217.* *In apparatu descrip. Eccl.*

Viris quoque sapientibus fuit etiam æqua potestas, sed moderata, nec in particulari descenderunt, sed maximo æquilibrio ponderata, vt nec de hac vel illa religiosa familia, sed in genere loquerentur, vt magis infra demõstrabitur. Sed quomodo cõcludat hoc caput Vindicianus audiamus] *Sufficiat huiusmodi ab insigni Ecclesiæ præfato Archiepiscopo, Cardinali, intimo summorum Pontificum consiliario*, & in purpuratorum collegio clarissimo sidere profecta fuisse. *Eccl. 12.*

Sed non sufficit; nam eiusdem instituti alios testes habemus de florenti religiosorũ omniũ statu. Adam. Concem. è Societate VIND.

TVRT. tate 6.polit.cap.46.nu.12.de omnibus veteribus ordinibus antiquis, ait: *nunc feruentius, & constantius, quam à trecentis annis factum sit sese reformant*, & Thomas Blanc. etiam Iesuita in panegyrico ordinis Præmóstratensis de omnibus religiosis loquens ait: *illorum domus sunt non modo sedes pietatis, templum virtutum, asylum sapientiæ, cœlestium donorum sacrarium, &c.* P. Platus Soc. Iesu, magis quàm Grauina Religiosorum Florentem statum demonstrat in lib. de Religiosorum statu, illum consule Vindiciane: si in ore duorum, vel trium stat omne verbum iam pro religiosis deploratis vicimus, & ab omni Vindicianica calumnia, Turtur absoluitur, vel si ob id in cauea recludendus sit, non ipse solus, sed cum his pientissimis viris degere, & confabulari, & voces congeminare datur occasio, libenter compedibus pedem subijciet, nec deerunt, qui compatientur super contritione Ioseph.

CAPITIS SEXTI DISCVSSIO.

Paucitas an multitudo laxorum regularium sit asserenda.

SVMMA CAP.

Perperam iterum regulares cum defectibus eorundem ab Anonymo proponuntur in proscænio inuisendi, non distinguente status, & temporum circumstantias; cum laxitas nec omnes religiosos, nec omnes prouincias semper infecerit: varijsque paralogismi Anonymi dissoluuntur, & varia loca PP. extorta cum Esaiæ loco expenduntur.

ITerum in proscænio inuisendi exhibentur Regulares, cum defectibus, vt fixius imaginationi pusillorum, vel hostiū Christi impressa deformia simulacra, & teterrimè monstra, (sicut optant, & iubent Hæretici) habeantur religiosi. Ergo Anonym. tā

TVRT. suis: quam Cēturiatorum, & aliorum Nouatorum coloribus suam tabellam depingit: ait ergo Vindicianus *Illustriss. Cardin.*

VIND. *absque exceptione, seu limitatione miserabilem multorum regularium ruinam affirmat: eorum multiplicatione: inde orta scandala: Magnam in ordinibus esse turbam relaxatorum, adducta visione S. Pachomij; paucos pie victuros, & saluādos. Aduersus hæc Grauina totis ingenij, & eloquentiæ suæ neruis obnunciat &c. mihi quidem in hac controuersia placet, vt tempora, quæ Conc. Trid. antecesserunt, ab ijs quæ post illud vsque nūc decurrerunt, separemus*] Hæc non rectè prolata; nā quo quæso artificio Diabolus statū religiosorū oppugnare cępit, nisi expressis typis, sculptura, vel pictura Ecclesiasticorū, imaginibus Leonis, vel vulpis, vel hirci similitudinem referētibus, per quæ iuxta animalium illorū proprietates, vitia denotarētur eorum? facile enim fuit spretis hominibus statum pessundare, non metiendo personas ex religione, sed ex recensitis religiosorum defectibus religionem corrigendo. Hac astutia tota Germania dementata, & Galliæ, vt reformata ab ipsis vocata religio ministrorum Diaboli, caput attolleret, dum deformatam in Ecclesiasticis esse religionem traducebant. Vmbra certe diabolica hæc est à Diabolo suggesta ad fallendos simplices, *sub vmbra enim calami sedet.* Iob c.40. Nō bonæ causæ patrociniū adulterinum (sub specie pietatis) pro nummo syncero obtrudere, & sub specie reparationis, peiores scissuras machinari. Cum hæretici vnitatem Ecclesiæ labefactare conātur ex religiosorū multitudine, & varietate, quo clypeo eluduntur tela nisi exercitus analogia, vbi varij sub varijs vexillis milites castrametantur? sub vno enim summo duce gladijs accincti, & ad bella doctissimi, nō tam sunt Ecclesiæ Catholicæ religiosorum cœtus Ecclesiæ firmamentum, quàm velut cœlestis exercitus spectabile ornamentum. An hostes terga vertissent, si spicula Vindiciani in eundem exercitum contorquētem aspexissent, nimirum multitudinē, & deformitatem religiosorum aciem deformé objjcientis, cecidisset ad Vindiciani pedes.

TVRT. (margin beside "Hæc non rectè prolata")

pedes Wicleph primipilus author belli in religiosorum familias, & suo sanguine baltheum, & calceos Vindicianus cruentasset? potius in nostros arma contorqueret, nostros etiam nostra in domo configentes: sic quondam Teucros Inimico mixtos exercitui, *premit agmine turba.*

Æneid. 12. *Nec miseram effugiunt mortem, sed limine in ipso.*

TVRI. *Mœnibus in patriis atque inter tuta domorum*

Confixi expirant animas &c. Interim Vindicianus imminentis prælij immemor, extimatarum iniuriarũ memor, dum ad exercitum catholicorum suppetias (quas fert Grauina) non admittit, in tam diro conflictu hostium Christi contra illustriorem partem sui gregis, id accidit, quod Teucris, nam dum pars *claudere portas,*

Nec Socijs aperire viam, nec mœnibus audent,

Accipere orantes, oriturque miserrima cædes.

Sed dum parat Grauina aditum ad eludendos ictus, Vindicianus somnians Grãmatizat, & ad modum Grammaticum ex personarum varietate ludit: magnum numerum relaxatorum confectum à Grauina. Vtinam vel ad parandas fossas, vel propugnacula struenda pro religiosorum tutela, Clauium inter nostri æui præclaros Mathematicos conspicuum aduocasset.

§. I.

Examinatio, videlicet status regularium ante Concilium Tridentinum.

VT laxorum multitudinẽ probet Vindicianus status duos distinguit, vnũ ante Concilij Tridentini tempora, aliud post eiusdem Concilij celebrationem. Ad primum statum deueniens, post decantatas laudes Grauinæ quod piè laborarit pro excusandis ordinibus exponendo aliquos SS. vel quod suorum temporum paucorũ deplorarint tepiditatem, & processu temporis multo, deduxisse minima negligentes, videlicet successiuè, & relaxationem ordinum extrinsecus illatis cladibus, non desidiæ tribuendum docuerit; sic eundem postea Grauinam pungit, vt si pro illis laborauit, *obsecro* (inquit) *vera quoque prætexat nomina culpæ.*

Deinde ad hominem arguendo ait: *inconstantem Grauinam, fatentem nunc ordines velut ex propria morte reuiuiscere, in paucis granis relictis in botro esse Dominicam benedictionem; anno 1348. grassante lue monasteria miserè exhausta, & gregi disiecto, & dispersoo* [ex Nazianz.] assimiles & classicum canendo talem elicit conclusionem, *ergo Grauina Cardinali multitudinem relaxatorum concedit.* VIND.

Hoc nouum paralogizandi genus est Vindiciani, non distinguentis status, & tẽpora, & temporum circumstantias, cum in simili forma Donatistæ Ecclesiæ Catholicæ disiectionem, dispersionem, interitum, nedum catholicorum paucitatem, probãda assumerent; Hilarium namque citabãt tanquam corruptioni eiusmodi, & defectioni applaudentem. Quid August. *Sed historicus doctus magnum aliquid inuenisti, quod contra Dei testimonia proferendum putares, dicis enim quantum ad totius mundi partes: modica pars est in compensatione totius mundi, in qua fides Christiana nominatur.* & postea. *Hilarius ergo decem prouinciarum Arianorum, aut zizania non triticum arguebat, aut etiam triticum quod defectu quodam periclitabatur, quanto vehementius tanto vtilius arguendum putabat. Habent enim scriptura canonica hunc arguendi morem, vt tanquam omnibus dicatur, & ad quosdã verba perueniat, quod etiam Apost. dicit, quomodo dicunt quidam in vobis, quia resurrectio mortuorum non est? manifestat vtique non omnes esse tales, &c. quod autem dicit: cum enim sint inter vos æmulatio, & contentio, nonne estis carnales, & secundum hominem ambulatis? & tamen non est existimandum* (ait August.) *omnes carnales, & animales, non percipientes, quæ sunt spiritus Dei, contentiosos, æmulos secundum hominẽ ambulantes:* itaque cum dicitur, subdit, *totus mundus.* TVRT. Ep. 48. 1. Cor. 15.

mundus in maligno positus est, intelligitur propter zizania, quæ sunt per totum mundum. Hæc ex August. Magnum ergo proferre putasti ex allegatis authoribus Vindiciane ad inculcandum ordinum corruptionem addens & Gersonicam illam ampliationem, *semel collapsam religionem nunquam, aut vix reformari posse.* cum ergo hæc corruptio, nō per omnes partes, & loca incesserit, vt vel ratione membrorum corruptorum verificetur corruptio, & relaxatio ordinum, quod omnibus religionibus, quæ sub cœlo sunt commune est; vel si ad sana membra respiciamus, ipsa ne periclitarentur, tantò vehementius quantò vtilius arguebātur à scriptoribus; quasi ad omnes de virtute sermo directus, qui propter paucos, vel propter multos diuersorū locorū corrupti dicebantur: vel si ad vniuersalitatem temporis eiusdemque circumstantias respiciamus, sicut idē dicit August. quod eadem Ecclesia *aliquando tranquillitate temporis quieta, & libera apparet, aliquando autem tribulationum, & tentationū fluctibus operitur, atque turbatur*; ita, & de religionibus dicēdum est. Nec culpandus Grauina quod has circumstantias aspexit, cum aspiciendas docuerit August. Hoc autem quoque S. Brigitta quam citas significare, voluit dū *conqueritur, omnes religionum vineas aruisse, & valdè paucos in eis palmites fructificare*, erant enim tunc velut Hilariana tempora, cum schismatibus vexaretur Ecclesia, vnde in certis partibus, & cultoribus succreuerat abundantia spinarum, vt omnes religionū vineæ dicantur aruisse, vnde vinea Brigittanæ religionis, per quam cæteræ reparentur, instituta est, quod ad reparationem localem se extendit, sicut & relaxatio maximè in ijs partibus maior erat, nec enim Brigittanus ordo Alpes transijt, aut per eū Hispanorum, vel Italorum cœnobia reformata sint. vnde vt simpliciter Ecclesia etiam ex abundantia malorum, & turbi-

In p. 1: defens. Chartus.

Ep. sup. cit.

nibus simpliciter corrupta, vel penè corrupta dici nequit, etiam Hilarianis temporibus; ita nec totum corpus religiosorum ex eadem analogia. Calceos ergo cauillationum Vindicianus velut Histæus induit, quos Aristagoras fabrefecit, nempe Donatus, quē in simili imitatus Vindicianus, imò & cothurnos Nouatiani sibi adaptauit de reformatione lapsorum desperans.

Testimonium vero Sacrosancti Concilij mox ad probandam laxationem penè in corruptionem tendentē adducit Vindicianus extorquens miserè, & vt illa Maga,

Reluctantem cursu deducere Lunam
Nititur, & tenebras addere Solis equis]

ait ergo Concilium sess. 24. c. 21. *Cum pleraque Monasteria, Prioratus, & Præpositura ex mala eorum administratione, non leuia passa fuerint tam in spiritualibus, quam in temporalibus detrimenta, cupit S. Synodus ad congruam Monasticæ vitæ disciplinam omnino reuocare*, quid inde colligit Vindicianus? *Hi sunt religiosissimorum Præsulum è toto orbe collectorum super regularium laxatione gemitus, qui merito Grauinam in veritatis semitam reducere possint.* VIND.

TVRT. Non de omnibus religionibus, vel maiori eorum parte, sed de Rectoribus, Præpositis &c. qui non omnes religiosi sunt S. Synodus loquitur; & de his nō omnibus, sed plerisque ex quorundam *mala administratione Monasteria non leuia passa sunt detrimenta*; propterea cupit ad congruā Monasticæ vitæ disciplinam omnino reuocare, & cum non omnibus, & vbique præstari id posset, expectat à Pontifice prouisionem, vt eiusmodi Monasterijs, quæ *commendata reperiuntur, & quæ suos habent regulares personæ præficiantur professæ eorundem ordinum, quæ gregi præire, & præesse possint: quæ vero in posterum vacabunt, nonnisi regularibus spectatæ virtutis, ac sanctitatis conferantur.* Quomodo eleuat Vindicianus & extendit ad omnes, quod ad solos Præpositos,

Abba-

Abbates,&c. Concilium direxit? Melius alium locum Tridentini adduxisset sess.25. c.1. vbi dicitur, *necessarium esse quò facilius, ac maturius vbi collapsa est vetus, & regularis disciplina ibi instauretur, & constantius conseruata est perseueret, præcipere, prout hoc decreto præcipit, vt omnes regulares tam viri, quam mulieres ad regulam quam professi sunt præscriptam vitam instituant, & componant.* vbi ordinum corruptio? vbi, vt exaggerat ampullosis verbis, è toto orbe collectorum regularium relaxatio? cum non vbique, sed *vbi* (ait Concilium) *collapsa est vetus* disciplina, & vbi hic Concil. deplorat laxationem, hic gaudet de conseruatione. Solus Vindicianus vbi Concilium de parte loquitur, vniuersalitatem Locorum amplificat (vt gemitibus columbinis subdatur) Tridentinorum Pattū verbis, *qui* (ait) *Grauinā ad veritatis semitā reducere possint*, à veritate ipse declinans Concil. extorquendo tot verborum ambagibus; sed vt dicebat Tertull. 2. in Marcionem cap.28. *expedita veritatis virtus, paucis amat, mendacio multa erunt necessaria.*

§. II.

Discussio de statu regularium post Concilium Tridentinum.

TVRT. PVgnacissimè etiam veluti Themistoclis ille Galius vsque necē pugnat Grauina, negans quam fingit Vindicianus laxorum regularium multitudinem p. 2. n. 32 p.1.c.13. nam si *pugnare pro patria optima auis*, multo magis pro religione, & religiosis domibus, nec de defensione erubescit.

VIND. Quid Vindicianus dicit? quod *sic animosus Grauina incedit, vt præter solidas probationes nihil magnopere desideres*] sic Thraso iste putat Grauinianos discursus fundatissimos elidere, volens obtrudere suas friuolas, quas ipsomet iudice Acribologicas putat demonstrationes. Sed familiare est Phi-

TVRT lautis nimium sibi blandiri, omnia sibi ignoscere, nihil alijs remittere, & magnificè, & sumptuosè per amplissimum insolētiæ campum expatiari. Mox progreditur ad refutanda alia argumenta, quibus falso inducitur, ad laxorum multitudinem in religionibus ostendendam. Producit præfatorem impressi libri de reformatione religiosorum Io. Nider, qui hæc dicit, *videtur in præclaram viuendi rationem quadam vitæ corruptio, & languor pietatis irrepsisse, vnde in maximum discrimen* (ait) *quicquid religionis, quicquid bonarum legum, quicquid Monasticæ disciplinæ, quicquid morum probatorū, quicquid honestorum studiorum est deuolui necesse sit.* VIND.

Animosè omnino paralogizas ad vniuersas orbis Prouincias omni æuo reformādas ex vna, vel altera Prouincia vno, vel altero cœnobio reformatione indigente, pro qua Nider laborabat ea tēpestate, qua VVicleph, Hus, schismata etiam Ecclesiā, & ordines sacros infestarūt. At quàm bellè dilatare fimbrias Pharisaico stylo edoctus, amplias verba præfatoris, vt ab apparentia transeas ad existentiam, *videtur inquit ille quadam vitæ corruptio irrepere*, tu totum Vindiciane corpus religiosorū putas corruptum, fere exanime, & mortuum: præfator timet ne tandem in discrimen adducatur quicquid est Monasticæ disciplinæ, at tu, iam animam exhalasse, & iam fœtidum, in detractorum sepulchro recondis, de quibus dicitur, sepulchrum patens est guttur eorum. Ps.5. TVRT.

Quid imminentes hospites vexas canis.

Ignauus aduersus lupos? dixit quidam, imò vt cum lupis lupum te adiungeres, ciues SS. & domesticos Dei, discerpis, nonne recentior quidam Polyander Caluinista lib. contra Anastasium Cocheletium scripsit. *istis nouissimis temporibus Monachos esse nequissimos*, nec vlla pagella est ministellorum, quæ criminum, & delictorū religiosorum non sit repleta? cur per eandē sectā Pag. 124. 126.

reci-

mundus in maligno positus est, intelligitur propter zizania, quæ sunt per totum mundum. Hæc ex August. Magnum ergo proferre putasti ex allegatis authoribus Vindiciane ad inculcandum ordinum corruptionem addens & Gersonicam illam ampliationem, *semel collapsam religionem nunquam, aut vix reformari posse.* cum ergo hæc corruptio, nō per omnes partes, & loca incesserit, vt vel ratione membrorum corruptorum verificetur corruptio, & relaxatio ordinum, quod omnibus religionibus, quæ sub cœlo sunt commune est; vel si ad sana membra respiciamus, ipsa ne periclitarentur, tantò vehemētius quantò vtilius arguebātur à scriptoribus; quasi ad omnes de virtute sermo directus, qui propter paucos, vel propter multos diuersorū locorū corrupti dicebantur: vel si ad vniuersalitatem temporis eiusdemque circumstantias respiciamus, sicut idē dicit August. quod eadem Ecclesia *aliquando tranquillitate temporis quieta, & libera apparet, aliquando autem tribulationum, & tentationū fluctibus operitur, atque turbatur;* ita, & de religionibus dicēdum est. Nec culpandus Grauina quod has circumstantias aspexit, cum aspiciendas docuerit August. Hoc autem quoque S. Brigitta quam citas significare, voluit *dū conqueritur, omnes religionum vineas aruisse, & valdè paucos in eis palmites fructificare*, erant enim tunc velut Hilariana tempora, cum schismatibus vexaretur Ecclesia, vnde in certis partibus, & cultoribus succreuerat abundantia spinarum, vt omnes religionū vineæ dicantur aruisse, vnde vinea Brigittanæ religionis, per quam cæteræ repararentur, instituta est, quod ad reparationem localem se extendit, sicut & relaxatio maximè in ijs partibus maior erat, nec enim Brigittanus ordo Alpes transijt, aut per eū Hispanorum, vel Italorum cœnobia reformata sint. vnde vt simpliciter Ecclesia etiam ex abundantia malorum, & turbinibus simpliciter corrupta, vel penè corrupta dici nequit, etiam Hilarianis temporibus; ita nec totum corpus religiosorum ex eadem analogia. Calceos ergo cauillationum Vindicianus velut Histæus induit, quos Aristagoras fabrefecit, nempe Donatus, quē in simili imitatus Vindicianus, imò & cothurnos Nouatiani sibi adaptauit de reformatione lapsorum desperans.

In p. 2. defens. Chartus.

Ep. sup. cit.

Testimonium vero Sacrosancti Concilij mox ad probandam laxationem penè in corruptionem tendentē adducit Vindicianus extorquens miserè, & vt illa Maga,

Reluctantem cursu deducere Lunam

Nititur, & tenebras addere Solis equis] ait ergo Concilium sess. 24. c. 21. *Cum pleraque Monasteria, Prioratus, & Præpositura ex mala eorum administratione, non leuia passa fuerint tam in spiritualibus, quam in temporalibus detrimenta, cupit S. Synodus ad congruam Monastica vita disciplinam omnino reuocare,* quid inde colligit Vindicianus? *Hi sunt religiosissimorum Præsulum è toto orbe collectorum super regularium laxatione gemitus, qui merito Grauinam in veritatis semitam reducere possint.* VIND.

Non de omnibus religionibus, vel maiori eorum parte, sed de Rectoribus, Præpositis &c. qui non omnes religiosi sunt S. Synodus loquitur; & de his nō omnibus, sed plerisque ex quorundam *mala administratione Monasteria non leuia passa sunt detrimenta;* propterea cupit ad congruā Monasticæ vitæ disciplinam omnino reuocare, & cum non omnibus, & vbique præstari id posset, expectat à Pontifice prouisionem, vt eiusmodi Monasterijs, *quæ commendata reperiuntur, & quæ suos habent regulares personæ præficiantur professæ eorundem ordinum, quæ gregi præire, & præesse possint: quæ vero in posterum vacabunt, nonnisi regularibus spectatæ virtutis, ac sanctitatis conferantur.* Quomodo eleuat Vindicianus, & extendit ad omnes, quod ad solos Præpositos, TVRT.

Abba-

Abbates,&c. Concilium direxit? Melius alium locum Tridentini adduxisset sess. 25. c. 1. vbi dicitur, *necessarium esse quò facilius, ac maturius vbi collapsa est vetus, & regularis disciplina ibi instauretur, & constantius conseruata est perseueret, præcipere, prout hoc decreto præcipit, vt omnes regulares tam viri, quam mulieres ad regulam quam professi sunt præscriptam vitam instituant, & componant.* vbi ordinum corruptio? vbi, vt exaggerat ampullosis verbis, è toto orbe collectorum regularium relaxatio? cum non vbique, sed *vbi* (ait Concilium) *collapsa est vetus* disciplina, & vbi hic Concil. deplorat laxationem, hic gaudet de conseruatione. Solus Vindicianus vbi Concilium de parte loquitur, vniuersalitatem Locorum amplificat (vt gemitibus columbinis subdatur) Tridentinorum Patrū verbis, *qui* (ait) *Grauinā ad veritatis semitā reducere possint*, à veritate ipse declinans Concil. extorquendo tot verborum ambagibus; sed vt dicebat Tertull. 2. in Marcionem cap. 28. *expedita veritatis virtus, paucu amat, mendacio multa erunt necessaria.*

§. II.

Discussio de statu regularium post Concilium Tridentinum.

TVRT. PVgnacissimè etiam veluti Themistocles ille Gallus vsque necē pugnat Grauina, negans quam fingit Vindicianus laxorum regularium multitudinem p. 2. n. 32 p. 1. c. 13. nam si *pugnare pro patria optima auis*, multo magis pro religione, & religiosis domibus, nec de defensione erubescit.

VIND. Quid Vindicianus dicit? quod *sic animosus Grauina incedit, vt præter solidas probationes nihil magnopere desideres*] sic Thraso iste putat Grauinianos discursus fundatissimos elidere, volens obtrudere suas friuolas, quas ipsomet iudice Actibologicas putat demonstrationes. Sed familiare est Phi-

TVRT lautis nimium sibi blandiri, omnia sibi ignoscere, nihil alijs remittere, & magnificè, & sumptuosè per amplissimum insolétiæ campum expatiari. Mox progreditur ad refutanda alia argumenta, quibus falso inducitur, ad laxorum multitudinem in religionibus ostendendam. Producit præfatorem impressi libri de reformatione religiosorum Io. Nider, qui hæc dicit, *videtur in præclaram viuendi rationem quadam vitæ corruptio, & languor pietatis irrepsisse, vnde in maximum discrimen* (ait) *quicquid religionis, quicquid bonarum legum, quicquid Monastica disciplina, quicquid morum probatorū, quicquid honestorum studiorum est deuolui necesse sit.* VIND.

Animosè omnino paralogizas ad vniuersas orbis Prouincias omni æuo reformādas ex vna, vel altera Prouincia vno, vel altero cœnobio reformatione indigente, pro qua Nider laborabat ea tēpestate, qua VVicleph, Hus, schismata etiam Ecclesiā, & ordines sacros infestarūt. At quàm bellè dilatare fimbrias Pharisaico stylo edoctus, amplias verba præfatoris, vt ab apparentia transeas ad existentiam, *videtur inquit ille quadam vitæ corruptio irrepere*, tu totum Vindiciane corpus religiosorū putas corruptum, fere exanime, & mortuum: præfator timet ne tandem in discrimen adducatur quicquid est Monasticæ disciplinæ, at tu, iam animam exhalasse, & iam fœtidum, in detractorum sepulchro recondis, de quibus dicitur, sepulchrum patens est guttur eorum. TVRT. Ps. 5.

Quid imminentes hospites vexas canis.

Ignauus aduersus lupos? dixit quidam, imò vt cum lupis lupum te adiungeres, ciues SS. & domesticos Dei, discerpis, nonne recentior quidam Polyander Caluinista lib. contra Anastasium Cocheletium scripsit. *istis nouissimis temporibus Monachos esse nequissimos*, nec vlla pagella est ministellorum, quæ criminum, & delictorū religiosorum non sit repleta? cur per eandē sertā reci- Pag. 124. 126.

Apud eundem in camin. reciprocas Vindiciane, vt cædas ligna cypressina, non pro constructione domus Dei, sed pro synagoga Diaboli fabricāda? Calu. p. 141. Cur eiusdem sectatus vestigia hinc ex vna parte arguis licentiorem viuendi rationē, vt Monachorum multi animos laxarint, & à seueritate disciplinæ in molliorem conuersationis modum deflexerint, inde vero in austerum, & rigidum vitæ genus virulentam linguam, & calamum acuis, & cū non haberes quid responderes, conuictus ex austera regularium vita, illud protulisti Cas. 9. p. 96. inferius: *austeritates cum spiritu Acediæ coniunctas esse.* Nonne aperte classicum canebas, vt simul, & semel eremum, & Monasteria expoliares, & ad libertatem, & pileum, sacro abiecto pallio vocares, ad laxiorem statum dulciter inuitans, quam fingebas tibi displicere, & à seueriori exterrens statu, qui delicatulo tuo corpusculo non poterat satis placere. Nimirum oportebat insurgere nouum Acab in Heliam Monachum, detractorem Rhecabitarum, Herodiadem in Herodis aula Baptistam næniarum arguentem, Hilarionem, Paulum, Antoniū, Macarios, Basilium, Ephrem, Aug. Benedictum, Dominicum, Franciscum, Sanctissimos Eremicolas, & Cœnobitas, mollem, & delicatum militem impetentem, quibus nō satis fuit habere vituperatores, & magnorum criminum accusatores, nisi coronidis loco Vindicianus aduenisset, qui arctissimam filiorum Monasticam disciplinam, cum Acedia iungens, non tam eam, quàm institutores sugillaret: vt tolerabilius certè sit, Sanctorum sobolē, quæ imparem in sanctitate se profitetur, ab antiqua seueritate paulisper ad laxiorem vitæ rationem deflexisse, quàm vetustatis in rigida vita vestigia relicta tam turpi titulo Acediæ penitus abolēda procurare. Quātò tibi consultius fuisset, hæc vsque ad nauseam toties repetita in regulares obiecta scommata, omittere, & vt dicitur veteri Prouerbio, *non mouenda mouere*; *quam Camerinè*, hoc est audacter, loquendo, *Camerinam mouisse, quæ fatis nunquam concessa moueri.*

Sed inter rosas, & lilia scarabæus moritur, in fimo pinguescit, & cum posset Vindicianus, aulas gemmatas, & mirificè exsculptas perlustrare, Vestibulum ante ipsum, primoque in Palatij limine consistere maluit tetris odoribus *delectatus*; *vt grauis* Virg. 3. Æneid.

Patulis captasset naribus auras.

VIND. Pergit adhuc spiris anguium implexis Andromachen concinnare, hoc est omnis generis authoribus, caueam consarcinare. *F. Antonius Gueuara* (ait) *contra ambitionem regularium, singularitatem, neglectum diuinorū, & sui ipsius profectum, aliosque defectus disputat, & exclamat: Curauimus Babylonem, & nō est sanata. O quam multis idem hodie posset obijci.* & postea instat, vt in ordinibus, *nouitij prius præceptorum decalogum, quàm consilia euangelica obseruare doceantur, ne ossa rodant abiecta medulla, paleam seruent, & farinam excutiant, & constitutiones suas, & capituli regulas pluris faciant, quam quod Christus in Euangelio præcipit.*

TVRT. Quod diffuso verborum istorum circuitu Vindicianus inferre conatur, in hanc formam accipe lector redactum argumētum: videlicet [P. Gueuara multos religionis defectus tanquam reliquias Babylonis deplorauit: Insuper monuit Prælatos, ne ossa rodant abiecta medulla, suos edoceāt Ascetas prius præcepta quam consilia obseruare, ergo ex mente Gueuaræ (vt idem Vindicianus infert) *non de nihilo planxit Bellarminus, & in genere, iuxtà desiderium Tridentini Concilij, in reformationem intentus: ergo male Grauina Bellarminum, Episcopum Gueuaram, Ponquetium, & religiosorum æquissimos extimatores exclamare prohibet, atque ad cancellos reuocare siue multos siue paucos extra limites ordinis diuagantes.*

VIND. O bellas consequentias in Lycæo fabrefactas,

VIND. factas, in Platonis Academia tornatas, & fucato verborũ apparatu à Vindiciano, in foro ad vendendum expositas. Pressius eas stringamus, vt artificium curiosius inspiciamus. [Multorum desidiam deplorat Gueuara, ergo & omnium ordinum] quod erat scopus columbini gemitus, relaxatio, & quasi corruptio. & iterum. [Præmonendi sunt Præsules ordinum, vt prius mandata obseruanda quam consilia edoceantur, ergo ordines sunt relaxati.] Sic arguens propria vineta cædit, nã & has consequentias admittere adstringitur. [Multos Athenis aëris intẽperies infestauit, corruptio ergo, & lues totam penè Græciam, imò & totum Oriẽtis tractum inuasit.] & iterum [Instruendi sunt à medicis valetudinarij, aut sani, vt prius curent ea adhibere pro instauranda, vel præseruanda sanitate, quæ ad consistentiam faciunt præcipuorum membrorũ corporis, quã quæ ad curandam cuticulam faciunt. ergo in ciuitatibus sunt multi infirmi.] Quis has consequẽtias, vt fatuas, & stultas, nõ irrideret?

Verùm malo etiam accepto vix stultus sapit, & Vindicianus adhuc stultitiam suã confirmare studet, & veluti citharædus,

VIND. *Ridetur, chorda qui semper oberrat eadem.* *Orat. in arte Poët.*

sic enim prosequitur [Sancta Theresa illud à Christo Domino oraculum accepit (subdit Vindicianus) quod licet essent multi Doctores, & viri qui iussa Domini exequerẽtur (circa ministerium animarũ) nihilominus ad id non sunt visitati, *quia se ipsos nolunt disponere. vt mecum familiariter loquantur. Hinc ipse indigus, & ab ipsis repulsam passus, ad mulieres solatij quæritandi, deque rebus meis cum ipsis familiariter agendi causa me conuerto* quid inde infert Vindicianus? *Cape oraculum, Grauina pro florenti omnium ordinum statu, & considera cuiusmodi scutum huic amentato telo opponere velis.*

TVRT. Etiam si Mineruæ scutum arriperes Vindiciane pro tuis symmistis Donatistis tuendis, vel excipiendis, penetrabit idem missile ferrum; nisi te tuosque excipias ex Iuuenale,

Quia tu Gallinæ filius albæ *Hor. Satyra 3.*

Cæteri vero à te, tuisque clientibus à te cõfictis conditione, vel professione discreti

nati infelicibus ouis. *Hor. Sat. 13.*

Contra tuum telum non in spiritus, sed æmulationis officina fabrefacto, scutum illud opponam, toties, ictibus Donatistarũ ab August. obiectum. Videlicet sicut, & vniuersalis Ecclesiæ, ita quoque religionum corpus esse quoddã permixtum ex bonis, & malis, vt propterea admonitiones, & correctiones, sicut & laudes, quæ ad paucos sunt directæ, ad omnes refundi videãtur, & quæ omnibus intimãtur paucos respiciant, vt vnusquisque de corpore, in laude, vel reprehensione, quod pro se facit intelligat, an laude, vel vituperio dignus sit. Frequentissimè hæ locutiones in scripturis Apostolicis, & Propheticis obseruatæ. Eodem modo cum indefinitè etiam loquens conqueratur Dominus à viris atque Doctoribus solum relictum esse, non omnes, & in omnibus ordinibus voluit denotare, sed in plurimis, vel in multis, multos eum reliquisse, vt ad eos qui indigerent eiusmodi correctione, profectus gratia sermo Domini dirigeretur. *Ep. 48.* *Vide Martinum in Hypotip.*

VIND. Ex eodem armamentario, scilicet scriptore vitæ S. Theresæ vnde sibi fortissimũ telum subministratum putabat, commentatoris partes agente in Oseam cap. 2. alteram sententiam, vt acutam sagittam desumit Vindicianus, vt sagittet in occulto rectos corde. Is fuit P. Ribera sic scribens, vt si charta defuisset in ora vestimenti describenda fuisset, eũ ergo sub his verbis citat. *Si quis inquit dicat in magna hominũ multitudine mortificationem, humilitatem, pacem, concordiamque animorum diu posse conseruari; id putat, quod neque factum est, neque fiet.* loquitur

quitur (subdit Vindicianus) iste auctor de regularibus.

TVRT. Iam ergo Vindiciane in angustias caueæ strictiores redigis columbam, dicentē expresse [sub primis Patriarchis Religionū institutoribus, & post multa tempora floruisse] vel falsum est quod Ribera restringit, nec retro actis sæculis factum esse, vt in tanta multitudine mortificatio &c. consistere potuerint. Parua erat multitudo in Ægypto Cœnobitarum, & Monachorū? parua in Scythia, & in interioribus deserti Arabiæ? in sola Pachomij schola myriades Monachorum recensentur? Vna Ossirinchi ciuitas magis è religiosis quàm sæcularibus ciuibus integrabatur. In Thebaide, ait Cassianus, *Cœnobium quanto numerosius, tantò obseruationis rigore districtius, si quidem in eo plusquam quinque millia fratrum sub vno Abbate reguntur, tantaque obedientia hic tam prolixus Monachorum numerus omni seniori suo subditur, quanta non potest apud nos vnus vni, vel obedire pro modico tempore, vel præesse.* Quomodo id nunquam factum est, quod manifestissima ostensione probatur? quomodo (quod peius est) neque fore talem concordiam, terminum diuinæ prouidentiæ præfigendo pronuncias? cum tamen alias illibatum clientum, quos inflare vult, vastissimū cœtum, ab omni huiusmodi perturbatione eximat, Grauinam de malo omine taxans, quod eidem perennem iuuētutem non promittat: cur licet Vindiciano omnium aliorum ordinum corruptionem præsagire, ipse tamen vanus,

4. de instit. renunc. c. 1.

Tolumnius augur,

de futuris cōiectans, qui de præteritis, quæ in promptu habebat, si vel solum Cassianū legisset, nec diuinauit? Non putet author vitæ S. Theresiæ, quia commentator est prophetarum, propheticum spiritum induisse, imò agnoscat, à spiritu prophetico longè stare, qui prædicit, & prędicat, quod non sit abbreuiata manus Domini.

In eadem saliua perstans alias authoritates adducit Vindicianus, nimirum Aluarez, Thomam de Kempis, aliàs Gersonem, verius Gessen (vt aduertit doctissimus, & eruditissimus Abbas D. Constantinus Caietanus in Apolog. contra Rosvvedium) & tota eius, quam allegas periodus in eo consistat, quod (*cum maior adhibeatur cura in sciendo, quàm bene viuendo, inde scandala in populo, & dissolutio in Cœnobijs &c. ac proinde ex vita tepiditate prouenire, quod religiosi minus vtiles, & fructuosi nostris temporibus existunt*, & subdit, *simillima esse Bernardi lamenta ad Gullielmum Abbatem, quod cura est regularibus, quod corpus regulariter induatur, & contra regulam suis vestibus nuda anima deseratur.* VIND.

Vere importuna Musca Vindicianus saniem vulnerum sugens, & acuta proboscide stimulans, & quod peius est, etiā sanas partes aggreditur, vt si non feriat, in electis imponat maculam, & pari nisu probos à malis nō secernens, tepidos à perfectis, vtrosque corrodit. Quāto felicius Vindiciane diuitis illius canes imitatus esse saniem lingua abstergendo, & ab oculis hominū amouendo, etiam si totum corpus vulneribus plenum, quæ nullus hominum lauare dignaretur, cum brutis lambere debuisses, vt miseriæ cumulo, misericordiæ & pietatis magnitudo responderet. Nunc pungēdo cum muscis, ibi inhumanitatis tuæ titulos figis, vbi portas tuas regularium vlceribus laureasses. Sed ex Dei gratia, non est totum corpus regularium vlcerosum, nam & si (vt Aluarico placito respondeatur) multi sint indocti & tepidi, multi sunt è contra docti, deuoti, & feruentes, & experientia compertum est, doctiores sanctiores. & Monasticę disciplinæ obseruatores, quibus in dies Ecclesia Catholica tanquā aurato vestimento exornatur. TVRT.

At proprijs armis putat Vindicianus Grauinam confodere, dum Antonij Senensis

nensis in Bibliotheca Prædicatorum hæc verba adducit; nimirum, quod ne dũ tempore grassantis pestis, *sed nostris temporibus illa attingat maledictio, vt dicere queant Patriarchæ insignes Dominicus, & Franciscus, & viri sanctissimi de suis. Nec nos Patres, nec vos filij.*

VIND.

TVRT. Certè ex generali illa lue per totam Europam grassante dicere possunt superstites ordines; *Nisi Dominus reliquisset nobis semen* &c. Quare tanquam semina, innumeri relicti, in quibus prisca fides, & morum permansit integritas, quæ in alios transfunderetur. Non fuit religiosorum omnium tepiditas tam grande peccatum, vt pœnè excidere, & absumi omnes digni essent, nec Saulis peccato deliquerunt, cuius domus funditus deleta est, sed Dauidis delicto, & Salomonis filij, cuius soboles paterna vestigia sectata, in verberibus visitata, & correcta, circumuolante circa regiam illam domum, misericordia Dei. Quare & si sint multi, quibus dici potest: *nec ego Pater, nec vos filij*, multo plures sunt qui attendunt ad petram vnde excisi sunt & ad cauernã laci, nec virtutum paternarum degeneres soli occurrunt, sed suorum Patriarcharum exactissimi imitatores. Numera quot potes iuniorum exemplaria virtutum, & vel æqualia, imò & excedentia reperies in vetustis ordinibus. ergo dicam cum Aristoph.

Esa. c. 1.

Quid auequis oro, vehit Athenis noctuam?

VIND. In ijsdẽ scopulis hærens Vindiciane, aliud ex eodem Senensi testimonium assumis, afferente *S. Dominici indignationem contra redditus in communi*, & ex eodem Senensi refers, *experientia clarissima comprobari, quod regularis disciplinæ integritas hoc sæculo nostro, ægrè possit secundum illum consistere, abusus innumeros consurgere, & execrabile proprietatis vitium multis fieri familiare, eamque esse causam, quia conuentus facilè necessariorum penuria premuntur.* & in hanc exclamationem desinis. *Ecce florentem omnium ordinum statum, qui alimentorum penuriam ferre nequeat.*

TVRT. Si syncronon Grauinæ citasti, antiquiorem S. Antoninum citare debuisses, indignationem S. Dominici interpretantẽ, locum habere, *seclusa necessitate*, Cæterum vbi necessitas vrget, *ipsa*, inquit, *facit sibi legem* I. q. 1. §. *sed notandum, quia* (ait) *fratres non possunt viuere in numero competenti ex experientia, quæ est rerum magistra*, quare vt religiones florerent & necessaria non deessent redditus in communi non officiunt, sed conducunt, vnde & S. Concil. Trident. etiã Mendicantibus (exceptis domibus SS. Francisci Capuccinorum, & de Obseruantia) eisdem concessit. Mirum est, quod causam vnde religiones floreant exturbare conetur Lycinium fulmen, nam si defectus necessariorum pro causa assumitur violatæ paupertatis, eorundem prouisio, etiam disponente Concilio, seruandæ paupertatis indiuiduus comes. Quomodo ergo Vindicianus defloratum religionum statum suadere conatur, eo quod alimentorũ penuriam ferre non potest? Si opiparas mensas regulares optarent, quas Apicius solet condire; vel illas crebras animi relaxationes adhibitis illis, quas vocant populares cœnas, varijs epulis instructis, vbi, nec dierũ, nec ciborum delectus habetur, quarum micis multi Lazari ali possent, locum haberet reprehensio Vindicianica; nũc vero quod ex necessitate necessaria expetunt regulares, & penuria affliguntur, infirmitati naturæ condescendendum, nec improbanda cõmunitas prouida necessaria subministrans. an reprehendendus Apostolus cum pronunciauit: *habentes quibus vescamur & quibus tegamur, his contenti simus?* Apostolicam primitiuæ Ecclesiæ normam impetat, vbi erant omnia cõmunia, & distribuebatur vnicuique prout cuique opus erat. Sciat Vindicianus ex B. Damiano opusc. 13. *tanto liberius religiosorum animos ad alta sustolli,*

3. p. t. 13. c. 4. §. 13.

1. Tim. 6.

stolli, quanto minus ad prouidenda sibi infima, rei familiaris inopia non grauantur. Et si reprehendenda infirmitas inopiæ impatiens, eidem succurrendum ne egeat, nec impediendi aluei, vt aliò non tendant, & in vnicam concham influant, ne fortè ordines alij & Xenodochia, prius horti irrigui, ex aquarum diuersione arescant: & si optat Vindicianus, vt arbores floreant, moderādæ aliæ arbores nucum, ne totum humorē attrahentes circumuicinas quāuis exiguas plantas exiccent. Illud potius expediens vt ex ijs, quę cœtui supersunt, clerici, cœnobitæ, aliæque personæ cōmiseratione dignæ alantur, vel vestiantur, sunt enim aliquorum tot diuitiæ, vt nedum ex illis Xenodochia, sed & beneficia & Commendæ erigi possent magno totius Ecclesiæ bono. Turpe est pauperem nudum frigore algentem, à villoso diuite qualis tu es Vindicianus de vestium desiderio reprehendi, & à saturo Doctore, ventre pleno, erudiri eos quorū genua infirmata à ieiunio, & caro immutata propter oleum. Turpius, miseriam vetustorum Mēdicantium exprobrare, & vineam Naboth cum Achab expostulare, & agrum agro, domum domui copulandam suadere. si id scire cupis Vindiciane, illos Anonymos consule, qui, contra testatorū mentem, & Serenissimi Imperatoris Ferdinandi Augusti humanitatem, cœnobia antiquis possessoribus vetustorum ordinū restitui anhelantem, nuper scriptum ediderе, vt à tam pia mente, iniecto scrupulo, eam insignem Maiestatem reuocarent. Vide nouos Clenones in rem partam tot laboribus non ab vno Demosthene, sed tot insignibus Prædicatoribus, insilientes, & ad se transferre contendentes. Circumspice qui sint illi Anonymi qui victum comedunt alienum. quàm facetum, illud Aristophani:

Ego obambulans ab officina longius
Alio coquente, ollam paratam sustuli.

An paruus sudor vetustorum ordinum ori parcentium, vt cibos in lapides verterent, ad fundandas pauperes casas, & vineas excolendas? & nunc citra laborem, alienis frui laboribus scribunt, nonne iustè cum Pastore illo eiulabunt,

En queis consevimus agros? Virg. eclog. 1.

Maledictionem existimant tales Anonymi redditus in communi possideri, & de hoc anathemate cum Acham pro se accipere, vt mirabili alchimia quod alijs est execratio & indignatio, ipsis cedat in benedictionem.

VIND. Figit adhuc gradum Vindicianus ex eodem Senensi socordiam nostrorum redarguens. *vbi enim antiquitus Patres Prædicatores ad barbaras nationes conuertendas alacriter properabant, nunc ad propinquas partes missi, nonnisi cum murmure obaudimus, vel ad non obtemperandum mille occasiones quærimus.* & mox. *ecce florilegium nostræ ætatis.* & rursus ex eodem citat alia verba. *O ter & amplius fanatica tempora! quam procul absumus à primæuo illorum Patrum spiritu feruore, in multis fere nomine tenus religiosi &c.*

TVRT. Hæc omnia conglomerauit Vindicianus, vt minimè florentem religiosorū hodiernum statum demonstraret, & insulsè, inurbanè, pertinaciter, verbosè in peius commutatos religiosorum cœtus diffamaret. Vel saltem ab Ennio ad denotandam, quam putat, eorum vitio qui Patriarchis religionum successerunt, collapsam disciplinam, modestè transcripsisset.

O domus Anti, quā dispari Domino dominaris.

& si subditorum socordiā humaniter denotare voluisset, non ad particularem religionē, nempe S. Dominici, Dominicanum Senensem toties inculcando, descendisset, sed cōtentus esse debebat simplicia verba referre, non ouantium more victorū Pæana canere, & illudere florilegio nostræ ætatis. Nescio an Vindicianus metaphoras calleat, nā si in quacunque re pulcherrimū purissi-

purissimumque, id floris nomine indicatur, quod in omni religione tale est, floris nomine designatur, etiã si inter innumeras spinas paucissimæ signarentur rosæ. Florere arbor dicitur, etiam si è siccis ramis aliquibus gemmæ non prorumpant, si autem in omnibus ramis flores exigat, adeat Adonidis hortos, solum ibi cuncta florigera, parum frugifera, & ad breue tempus marcescentia reperire poterit. Sunt & fabarũ flores eo nomine laborãtes quod stultitiã pariant; propter grauem & fumidum inde exhalantem vaporem: at præstat paucos selectos flores elicere è viridibus, & si paucis ramis, quam fabarum floribus scatere, qui fumidi & tumidi in eam stultitiam deueniunt, quod ij quibus afficiuntur, vel fingunt se affici, solos florere existimant, cæteros omnes stipites, & truncos esse. Sed ne Senensis locum adductum eludere videamur, ediscat aduersarius similes locutiones, comparatiuas esse, vt excessu superiorum Heroum posteriores nihil esse videãtur. Sic Ecclesiasticus vbi laudes priscorum sanctorum & Heroum recensuisset subdit: *nos autem vita viuimus tantum, & non erit tale nomen nostrum.* Accedit quod ex obligatione religiosorum, & charitatis proprietatibus, quæ recensentur à Bernardo, nimirum: *operari multa, reputare pauca, operari multum, reputare parum, operari diu, reputare breue &c.* etiam feruentiores spiritu satis dignos se reprehẽsione possunt cognoscere, & à perfectione priorum longe distare, & nomine tenus religiosos se existimare. Hanc praxim seruauit B. Petrus Damianus, qui vbi de suæ congregationis institutis tractasset, & feruentissimam cœnobitarum conuersationẽ cap. 8. timuit hæc scribere: *ne, ait, & meipsum forsitan eis cohabitantem, & si non cooperantem, vana videar elatione, iactare*, nihilominus alio opusc. de se & suo ordine humillimè sentiens hæc scripsit. *Itaque non ignoratis fratres mei, quod gemens loquor, ad quantum sancti feruoris, lapsus sit, imo procliuius quotidie labi non desinat ordo noster defectum; vt iam omnium pænè mãndatorum negligenter obliti, sola professionis huius videamur veste contenti, sub religionis enim specie sæculariter viuimus, & violato disciplinæ genio, dũ nos per illecebrarum fluxa dissoluimur, velut à nobilitatis nostræ titulis degenerantes Monachorũ nomen inaniter possidemus.* Dicat & arguat Vindicianus (ex hoc loco Damiani acrius suum institutum perstringentis, quàm Senensis suum ordinem reprehendit) minimè florentem extitisse P. Damiani religionem, quia non tam humiliter quàm veraciter tepiditatem malorum agnoscit?

Eccl. c. 48.

Opusc. 5.

De perf. Monachi opusc. 13. c. 1

VIND. I

Pergit Vindic. Grauinam reprehendẽdo de adulatione, quod *carmen musicum religiosis tepidis canat*, & seipsum extollens *Michææ partes sibi impositas ad paucos botros tempore vindemiæ relictos colligendos.*

TVRT.

An carmen musicum cecinit Damianus suis cœnobitis inter quos multi tepidi, dũ laudes suæ congregationis proposuit? paucosne botros inueniet nouus Michæas in P. Damiani famigeratissima vinea?

Id demus Vindiciano, nõ in quacunque tẽporis differentia, nec in omnibus ramis flores inspici, sed satis est, vt arbor florida dicatur, si cadentibus folijs, vel floribus alij enascantur, expressa similitudo est B. Petri Damiani loquẽtis de fratribus eremi mõtis Auellani, quos ad imitationem, & exemplum aliorũ & totius posteritatis proponit, ad nostrum propositum valde accommoda. *Videamus in arbore folium sub ipsis pruinis hyemalibus lapsabundum & consumpto autumnalis clementiæ virore, iam iam pænè casurum, ita vt vix ramusculo, cui dependet, inhæreat, sed apertissima leuis ruinæ signa prætendat: inhorrescunt flabra, venti furentes hinc inde concutiunt, brumalis horror grassi aëris rigore densatur, atque vt magis stupeas, distentibus reliquis vndique folijs terra sternitur, & depositis comis arbor suo decore nudatur, cum illud solum* Tract. 14.

exponerem, *multiplicasti gentem, scilicet Religiosam, sed quoniam aliqui deficiunt, vt dictum est, ideo subditur de malis, non magnificasti lætitiam, & de bonis subditur, lætabuntur coram te, spirituali deuotione &c.*

VIND. Coronidis loco Riberam adducit eandem paræmiam in regulares deriuantem: *propter exiguum in admittēdis delectum, ac postmodum supinam negligentium tollerantiam.*

TVRT. Sed ex Glossa vterque erudiantur Vindicianus & Ribera, vt neglıgētium sit mœstitia; & feruidorum, quorum non est paruus numerus, lætitia.

VIND. Concludit vltimo Vindicianus, quod *Cardinalis Bellarminus Doctores citatos sequens, in imprudentem regularium multiplicationem pronunciauit, hinc enim periculum existit, vt tales ordines ægerrimè ad regulæ obseruantiam reducantur, vt præclarè Ioannes Nider ex robore, quod vitia per multitudinem deficientium acquirit, demonstrat.*

TVRT. Sed Hypothesim probare deberet Vindicianus, nempe, hic, & nunc, in Omnibus ordinibus, semper, in quacunque circumstantia temporis, passim, sine delectu istam multitudinem admissam, quæ si fortè tempore Nider admissa est, id fuit mea Prouincia quæ hæresibus, & schismaticis vexata, occupantibus Tyrannicè hæreticis catholicorū loca, vt impleretur domus Dei, multi ad religionem adducti, & nihilominus illis turbulentissimis temporibus, in cęnobijs non adhuc reformatis, ait idē Nider, *nulli dubium est quin semper aliqui in quibusdam Monasterijs seruauerint tria essentialia, modis eis possibilibus, & alias duras ordinis plures cæremonias, quemadmodum hodie in vtroque sexu, in multis reperitur locis, quam plurimum deformatis, imò pro præsenti omnes in non reformatis existentes Monasterijs, iudicare transgressores suæ regulæ, superbia non caret, aut ei est proximum*: ex eodem Nidero erudiatur, & Michææ non se assimilabit, sed illi de quo Prouerbium vetus dicebat. *Hic generosus ex aliorum crumena*, id est, stemmatibus aliorum se clarū faciens, & magis ipse Phryx. Num cedet voci Turturis amœnitatem, & erumpentium florum amœnitatem enuncianti? minime: magis enim sibi placebit ex sua conficta efflorítione, quam Pelæus ille, gladio dono accepto à Dijs, à Vulcano fabrefacto. Lib. 1. c. 10.

CAPITIS SEPTIMI ANIMADVERSIO.

Vbi religiosorum scandala expendens Vindicianus, christos Domini tangit, & pupillas oculorum Dei, polymitam vestem Ecclesiæ lacerans.

SVMMA CAP.

Diabolus per suos emissarios in religiosos inuehitur, publicando eorum scandala, quorū publicatio temeraria, impia, & scandalosa euincitur, & mendaciter ea ab ipsis regularibus propalari. Quæcunque autem sunt, personas non communitatem infamant, cum vbique boni malis admisceantur.

IRruit (dicam cum Petro Blesensi) *ventus* diabolus loquens per os Vindiciani, *à religione deserti, si fortè inueniantur paleæ quas ad ludibrium suum rapiendo dispergat, multiplici enim exquisita fraudis artificio conatur Angelus apostata Sanctorum congregationem transferre in theatrum, populum acquisitionis in fabulam sæculi, & scholam innocentiæ in derisum,* Ep. 134. vidētes enim sæculares religiosos proscindi, eorum scandala constāter asseri, sinistrè sentiendo de religioso statu, tanquā paleæ ex hoc tentationis vēto agitantur, imò occasio esse potest leuibus quoq; paleis, vt ex ipso horreo Dominico auolantes dispergantur super faciē terræ. Sic contra religiosum statum, & Ecclesiæ quoq; dogmata, vt dicit Aug. in Ioan. *tot nefandas fabulas finxit, vtinam tales quales in theatris, siuè cantantur, siuè saltantur, siuè mimica scurrilitate ridentur, & non quasdam tales quales aduersus Deum finge-* Tract. 97.

bratur à cæteris, ad cuius exemplum cogebamur viuere &c. Nũquid non melius erat, nec inchoare quod bonum est, quam tam turpiter cadere, aut non posse complere, quod cœperis?

Solliciti fuerunt Sacerdotes Dagonis ne eius deiectio publicaretur, erubescẽtes de Dei sui tanta deiectione, ex Dionysio, & mane restituerunt eum, ne communitas hoc ipsum perciperet. Solus Vindicianus Ecclesiasticas personas malas idolis assimilatas inuisendas communitati proponit, vt ex clientum asserto immunitatis à scandalis, priuilegio, his confusis, appareant ipsi gloriosiores.

Merito ergo ex scandalorum religiosorum, si quæ essent, occultatione Grauina iubatus incedit tunc ex Chrysologo. *Deuoti militis est Regis sui, & per excellentiam suam, seruorum Dei tacere fugam, referre constantiam, virtutes loqui, timores silere, amorem docere, prædicare victorias, aperire fortia, infirma reticere,* dicamus florentem eorundem statum ostendere, defectus, & scandala occultare. Iubatus incedit ex nuditate contecta patrum suorum reuerentiæ & gratitudinis obsequium impendens, quam dum Vindicianus reuelandam contendit, magis ipse culpabilis, quam ipsimet delinquentes, nã & *magis ebrius* ait Ambrosius *fuit Cham, quã Noe, qui enim neq; præteritam generationis gratiam, neque præsentem reuerentiam patris, neque futuram pœnam paternæ iniuriæ considerabat, vere ebrius erat, & quod putabat, videre se, non* videbat. erat quoque in eodem (loquitur Ambrosius) *profunda cæcitas, qui patrem videre non poterat, nam si vidisset patrem non vtique risisset, neque enim ridendus, sed verendus est pater.* Iubatus tandem incedit Grauina pallio excusationis iustæ nudatos Religiosos contegens, ne eorum reuerentia, vel ipsa lectione minueretur aspectu. Siquidẽ ex Ambrosio *etiam tacito vultu pietas frequenter offenditur.* Ipse Vindicianus traductor ex exemplatione, & etiam insipiens; nam ex eodem Ambrosio: *insipiens præsentia tantummodo videt quæ in oculis sunt, futura non respicit, præterita non cogitat, sapiens autẽ, & præterita recordatur, & futura considerat, &c. retrorsum ambulat, hoc est præterita spectat, nec naturæ quodam vsu impeditur, nihil vacuum, nihil nudum suorum [Patrum] patitur esse gestorum. Operit quæ aliter gesta sunt, amictu quodã, & gratia, vel præsentis operis vel futuri, vt nihil indecorum prætereat, nihil inornatum relinquat* &c. *vt tegantur etiam peccata, bonis operibus, & operiantur virtutum sequentibus disciplinis.* Hic pius conatus & retrocessio Grauinæ ad nuditatem religiosorum tegendam, qui dũ displicet Vindiciano, nolens pias excusationes quas tertio loco refutandas pollicetur, recipere, se demonstrat velut ebrium cœcum, insipientem, crudelem, nam nedum verenda operire non vult, sed pallium quo amicire studet Grauina proscindit, & piam tectionem criminatur.

Serm. 150.

Lib. de arca c. 3.

§. I. EXAMINATIO

Vbi à Vindiciano proponitur Status quæstionis de regularium scandalis.

PRofert Vindicianus doctrinam Grauinæ p. 1. cap. 13. & sequentibus distinguentem tria scandalorum genera, iuxta triplicem tentationum scaturiginem, à Satana, ab hominibus, à nobis ipsis. Primi generis sunt illa, quæ fallunt specie boni cum mala inferunt, & sunt sapientia terrena & pseudopolitia, quæ diabolica à Iacobo nuncupatur. Secundi generis sunt illa scandala, quæ humana malitia ingeruntur, vt à Deo homines abducantur, siuè per errorem, siuè malorum morum persuasionem. Tertium quod nostris generatur ex sensibus. Primi & Secundi generis scandala Grauina à religiosorum cœtibus ablegat. Vltimum admittit, genus, quo etiam si venialiter peccent religiosi; possunt esse sæcularibus offendiculo. TVRT.

Vbi verò Grauinæ mentem S. Chrysologi

logi authoritate munitam retulisset, subdit ad contentionem natus Vindicianus.

VIND. *Hæc summa longæ disputationis est, per quam Grauina obscurè magis quàm solidè Cardinali imposita scandala abstergit*, & videns se authoritate Chrysologi premi, mox addit: *non ego Chrysologi diuisionem impugno, sed iudico ad præsens negotium non pertinere.*

TVRT. Fortassis si eandem num. diuisionem sub alijs verbis concinnatam absq; vllius sancti authoritate, roboratam, à Barradio tamen t.2.l.10.cap.33 4.pag.1235. adductam, Grauina adduxisset suo Barradij nomine, cum magis placeat quæ ad vanitaté, quam quæ ad veritatem, ferulam Vindicianam effugisset Grauina, imò simulatione, vel dilectionis imagine vel deuotionis obtentu, vel alicuius simulatione officij prodigiosa adulatione palliatus, non leuem beneuolentiam pro recipiendis beneficijs captasset. Núc vero cum suam doctrinam Chrysologi vetusti Patris authoritate suffulciat, obscure, & impertinenter diuisionem illam adductam esse à Grauina conclamat Vindicianus.

Malè rebus præiudicatum esset Vindiciane, si quia non videntur, tales esse non debeant. Sola rei veritas curanda est, non opinio insanorum dicebat Nazianz. *Non ita alijs videtur ais. Quid verò, an ijs qui vertigine correpti sunt, terra fixa, & stabilis esse videtur? an ebrijs, qui sobrij sunt integra mente esse, ac non potius in caput incedere, ac sursum deorsumq; moueri? an non quibusdam interdum hominibus mel amarum est, nempe morbo laborantibus maleq; affectis? at non propterea res ita se habent vt qui hoc statu sunt arbitrantur?* Orat. de se ipso.

VIND. Non est ad propositum ais Vindiciane quia[ea diuisio ad sæculares pertinet, qui opthalmiæ vitio laborantes, regularium perfectionem, & secreta ignorant, hominum ac Satanæ fallacijs facilè circumueniuntur, sibique ipsi laqueos ex sensuum licentia nectunt.]

TVRT. Ex ore tuo iudicaris Vindiciane, verbis tuis illaqueatus. Si hæc tria scandalorum genera ad castra sæcularium pertinent, iam parcior est Grauina, qui tertium scandalorum genus, indulgentior, religionibus assignabat. E curru tuo cecidisti, qui putabas cum Phaetonte per apertum cœli campum spaciari.

VIND. Quid dicis? *non difficulter prudens lector si ista scandalorum diuisio Regularium negotijs applicetur, peccata in leges Dialecticorum notabit, membra enim diuisionis omnia quæ ad diuisum spectant complecti, & nullum alteri confundere debent neutrũ in hac diuisione seruatur. In quãta religiosi præcipitia ferri possunt; ignorantia, malitia, cupiditate, terroribus, consuetudine, inconstãtia, etiam exclusis tribus illis diuisionis capitibus, rursus quam latè sensuum curiositas expatiatur, vt perinde mundi sapientibus, ac deprauatorum moribus, & iudicijs corrumpantur, & vt proprijs illecebris, & quam versutè Politicorũ sapientia humanis scientijs illudit, quid sensuum libertati ardentiores subijcit faces, quam contagiosa hominum lingua?*

TVRT. Acute, & subtiliter, Vindiciane, vt etiam contra te tua tela cõtorqueres, nã sæcularibus applicatam diuisioné probas, at pro negotijs religiosorũ nodum in scirpo quæris, si inepta quãtum ad rem diuisio illa est, de tua cõtradictione triumphatum est, nimirum non esse illam scandalorum multiplicitatem religiosis accommodam, quod prius negaueras: si inepta, vt dicis, quantũ ad leges Dialecticorum, iam moralis quæstio, in summulisticas desit captiunculas: veniat sophista cum Vindiciano de legibus diuisionis disputaturus, abscedat Philosophus, vel Theologus. Non noua res, nã in aduocatione quadam à M. Pomponio cũ solœcismi argueretur, prudenter ille interpellatis iudicibus dilationem petijt, vt litigator suus alium Grammaticum adhiberet, quod diceret sibi cum aduersario non de iure, sed de solœcismo controuersiam Ex Apopb. lib.8.

futu-

futurã. Sed ne tanquam gallus in suo sterquilio solus canere triumphũ videaris, ad argutulas oppositiones contra diuisionem respondeamus. Opponis ergo: *membra diuisionis omnia quæ ad diuisum spectant debere complecti in hac autem diuisione, multa sunt quæ in illis capitibus non continentur, ignorantia, malitia, cupiditas, terror, consuetudo, inconstantia &c.* Sed contineri in tertio membro si aduertisses, proculdubio inuenisses: siquidem ex Bernardo, *Ipsum corpus laqueus quidam est, multos habens laqueos sensus, & affectus*. Nonne peccata spiritualia sunt, idolorum seruitus &c. huiusmodi, & tamen inter opera carnis annumerauit Apostolus? non quidem formaliter, sed *causaliter* ait S. Thom. *quia omnis rationis humanæ defectus ex sensu carnali aliquo modo initium habet.* Cupiditas, terror, passionum fontes reliquarum ex carnis sensibus habent originem, & consuetudinem, inconstantiam, & malitiam ignorantia comite in incontinenti, ex delectationibus carnis ignoranter paralogizante, vt dicit Aristoteles, sub ergo illo membro diuidenti continentur, nempe scandalo quod nostris generatur ex sensibus. Quod opponis *membra diuidentia adhuc coincidere, nam quæ primo, & secundo membro conueniunt, tertio adaptari possunt, vt vtraque comprehendat, vt exemplificas*; Non ad formalia motiua Vindiciane attendisti, quibus membra illa diuidentia discernuntur, quæ vel materialiter, vel causaliter confundi possunt. Optimè à sanctis scias diuisas tentationes, in eam quæ *diabolica*, quæ *mundi*, & quæ *carnis*, quod latè prosequitur Bern. & tamen vna eademque tentatio procedere potest à diabolo, mundo & carne, sed diuersimode, nam dæmon, ait Doctor Angelicus, tentat etiam explorando interiorem conditionem hominis, caro & mundus, instrumentaliter, seu materialiter, hoc est instrumentum dæmonis, ad tentandum assumptã, vel materialiter, id est prębendo materiam, vel extrinsecam vt mũdus; vel intrinsecam, vt propria caro, vnde tria hæc motiua formaliter distinctiua sunt tentationum. Sic in proposito nostro scandala diuiduntur, in *diabolica*, in ea quæ *humana* calliditate præbentur, & illa *quæ nostris generantur ex sensibus*. Et duo prima genera ad malitiam, vel perfectam vt sunt diabolica, vel participatam (vt sunt illa ex humana calliditate prouenientia) vltimum vero genus ad humanam fragilitatem pertinet. Inepta ergo ne erat ista diuisio? ineptam dicas diuisionem peccatorum in ea quæ ex *malitia*, & quæ ex *humana infirmitate* vel fragilitate, & ignorantia patrantur? at vsquequo disputabimus, *de asini vmbra*, ad cętera cõfutanda trãseamus.

In ps. 90.

Gal. 4.

1. 2. q. 72. a. 2. ad 1.

De frag. 7. miser. serm. 3.

1. p. q. 114. a. 2.

VIND.

Alias diuisiones scandalorum fabricat Vindicianus subtiliter (sed inaniter, vt araneas ad muscas capiendas suo fine frustratus) *Ex obseruatione votorum, & præceptorũ & quæ ad religionis essentiam requiruntur, & quæ communem vitam, victum, vestitum concernũt, quam Triden. requirit Concilium, seu ex obseruatione necessaria trium votorum, & regulæ votis materiam subministrant, non obligantia nisi ad pœnam, excepto contemptu, & præcepto secuto, vt docet Angelicus*, & mox colligit scandalorum capita religiosorum,

Primum cum contra vota vel his proxima, vel ex contẽptu circa proxima delinquitur. Secundũ quando ad solam pœnam obligantes constitutiones transgrediuntur religiosi. Tertium peccant peccatum contra præcepta Dei, magistratuum tam ciuilium quam Ecclesiasticorum, quod & sæcularibus potest esse commune. Quo pacto (subdit) *Grauina dictum interpretor, quando simile quid in nonnullis nostrũm reperiretur, non esset redargutio ex proprijs, sed ex communibus.*

TVRT.

Optima diuisio ex obiecti transgressione difformiter desumpta, qua Bellarminus cum antiquioribus inuestigarunt scandali naturam siue materiam reformandi religiones, siuè in pristinum restituendi, quod pro-

prosequitur Vindicianus, addens authoritatem S. Bonauenturæ, & Nider. Verum ad eum finem assumenda erat, vt ex doctrina erudirentur Reformatores, non armarentur detractores. In genere à priscis de scandalis religiosorum medendis tractatum, non de talibus religiosis in specie, Benedicti, Dominici, Francisci, sermo incidit, nec de omnibus vel pœnè omnibus religiosis, quod tamen probat in columba assertum Vindicianus, & roborare nititur, citra tamen suas exceptiones de suis clientulis confictis; velut Lamiæ turres latere volens (redarguens velit nolit ex communibus) sic enim dictum Grauinæ erat interpretandum; illud enim tertium scandalorum genus, *quod nostris generatur ex sensibus*, non proprium est Mendicantium, & veterum ordinum, sed omnibus potest esse commune, dicente Hieronym. *De eodem cuncti facti sumus luto, ijsdem compacti exordijs. In serico, & pannis eadem libido dominatur, nec Regum purpuras timet, nec mendicantium spernit squallorem.*

Ep. ad Salu.

§. II. EXAMINATIO.

An grauia Regularium scandala extent.

TVRT. SApienter Trassea (referente Plinio) dicere solitus erat *suscipiendas esse causas aut amicorum, aut destitutas, aut ad exemplum pertinentes, amicorum quod ex lege gratiarum, amicorum communia sint omnia: destitutas, quod in his potissimum & constantia agentis, & humanitas cerneretur: ad exemplum pertinentes, quia multum referret bonum, an malum ducem haberent. Frequenter enim bonæ causæ, vitio patronorum vincuntur*, concludens, *expedit autem ad bonos mores, vt in iudicijs succumbat prauitas, superet innocentia.* Si hæc documenta Trasseæ Vindicianus obseruasset, non in tam magnas angustias se redegisset, vt caueam nedum fulcris, sed & funibus ligandam pro Grauina cogitasset, prius ipse Turdus sibi malum parans. At bone vir.

Ep. ad Quadrat.

Non auis vtiliter viscatis effugit alis,
Non bene de laxis cassibus fugit Aper.

De religiosis scribens (Vindiciane) omniũ religiosorum, vt Grauina fecit, causa & defensio tanquam amicorum suscipienda erat: si gemitus lapsorum instaurabas, eam causam quasi destitutam, & argumentorum constantia, humanitate adiuncta, tractare debebas, vt præstitit Turtur, magnã enim tibi laudem ex iusta defensione comparasses, iniusta licet iuste excusando, vt temperando, exemplum enim ad posteros emanasset, te ducem, & Hyperaspisten sacrorum ordinum habendo: nunc vero, cum etiam iniusta vt tibi videtur, iniustè contra charitatem, & iustitiam non propalanda delicta pandas, etiam si bonam causam habere te iudices, te patrono victa est. Vnde quia valde confert ad bonorum morum religiosorum tutelam, ostendere, quod tua prauitas succumbat, & innocẽtia superet, iudiciarias tuas (vt prætendis) examinemus rationes, quibus in genere iudiciali adhuc grauia in regularibus scandala extare pronuncias, quod si non assequeris, vel Grauina vt optas contrarium probet *nunquam vel raro alicuius momenti ex dictis generibus excessuum ab asceterijs prodijsse, & in vulgus disseminatum esse*, promissum exolues nempè: *afflictæ columbæ gemitum in merum iubilum, & tripudia commutandum.* VIND.

Eia ad rationes quibus exultanti Turturi exprobras dixisset solum venialiter in cœnobijs peccari, deueniamus. TVRT.

Clemens VIII. authoritate Apostolica vniuersis Regularium ordinibus certam reseruandorum casuum regulam condidit, num quid in venialia Romanus Pontifex errata tali censura vindicat? an non ipse in bulla Grauiorum meminit? imperatque; vt quæ præterea pro Religionis conseruatione, & conscientiæ puritate reseruanda videbantur, per Generalis, vel Prouincialis Capituli maturam discussionem, & consensum assignentur. Quid opus tanto ad venialia coërcenda molimine? VIND.

Nul-

TVRT. Nullus nisi amens reseruationẽ de venialibus fieri dicet, sed nullus etiam sanæ mentis inferre potest ex reseruatione peccatorum, inferri religiosorum illa multiplicia, & asserta scandala, ne fortè vt verbis Bernardi discurram, *lex quæ data est propter transgressiones cohibendas non solum non eas coerceat, sed & augeat &c. Partienda est proinde nobis in duo vniuersa hæc obseruatio regularis, in præcepta videlicet, & remedia, præceptis instituitur vita contra peccatum, remedijs restituitur post peccatum innocentia.* Remedium ergo reseruatio peccatorum est ad procliuitatem peccantium religiosorum compescẽdam, quæ vt patrandorum peccatorum non infert futuram existentiam, sed possibilitatem, ita nec necessario inuoluit eos morbos præcessisse, & in omnibus, & proijs antitodum præparatum. Si Vindiciana argutia valida est; ibi maiora scandala extitisse vel fore dicendum est, vbi plura peccata reseruantur. Constat autẽ præter vndecim casus à Clemente præscriptos, conformiter vt dicit Suarez, in Illustrissima Societatis Religione alios reseruari casus, & sunt, *seditio in superiorem, vel diuisio à capite cum graui damno religionis, detractio, & discordiarum seminatio inter fratres, accipere vel mittere litteras materiam peccati mortalis continentes, tacuisse impedimentum aliquod excludens à Societate, vel mentitum esse in examine ad eius ingressum in graue incommodum Societatis, ac denique quodlibet peccatum habens annexam excommunicationem in bullis, aut decretis Societatis;* ad hominem, ex tua consequentia in prædicta Societate maiora extitisse, vel fore scandala cõcedas necesse est, cum tamen infra cap. 14. §. 1. à grauioribus lapsibus, ex illius sanctissimis institutis eã præserues. Secundo arguis Vindiciane. *Reformationis nomen vbique gentium inuisum* [vnde ais] *& Nider 15. argumenta proponit regularium contra Reformationes, & confutat, neque ita feliciter quin hodieque paßim vsurpentur, & mentibus infixa hæreant. testantur quibus reformationis inuidia imponitur*, & subdis declamatorie. *Cur obsecro trepidant qui nullius grãdioris noxæ conscientiam habent? nunquid rugiet onager cum habuerit herbam, aut mugiet bos cum ante plenum præsepe steterit, imò & laudis, ac præmiorum spe pleni, Visitatores omni genere officiorum latißimè exciperent.*

De dis. & præcep. circa med.

C. vlt. de Relig. lib. 8. c. 5. constitut. de scrip. v. 3.

VIND.

TVRT. Et hæc tua secunda ratio Vindiciane, qui si vis ipso præconio illius solitariæ bonitatis in ijs clientibus solis ad quos affici fingis, consistere, vt nulla reformatione egeant, difficile est tale bonum perfectè ostendere quod non perfectè ab omnibus imperfectionibus liberatur. Sunt omnes ordines velut naues poma portãtes, odorem fragrantissimum spirantes, vnde & Christi bonus odor sunt in omni loco, sed obnoxij in omnibus multi fructus sunt corruptioni: naues sunt varijs tentationum ventis expositæ, vt vna de naucleri vel remigantium industria non valeat se super aliam extolli, & de propria virtute confidere. Percontanti à Stratonico *quod nauigiorum genus esset tutißimum longorum an è contra?* responsum: *ea quæ subducta sunt*: significans, nec vllum vectorem vel nauim tutam esse, nisi cum nauis in siccum protracta fuerit, militia namque seu piraterion (secundum aliam versionem) est *vita hominis super terram*. Crede Vindiciane. Si nonnulli sunt mœrore reformationis expauentes, præsens enim disciplina, ait Apostolus non est gaudij, sed mœroris, multo plures sunt vbi aliqualiter collapsa disciplina est, ad reformationem anhelantes. mirabilia cernuntur indies, è deformatione ad reformationem tendentes, ad perfectionis apicem peruenire. Præstat Vindiciane multos se fateri, disciplinæ reformationis indigentes, initio reluctantes, demum arctiori vitæ colla subdentes, quã se putare ab omni reformatione alienum, & totius regulæ perfectissimum obseruatorem, nã reformatione se egere agnoscẽs, non

Ex lib. 6. Apoph.

Iob. c. 7.

Heb. c. 12.

non grauatur tandem pati ex remedio, quod non grauatus dedignabatur pati ex vitio, nec displicet ex mortificationibus occidi in salutem, cui non displicuit occidi in perditionem, nec nauseat amplius ad antitodum qui inhiauit ad venenum. Cæterum multi percussi sunt, & ex indolentia se sanos & medico non indigentes simulant, exulcerat conscientia, nec cõqueritur hypocrita, & dolere se non vult, ne bonam existimationem perdat, condit vlcera Prælato, & communicare Christo se fingens, saniem obtegit fascia verecundiæ, ne cum ignominia ab administratione submoueatur, vel de gradu cadat, aut de loco eijciatur, sic in huiusmodi plus dissipatum quam in cæteris reformationem recusantibus reparatum.

VIND. Tertio ad authoritatem Doctorum properat, rationibus destitutus. profert ergo Vindicianus Dominicanum Granatensem, is inquit, *cum veterum religiosorum admiranda recoluisset de Nostratibus, non potuit pro animi desiderio gloriari, sed paucula ista subiecit, & nostris temporibus, quibus, vti Saluator prophetauit, charitas refrixit. Nullo Christianæ Religionis loco desunt, tam in religionibus quam extra, tam in coniugatorum statu, quam solutorum, qui magna cum puritate, & simplicitate viuant.*

In symbol. fidei. 2. c. 12.

TVRT. Non fuit Granata acceptator personarum, sed de omnibus indifferenter ordinibus locutus est, ad te docendum Vindiciane, nec præscripsit Deo, quibus tẽporibus, aut modis vel locis, de familia sua, de viris perfectis prouidit, quasi de illis prouidere omnium bonorum auctori, & rerum Domino, prout ei libet non conueniat. Solus Vindicianus vult apud eos quos tuetur esse diuitem Deum, quasi cæteri, filij Belial, filij desertores, fractores legum, & dicentes. *Dirumpamus vincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipsorum.*

Ex Tertull. aduersus Gnosticos.

Psal. 2.

Sed Truncatè affers Granatensis Doctrinam, vbi enim superius enarrasset veterũ religiosorum, & Anachoretarum vitam (non lib. 2. c. 12. vt citas, sed parte quarta tract. 2.) subdit. *Post ipsos non deserente Deo suã Ecclesiam successerunt ordines Augustinensium, Carthusianensium, Benedictinorum, Bernardinorum, Dominicanorum, & Franciscanorum, & similium, in quorum Chronicis reperimus scripta religiosissimorum, & Sanctissimorum virorum, qui notabiliter initio, & in eorundem ordinum fundatione floruerunt.* vbi nota nihil de præsentium religionum statu loqui remisse Granatensem, sed præsentem cum præcedentibus religiosis adiunxit, hac sola differentia, quod illi notabiliter floruerunt, nec vnquam illum locum adduxit: *quoniam refrixit charitas multorum:* vnde deformatio, & decaluatio religionum ex hoc loco non habetur ex allegatis verbis à Vindiciano, quæ non ad religiosos, sed ad alios status direxit, si quidem post dicta verba de floritione religiosorum includens nostra tẽpora ne diminutus esset, mox subdit, *& non desunt hodie in Christianitate, in omni statu tam laicorum quam sacerdotum, qui tanta sunt virtute præditi, vt ex eorum laudabili vita laudandi nobis materiam subministrent.*

Quid ergo Vindiciane? deprehensus es mendax falsa allegatione tam eximij viri, dum, quod de cæteris statibus à religiosis differentibus descripsit, ad religiosos extẽdis horum temporũ, & eos in frigida Zona reposuisse contendis? in qua etiam si locasset, ex eodem causam addisceres, si sequentia verba legeres opportunius adducenda, & linguæ tuæ fræna imponerentur, ne transiret in terra, maximam partem regularium pessundando, & multorum charitatem, non omnium nec in maiori parte refrixisse, non tam liberè & absque consideratione pronunciares.

Iam vero proposita & explicata Granatensis mente, Cerberi latratus inanes demonstrantur, nam in citata à te clausula cum

cum non sit mentio de religiosis, inania sunt tua sequentia verba, & aerem verberas dum dicis.

VIND. Non affirmat Granata [florentissimũ omnium ordinum (vt Grauina) sed fatetur veterum charitatem in Deum, & erga sanctam Dei legem, timorem & obseruãtiam refrixisse. non ait longe innumerabiles viros à sapientia & prudentia sæculi discretos (vt Grauina) sed solum non deesse qui omnes curas, & cogitationes in creatoris amorem & timorem impendunt, non dicit mere venialia à Regularibus committi (vt Grauina) sed prophetia Domini cõtentus fuit, & refrigescet charitas multorum.]

TVRT. Hic tuus scribendi modus est, vt præter perturbatam seriem & constructionẽ miscellaneam, eo vsque processeris, vt ex autoribus quodlibet carpas, arripias quæ ad libitũ inquiras, & in quæ insultes: & quod peius pro tua libidine, nec integra authorum testimonia profers, & sinistrè interpretaris, vt ad oculum demonstraui, nihil enim horum asseruit Granatensis quæ tu pueriliter extorques. scias ex Tertullian. [quod tam veritati obstrepit adulter sensus quam corruptor Stylus.] Sed admittatur interpretatio Vindiciana. Si Granatensis non affirmat florentissimum statum religiosorum, nec negat. Si non dicit mere venialia esse religiosorum scandala, nec affirmat dari in eisdem scandala mortalia. Si ergo tu exprobras quod ille non incusauit, non benè sanus es; insano omnia licent. Si non improbas, cur arguis quod laudandũ, & laudauit Grauina, & causaris quod cõmode excusari poterat?

C. 39. Tert. de præscrip.

Sed pro defensione Grauinianæ dictionis in religiosis reperiri peccata scandalosa venialia satis esset dicere, id intelligi regulariter, & si mortalia sint in eo sensu posse dici venialia, id est, quæ de facili possunt veniam obtinere, quo sensu S. Thomas interpretatus S. Augustinum & Glossam dicentes culpam Adæ *venialem* ab ipso existimatam, hoc est *de facili venia dignam*. Nec de sua phantasia, grauiorum scandalorum negans assertionem locutus est, sed de mẽte Sanctorum. Lege Vindiciane B. Laurẽtium Iustinianum vbi loquens de Christo militantibus, id est, religiosis, cum explicasset innumera mala & peccata quæ cõmittuntur ab iniquis hominibus, præsertim odia & persecutiones &c. subdit. *huiusmodi autem persecutiones aperta operaque nefanda, quanquam longe sint à congregationibus iustorum, minimè tamen in ipsis scandala desunt, quæ dicente Domino. sunt necessaria, vt veniant, quatenus virtus exerceatur habita, aut nondum inchoata initium sumat. Non enim illa quæ inter iustos scandala consueuerunt accidere, ex peruersa dixerim voluntate contingere, sed potius ex suggestione diabolica, & fragilitate humana, naturarumque diuersitate atque simplicitate conuiuentium. Occasione talium oritur persæpe solicitior cura charitatis, sui met clarior, & conuersandi cautela prudentior, quamuis enim mens pia de malo proficere nerit, est tamen scandali vitandum offendiculum, ne de bono veniat malum, præcipuè dum veritas dicat. Væ autem homini illi, per quem scandalum venit.* Sed quod sequitur B. iste Pater ad tui instructionem, si religiosus esse cupis Anonyme, accipe & disce. *Maximam vero illum arbitror scandalorum præcidisse materiam, qui in collegijs degens linguam suam compescere potuit.* & vbi acriter detractores perstrinxisset, quod ij sunt qui scandala & rixas concitant, aduersus indiscretos correctores stylum acuit, dicens, quod *charitatis regulam se ignorare fatentur, dum detractioni proximorum relaxant frena eo periculosius, quo sub zeli specie id euitare videntur. necesse prorsus est vt tales delinquant frequenter: Nemo sine sui detrimento postponens propria delicta sua, detegit aliena, obseruet tempus, modum adhibeat, mentem purges,*

c. 2. q. 84. a. 3. 14. de Ciu. Dei c. 11.

Lib. de inter. conflic. c. 2.

purget, emendet vitam, detestetur vitia, proximos diligat quisquis Dominum imitari se dicit, qui publice in turbis Scribarum, & Pharisæorum detegebat facinora. hæc si legisses, non tanquam triumphalem fornicem, nempè titulum detractorium erexisses.

VIND. Adiungit Riberam Granatensi contra Grauinam, quod scribat in Oseam cap. 2. num. 100. quod in religionibus: *Pauci qui perfecti essent, aut qui ex animo ad perfectionem properarent, omni tempore inuenti sunt.*

TVRT. Sed hoc destruit Granatensis supra citatam doctrinam de notabiliter florentibus religiosis, & Bellarmini thesim demolitur, floridum priscorum statum agnoscens, præsentium vero temporum decalcuatum.

VIND. Addit alias reprehensiones eiusdem Riberæ, *de nouis domibus extruendis, de neglectu probationis in recipiendis, de tepescentibus, qui spiritu incipientes carne consummantur.* & hinc infert Vindicianus, *mirum esse liberiorem stylum sustinuisse Grauinam in Ribera Theologo (qui prius scripsit) quam in Cardinali.*

TVRT. At ex diuersis non fit illatio, nam ille in communi, hic signauit religiones corruptas. Debebas illud seruare eiusdem Riberæ documentum. *Nesciant Gethæi, nesciant infideles stragem Christianarum animarum &c. ne insultent filiæ incircumcisorum. Gratulantur sibi Haretici, & Gentiles cum eosdem mores vident in Ecclesia, quos in se agnoscunt. Religiosi etiam si quando per infirmitatem labuntur humanam, lugeant in domibus suis, & si ruentis religionis fortasse puluerem viderint, agant pœnitentiam in domo pulueris, & restaurent quod possunt: caueant ne seculares ea peccata cognoscant, qui de religionibus libenter detrahunt, ne inde Euangelica vitæ ratio in contemptum impiorum, & improborum veniat, & sibi in peccatis suis placeant, vitamque communem religiosæ anteponant.* hæc ille docens te, quod in domo pulueris sedere debebas, non tanquam coruus in superliminari, & super fenestras crocitare, & tanquam buccinator scandalorum religiosorum ad inuisenda, & propalanda delicta, quæ erant occultanda, inuitare.

In c. 1. Michææ.

§. III. REDARGVTIO.

Vbi scandala multiplicia à Vindiciano asserta, imprudentissimè allata, & in publicum euulgata ostenditur.

HAbent nonnulli hoc vitij, vt omne suum Myrothecion (vniuersa scilicet pigmenta) in vnam orationem impendāt. Eleusyna ita seruabantur, vt nec simul omnia panderentur. Habent quoque illud ciuitates, quæ spectaculorum, & reliquiarum ostentus gratia, statis annorum interuallis adeuntur, vt seruent in proximam panegyrim semper aliquid antea non spectatum. Putabat Vindicianus non fore admirabilem suam Philippicam, nisi vnica vice, vnoquoque capitulo effunderet suas omnes eruditionis opes. Hinc non contentus proposuisse in religionibus esse scādala grauia, in hoc paragrapho multiplicitatem inculcat, deinde eorundem publicitatem exponit.

Seneca lib. 6. natur. 99.

Multiplicitates compactum dicit in vestibulo paragraphi *necesse esse augeri, ex multiplici laxorum lapsu.* En nouus Archita Tarentinus mensor VIND.

Maris & terræ numeroque carentis arenæ. *Hor. in od.*

Si legas candide lector in fonte discursum Vindiciani, non te continere poteris, quin (æqui existimator) crepitaculum Archytæ, hoc est, vehementer garrulum, & obstreperum audiuisse pronuncies. Erat crepitaculum inuentum Mathematicum, & in specie ex A. Gellio columba lignea quæ Mathematica ratione librata euolabat; vel ex Aristotele. erat genus æreum, quod pueris lusitantibus dabatur, ne quid interim ex vasis domesticis contingerent. sic duo præstare intendit Vindicianus, vt columba sublimetur, cæteri tanquā pueri eludantur.

Lib. 10. c. 11.

8. Polit.

Et

Et quia non poterat Grauinianam doctrinam, imo & totius Ecclesiæ infringere, videlicet, *non esse quantumuis laxatam religionem, quæ non sit Ecclesiæ adiumento, & scandala plerumque oriri ex infirmitate, petulantia, non ex statu*, quasi illud vsurparet Παραλούμαι, id est, *vna lauabor* in consortium Grauinæ se adiungit eius vtens supellectili, nempe doctrina S. Theresæ &c. & in vno eodemque principio conueniens; tanquam *ex vno*, vt dicitur, *& eodem lare*, distinctionem affert (ex Nidero, Gueuara, S. Augustino) quod *in religione quidam*

VIND. *sint mediocriter boni, & mediocriter mali, quidam vero sunt omninò praui, quales erant Sarabaitæ, quos deterrimum genus Monachorum vocauit antiquitas, sine iugo obedientiæ, discurrentes vagè, ad quacunque vellent, diuagantes.* qua distinctione supposita Vindicianus Pardale exuuium induens ingenio vario, & vafer, è diametro se opponens infert. *Non minuimus scandalorum multitudinem à Bellarmino deploratam, quia in vulgus nota, non sunt illa arcana quæ mediæ sortis Regulares tolerant, vel excusant, atque in scandala operantur quod solent. neque facilè capaces reddas ex dictis eos, qui animo sunt læsi propter sublimem professionis dignitatem, à qua perfecta opera iure ac merito expectantur*, secundum illud Hierem.

Hier. c. 11. *quid est quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa? &c.*

TVRT. Ergo ne dum (dicit Vindicianus) sunt deplorata ea scandala, quæ in vulgi notitiam euenerunt, sed, & latentia eorū à quibus sublimis perfectio exigitur Hic est cōputus Vindicianus. Sed nec cubito vel digitis benè hunc numerum expendisti, distinxisti solum inter mediocriter bonos, & mediocriter malos, & omnino prauos regulares, vt delicta multiplicares super numerum, & mediocriter malorum & in excessu prauorum regularium, omittendo aliud extremum, scilicet regularium bonorum in excessu. Heus tu

ἄκρον λάβε καὶ μέσον ἕξεις

Summa cape, & medio potieris

Callidè aliud summum extremum omisisti bonorum & perfectorum, vt numerosior mediocriter, & in excessu malorū turba appareret. Vidit Hieremias ex vna parte ficus malas valdè, & ex alia ficus bonas, bonas valde extrema recensens: vnum tu solum extremum, nempè malorum in excessu posuisti. inter hæc duo extrema ficus intermediæ sunt, de quibus dicitur. *ficus protulit grossos suos.* Cant. 2. Sunt autem, vt dicit Bernardus; *Grossi primæ quædam ficus prorsus inutiles, solum habentes speciem ficuum, non saporem, nec tam fructus, quàm futurorum quædam præsagia fructuum, quas & occidere necesse est, vt eis alia humano vsui, & apta succedant*, & tales præcipuè notat Bernardus esse superbos, & ambitiosos, amantes, ait, primas cathedras, quæ velut grossi ficuum velociter sunt casuræ. Ber. in declamationibus. Porrò & hi mediocriter mali per ficus denotati ad veris amœnitatem religiosi status pertinent. nam Bernardo annotante, ibidem, cum in Canticis Canticorum dictum esset: *Iam hyems transijt, imber abijt* Cant. c. 2. [*subditur*] *Ficus protulit glossos suos*, quibus cadentibus *stare facit Dominus alios pro eis*, Iob c. 34. & alter substituatur, cadente impio. ne destitutus Dei iudicio exigentibus demeritis. & superbia, discat facere iustitiam, quia (exponente Bernardo) *in terra sanctorum iniqua gessit*, Es. 26. in Ecclesiasticis possessionibus quæ sanctorum fuerant vsibus assignatæ, in domo Dei, nec videat gloriam Domini. Qui medij mali & si cū illis publicis desertoribus Sarabaitarum nomine designatis, multi sint, mediocriter tamen boni cum perfectis adiuncti, non exiguum numerum constituunt, vt si non superent, æquentur tamen, quod sufficit, ne penè corruptus religiosorū status præsentium temporum ostendatur. Et quāuis in perfectionis schola, perfectio à professoribus omnibus cū sint in terra Sanctorū

Epist. ad Gulielm. Abbatem versus finem.

exigatur, sciat durus exactor, qui putat iam sic cucurrisse, vt comprehendisse putet, sic bonum suum tenere ex Bernardo, *vt alium aliud tenentem non iudicet. si quis accepit iam esse bonus, non inuideat melioribus, & qui sibi videtur agere melius bonum, non spernat alterius. Si qui districtius viuere possunt, eos qui non possunt nec aspernentur, nec æmulentur eos, qui possunt sic mirentur, vt temerè non imitentur: sicut enim non licet his, qui maius aliquid fortè vouerunt, ad id quod minus est descendere, ne apostatentur, sic non omnibus expedit de bonis minoribus ad maiora transire ne præcipitentur.*

§. IV. ANIMADVERSIO.

Vbi Vindiciani vafricies retunditur, eo etiam titulo scandala propalando, quod ipsimet Regulares, ait, sua scandala euulgent.

TVRT. *Hom. 4. in 1. ad Thess.*

COmplures sunt (ait Chrysost.) qui *gaudent in malis, & corpus Christi diuellunt, magis quam milites qui lancea illud incidebant, aut quàm Iudæi, qui clauis perforabant. Minus illud malum erat, quam istud. membra illa, quæ tum intercidebantur, denuò coadunata sunt: ista verò auulsa, nisi hæc iterum coniungantur, nunquam coniungentur amplius, sed manebunt extra corpus.* Sic inuehitur in detractionis malum, præcipuè effusum contra sacratas personas, Prælatos, adde (ex eadem ratione) Sacerdotes, & religiosos. Vndè quærens cur peccantibus Aaron, & Maria contra Moysen, illa percussa sit, Aaron vero percussionis fuerit expers? eam rationem assignat: ne personæ Sacerdotalis culpa ex pœna innotesceret. *Nec mireris* (subdit) *si enim in externis dignitatibus etiam si mille modis quisquam incusetur, non tamen primum ad iudicium ducitur, ni prius principatum deposuerit* (vel degradetur) *ne ille cum ipso opprobriis pateat: multo magis in prælatura spirituali* (statu Sacerdotali, vel religioso idem seruandum docet) *quando vero* (subdit) *illam deposuerit, siue morte, siue vita, tunc sanè, tunc eo grauiore supplicio punietur, ne opus sit à nobis duci.* Vindicianus solus non cœlestis fisci patronus, sed executor alieni operis, religiosos, quasi ad forum seculare proijcit absq; degradatione, Dei non expectata sententia anticipans eius iudicium, vt cum habitu etiam religioso induti crucifixionis patibulum subeant. & omnibus pateant, & patiantur quale Christus Dominus perpessus est hora tertia, scilicet à crucifigentium linguis, qui hora sexta realibus clauis crucifixus est, sic exponente, & concordante Augustino euangelistas.

De cõsens. Euangel.

Verum est quod nec Aaron absque castigatione relictus, verbis à Domino cum Maria acriter obiurgatus, sed vide solénitatem obiurgationis tres ad tabernaculũ Moyses, Aaron, Maria iubentur exire, cumque fuissent egressi: *descendit Dominus in columna nubis, & stetit in introitu tabernaculi vocans Aaron, & Mariam: quare non timuistis detrahere seruo meo Moysi?* Quid ita? vt nec à Moyse ipso cui satisfaciendum, reprehensio audiretur, & quasi quodam velo, tegẽda quantum fieri potest, insignium personarum delicta, ex nube illa monstraretur. *Honore* (dicebat Chrysostomus) *potius volumus non propter nos, absit, scimus enim ipsius vilitatem, sed propter vos, vt quæ à nobis dicuntur, eo diligentius audiatis &c.*

Num. c. 12. Chrys. loc. cit.

Solus Vindicianus sopitas lacrymas serens sic §. 4. auspicatur vncialibus litteris. *Quomodo regularium defectus euulgentur.* & sic continuat discursum de notorietate scandalorum dicens *Cardinalis religiosorũ scandala dixit omnibus nota esse.* VIND.

Ad theatrum, non tabernaculum inuitas, non velo scenã tegens, sed rumpens, vt defectus notorij ne dum ostendantur, sed buccinentur, imprudenter scandala pandendo, vnde maius sumi potest scãdalum, nã & in theatro cum ostentarentur Deorũ facinora, magis ad similia perpetranda incitabantur dicente Aug. quod *omnes cultores talium deorum, mox vt eos libido perpulerit, feruenti, vt ait Persius, tincta, veneno magis intuentur* TVRT.

Lib. 2. de Ciu. c. 7.

tuentur quid Iupiter fecerit, quam quid docuerit Plato. vel censuerit Cato. sic Gentiles arguebantur suorum numinum delicta in scenicis ludis publicantes, incentiua vitiorũ & scandalorũ magis suis populis præbuisse.

Magnũ vero te factum putabas, quasi pûluerẽ olympicum colligeres, vt euehereris ad Deos, si Grauinæ in stadio currentis cursum impedires insulso scrupulo iniecto, de inductione quã adducis, quod *nec à reis, nec extraneis, nec domesticis* potuerunt iactata scandala manifestari, & tuæ modestiæ oblitus Grauinæ illudis dicens, *discursu Grauinæ à Tertulliano mutuatus, à Tertullianica distat grauitate.*

VIND.

TVRT. Nihil moratur Grauina si grauitatis Tertullianicæ non attigit felicitatem, gaudet tamen quod in eo discursu grauitatẽ Tertulliani sit imitatus. Ille hypothetico enthymemate vel inductione Gentilium opilat ora, & infanticidia, & alia delicta caninis tenebris digna obijcientib. Christianis, ad sacras vigilias cõfluentibus, silentiũ imponit, quærendo [à quibus illa delicta obiecta prodi potuerunt. non ab ipsis reis; ergo vel à cõscijs initiatis, vel extraneis. Nõ initiatis, exigente mysteriorũ formula, vt reticeantur. Extranei si velint reuelare non possunt, quod ignorant. superest ergo ait Tertull. si nec à reis, vel conscijs, quib. adde domesticos, nec ab extraneis in lucẽ venire potuerunt quæ iactantur in Christianos, vnde ad solam famã vagam, fluctiuagam, quæ nec cum verũ aliquid affert sine vitio mendacij est, addẽdo, minuendo, demutando de veritate, recurrere necesse est, ad quam sapiens nõ currit ne credat incerto.] Grauina vero eodem prorsus discursu, ijsdẽ pœnè verbis, & virgulis vsus est quibus Tertullianus hac sola differentia, quod vbi de toto Christianorũ cœtu ille loquebatur, hic de religiosorum ordinibus.

In Apolog. cap 6.

Quid ad hæc Vindicianus, vt ne dũ Grauinæ sed argumentationem Tertulliani effringat?

VIND. *Respondeo, ait Saluatoris ore: nihil est opertũ quod non reuelabitur, & occultum quod nõ sciatur. neque ad ista necesse est, vt vltima mundi fata expectemus: scandala se ipsa produnt, quia rarò sine sodali perpetrantur: etiam furta & sacrilegia celerius produntur quàm auctoribus gratum sit. Quam propere Pharisæi mulierem in adulterio comprehenderunt, & in templum pertraxerunt? Quis Moysis homicidium prodidit, eiusque famam vsque in Regiam deportauit? Quis Rebecca indicauit, quæ in secreto cubili Isaac ab Esau postulauit? quæve in corde consilia, contra fratrem idem Esau agitaret? nouit ipse Grauina, nihil inter homines difficilius celari, quam vitia propter immensum aliis detrahendi pruritum, & vt sua quisque delicta, aliena culpa excusset.*

Matt. 10.

TVRT. Hæc ille alia inductione inductionem Tertullianicam potius quàm Grauinianã oppugnans. Itaque tota controuersia hæc est inter Grauinam, & Vindicianum. Grauina docet quod regulariter occulta delicta nonnisi ex dictis modis cognosci possunt, non tamen negat quod Tertullianus ibidem inculcauit. *Benè autem quòd omnia tempus reuelat ex dispositione naturæ, quæ ita ordinauit, vt nihil diu lateat &c.* hoc est Pamelio interprete, *omnia reuelat dies, neque est quodcunque tam occultum quod temporum vices ALIQVANDO non explicent;* Vindicianus verò indefinitè, & absolutè loquens, nihil excipit, nullum delictum quin in lucem veniat excludit: In hac quæstione huiuscemodi ratiocinatio summã disceptationis absoluit. Secundum Vindicianum [omnia delicta, & pro omni tempore produntur.] Ergo quæcumque in cubilibus, & impudicitijs patrantur manifestata sunt in conspectu Solis. Secundum Grauinam de mente Tertulliani [non omnia & semper occulta in lucem prodeunt] ergo non sunt multiplicanda aperto ore regularium delicta, vt præter notoria quæ rariora, & pauciora, in vulgus efferuntur,

In Apologet. loc. cit.

runtur, illa, quæ mediæ illius sortis homines perpetrant delicta, de quibus apertè confessus est Vindicianus §. præcedenti. quod *in vulgus nota non sunt illa arcana, quæ mediæ sortis regulares tolerant vel excusant.* Itaque proponit Tertullianus. [Non omnia delicta occulta, nisi raro in publicum prodeũt] Assumit Vindicianus [in vulgus nota non sunt illa arcana quæ mediæ sortis regulares tolerant, vel excusant; concludatur pro Grauina [ergo non omnia alia delicta propalantur, & omnibus nota immerito asseruntur.

Similem discursum lege in Aug. 2. de ciuit. c. 13.

Sed ne Vindicianus tanquã gallus gallinaceus post pugnam suam sibi victoriam decantare videatur, inductioni suæ respõdendũ, vt vnusquisq; videat vitreas esse eiusmodi ratiocinatiunculas, non Gordianos nodos. Quod dicit de Saluatore dixisse: *Nihil est opertum quod non reueletur.* iam pridem mouit difficultatem Hieronymo [quomodo hoc cum multa fiant peccata quæ non manifestantur?] & respondet [id intelligi de peccatis reuelandis in alia vita] cum Hieronym. consentit Hil. & Beda, & Vindicianus dissentit dicens, non necesse esse ad ista vt vltima fata expectemus. Alij Patres ad virtutes id extendunt, ita Chrysost. vnde Ioseph velut adulter habitus, clarus factus est, manifestata est innocẽtia eius: Moyses quasi homicida fugatus, factus est dux populi gloriosi, & ad propositum litteræ citatæ Apostolis prædicitur fore calumniãdos, sed mox ad manifestationem virtutis eorum subditur: *nihil opertum &c.* hoc est, Chrysost. interprete, *tempus quod obumbrata omnia declarat ac detegit, & illorum aduersus vos ementita redarguet, & virtutis vestræ splendorem accendet*, quasi dicat Dominus, ait S. Thom. *ne timeatis si non statim pateat veritas vestra, tamen postea patebit,* consonat reliquorum Patrum & interpretum chorus. Theophyl. Euthym. &c. Vindicianus autem neminem citans ad suum intentum, Saluatoris dictum extorquet. Mulier illa adultera publicata, quia in adulterio deprehensa, vt non posset se excusare *ex rei euidentia*, vt interpretatur S. Thom. & Vindicianus, notoria euidentia facti, assumit ad probandum occultum. Moysis homicidium palam factum est, nõ vt delictum & peccatum, sed potius vt virtus publicata in defensione iusta Ægyptij, ab eo met qui liberatus, liberatorem promulgauit, secundum multorum PP. sententiam. Rebecca vero dum dicit *audiui loquentem Isaac cum filio suo*, alio nuncio opus non erat vel fama, vt domestica, & familiaria cognosceret, sicut nec opus fuit aliunde cognoscere machinationes Esau contra Iacob, cum minę præcesserint, quas frequenter domestici inter domesticos lares deprehendunt. vnde & Rebecca dixit: *Ecce Esau frater tuus minatur tibi mortem.* Mirum est quod eiusdem Rebeccæ alterum factum tacuerit Vindicianus ex eodem lib. vbi dicitur de Abimelech, quod: *vidit Isaac iocantem cum vxore sua Rebecca*: adeo enim sinistrè omnia interpretatur, vt fortasse cynicam expositionẽ meditatus protulisset cum Iudaizantibus de ioco maritali, quem tamen ita, & ad lucem Solis exercuisse Patriarcham, inuerisimile est, & commodè lusus ille iocus festiuus, qui solet intercedere inter propinquos intelligitur communiter ab interpretibus.

In eũ locũ Matt. 10. — *Hom. 25. imper. op. in Matt.* — *In eundem Matt.* — *In c. 8. Ioan. lect. 1* — *Gen. c. 27.* — *Gen. c. 26.*

VIND. *Scit Grauina, subdit, nihil inter homines difficilius celari quam vitia propter immensum detrahẽdi pruritum, & excusationem delictorum*]

TVRT. Sed in hac re datur gradatio, vt alij præ alijs sint cautiores, vt delicta etiam ad Tribunalia deducta, vbi interueniente morte punirentur, iam non plectantur, & ficta & imaginata morte disparente reo, substituto cadauere alio simulachrum viui referẽte, vltrà non exigantur. *Mena menstruis fluoribus* (vt docet August.) *præsidere dicta est* à Gentilitate, hi enim iuuẽculæ maturæ viro

L. 7. de ciuit. c. 2.

aptæ indicia ipsius comites ex eodem, Dea Virginensis cum matre Prema, & Deus Subigus, & Partunda. ad quid tot conueniunt (ait August.) *non vt eorum præsentia cogitata maior sit cura pudicitiæ, sed vt fœmina sexu infirma nouitate pauida illis cooperantibus, sine vlla difficultate virginitatis Zona soluatur, adest Subigus, vt viro subigatur, Prema, ne se commoueat, comprimatur. Parcitur humanæ verecundiæ etiam si inter coniugatos cætera peragat concupiscentia carnis & sanguinis, procurato secreto pudoris, at hic adest numinum turba quando paranymphi quoque discedunt.* Sed si in illicita copula adessent tot, quot in licita nuptiali præsentes est fabulata gētilitas, ex tot personis non possent occultari facinori consentientes. Mena ex sua dexteritate euadere conaretur, quæ sicut initio menstruorum fuit curiosa exploratrix deflorādæ virginitatis, sic intra generationis intimæ concauitates sanguinem præparando, maxima dexteritate latitaret, vt si cætera turba deprehenderetur, ipsa Mena etiam si quæreretur effugeret, vel absconderetur vt amplius non inueniretur.

6. lib. de ciuit. c. 9

VIND. Canina rabie inductionis Grauinianæ Vindicianus aggreditur rationem. *Reus* ait *seipsum non prodit*: distinguit Vindicianus, *id verum esse cum intra iactum teli se conspicit: cum verò extra periculum est contraria audet*: & exemplificat *de S. Ephram incarcerato multa narrante, & ab alijs carceri mancipatis similia audiente, item de illis in Prato spirituali sibi inuicem facinora confitentibus*, & vt ordinibus omnibus sæuiora vulnera imprimeret, tale profert Axioma. *Quid vel hodie vsitatius tā religiosis quam sæcularibus, quàm vt petulantias suas olim in contubernijs, inter liberalia studia commissas gloriabundè prædicent.*

TVRT. Sint tales religiosi qualis calamus Vindicianus denigrat nonnisi extremæ demētiæ est asserere tot millia hominum per orbē dispersa, in pari iniquitate consentire. Si pueri vel adolescētes improuidi in similes iactationes labantur, maturi certè & seniores quibus stabile iudicium grauitatē confert, eiusmodi gloriationes abhorrent. Si vnum cœnobium in hoc desiperet, cætera innumerabilia stulta esse non possunt: & si vna vel altera Prouincia prudentia caret, cæteras omnes habere intelligentiam recti conuenienter asseritur. Adeo ne tā perditæ mentis existimantur religiosi, vt cum sæcularibus illis æquentur qui gloriantur, cum malè fecerint, & exultāt in rebus pessimis? Grauis certè censor, & accusator Vindicianus hoc tempore quo ab hostibus fidei religionum nomen proscinditur, prodijt, id agit, etiam si non intenderet, dū mores religiosorum pares sæcularium delictis facit, vt licentiosius statum religionis impetant Nouatores, dum audiunt eundem etiam à professoribus ex moribus tā detestabilibus posse impugnari. Et quando Vindicianus intētum obtineret, hoc maximum præ cæteris delictū arguēdum quod eo tempore potissimum id opus aggressus, quo Nouatorū odiosa crudelitas in religiones, in professorum mores & vitia debacchatur. Non putet, ab eis propterea, ex ista incusatione, beneuolentiam capturū, vt ad ouile Dominicū reducat, sed potius abducat, deridebūt enim hominem vel pari morbo laborantem, se alijs medelam præparantem, reducturū alios ab errore, ipse directione indigum, & eruditurum alios in via Dei & charitatis perfectione, cuius ne scintillā se habere monstrauit, dū fictus professor, dilectionē proximi extinguere nititur, & vbi religiosorum (quā seruant) viuendi rationē redarguere voluit, ineptus, vanus, ridiculus apparuit, quia grauis Consultor vtilitatis alienæ, propriæ non consuluit, & alienorum defectuum reprehensor suos non respexit, & non modo quid oppugnaret, sed etiam quid loqueretur nescire ex his ratiunculis apertè monstrauit.

Ne autem conqueratur Grauinam impugnatio-

pugnationem eius effugere velle talē accipiat, eiusmodi impugnationis solutionem, videlicet reum religiosum seipsum nō prodere vt in plurimum, & frequenter, nam vel id fiet iudicialiter, vel extraiudicialiter, & hoc vel cū bonis, vel illis malis mediocribus intra septa cœnobiorum, vel extra claustra cum sæcularibus: Iudicialiter, pœnam timens malus ille religiosus Eleusyna secreta reticebit. Extraiudicialiter à bonis cauebit, ne rubore perfundatur, vel superioribus à syndicis deferatur; si malis reuelabit, illi digna tali olla opercula, nec fumus delicti exhalabit. Hypocrysis potius peccatum, quàm iactātiæ religiosi facinorosi incurrunt, vnde per Lamias & Hericios designātur, ait Greg si quidem in prima facie quod ostendunt, *quasi ex ratione sanctitatis est, sed bestiale corpus est quod sequitur, quia valde iniqua sunt, quæ sub specie boni moliuntur.* Hericij vero videntur, *quia quo initio peccator accesserat* (caput) *videtur, pedes Hericij conspiciuntur, quia quibus vestigijs nequitia sit perpetrata cognoscitur, & tamen adductis repentè excusationibus, malitiosa mens introrsus pedes colligit, quia cuncta iniquitatis suæ vestigia abscondit. Caput subtrahit, qui miris defensionibus, nec inchoasse se prauum aliquid ostendit, & quasi sphæra in manu tenentis remanet, quia is qui corripit, cuncta quæ iam cognouerat subitò amittens, inuolutum intra conscientiā peccatorem tenet, & qui totum iam deprehendēdo viderat, tergiuersatione praua defensionis illusus, totū pariter ignorat.* Vindicianus dexter hos Hericios vt se ipsos prodant cōfidit. Quod si extra claustra cum sæcularibus, inter liberalia studia commissas publicè prædicent culpas, nonnulli ijq; paucissimi, annumerātur hi cum ijs qui nō repentina concupiscentia superātur, sed qui in culpa ex consilio & electione ligantur, & cū ijs, de quibus dicitur: *peccatū suū sicut Sodoma nec absconderūt*, nā ait Greg. *præcones sui sunt, & de reatu suorū criminum etiā semetipsis* indicibus conuincuntur: alij tamen sunt delinquentes, qui nec præteritas culpas recensent etiamsi mali sunt: *vt si esse mali non metuunt, erubescant saltem videri quod sunt: plerumque enim culpa dum absconditur effugatur, quia dum mens erubescit videri, quod tamen esse non metuit, erubescit quandoque esse quod fugit videri.* Innocentiores verò qui in liberalibus studijs prauos mores cū contubernalibus & conuictoribus, nō hauserunt, & fuerunt (vt ait Nazianzenus) *velut fluuius per mare dulcis fluens, aut animal in igne quo omnia consumūtur saliens, vt ipsi* (ait cū Basilio Athenis) *inter æqualium greges eramus*; nihil sordidi habent, quod recenseant, cum non ignobile sodalitiū intercesserit, q; vel pęnitudinis, vel iactātiæ ministret argumentū.

3. mor. c. 24

Es. 3.

3. p. cura past. c. 32.

Naziang. orat. in funere Basil.

VIND.

Alterum membrum impedit Vindicianus dicens. *Domesticis narratoribus Grauinam fidem derogat*, & multis exemplis ex S. Gregor. & alijs desumptis, recensentibus religiosorum delicta à domesticis descripta, in crimen Grauinam adducere nititur, quasi, nedum hæc, sed vniuersam historiam Anachoretarum, & Ecclesiastica monumenta destruentē, *quia ab illis scaturiūt quibus Grauina assensum perhiberi prohibet.*

TVRT.

Quis vnquam somniare potest Grauinam id somniasse? Non domesticis narrationibus fidem abrogat Grauina, maximè quæ de viris sanctis scribuntur, vel si quorundam malorum domestica facta ab ijsdem suppresso nomine, nota tamen, cum nomine, ad posteritatem transmittantur, ad perfectionis, & spiritualis profectus exemplum: mille in Gregorio, & alijs recensentur. *Sororem laudans* dicebat Nazianz *domestica prædicabo, non tamen, quia domestica ideo falsa, sed quia vera, ideo laudabiliter, vera autem non modo quia iusta, verum etiam quia nota*, an idem seruasset Greg. si alterius domesticorum facta mala recensere voluisset? demus verè tunc dictu rum; nec laudabiliter nec iustè dixisset: vnde ibidem præ-

Orat. in laudem Grego.

præceptum dat, *vt laude digna laudibus efferamus, vel silentio digna, silentio transmittamus.* Cum ergo domesticis religiosi domestica religiosorum delicta pandunt, quod digna silentio foras transmittunt, vel maligni bona facta prætereuntes vel interpretantes scandala propalant, cum Dei leges, paterna instituta transgrediantur, nec religionis defectus ostententur, in hoc impij dum vulgant habendi sunt, & à causa bonitatis, & veritatis & fidelitatis cadentes, indigni sunt, vt fides adhibeatur, qui nec Deo, nec religioni, nec pudori seruarunt fidem.

VIND. Sed insto, ait argutulus Vindicianus, *aut isti falsa referunt, aut vera de prioribus, iam constat boni viri officium, cogitatio stulti peccatum est. Posteriorum repulsa difficilis est; si enim læsus vulnera sua pro testibus ostendet, si expertus animæ salutisque dispendia deponat, si opem, non vindictam, si regulæ astrictionem non libertatem postules, si indicta prudentibus, non spernenda super aliorum dissolutione exhibeat, nescio quid scrupulorum Grauinam inducere possit. Nec Visitatorum, ac Reformatorum postrema industria est, vt de statu loci, ac rerum à domesticis certiores fiant.*

TVRT. Non vetat Grauina, saluo tamen correctionis fraternæ ordine, quin à domesticis accepta delicta, Prælatis atque etiam Visitatoribus pandantur; eoque prætermisso, grauissima illa quæ in perniciem communitatis machinantur impij, quibus interest, denuncientur. Prohibet tamen ne sæcularibus, quæ silentio obuoluenda, pandantur, quod si pandantur, cum contra charitatem & iustitiam pandantur, parum etiam domesticis, vel nihil credendum: vt si credant talibus facinorosis quos terra non capit, se ipsos sensibus spolient, rationem abdicent, dum alienis erroribus credunt, rotionabiliter enim suspicari possunt alios in consortium sui tales detractores rapere velle, quasi solatium habituri de iniquitate, & facinore alieno. Vt quid ergo restrinxit Vindicianus Grauinæ mentem, quasi correptionem morum à Prælatis & Visitatoribus auferat? Quis negat ex iurgijs partium, veritatem ad eosdem peruenire? quis minus aptos esse discolos ad denunciandum pronunciauit? si discreto Prælato nuncientur, agnoscit Turtur locum Gregorij quem adducis, vt mali etiam Deo, hac attestatione famulentur, cuius operibus ipsi resistunt. Statum quæstionis immutasti Vindiciane, vt robusta ratiocinatione euinceres, quod nec à reis, nec extraneis, nec domesticis scandala mundo, non Prælatis euulgata, vt expositum est, tanta fœcunditate, & fęlicitate euulgētur.

VIND. Ad vulgi rumores quod erat vltimum membrum discutiendum properas, vt secundum ordinem Apologiæ tuæ verba confutem. ais ergo. *Vulgi rumores Grauina omnino explodit.*

TVRT. Meritò explodit (rationibus à Tertulliano adductis) vulgi sensum Grauina, sicut enim afficitur vulgus, sic & loquitur, & secundum affectum dicentibus & narrantibus credit, addendo, vel detrahendo, vel transmutando, & quale ipsum est, tales capit maiores, & directores morum, vt habeat in illis quod reprehendat, sine delectu ex Plutarcho *alium diligunt & suspiciūt vulgares homines, alium inuisum habent, & fastidiunt quasi prægnantes mulieres,* talis eorum inconstantia, *quæ absurdis appetentijs laborant. & quæ nauseāt, lapides, falsa, atq; eiusmodi cibaria frequenter appetunt, paulo post expuunt ea & auersantur.* plura de hac re locutus sæpè S. Chrysostomus. Sed si ab his refugit erudiri, à Luciano patiatur edoceri. *Vulgus ait, eiusce vt plurimum est natura, vt cū res cauillatione, ac maledicentia agatur gaudeat, præcipuè cum ea quæ absolutissima esse videntur mordicus arripiūtur: quemadmodum olim gaudebat cum Aristophanes, & Eupolis irrisionis gratia Socratem hunc in scenam introducerent, comœdiasq; absurdas quasdam de illo cōmentarentur:*

Plut. in præcep. Polit.

In dial. Pisc.

non grauatur tandem pati ex remedio, quod non grauatus dedignabatur pati ex vitio, nec displicet ex mortificationibus occidi in salutem, cui non displicuit occidi in perditionem, nec nauseat amplius ad antitodum qui inhiauit ad venenum. Cæterum multi percussi sunt, & ex indolentia se sanos & medico non indigentes simulant, exulcerat conscientia, nec cõqueritur hypocrita, & dolere se non vult, ne bonam existimationem perdat, condit vlcera Prælato, & communicare Christo se fingens, saniem obtegit fascia verecundiæ, ne cum ignominia ab administratione submoueatur, vel de gradu cadat, aut de loco eijciatur, sic in huiusmodi plus dissipatum quam in cæteris reformationem recusantibus reparatum.

VIND. Tertio ad authoritatem Doctorum properat, rationibus destitutus. profert ergo Vindicianus Dominicanum Granatensem, is inquit, *cum veterum religiosorum admiranda recoluisset de Nostratibus, non potuit pro animi desiderio gloriari, sed paucula ista subiecit, & nostris temporibus, quibus, vti Saluator prophetauit, charitas refrixit. Nullo Christiana Religionis loco desunt, tam in religionibus quam extra, tam in coniugatorum statu, quam solutorum, qui magna cum puritate, & simplicitate viuant.*

In symbol. fidei. 2. c. 12.

TVRT. Non fuit Granata acceptator personarum, sed de omnibus indifferenter ordinibus locutus est, ad te docendum Vindiciane, nec præscripsit Deo, quibus tẽporibus, aut modis vel locis, de familia sua, de viris perfectis prouidit, quasi de illis prouidere omnium bonorum auctori, & rerum Domino, prout ei libet non conueniat. Solus Vindicianus vult apud eos quos tuetur esse diuitem Deum, quasi cæteri, filij Belial, filij desertores, fractores legum, & dicentes. *Dirumpamus vincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipsorum.*

Ex Tertull. aduersus Gnosticos.

Sed Truncatè affers Granatensis Doctrinam, vbi enim superius enarrasset veterũ religiosorum, & Anachoretarum vitam (non lib. 2. c. 12. vt citas, sed parte quarta tract. 2.) subdit. *Post ipsos non deserente Deo suã Ecclesiam successerunt ordines Augustiniensium, Carthusianensium, Benedictinorum, Bernardinorum, Dominicanorum, & Franciscanorum, & similium, in quorum Chronicis reperimus scripta religiosissimorum, & Sanctissimorum virorum, qui notabiliter initio, & in eorundem ordinum fundatione floruerunt.* vbi nota nihil de præsentium religionum statu loqui remisse Granatensem, sed præsentem cum præcedentibus religiosis adiunxit, hac sola differentia, quod illi notabiliter floruerunt, nec vnquam illum locum adduxit: *quoniam refrixit charitas multorum:* vnde deformatio, & decaluatio religionum ex hoc loco non habetur ex allegatis verbis à Vindiciano, quæ non ad religiosos, sed ad alios status direxit, si quidem post dicta verba de floritione religiosorum includens nostra tẽpora ne diminutus esset, mox subdit, *& non desunt hodie in Christianitate, in omni statu tam laicorum quam sacerdotum, qui tanta sunt virtute praditi, vt ex eorum laudabili vita laudandi nobis materiam subministrent.*

Psal. 2.

Quid ergo Vindiciane? deprehensus es mendax falsa allegatione tam eximij viri, dum, quod de cæteris statibus à religiosis differentibus descripsit, ad religiosos extẽdis horum temporũ, & eos in frigida Zona reposnisse contendis? in qua etiam si locasset, ex eodem causam addisceres, si sequentia verba legeres opportunius adducenda, & linguæ tuæ fræna imponerentur, ne transiret in terra, maximam partem regularium pessundando, & multorum charitatem, non omnium nec in maiori parte refrixisse, non tam liberè & absque consideratione pronunciares.

Iam vero proposita & explicata Granatensis mente, Cerberi latratus inanes demonstrantur, nam in citata à te clausula

cum

cum non sit mentio de religiosis, inania sunt tua sequentia verba, & aerem verberas dum dicis.

VIND. Non affirmat Granata [florentissimũ omnium ordinum (vt Grauina) sed fatetur veterum charitatem in Deum, & erga sanctam Dei legem, timorem & obseruãtiam refrixisse. non ait longe innumerabiles viros à sapientia & prudentia sæculi discretos (vt Grauina) sed solum non deesse qui omnes curas, & cogitationes in creatoris amorem & timorem impendunt, non dicit mere venialia à Regularibus committi (vt Grauina) sed prophetia Domini cõtentus fuit, & refrigescet charitas multorum.]

TVRT. Hic tuus scribendi modus est, vt præter perturbatam seriem & constructionẽ miscellaneam, eo vsque processeris, vt ex autoribus quodlibet carpas, arripias quæ ad hbitũ inquiras, & in quæ insultes: & quod peius pro tua libidine, nec integra authorum testimonia profers, & sinistrè interpretaris, vt ad oculum demonstraui, nihil enim horum asseruit Granatensis quæ tu pueriliter extorques. scias ex Tertullian. [quod tam veritati obstrepit adulter sensus quam corruptor Stylus.] Sed admittatur interpretatio Vindiciana. Si Granatensis non affirmat florentissimum statum religiosorum, nec negat. Si non dicit mere venialia esse religiosorum scandala, nec affirmat dari in eisdem scandala mortalia. Si ergo tu exprobras quod ille non incusauit, non benè sanus es; insano omnia licent. Si non improbas, cur arguis quod laudandũ, & laudauit Grauina, & causaris quod cõmode excusari poterat?

C. 39. Tert. de præscrip.

Sed pro defensione Grauinianæ dictionis in religiosis reperiri peccata scandalosa venialia satis esset dicere, id intelligi regulariter, & si mortalia sint in eo sensu posse dici venialia, id est, quæ de facili possunt veniam obtinere, quo sensu S. Thomas interpretatus S. Augustinum & Glossam dicentes culpam Adæ *venialem* ab ipso existimatam, hoc est *de facili venia dignam*. Nec de sua phantasia; grauiorum scandalorum negans assertionem locutus est, sed de mẽte Sanctorum. Lege Vindiciane B. Laurẽtium Iustinianum vbi loquens de Christo militantibus, id est, religiosis, cum explicasset innumera mala & peccata quæ cõmittuntur ab iniquis hominibus, præsertim odia & persecutiones &c. subdit. *huiusmodi autem persecutiones aperta operaque nefanda, quanquam longe sint à congregationibus iustorum, minimè tamen in ipsis scandala desunt, quæ dicente Domino, sunt necessaria, vt veniant, quatenus virtus exerceatur habita, aut nondum inchoata initium sumat. Non enim illa quæ inter iustos scandala consueuerunt accidere, ex peruersa dixerim voluntate contingere, sed potius ex suggestione diabolica, & fragilitate humana, naturarumque diuersitate atque simplicitate conuiuentium. Occasione talium oritur persæpe solicitior cura charitatis, sui met clarior, & conuersandi cautela prudentior, quamuis enim mens pia de malo proficere norit, est tamen scandali vitandum offendiculum, ne de bono veniat malum, præcipuè dum veritas dicat. Væ autem homini illi, per quem scandalum venit.* Sed quod sequitur B. iste Pater ad tui instructionem, si religiosus esse cupis Anonyme, accipe & disce. *Maximam vero illum arbitror scandalorum præcidisse materiam, qui in collegijs degens linguam suam compescere potuit.* & vbi acriter detractores perstrinxisset, quod ij sunt qui scandala & rixas concitant, aduersus indiscretos correctores stylum acuit, dicens, quod *charitatis regulam se ignorare fatentur, dum detractioni proximorum relaxant fræna eo periculosius, quo sub zeli specie id euitare videntur.. necesse prorsus est vt tales delinquant frequenter: Nemo sine sui detrimento postponens propria delicta sua, detegit aliena, obseruet tempus, modum adhibeat, mentem purget,*

c. 2. q. 84. a. 3.
14. de Ciu. Dei c. 11.
Lib. de inter. conflic. c. 2.

purget, emendet vitam, detestetur vitia, proximos diligat quisquis Dominum imitari se dicit, qui publicè in turbis Scribarum, & Pharisaeorum detegebat facinora. hæc si legisses, non tanquam triumphalem fornicem, nempè titulum detractorium erexisses.

VIND. Adiungit Riberam Granatensi contra Grauinam, quod scribat in Oseam cap. 2. num. 100. quod in religionibus: *Pauci qui perfecti essent, aut qui ex animo ad perfectionem properarent, omni tempore inuenti sunt.*

TVRT. Sed hoc destruit Granatensis supra citatam doctrinam de notabiliter florentibus religiosis, & Bellarmini thesim demolitur, floridum priscorum statum agnoscens, præsentium vero temporum decaluatum.

VIND. Addit alias reprehensiones eiusdem Riberæ, ***de nouis domibus extruendis, de neglectu probationis in recipiendis, de tepescentibus, qui spiritu incipientes carne consummantur.*** & hinc infert Vindicianus, ***mirum esse liberiorem stylum sustinuisse Grauinam in Ribera Theologo (qui prius scripsit) quam in Cardinali.***

TVRT. At ex diuersis non fit illatio, nam ille in communi, hic signauit religiones corruptas. Debebas illud seruare eiusdem Riberæ documentum. *Nesciant Gethæi, nesciant infideles stragem Christianarum animarum & c. ne insultent filiæ incircumcisorum. Gratulantur sibi Hæretici, & Gentiles cum eosdem mores vident in Ecclesia, quos in se agnoscunt. Religiosi etiam si quando per infirmitatem labuntur humanam, lugeant in domibus suis, & si ruentis religionis fortasse puluerem viderint, agant pœnitentiam in domo pulueris, & restaurent quod possunt: caueant ne seculares ea peccata cognoscant. qui de religionibus libenter detrahunt, ne inde Euangelicæ vitæ ratio in contemptum imperitorum, & improborum veniat, & sibi in peccatis suis placeant, vitamque communem religiosæ anteponant.* hæc ille docens te, quod in domo pulueris sedere debebas, non tanquam coruus in superliminari, & super fenestras crocitare, & tanquam buccinator scandalorum religiosorum ad inuisenda, & propalanda delicta, quæ erant occultanda, inuitare.

In c. 1. Michææ.

§. III. REDARGVTIO.

Vbi scandala multiplicia à Vindiciano asserta, imprudentissimè allata, & in publicum euulgata ostenditur.

HAbent nonnulli hoc vitij, vt omne suum Myrothecion (vniuersa scilicet pigmenta) in vnam orationem impendãt. Eleusyna ita seruabantur, vt nec simul omnia panderentur. Habent quoque illud ciuitates, quæ spectaculorum, & reliquiarum ostentus gratia, statis annorum interuallis adeuntur, vt seruent in proximam panegyrim semper aliquid antea non spectatum. Putabat Vindicianus non fore admirabilem suam Philippicam, nisi vnica vice, vnoquoque capitulo effunderet suas omnes eruditionis opes. Hinc non contentus proposuisse in religionibus esse scãdala grauia, in hoc paragrapho multiplicitatem inculcat, deinde eorundem publicitatem exponit.

Seneca lib. 6. natur. 99.

Multiplicitates compactum dicit in vestibulo paragraphi *necesse esse augeri, ex multiplici laxorum lapsu.* En nouus Archita Tarentinus mensor VIND.

Maris & terræ numeroque carentis arenæ. *Hor. in od.*

Si legas candide lector in fonte discursum Vindiciani, non te continere poteris, quin (æqui existimator) crepitaculum Archytæ, hoc est, vehementer garrulum, & obstreperum audiuisse pronuncies. Erat crepitaculum inuentum Mathematicum, & in specie ex A. Gellio columba lignea quæ Mathematica ratione librata euolabat; vel ex Aristotele. erat genus ęreum, quod pueris lusitantibus dabatur, ne quid interim ex vasis domesticis contingerent. sic duo præstare intendit Vindicianus, vt columba sublimetur, cæteri tanquã pueri eludantur.

Lib. 10. c. 11.

8. Polit.

Et

Et quia non poterat Grauinianam doctrinam, imo & totius Ecclesiæ infringere, videlicet, *non esse quantumuis laxatam religionem, quæ non sit Ecclesiæ adiumento, & scandala plerumque oriri ex infirmitate, petulantia,* non ex statu, quasi illud vsurparet Παραλούομαι, id est, *vna lauabor* in consortium Grauinæ se adiungit eius vtens supellectili, nempe doctrina S. Theresæ &c. & in vno eodemque principio conueniens; tanquam *ex vno*, vt dicitur, *& eodem lare*, distinctionem affert (ex Nidero, Gueuara, S. Augustino) quod *in religione quidam sint mediocriter boni, & mediocriter mali, quidam vero sunt omninò praui, quales erant Sarabaita, quos deterrimum genus Monachorum vocauit antiquitas, sine iugo obedientiæ, discurrentes vagè, ad quacunque vellent, diuagantes.* qua distinctione supposita Vindicianus Pardale exuuium induens ingenio vario, & vafer, è diametro se opponens infert.

VIND. *Non minimus scandalorum multitudinem à Bellarmino deploratam, quia in vulgus nota, non sunt illa arcana quæ media sortis Regulares tolerant, vel excusant, atque in scandala operantur quod solent. neque facilè capaces reddas ex dictis eos, qui animo sunt læsi propter sublimem professionis dignitatem, à qua perfecta opera iure ac merito expectantur*, secundum illud Hierem. *quid est quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa? &c.* Hier. c. 11.

TVRT. Ergo ne dum (dicit Vindicianus) sunt deplorata ea scandala, quæ in vulgi notitiam euenerunt, sed, & latentia eorũ à quibus sublimis perfectio exigitur Hic est cõputus Vindicianus. Sed nec cubito vel digitis benè hunc numerum expendisti, distinxisti solum inter mediocriter bonos, & mediocriter malos, & omnino prauos regulares, vt delicta multiplicares super numerum, & mediocriter malorum & in excessu prauorum regularium, omittendo aliud extremum, scilicet regularium bonorum in excessu. Heus tu

ἄκρον λάβε καὶ μέσον ἕξεις
Summa cape, & medio potieris

Callidè aliud summum extremum omisisti bonorum & perfectorum, vt numerosior mediocriter, & in excessu malorũ turba appareret. Vidit Hieremias ex vna parte ficus malas valdè, & ex alia ficus bonas, bonas valde, extrema recensens: vnum tu solum extremum, nempè malorum in excessu posuisti. inter hæc duo extrema ficus intermediæ sunt, de quibus dicitur. *ficus protulit grossos suos.* Sunt autem, vt dicit Bernardus; *Grossi primæ quædam ficus prorsus inutiles, solum habentes speciem ficuum, non saporem, nec tam fructus, quàm futurorum quædam præsagia fructuum, quas & occidere necesse est, vt eis alia humano vsui, & aptæ succedant*, & tales præcipuè notat Bernardus esse superbos, & ambitiosos, amantes, ait, primas cathedras, quæ velut grossi ficuum velociter sunt casuræ. Porrò & hi mediocriter mali per ficus denotari ad veris amœnitatem religiosi status pertinent. nam Bernardo annotante, ibidem, cum in Canticis Canticorum dictum esset: *Iam hyems transijt, imber abijt* [*subditur*] *Ficus protulit glossos suos*, quibus cadentibus *stare facit Dominus alios pro eis*, & alter substituatur, cadente impio, ne destitutus Dei iudicio exigentibus demeritis, & superbia, discat facere iustitiam, quia (exponente Bernardo) *in terra sanctorum iniqua gessit*, in Ecclesiasticis possessionibus quæ sanctorum fuerant vsibus assignatæ, in domo Dei, nec videat gloriam Domini. Qui medij mali & si cũ illis publicis desertoribus Sarabaitarum nomine designatis, multi sint, mediocriter tamen boni cum perfectis adiuncti, non exiguum numerum constituunt, vt si non superent, æquentur tamen, quod sufficit, ne penè corruptus religiosorũ status præsentium temporum ostendatur. Et quãuis in perfectionis schola, perfectio à professoribus omnibus cũ sint in terra Sanctorũ

Cant. 2.
Ber. in declamationibus.
Cant. c. 2.
Iob c. 34.
Es. 26.

K exi-

Epist. ad Gulielm. Abbatem versus finem.

exigatur, sciat durus exactor, qui putat iam sic cucurrisse, vt comprehendisse putet, sic bonum suum tenere ex Bernardo, *vt alium aliud tenentem non iudicet. si quis accepit iam esse bonus, non inuideat melioribus, & qui sibi videtur agere melius bonum, non spernat alterius. Si qui districtius viuere possunt, eos qui non possunt nec aspernentur, nec æmulentur eos, qui possunt sic mirentur, vt temerè non imitentur: sicut enim non licet his, qui maius aliquid fortè vouerunt, ad id quod minus est descendere, ne apostatentur, sic non omnibus expedit de bonis minoribus ad maiora transire ne præcipitentur.*

§. IV. ANIMADVERSIO.

Vbi Vindiciani vafricies retunditur, eo etiam titulo scandala propalando, quod ipsimet Regulares, ait, sua scandala euulgent.

TVRT. *Hom. 4. in 1. ad Thess.*

Complures sunt (ait Chrysost.) qui *gaudent in malis, & corpus Christi diuellunt, magis quam milites qui lancea illud incidebant, aut quàm Iudæi, qui clauis perforabant. Minus illud malum erat, quam istud. membra illa, quæ tum intercidebantur, denuò coadunata sunt: ista verò auulsa, nisi hæc iterum coniungantur, nunquam coniungentur amplius, sed manebunt extra corpus.* Sic inuehitur in detractionis malum, præcipuè effusum contra sacratas personas, Prælatos, adde (ex eadem ratione) Sacerdotes, & religiosos. Vndè quærens cur peccantibus Aaron, & Maria contra Moysen, illa percussa sit, Aaron vero percussionis fuerit expers? eam rationem assignat: ne personæ Sacerdotalis culpa ex pœna innotesceret. *Nec mireris* (subdit) *si enim in externis dignitatibus etiam si millemodis quisquam incusetur, non tamen primum ad iudicium ducitur, ni prius principatum deposuerit* (vel degradetur) *ne ille cum ipso opprobriis pateat: multo magis in prælatura spirituali* (statu Sacerdotali, vel religioso idem seruandum docet) *quando vero* (subdit) *illam deposuerit, siue morte, siue vita, tunc sanè, tunc eo grauiore supplicio punietur, ne opus sit à nobis duci.* Vindicianus solus non cœlestis fisci patronus, sed executor alieni operis, religiosos, quasi ad forum seculare proijcit absq; degradatione, Dei non expectata sententia anticipans eius iudicium, vt cum habitu etiam religioso induti crucifixionis patibulum subeant. & omnibus pateant, & patiantur quale Christus Dominus perpessus est hora tertia, scilicet à crucifigentium linguis, qui hora sexta realibus clauis crucifixus est, sic exponente, & concordante Augustino euangelistas.

De cõsens. Euangel.

Verum est quod nec Aaron absque castigatione relictus, verbis à Domino cum Maria acriter obiurgatus, sed vide solẽnitatem obiurgationis tres ad tabernaculũ Moyses, Aaron, Maria iubentur exire, cumque fuissent egressi: *descendit Dominus in columna nubis, & stetit in introitu tabernaculi vocans Aaron, & Mariam: quare non timuistis detrahere seruo meo Moysi*? Quid ita? vt nec à Moyse ipso cui satisfaciendum, reprehensio audiretur, & quasi quodam velo, tegẽda quantum fieri potest, insignium personarum delicta, ex nube illa monstraretur. *Honore* (dicebat Chrysostomus) *potiri volumus non propter nos, absit, scimus enim ipsius vilitatem, sed propter vos, vt quæ à nobis dicuntur, eo diligentius audiatis &c.*

Num. c. 12. Chrys. loc. cit.

Solus Vindicianus sopitas lacrymas serens sic §. 4. auspicatur vncialibus litteris. *Quomodo regularium defectus euulgentur.* & sic continuat discursum de notorietate scandalorum dicens *Cardinalis religiosorũ scandala dixit omnibus nota esse.* VIND.

Ad theatrum, non tabernaculum inuitas, non velo scenã tegens, sed rumpens, vt defectus notorij ne dum ostendantur, sed buccinentur, imprudenter scandala pandendo, vnde maius sumi potest scãdalum, nã & in theatro cum ostentarentur Deorũ facinora, magis ad similia perpetranda incitabantur dicente Aug. quod *omnes cultores talium deorum, mox vt eos libido perpulerit, feruenti, vt ait Persius, tincta, veneno magis intuentur* TVRT.

Lib. 2. de Ciu. c. 7.

tuentur quid Iupiter fecerit, quam quid docuerit Plato. vel censuerit Cato. sic Gentiles arguebantur suorum numinum delicta in scenicis ludis publicantes, incentiua vitiorũ & scandalorũ magis suis populis præbuisse.

Magnũ vero te factum putabas, quasi pũluere olympicum colligeres, vt euehereris ad Deos, si Grauinæ in stadio currentis cursum impedires insulso scrupulo iniecto, de inductione quã adducis, quod *nec à reis, nec extraneis, nec domesticis* potuerunt iactata scandala manifestari, & tuæ modestiæ oblitus Grauinæ illudis dicens, *discursu Grauinæ à Tertulliano mutuatus, à Tertullianica distat grauitate.*

VIND.

TVRT. Nihil moratur Grauina si grauitatis Tertullianicæ non attigi felicitatem, gaudet tamen quod in eo discursu grauitatẽ Tertulliani sit imitatus. Ille hypothetico enthymemate vel inductione Gentilium oppilat ora, & infanticidia, & alia delicta caninis tenebris digna obijcientib. Christianis, ad sacras vigilias cõfluentibus, silentiũ imponit, quærendo [à quibus illa delicta obiecta prodi potuerunt. non ab ipsis reis; ergo vel à cõscijs initiatis, vel extraneis. Nõ initiatis, exigente mysteriorũ formula, vt reticeantur. Extranei si velint reuelare non possunt, quod ignorant. superest ergo ait Tertull. si nec à reis, vel conscijs, quib. adde domesticos, nec ab extraneis in lucẽ venire potuerunt quæ iactantur in Christianos, vnde ad solam famã vagam, fluctiuagam, quæ nec cum verũ aliquid affert sine vitio mendacij est, addẽdo, minuendo, demutando de veritate, recurrere necesse est, ad quam sapiens nõ currit ne credat incerto.] Grauina vero eodem prorsus discursu, ijsdẽ pœnè verbis, & virgulis vsus est quibus Tertullianus hac sola differentia, quod vbi de toto Christianorũ cœtu ille loquebatur, hic de religiosorum ordinibus.

In Apolog. cap 6.

Quid ad hæc Vindicianus, vt ne dũ Grauinæ sed argumentationem Tertulliani effringat?

VIND. *Respondeo*, ait *Saluatoris ore: nihil est opertũ quod non reuelabitur, & occultum quod nõ sciatur. neque ad ista necesse est, vt vltima mundi fata expectemus: scandala se ipsa produnt, quia rarò sine sodali perpetrantur: etiam furta & sacrilegia celerius produntur quàm auctoribus gratum sit. Quam propere Pharisæi mulierem in adulterio comprehenderunt, & in templum pertraxerunt? Quis Moysis homicidium prodidit, eiusque famam vsque in Regiam deportauit? Quis Rebeccæ indicauit, quæ in secreto cubili Isaac ab Esau postulauit? quævè in corde consilia, contra fratrem idem Esau agitaret? nouit ipse Grauina, nihil inter homines difficilius celari, quam vitia propter immensum aliis detrahendi pruritum, & vt sua quisque delicta, aliena culpa excuset.*

Matt. 10.

Hæc ille alia inductione inductionem Tertullianicam potius quàm Grauinianã oppugnans. Itaque tota controuersia hæc est inter Grauinam, & Vindicianum. Grauina docet quod regulariter occulta delicta nonnisi ex dictis modis cognosci possunt, non tamen negat quod Tertullianus ibidem inculcauit. *Benè autem quòd omnia tempus reuelat ex dispositione naturæ, quæ ita ordinauit, vt nihil diu lateat &c.* hoc est Pamelio interprete, *omnia reuelat dies, neque est quodcunque tam occultum quod temporum vices ALIQVANDO non explicent;* Vindicianus verò indefinitè, & absolutè loquens, nihil excipit, nullum delictum quin in lucem veniat excludit: In hac quæstione huiuscemodi ratiocinatio summã disceptationis absoluit. Secundum Vindicianum [omnia delicta, & pro omni tempore produntur.] Ergo quæcumque in cubilibus, & impudicitijs patrantur manifestata sunt in conspectu Solis. Secundum Grauinam de mente Tertulliani [non omnia & semper occulta in lucem prodeunt] ergo non sunt multiplicanda aperto ore regularium delicta, vt præter notoria quæ rariora, & pauciora, in vulgus effe-

TVRT.

In Apologet. loc. cit.

runtur, illa, quæ mediæ illius sortis homines perpetrant delicta, de quibus apertè confessus est Vindicianus §. præcedenti. quod *in vulgus nota non sunt illa arcana, quæ mediæ sortis regulares tolerant vel excusant.* Itaque proponit Tertullianus. [Non omnia delicta occulta, nisi raro in publicum prodeũt] Assumit Vindicianus [in vulgus nota non sunt illa arcana quæ mediæ sortis regulares tolerant, vel excusant; concludatur pro Grauina [ergo non omnia alia delicta propalantur, & omnibus nota immerito asseruntur.

Sed ne Vindicianus tanquã gallus gallinaceus post pugnam suam sibi victoriam decantare videatur, inductioni suæ respõdendũ, vt vnusquisq; videat vitreas esse eiusmodi ratiocinatiunculas, non Gordianos nodos. Quod dicit de Saluatore dixisse: *Nihil est opertum quod non reueletur.* iam pridem mouit difficultatem Hieronymo [quomodo hoc cum multa fiant peccata quæ non manifestantur?] & respondet [id intelligi de peccatis reuelandis in alia vita] cum Hieronym. consentit Hil. & Beda, & Vindicianus dissentit dicens, non necesse esse ad ista vt vltima fata expectemus. Alij Patres ad virtutes id extendunt, ita Chrysost. vnde Ioseph velut adulter habitus, clarus factus est, manifestata est innocẽtia eius: Moyses quasi homicida fugatus, factus est dux populi gloriosi, & ad propositum litteræ citatæ Apostolis prædicitur fore calumniãdos, sed mox ad manifestationem virtutis eorum subditur: *nihil opertum &c.* hoc est, Chrysost. interprete, *tempus quod obumbrata omnia declarat ac detegit, & illorum aduersus vos cmentita redarguet, & virtutis vestræ splendorem accendet*, quasi dicat Dominus, ait S. Thom. *ne timeatis si non statim pateat veritas vestra, tamen postea patebit,* consonat reliquorum Patrum & interpretum chorus. Theophyl. Euthym. &c. Vindicianus autem neminem citans ad suum intentum, Saluatoris dictum extorquet. Mulier illa adultera publicata, quia in adulterio deprehensa, vt non posset se excusare *ex rei euidentia*, vt interpretatur S. Thom. & Vindicianus, notoria euidentia facti, assumit ad probandum occultum. Moysis homicidium palam factum est, nõ vt delictum & peccatum, sed potius vt virtus publicata in defensione iusta Ægyptij, ab eo met qui liberatus, liberatorem promulgauit, secundum multorum PP. sententiam. Rebecca vero dum dicit *audiui loquentem Isaac cum filio suo* alio nuncio opus non erat vel fama, vt domestica, & familiaria cognosceret, sicut nec opus fuit aliunde cognoscere machinationes Esau contra Iacob, cum minę præcesserint, quas frequenter domestici inter domesticos lares deprehendunt. vnde & Rebecca dixit: *Ecce Esau frater tuus minatur tibi mortem.* Mirum est quod eiusdem Rebeccæ alterum factum tacuerit Vindicianus ex eodem lib. vbi dicitur de Abimelech, quod: *vidit Isaac iocantem cum vxore sua Rebecca*: adeo enim sinistrè omnia interpretatur, vt fortasse cynicam expositioné meditatus protulisset cum Iudaizantibus de ioco maritali, quem tamen ita, & ad lucem Solis exercuisse Patriarcham, inuerisimile est, &. commodè lusus ille iocus festiuus, qui solet intercedere inter propinquos intelligitur communiter ab interpretibus.

VIND. *Scit Grauina, subdit, nihil inter homines difficilius celari quam vitia propter immensum detrahẽdi pruritum, & excusationem delictorum*]

TVRT. Sed in hac re datur gradatio, vt alij præ alijs sint cautiores, vt delicta etiam ad Tribunalia deducta, vbi interueniente morte punirentur, iam non plectantur, & ficta & imaginata morte disparente reo, substituto cadauere alio simulachrum viui referẽte, vltrà non exigantur. *Mena menstruis fluoribus* (vt docet August.) *præsidere dicta est* à Gentilitate, hi enim iuuẽculæ maturæ viro

aptæ

Similem discursum lege in Aug. 2. de ciuit. c. 13.

In eũ locũ Matt. 10.

Hom. 25. imper. op. in Matt.

In eundem locũ Matt.

In c. 8. Ioan. lect. 1

Gen. c. 27.

Gen. c. 26.

L. 7. de ciuit. c. 2.

aptæ indicia ipsius comites ex eodem, Dea Virginensis cum matre Prema, & Deus Subigus, & Partunda. ad quid tot conueniunt (ait August.) *non vt eorum præsentia cogitata maior sit cura pudicitiæ, sed vt fœmina sexu infirmæ nouitate pauida illis cooperantibus, sine vlla difficultate virginitatis Zona soluatur, adest Subigus, vt viro subigatur, Prema, ne se commoueat, comprimatur. Parcitur humanæ verecundiæ etiam si inter coniugatos cætera peragat concupiscentia carnis & sanguinis, procurato secreto puderis, at hic adest numinum turba quando paranymphi quoque discedunt.* Sed si in illicita copula adessent tot, quot in licita nuptiali præsentes est fabulata gẽtilitas, ex tot personis non possent occultari facinori consentientes. Mena ex sua dexteritate euadere conaretur, quæ sicut initio menstruorum fuit curiosa exploratrix deflorãdæ virginitatis, sic intra generationis intimæ concauitates sanguinem præparando, maxima dexteritate latitaret, vt si cætera turba deprehenderetur, ipsa Mena etiam si quæreretur effugeret, vel absconderetur vt amplius non inueniretur.

6. lib. de ciuit. c. 9

VIND. Canina rabie inductionis Grauinianæ Vindicianus aggreditur rationem. *Reus* ait *seipsum non prodit:* distinguit Vindicianus, *id verum esse cum intra iactum teli se conspicit: cum verò extra periculum est contraria audet:* & exemplificat *de S. Ephram incarcerato multa narrante, & ab alijs carceri mancipatis similia audiente, item de illis in Prato spirituali sibi inuicem facinora confitentibus*, & vt ordinibus omnibus sæuiora vulnera imprimeret, tale profert Axioma. *Quid vel hodie vsitatius tã religiosis quam sæcularibus, quàm vt petulantias suas olim in contubernijs, inter liberalia studia commissas gloriabundè prædicent.*

TVRT. Sint tales religiosi qualis calamus Vindicianus denigrat nonnisi extremæ demẽtiæ est asserere tot millia hominum per orbẽ dispersa, in pari iniquitate consentire. Si pueri vel adolescẽtes improuidi in similes iactationes labantur, maturi certè & seniores quibus stabile iudicium grauitatẽ confert, eiusmodi gloriationes abhorrent. Si vnum cœnobium in hoc desiperet, cætera innumerabilia stulta esse non possunt: & si vna vel altera Prouincia prudentia caret, cæteras omnes habere intelligentiam recti conuenienter asseritur. Adeo ne tã perditæ mentis existimantur religiosi, vt cum sæcularibus illis æquentur qui gloriantur, cum malè fecerint, & exultãt in rebus pessimus? Grauis certè censor, & accusator Vindicianus hoc tempore quo ab hostibus fidei religionum nomen proscinditur, prodijt, id agit, etiam si non intenderet, dũ mores religiosorum pares sæcularium delictis facit, vt licentiosius statum religionis impetant Nouatores, dum audiunt eundem etiam à professoribus ex moribus tã detestabilibus posse impugnari. Et quando Vindicianus intẽtum obtineret, hoc maximum præ cæteris delictũ arguẽdum quod eo tempore potissimum id opus aggressus, quo Nouatorũ odiosa crudelitas in religiones, in professorum mores & vitia debacchatur. Non putet, ab eis propterea, ex ista incusatione, beneuolentiam capturũ, vt ad ouile Dominicũ reducat, sed potius abducat, deridebũt enim hominem vel pari morbo laborantem, se alijs medelam præparantem, reducturũ alios ab errore, ipse directione indigum, & eruditurum alios in via Dei & charitatis perfectione, cuius ne scintillã se habere monstrauit, dũ fictus professor, dilectionẽ proximi extinguere nititur, & vbi religiosorum (quã seruant) viuendi rationẽ redarguere voluit, ineptus, vanus, ridiculus apparuit, quia grauis Consultor vtilitatis alienæ, propriæ non consuluit, & alienorum defectuum reprehensor suos non respexit, & non modo quid oppugnaret, sed etiam quid loqueretur nescire ex his ratiunculis apertè monstrauit.

Ne autem conqueratur Grauinam impugnatio-

pugnationem eius effugere velle talē accipiat, eiusmodi impugnationis solutionem, videlicet reum religiosum seipsum nō prodere vt in plurimum, & frequenter, nam vel id fiet iudicialiter, vel extraiudicialiter, & hoc vel cū bonis, vel illis malis mediocribus intra septa cœnobiorum, vel extra claustra cum sæcularibus: Iudicialiter, pœnam timens malus ille religiosus Eleusyna secreta reticebit. Extraiudicialiter à bonis cauebit, ne rubore perfundatur, vel superioribus à syndicis deferatur; si malis reuelabit, illi digna tali olla opercula, nec fumus delicti exhalabit. Hypocrysis potius peccatum, quàm iactātiæ religiosi facinorosi incurrunt, vnde per Lamias & Hericios designātur, ait Greg si quidem in prima facie quod ostendunt, *quasi ex ratione sanctitatis est, sed bestiale corpus est quod sequitur, quia valde iniqua sunt, quæ sub specie boni moliuntur.* Hericij vero videntur, *quia quo initio peccator accesserat* (caput) *videtur, pedes Hericij conspiciuntur, quia quibus vestigijs nequitia sit perpetrata cognoscitur, & tamen adductus repentè excusationibus, malitiosa mens introrsus pedes colligit, quia cuncta iniquitatis suæ vestigia abscondit. Caput subtrahit, qui miris defensionibus, nec inchoasse se prauum aliquid ostendit, & quasi sphæra in manu tenentis remanet, quia is qui corripit, cuncta quæ iam cognouerat subitò amittens, inuolutum intra conscientiā peccatorem tenet, & qui totum iam deprehendēdo viderat, tergiuersatione praua defensionis illusus, totū pariter ignorat.* Vindicianus dexter hos Hericios vt se ipsos prodant cōfidit. Quod si extra claustra cum sæcularibus, inter liberalia studia commissas publicè prædicent culpas, nonnulli ijq; paucissimi, annumerātur hi cum ijs qui nō repentina concupiscentia superātur, sed qui in culpa ex consilio & electione ligantur, & cū ijs, de quibus dicitur: *peccatū suū sicut Sodoma nec absconderūt,* nā ait Greg. *præcones sui sunt, & de reatu suorū criminum etiā semetipsis iudicibus conuincuntur*: alij tamen sunt delinquentes, qui nec præteritas culpas recensent etiamsi mali sunt: *vt si esse mali non metuunt, erubescant saltem videri quod sunt: plerumque enim culpa dum absconditur effugatur, quia dum mens erubescit videri, quod tamen esse non metuit, erubescit quandoque esse quod fugit videri.* Innocentiores verò qui in liberalibus studijs prauos mores cū contubernalibus & conuictoribus, nō hauserunt, & fuerunt (vt ait Nazianzenus) *velut fluuius per mare dulcis fluens, aut animal in igne quo omnia consumūtur saliens, vt ipsi* (ait cū Basilio Athenis) *inter æqualium greges eramus*; nihil sordidi habent, quod recenseant, cum non ignobile sodalitiū intercesserit, q vel pęnitudinis, vel iactātiæ ministret argumentū.

3. mor. c. 24

Es. 3.

3. p. curæ past. c. 32.

Nazianz. orat. in funere Basil.

VIND.

Alterum membrum impedit Vindicianus dicens. *Domesticis narratoribus Grauinam fidem derogat*, & multis exemplis ex S. Gregor. & alijs desumptis, recensentibus religiosorum delicta à domesticis descripta, in crimen Grauinam adducere nititur, quasi, nedum hæc, sed vniuersam historiam Anachoretarum, & Ecclesiastica monumenta destruentē, *quia ab illis statutūt quibus Grauina assensum perhiberi prohibet.*

TVRT.

Quis vnquam somniare potest Grauinam id somniasse? Non domesticis narrationibus fidem abrogat Grauina, maximè quæ de viris sanctis scribuntur, vel si quorundam malorum domestica facta ab ijsdem suppresso nomine, nota tamen, cum nomine, ad posteritatem transmittantur, ad perfectionis, & spiritualis profectus exemplum: mille in Gregorio, & alijs recensentur. *Sororem laudans* dicebat Nazianz *domestica prædicabo, non tamen, quia domestica ideo falsa, sed quia vera, ideo laudabiliter, vera autem non modo quia iusta, verum etiam quia nota,* an idem seruasset Greg. si alterius domesticorum facta mala recensere voluisset? demus verè tunc dicturum; nec laudabiliter nec iustè dixisset: vnde ibidem

Orat. in laudem Grego.

præ-

præceptum dat, *vt laude digna laudibus efferamus, vel silentio digna, silentio transmittamus.* Cum ergo domesticis religiosi domestica religiosorum delicta pandunt, quod digna silentio foras transmittunt, vel maligni bona facta prætereuntes vel interpretantes scandala propalant, cum Dei leges, paterna instituta transgrediantur, nec religionis defectus ostententur, in hoc impij dum vulgant habendi sunt, & à causa bonitatis, & veritatis & fidelitatis cadentes, indigni sunt, vt fides adhibeatur, qui nec Deo, nec religioni, nec pudori seruarunt fidem.

VIND. Sed insto, ait argutulus Vindicianus, *aut isti falsa referunt, aut vera de prioribus, iam constat boni viri officium. cogitatio stulti peccatum est. Posteriorum repulsa difficilis est; si enim læsus vulnera sua pro testibus ostendet, si expertus animæ salutisque dispendia deponat, si opem, non vindictam. si regulæ astrictionem non libertatem postules, si indicia prudentibus, non spernenda super aliorum dissolutione exhibeat, nescio quid scrupulorum Grauinam inducere possit. Nec Visitatorum, ac Reformatorum postrema industria est, vt de statu loci, ac rerum à domesticis certiores fiant.*

TVRT Non vetat Granina, saluo tamen correctionis fraternæ ordine, quin à domesticis accepta delicta, Prælatis atque etiam Visitatoribus pandantur; eoque prætermisso, grauissima illa quæ in perniciem communitatis machinantur impij, quibus interest, denuncientur. Prohibet tamen ne sæcularibus, quæ silentio obuoluenda, pandantur, quod si pandantur, cum contra charitatem & iustitiam pandantur, parum etiam domesticis, vel nihil credendum: vt si credant talibus facinorosis quos terra non capit, se ipsos sensibus spolient, rationem abdicent, dum alienis erroribus credunt, rotionabiliter enim suspicari possunt alios in consortium sui tales detractores rapere velle, quasi solatium habituri de iniquitate, & facinore alieno. Vt quid ergo restrinxit Vindicianus Grauinæ mentem, quasi correptionem morum à Prælatis & Visitatoribus auferat? Quis negat ex iurgijs partium, veritatem ad eosdem peruenire? quis minus aptos esse discolos ad denunciandum pronunciauit? si discreto Prælato nuncientur, agnoscit Turtur locum Gregorij quem adducis, vt mali etiam Deo, hac attestatione famulentur, cuius operibus ipsi resistunt. Statum quæstionis immutasti Vindiciane, vt robusta ratiocinatione euinceres, quod nec à reis, nec extraneis, nec domesticis scandala mundo, non Prælatis euulgata, vt expositum est, tanta fœcunditate, & fęlicitate euulgētur.

Ad vulgi rumores quod erat vltimum membrum discutiendum properas, vt secundum ordinem Apologiæ tuæ verba confutem. ais ergo. *Vulgi rumores Grauina omnino explodit.* VIND.

Meritò explodit (rationibus à Tertulliano adductis) vulgi sensum Grauina, sicut enim afficitur vulgus, sic & loquitur, & secundum affectum dicentibus & narrantibus credit, addendo, vel detrahendo, vel transmutando, & quale ipsum est, tales capit maiores, & directores morum, vt habeat in illis quod reprehendat, sine delectu ex Plutarcho *alium diligunt & suspiciūt vulgares homines, alium inuisum habent, & fastidiunt quasi prægnantes mulieres,* talis eorum inconstantia, *quæ absurdis appetentijs laborant. & quæ nauseāt, lapides, salsa, atq; eiusmodi cibaria frequenter appetunt, paulo post expuunt ea & auersantur.* plura de hac re locutus sæpè S. Chrysostomus. Sed si ab his refugit erudiri, à Luciano patiatur edoceri. *Vulgus* ait, *eiusce vt plurimum est natura, vt cū res cauillatione, ac maledicentia agatur. gaudeat, præcipuè cum ea quæ absolutissima esse videntur mordicus arripiūtur: quemadmodum olim gaudebat cum Aristophanes, & Eupolis irrisionis gratia Socratem hunc in scenam introducerent, comœdiasq; absurdas quasdam de illo cōmentarentur:* TVRT. *Plut. in præcep. Polit.* *In dial. Pisc.*

rentur: ita in scenam introducere in triuijs, & compitis religiosos delectantur curiosi, eorundem lapsuum exploratores, vt scripsit August. Ep. 137.

Prosequamur verba paragraphi, vt appareat voluntatem calumniandi, artem vero dissimulandi Vindicianum nō habere. Ad hominem ergo format argumentū contra Grauinam, docentem ordinē Patrum Theatinorum ad cleri reformationē datum: illico in hanc formam struit syllogismum [*Vnde fama de cleri corruptelis prius emanauerit. Non à sapientibus, quia nouerant crimen & damna detractionis. Nouerant, Ecclesiæ dignitatem etiam in indignis ministris tuendam, minimeq́, hæreticis obloquēdi & sæuiendi ansam esse porrigendam: ergo à plebeiorum mussitandi, & criticandi licentia; rumor in infamiam accreuit, vt intelligentiores cogerentur manifesta flagitia notare, abhorrere, deplorare, & pro suppetijs, & correctione illorum ardenter suspirare. His denique superuenerunt cordati viri, & optatam in Clero reformationem aggressi sunt.*

VIND.

TVRT. At longe dissimile est, quod affers Vindiciane, & quæ longo verborum circuitu adducta inter se ita cohærere putabas, vt nec vno puncto distarent, quæ longissimo sunt interuallo discreta. Hæc est differētia inter religiosos ait S. Doct. quod, *in statu religionis est maior difficultas (bene viuēdi) ex arduitate operū, sed in his qui in sæculo viuunt qualitercumque, est maior difficultas ex impedimentis virtutis, quæ religiosi per omnia vitauerunt*: inde faciliusClerici in peccata labi possunt cum degant in medio Babylonis, & ne dū sapientes, sed & domestici famuli, & ancillæ, vicini & cognati, eorundem vestigia obseruant, vt quæ delicta quamuis secreta committant, mox palam fiant in vicinia & vrbe: propterea Hieronym. clericum admonebat, quæ suspicionē aggenerare poterant, præcidere conaretur, præsertim suspecta fœminarum consortia deuitando. *Te cuncti in publico, te in agro rustici, aratores,*

2.2.q.184. 8. in c. & resp. ad vltimum.

Ad Occan. p. 8.

& vinitores quotidie lacerabunt, si contra dispositum fidei cū fœminis habitare contendis: ne solus cum ijsdē colloquatur monet: *ne rumigeruli linguis te lacerantibus maculent, alienam enim cupiunt vicini discurrere vitam, non suam.* Inde si labantur facilius, quā lapsus religiosorum innotescunt. Et sicut facilius Sarabaitarum crimina innotescere poterant, quam Cœnobitarum & Anachoretarum, nam hi in vrbibus nulli adstricti magistratui viuebant, ita cum facilior possit esse lapsus clericorum quam religiosorum, facilius delicti fama potest euulgari.

Et vt monstret Vindicianus quantum in scholis profecerit, qui συγγραφεὺς &, γράμματος procacitatem disertitudinem *& maledicere omnibus bonæ conscientiæ signum arbitratur*; adhuc inculcat publicationem criminum, non ex sapientum sensu, sed ex maiori, vel minori notitia vulgi metiendam. Ex Hiero. ad Ruf.

Vulgi enim ait sensus, & sermo ex rumore facit famam, rumor autem à familiaribus prodit, quum in præsentia delinquitur; ita enim comparati sunt, vt cognita silentio inuoluere nesciant, & subdit. *Quotus quisque autem regulariū consuetudine gaudet, qui ioco, vel scandalo vel vindicta, vel sui purgandi libidine incitatus, quicquid oculis vel auribus vsurpauit, non inter suos familiares liberalissimè effundat? hi rursus in alios disseminent, itaque in publicum arcana quæq́, claustralium emanent. Tantum eorum insipientia proficit, qui à familiarium oculis, quæ nocere possunt, non remouent, & adhuc quæritur cum Moyse: quomodo palam factum verbum istud?* VIND.

Vere quæ dicebat Hieronym. Ruffino tibi adaptari possunt Vindiciane. *apertè accusaberis; vt qui laudantem respuis, sentias criminantem*: laudauit sacros ordines, & excusauit Grauina ex omnibus religionibus lapsos & laxos; excusationem criminaris, arguis meritò à Grauina arguendus, si non fortius te accusares, quam tu ipse qui hæc ab omnibus arguenda describis. Sic putas oculos nostros perstringere, quasi omnes TVRT.

re-

regulares tui inuidos putes, & aduersum medicum medicamenta afferentem recalcitrent. Non possunt fulmen eloquentis dicacitatis tuæ amplius ferre, vnde certatim omnes te opprimere necesse esset, ne si semel in tali dicendi genere Philippicum obtinueris principatum & in reprehensionis arce steteris, cunctis nobis, nec pro veri defensione aliquid mutire liceat.

Ad famæ originem iterum regrederis, & vbi de populi & vulgi sensu sermonem fecisti, ad cordatos, & sapientes transis dicens. *Ad certiorem veritatis indaginem, fama augescente impellantur. Sic deprehēdit Apostolus dissensiones Corinthiorum; ex parte credo, ex plurium, scilicet relatione, & conditione eorum in quibus nondum imago Christi plenè effloruit.* VIND.

TVRT. Sed hæc licet vera sint, superuacanea sunt, neq; negamus ex fama diligenti examinatione discussa à viris sapientibus veritatem indagari, plena sunt archiua omniū tribunalium, actis reorum, qui è rumore, & fama indiciati, legitimis postea probationibus conuicti, detecti, mulctati. Sed passim velle vulgo aures præbere de religiosis obloquenti, leuitas est non vulgaris, cum intelligere debeant, quam mendaces sæpissimè deprehendantur populares clamores, qui in bonos quoque ac perfectos effunduntur, & plerumque non de bonorum numero tales famigeruli existunt: sed de illorum consortio, vt in simili cum Lactantio discurram, *qui vias obsident armati, maria prædentur, vel si palam grassari non liceat, venena clam temperent, qui vxores necent, vt dotes earum lucrentur, aut maritos, vt adulteris nubant, qui natos ex se pueros aut strangulent, aut si nimium pij fuerint, exponant, qui libidines incœstas nec à filia, nec à sorore, nec à matre, nec à sacerdote contineant, qui aduersus ciues suos, patriamq; coniurent, qui neque equuleum timeāt, qui denique sacrilegia committant, templa expolient, & vt quæ leuia sunt, atque insitata dicamus, qui hæreditates captent, testamenta supponant, iustos hæredes vel auferant vel excludant: qui corpora sua libidinibus prostituant, qui denique immemores quod nati sunt, cum fœminis patientia certent, & infandam corporis sui partem contra fas omne polluant & profanent, & quod deterius est, si qui sunt principari cupientes, nec vita sua parcāt, & extinguendas publicè animas vendant, & si ad sedendum & iustitiam administrandam assumuntur, aut immeritos perdant mercede corrupti, aut noxios impunè dimittant, qui cœlum quoque ipsum veneficijs appetant tanquam eorum malitiam terra non capiat.* His ne credet Vindicianus delatoribus, criminatoribus? non esset hoc aliud nisi detractionis ignem accensum, credulitate tanquam oleo pascere, & vulgarem authoritatem eleuando, efficere, vt accensa pyra in maiorem flammam assurgat. Lib. 5. c. 9.

VIND. Hanc rationem quasi præoccupare Vindicianus visus est, dum non quorumcumque, sed proborum virorum delationes attendendas pronunciat dicens, *Anima viri sancti,* ait Ecclesiasticus *enunciat aliquando vera, quam septem circumspectores sedētes in excelsum ad speculandum,* subdens. *Quis hoc loco nomine sancti veniat, Grauiori considerationi relinquo. Certè solos sapientes inde nō excludet quia veritas aquè in simplicium pectoribus hospitatur.* Ecclesiast. c. 37.

TVRT. Attendātur eiusmodi delationes ad correctiones ordinatæ, non ad confusiones proximorum machinatæ, & cum prudētia, nec omnibus fides accommodanda, nam aliquando (decipi enim & ipsi possunt) dixit Ecclesiasticus *anima viri sancti enūciat aliquando vera* [metaphora est deducta à speculatoribus, multoties enim contingere potest quod quis simplex enunciet imminentes hostes, quos prospicere non potuerunt ij qui sapientes, & ex officio positi sunt ad speculandum. Si mysticè dicterpetremur prouida sanctorum hoc est iustorum discretio denotatur, nam ex Greg. *sanctorum prouida discretio dum sollicitè circumquaq; conspicit in altum posita, priusquā veniat* 3 mor. c. 39

culpa, deprehendit, eamque quo vigilantius prænotat, eo fortius declinat. Hinc Abacuc ait: super custodiam meam stabo &c prouidet, ait idem, primo; *ne mala qualibet, secundo ne bona incautè faciat, & recta facta sibi subiiciat ne erumpat in elationis vitium.* Quia vero per incuriam mala nascuntur, putat Grauina, consulto appositam illam particulam [aliquando.] Talis ergo anima ad speculationem huiusmodi habilior, est ex prudentia infusa, quã decem sapientes eadem vitia, ne irrepant, speculantes. Sed sciat Vindicianus, quod sicuti sunt speculatores boni, siue practici, siue speculatiui, sibi & suæ saluti intendentes, sic & praui speculatores & practicè, & speculatiuè, & sicut iusti in Sion speculantur, ita impij in campo Senaar, turrim Babylonicam construentes, speculantur, *in terra Senaar* (ait Gregorius) *habitant, qui positi non in celsitudine virtutum, sed in planitie vitiorum, & detractionum morsibus proximos lacerant, & in ociosa vita volutabro iacentes, infamiæ suæ circumquaq; fœtorem extrahant. Quorum dentes tũc omnipotens excutit, cum illorum facta simul, & verba confundit. Vnde per Prophetam scriptum est, dentes peccatorum contriuisti:* ijdem vt fabricentur turrim, tanquam speculam ad censurandos defectus, *de lateribus ciuitatem ædificãt, quia qui terrenis dediti sunt, voluptatibus carnis inseruiunt, de fragili materia mentis mutationem attollunt. Cæterum qui contempta terrenarum opum cupiditate, & carnalis vitæ abdicatis illecebris, per opera sanctitatis, virtutum in seipsis sanctificationem accumulant, hi profecto lateres in lapides mutant, & neque in arena mundanæ confidentiæ spiritualem structuram erigũt, sed in petra fidei, quæ Christus est, atria nulli excidio obnoxia ad similitudinem Euangelicæ illius parabolæ constituunt, tales nimirum rectè cũ Esaia possunt dicere: lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus ædificabimus.* Vindiciani considerationi relinquitur vt ænigma dissoluat.

In ps. 7. pœnitentialem.

Psal. 7.

Esaia c. 9.

Quantò igitur præstasset, Vindiciane, humiliter fateri nulla exceptione, scandala quoscunque cœtus inuadere, & scandalorum authores nullo modo communitatẽ lædere, sed solos seipsos, quam superba exceptione excludere quos volueris; vt ea discretione, in alios debacchandi ordines licentia præberetur. Nullus est, Vindiciane viuens, qui non peccet, & in aliquo reprehensibilis non sit. Facilius verò persequi, quam assequi, conuiciari, quam imitari, impugnare, quàm seipsum emendare: *longe procliuius est* (dicebat Dio) *alios reprehendere, quam sibi ipsi moderari*, facillimeque fit, vt qualium rerum causa alios homines pœna dignos iudicant, has ipsi easdem admittãt, vt argumento non sit propter quas alios accusant, has ipsas adesse, inde Martialis perbellè in consimiles censores scripsit.

Dio lib. 6. Hist.

Ista tamen mala sunt, quasi nos manifesta negemus.
Hæc mala sunt, sed tu non meliora facis.

CAPITIS OCTAVI
ANIMADVERSIO.

Vbi dicacitas Vindiciana deprimitur imponendo Turturi, fatalem necessitatem esse ab eo introductam, vt quisquis Regularium ad disciplinæ remissionem adactus, excusationem deformationis prætexat.

SVMMA CAP.

Ex excusatione obiectorum scandalorum Regularium, nullo modo fatalis deficiendi necessitas introducta à Turture (immerito de Caluinismo insimulato) cum ex naturæ lapsæ infirmitate, tentationibus, alijsque circumstantijs (quæ necessitas ex suppositione est, non absoluta) proueniant, vt & in toto Ecclesiæ vastissimo corpore necesse sit, vt scandala eueniant, vbi & scandalosi cum rectis admiscentur. Quæ permixtio humilitatem custodit stantium. Nec ex eadem excusatione fouetur negligentium socordia, vbi de humanæ vitæ inconstantia, & varijs deficiendi casibus, & causis admonemur.

VEndibili vino hedera suspensa vel laurus nihil opus est, vel circulus, sed officit quandoque, dicente Lyrico, TVRT.

In arte Poet. *Multa fidem promissa leuant, vbi plenius aequo*
Laudat venales, qui vult extrudere merces.
Adeò tuas, & tuorum (vt fingis) clientum merces eleuasti, vt ad solas apothecas spirituales eorum adeundas inuitares, vt ex nimia earum laudatione, & aliorum officinae depressione, omnem tibi fidem adimeres. Vinum aqua mixtum esse in religionibus omnibus probare conatus es, tuorum verò quos fingis clietum merum, & meracissimum; & vsque ad raucedinem conclamas, vt transeuntes viam ad eos solum diuerterent, nunc iterum arterias inflas, & clamas adhuc ad tuum intentum finē maledicendi, & deprimendi alios dicēs.

VIND. *Ludens, an serius Grauina laxis regularibus gratissimam operam praestitit, quando columbae lacrymas nescio qua veterascēdi in ordinibus necessitate sistere & cōprimere nititur, si enim annorum progressu velut caetera in humanis communi languescendi illuuie senescere, atque deficere debent, promptam habebunt tepidi quique, & dudum laboribus fessi excusationē, quod amplius aestū & pondus diei sustinere nequeant. Quorsum ergo ordinum reformationes? Quorsum SS. DD. seueritas, qui vnanimiter statuunt in via perfectionis nunquam subsistēdum esse, nunquā retrospiciendum, nunquam momento tenus voluntatē proficiendi abijciendam?* & cautiorem Grauina dicit Riberam [*Quare cautior? Ribera negat ordinibus regularium emitti, quod in Ecclesia Dei necessarium est, in sagenam bonos & malos congregent, quia regulares, inquit ceù lumen, & stella in caelo fulgere debēt, & concludis. Sed Grauinam in hoc errore supra modum foecūdum audiamus:* haec Vindicianus]

TVRT. Seriò, non ludicrè Turtur locutus est, quia sincerè, & orthodoxe, non regularibus peccandi habenas laxans, naturae lapsae conditionem intuendam exhibuit, vt deficientes à regulari disciplina, confugerent pro socordia superāda, ad gratiam Redemptoris, stantes aliorum malo edocti feruentiores fierent, & cautiores. Vindicianus ludere videtur, dū imponit ex Grauiniana doctrina columbae lacrymas sisti, religiosos tepidos promptā accepturos excusationem, quod iam veterascentes, & tepidi ex annorum progressu (vt fit in caeteris rebus humanis) amplius religionis aestum, & pondus sustinere nequeant. Nec in via perfectionis sistendū, & ad perfectionem tendere debēt, nam & si imperfecti aliqui accipient excusationes pro peccatorum defensione, non deerunt qui miserijs obruti ad liberatorē exclamēt: *De necessitatibus meis erue me Domine.* Ps. 24. Certè ludere videtur Vindicianus, dū ex doctrina clara. & probata alios censet aedificari in ruinam: & censura erroris serio agentem ferit tanquam luderet. At dicente Salomone: Prou. 26. *sicut noxius est, qui mittit sagittas, & lanceas in mortem, ita vir qui fraudulenter nocet amico suo, & cum fuerit deprehensus dicit: ludens feci.* multo magis ludit dum imponit Grauinae dixisse [in religionem admittendos bonos, & malos] nunquam enim dixit, sed in religione malos esse permixtos bonis.

Videmus ergo Vindiciani ludum, dum eludere Grauiniana argumenta laborat, & eludendo ferire, quem foecundum in errore probādo mentitur centimanus Gigas.

§. I.

Argumenti Turturis à Vindiciana censura roboratio, ex huius vitae defectibilitate, & humana conditione.

PRimum argumentum assertionis defectuum in religionibus desumptum est à Grauina, ex praesentis vitae conditione, cuius non est omni vitio, & nigredine carere, vt Turtur ex scripturis ostendit. 1. p. c. 13.

VIND. Quid Vindicianus? *immemorem Grauinam fuisse illius sententiae* (ait) *subter te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius, dominatur autem quis peccato, si nō defendendo, ait, August. proposuerit, sed poenitendo subiecerit. Absit ergo* ait Vindicianus *vt ex fonte corruptionis nostrae sequatur deficiendi necessitas.*

TVRT. Amplectitur Turtur quam obijcis necessitatis vocem (ob duas species te in ambiguitate turbantem) sed adhibita distinctione, in necessitatem absolutã & ex suppositione; illam liberum arbitrium destruentem, istam infirmitatem demonstrantẽ: facilè huius Sepiæ vestigia deprehendentur; & sicut illa quamuis traductionem sui sentiens, atramẽtum spargens, atramẽto se abscondere existimat, tandem ex eodẽ vestigio in piscatoris manus incurrit. Sic dum Vindicianus has tenebras æquiuocationis spargit, iactando & asseuerando, quę communiter receptam Theologorum doctrinam obfuscãt, nil proficit tamen, nam per easdem caligines sequi possumus nequitiã, & in lucem extrahere ingenia tenebricosa. Dicat Vindicianus, cum catholicè asseritur à Theologis viribus naturæ impossibilitas, inquam naturæ lapsæ, circa omniũ præceptorum obseruationem, in nouum incidendi peccatum, existenti in peccato, euasionis, si non pœniteat, & huiusmodi, si diuino nõ muniatur gratię dono; an ex hac assertione liberum negatur arbitrium, & peccandi necessitas introducitur? edisicat è Theologis, solam necessitatem absolutã & simpliciter, vim inferre voluntati, & volũtarium tollere: at vero quando ex suppositione asseritur necessitas, quæ potius infallibilitas dici deberet, tunc non tollitur liberum arbitriũ, sed sic se habet, ac si nulla esset facta suppositio. Quare sicuti existens in peccato lethali diu nõ permanebit quin labatur, cum hæc necessitas sit ex suppositione, non tollens, nec libertatem nec cognitionem, quo minus sequens culpa non imputetur ad peccatum; ita stante defectibilitate naturæ in communitate humana, necessitas deficiendi quæ absoluta non est, & simpliciter, sed ex suppositione libertatem non tollet, nec faciet desidiosos cæteros, si multi deficiant. Non de principio naturæ, sed moris etiam dictum est; *non potest arbor mala bonos fructus facere*, & verum est ex suppositione, & necessarium quod scripsit Aug. *quandiù quisque malus est, non potest facere fructus bonos. sicut enim* ait *nõ potest fieri, vt quod fuit nix, non sit, non autem vt nix sit calida, sic non potest fieri vt qui malus fuit non sit malus*: ex suppositione. Ita in nostro proposito dicẽdum est: existente natura lapsæ conditione, in humana communitate defectus oboriri necesse est. Hoc disertissimis verbis Granata loco à te superius male citato descripsit, vbi cum in excessu florentissimum religionum statum descripsisset, veniens ad nostra tempora Vindicianis argutijs impetita: ait. *Quod modo non sit tanta sanctitas qualis fuit à principio, humanarum est rerum conditio, quæ nunquam in eodem statu permanent*: & infra: *vitijs & peccato carere, prærogatiua est vitæ æternæ, in hac autem vita vbi carne & sanguine circumdatur, coagulati, & concepti in peccato, quamuis multi sint gratiæ dono, prædíti bonitate, tamen ratione naturæ corruptæ non deerunt mali, qui nec in cælo, nec in paradiso, nec in Christi schola defuerunt*, nisi quod absit, Vindicianus dicere vellet *solos remansisse Rogatistas, qui catholicos rectè appellari (dicebant) posse ex obseruatione omnium præceptorum diuinorum & sacramentorum, eosque esse solos in quibus inueniet fidem cũ venerit filius hominis*, quod est totius tragœdiæ argumentũ: *quod si vellent ampliare vel extendere* (vt dicebat August.) *Date veniã non credimus*, cum nec Angelo *dicenti prater id quod euangelizatum est, aures accommodare debeamus, sed anathematizare*. Audiamus ad hoc propositum verba Eliphaz.

Serm. Domini in monte c. 36

4. p. symb. tract. 1.

S. August. epist. 38

Ecce qui seruiunt ei non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit prauitatem, quantò magis qui terrenum habitant fundamentum, velut à tinea consumentur, de mane vsque ad vesperam succidentur: sicut enim vestimentum ait S. Doct. *consumitur à tinea, quæ ex eo nascitur, ita iustitia hominis consumitur ex ijs, quæ in homine sunt, sicut est corruptio fomitis, malæ cogitationes:*

Iob 4.

In eũ locũ.

alio

alio modo exteriori tentatione, quod videtur in hoc dici: de mane vsque ad vesperam succidentur. sed considerandum est quod interior non subito hominem prosternit, sed paulatim, dum per negligentiam aliquis in se ipso peccati initia reprimere non curat, secundum illud Eccles. qui minima negligit paulatim deficit. Sic etiam vestimentum quod non excutitur à tinea consumitur. Eccl. c. 19. *Exterior autem tentatio hominem plerumque prosternit, sicut Dauid ad aspectum mulieris in adulterium prorupit, multi in tormentis fidem negauerunt.* Vides ergo stante conditione naturæ lapsæ & terreni nostri fundamenti, culpas oriri necesse esse in tota ista collectione, & si nequaquam ista necessitas omnimoda, & absoluta (ne peccati ratio tollatur) asserenda sit, arcum diabolo suggerente, & homine consentiente peccatũ concipitur, ex suppositione necessitas est. Vnde vtrumque expressum est à Saluatore. *Necesse est enim vt veniant scandala. verumtamen va homini illi per quem scandalum venit.* Matt. 18. Non est hic, ait S. Thom. *absoluta necessitas, vt quidam haretici crediderunt, sed est necessitas ex Origene, qua prasupponit malitiam damonum, & infirmitatem hominum, vnde necesse quod veniant scandala, quia necesse est quod diabolus homines decipiat, & homo ei obediat, & ita ex suppositione malitia diaboli, & infirmitatis* (cõsentientium) *accidit hac necessitas.* Sed ne videatur (ait S. Thom.) colligi hinc immunitas à peccato cum ita necesse sit euenire. mox subdit. *Non dico quod hoc sit necessitate absoluta, quia va homini illi per quem scandalum venit, potest enim vnusquisque peccatum vitare &c.*

Greg. 5. mor. c. 3. S. Thomæ doctrinæ adstipulatur Greg. *si illi spiritus ex se esse incommutabiles nequeunt, qui nulla carnis infirmitate deprimuntur, qua temeritate se homines in bono permanere constanter existimant, quos in eo quod intellectus ad summa euehit, carnalis infirmitas aggrauans prapedit, vt corruptionis vitium in semetipsis habeant, vnde ab intima nouitate veterascant? &* ad cœtum sacrum descendens ait. *Possunt quoque per Angelos Sancti DD. intelligi, sicut per Prophetam dicitur: Labia sacerdotis custodiunt scientiã, & legem requirunt ex ore eius &c. qui quantalibet virtute fulgeant, esse omnino sine culpa nequeunt, cum iter præsentis illecebrosum vita gradiuntur, quia eorum nimirum gressus tangitur, aut luto illiciti operis, aut puluere cogitationis.* Si doctrina ista non in Grauinæ domo nata, sed à Patrib. tradita est, venerare Vindiciane. Si ijdem Patres sapientes tibi videntur, imitare, si stulti contemne, irride, si potes, nam ridendo, hæc stultitia nobis prodest irrisa, vt te temerarium ostendas, & à causa cadentem.

TVRT. Adiungis & prosequeris. *Inter hominis corruptionem, & subsequentem defectionem mediare illud: condelector legi Dei secundum interiorem hominem, video aliam legem in membris meis &c. hic enim malignus sensus legi mentis aduersatur ex corruptelis primaui excessus, vitiosa complexionis &c. nunquam tamen ope cælestis gratia facultas vincendi deest, modo homo, & pracipue religiosus discussa ignauia constanter certet,* 1. de nupt. & concup. c. 30. At dixit. Aug. hæc resistentia, & victoria *de magna nobis venit gratia Dei*, non puro humano conatu, industria, complexione bona &c. per quam fit, vt si membrorum lex mentem hominis captiuare Cap. 31. conetur aduersus eam acriter dimicando (imo vt dicit idem August.) si captiuum teneat aliquid carnis, vnde resistat legi mentis (*vt solent plerumque hostes aduersus quos dimicatur, inferiores esse in certamine, & victi aliquid tenere captiuum*) *non tamen regnat in nostro mortali corpore si non obediatur desiderijs eius.*

Sed vellem Vindiciane, vt illud ten peretes dictum *nunquam tamen ope cælestis gratia facultas vincendi deest, modo homo ac præcipue religiosus discussa ignauia constanter certet*, nam simile dictum Cassi in temperati, S. Prosper postulauit; dicere enim Prosp. lib. con. collat. Cassiano quod B. Iob *non in totum gratia*

Dei illi defuisse credenda sit, quæ tantam tentatori tribuit potestatem, quantam, & illum resistendi nouerat habere virtutem, & quod sic eum protegebat vt humanæ virtuti relinqueret locum; sic S. Prosper eum impetit. *Rectius veraciusque loquereris, si vbi dixisti, quantam, & illum resistendi nouerat habere virtutem, diceres potius, quantam & illi resistendi nouerat se dedisse virtutem: vnius enim verbi correctio totam istam gloriam, quam humanis viribus assignare voluisti, sobrietate aliqua temperasses, vt illa mirabilis in tanta afflictione patientia, & Dei adiutorio & libero hominis adscriberetur arbitrio, sed veritus es naturæ humanæ minuere laudem si et profitereris à Deo datam esse virtutem. itaque conflictus illius atque victoria non vis credi Deum cooperatorem fuisse, sed tantummodo spectatorem, vt cui persuadere poteris, per naturalem liberi arbitrij facultatem tam arduum certamen euictum, dubitare non audeat in leuioribus causis, multò liberiores esse bonæ voluntatis affectus*, quod ad scholas Pelagianorum relegandum subdit acerrimus gratiæ propugnator. An non ferè idem tua verba sonant? *Nunquam tamen ope cœlestis gratiæ facultas vincendi deest, modo homo ac præcipuè religiosus discussa ignauia constanter certet?* si id sic temperasses [nunquam tamen ope cœlestis gratiæ facultas vincendi deest, modo homo ac præcipuè religiosus eodem fultus adiutorio, discussa ignauia constanter certet] sed dum hæc duo diuidis, vt facultatem vincendi, Deo tribuas, certandi constantiam homini soletti, & præcipuè religioso, assigans, victoriam Deo, certaminis constantiam homini reserues, & hominem athletam inuictè certantem facis, & Deum solum certaminis spectatorem, cum ne dum victoria, sed & bonum certamen, non solis nobis sed & Deo tribuendum sacra nos astringant eloquia, cum scriptum sit, *& certamen forte dedit illi vt vinceret.* (Sap. c. 10.) Nolo te insultatorẽ gratiæ sub laude naturæ, nec religiosorum omnium adeo depressorem, vt qui ab eorum calamitate se expertes putant, talem sortiti sint adulatorem, vt in certamine non recurrant ad Redemptorem.

VIND. Victus ex supra dictis allegatis doctrinis, dicit illam necessitatem admittendam, *ob quam se liberandum postulauit Apostolus, & se liberandum à mortis huius corpore postulabat, quam eam alia occasione columba deplorauit,* sed ex ista, ait, *non prouenit altera necessitas asserta à Grauina, vt regulares deficiant, hac enim ex pura puta negligentia* (ait) *existit eorum, qui cum indomitis cupiditatibus pugnare, easque coërcere, ac sanæ rationi sanctissimisque ordinum suorum scitis, ac decretis ad mensuram diuinæ vocationis subijcere detrectant. qui maius accipient cum Scribis & Pharisæis iudicium, ad paleas & næuos Grauinæ remittendi, quorum magnus, ait, est numerus, cum negligentia irrepserit. & hanc posteriorem necessitatem Augustinus expressit, dum scripsit, ex voluntate peruersa fit libido, & dum seruitur libidini fit consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, fit necessitas. Apage ad Caluini scholas cum ista necessitatis larua. Climaci pastor oues otio luxuque diffluentes verborum conuitio euerberari iubet S. Bernardus ait, tales mereri vt etiam quod videntur habere, ab eis auferatur.*

TVRT. Sed mi Vindiciane, negligentia, indomitæ cupiditates ex vulneribus inflictis originem habent, & sunt illius infausta soboles: illa vulnera quidem ad necessitatem quandam pertinent naturalem, non quidem ex principijs naturæ, sed quia ex vi originis, vt dicit Augustinus hoc generi inflictum vulnus est de diabolo, id est, originale peccatum: quicquid vero per illud nascitur, cogitur esse sub diabolo, tanquam à suo frutice fructum iure decerpat, propter quod subdit, *damnabile vitium quo vitiata est natura humana damnatur*, (Loc. cit. cap. 23.) consequenter ignorantia, malitia, fomes eiusdem peccati radices sunt, ad peccatum allicientes, & inclinantes, quibus ex Dei munere

nere

nere resistere possumus, vt cum dicatur *Non concupisces, medicinam gratiæ quæreremus, & in eo præcepto sciremus, & quo debeamus in hac mortalitate proficiendo conari, & quo possit à nobis in illa immortalitate beatissima perueniri*, vt ad gratiæ adiutorium non confugientibus etiam hæc culpa sit quod non petierint id quo culpas superare possent, & habentibus ad meritum imputetur, quod non exhibuerint membra eius arma iniquitatis peccato, quæ victoria illis in ruinam cedit, qui nolunt propriam iniquitatem agnoscere, se ipsos ab alijs discernentes. Hoc si aduertisses, in vniuersis communitatibus, à tritico paleas non distingueres, & alias non tibi reseruares areas, vbi solum frumenta colligeres, cum vbique permixta grana cum paleis cõiuncta sint, ventilabro diuini iudicij discernenda, nec seorsim area purissima constitui potest, cum nec *massa media* à Pelagianis introduci potuit sine fidei Catholicæ eieratione, vt dicit Augustinus, quæ tollerabilior videri posset, nec malos nec bonos continens, quàm ista area quæ solos bonos continere fingeretur. Vadat autem ad Caluini scholas qui necessitatem si talem induci arguebat, necessitate suppositionis positatimo & Pelagianis tradat se imbuendum, qui eandem dicebant introduci (ex Prosp. ad August.) Dei prædestinatione supposita, & si socordes religiosi necessitati laruam prætexentes vapulare debent Climaca ferula, durius plectendi militantibus contra orthodoxiam chalybem ministrantes, & si à negligentibus quod videntur habere eis auferendum, propter defensionem puræ doctrinæ ab alijs commilitonibus admixtis cum negligentibus, nihil de cœnobijs auferendum vt ad alios eorundem redditus transferantur.

Et c. 29.

Ep. 106.

Ep. ad Aug. to. 7.

§. II.

Argumenti vindicatio ab argutula Vindiciana oppositione, vbi scandalorum necessitas, quæ etiam à Christo Domino prædicta est, non absolutè, sed vt conditionalis & ex hypothesi accipienda est.

VIND. AD secundum argumentum Grauinæ elidendum se accingẽs Vindicianus, quod erat: non *oportere scandala mirari, quia futura prædicta sunt, necesse est vt veniant scandala, & ex veteris hominis corruptione ijsdem materia subministratur*, impetit illud primo, *Grauinam Domini sensum malè percepisse Magistro suo eum redarguente, dicente necessitatem scandalorum ex hypothesi quadam abusus humanæ libertatis à Domino asseri ad eum modum sicut medicus cum videt aliquos dietam non custodire pronunciat necesse tales infirmari: similiter necesse est euenire scandala, si malam homines conuersationem non mutent, & cum sanis sapere nolunt. sic nouerit Grauina in ordinibus ex illorum duntaxat nequitia gigni, qui ingenium & mores maiorum actionibus accommodare nolunt.*

2. 2. q. 43. a. 2.

TVRT. Si tales semper futuri essent pueri, iracundi, in parentes iniurij etiam dum mammillas sugunt, non tanquam faceti, sed vt immorigeri, & stulti haberentur, sed vt dicebat August. *dum spes est incrementorum, & ingenij lumen accessurum, creditur ætatis accessu, fit vt conuicia paruulorum etiam in parentes non solum iniuriosa non sint, verum etiam grata & iocunda sint.* Cum ergo talis sis Vindiciane in tuis scommatibus, in te sicut in recenter natis, profundissima stultitia cernitur, cum aliquali spe, vt non ex permansura ista fatuitate, tandem peruenturus sis ad scientiam veritatis, vnde & ridendus potius quã confutandus. Necessitatem scandalorũ dicit S. Doctor ex hypothesi abusus humanæ libertatis. Discipulus eius Gra[...] eandẽ hypothesim fatetur ex pro[...]

Lib. de pecc. meri. & remiss. c. 35.

eorundem, & ex subministratione materiæ ob corruptionē veteris hominis. Nonne hæc synonyma? vtrumque horum respuatur, si alterutra sententia corrigatur. Dum autem Grauina dixit, materiam subministrari ab homine, satis nequitiam subministrantium expressit, qui prauis hominibus, non maiorum sanctionibus se accommodare nolunt.

VIND. Carpis deinde Grauinam dicentē, *quod ad probationem scandala eueniant, & piorum exercitationem*, & dicis, *Prosunt quidem, qua Dei admiranda potentia est, ex malis optima elicientis &c. Sed id neque, ait, ex scandali natura, neque intentione operantis prouenit, ideoque Dominus perinde authorem scandali atque illū, qui se infici sinit, graui censura ferit. vnde nec scandalosi excusari videntur, nec qui scandalum patiuntur, quasi coacti non libera electione agentes, nam, væ homini illi per quem scandalum venit, & væ mundo à scandalis pronunciatur à Domino, interprete Chrysostomo, vt dolore suo ipsos incitaret, & diligentiores, & vigilantiores redderet, & sponte peccare demonstraret.* Vanè etiam hunc elenchum commisisse Grauinam effuris, nempè *ab effectu ad causam*, *nimirum: effectus scandali in religione bonus esse potest, ergo & scandalum.*

TVRT. Sed vltrix furoris cæcitas, oculorum persequentis ita lumen obnubilauit, vt cū S. Thomæ authoritatem allegarit, omiserit, ea quibus à S. Doctore (si dedignabatur à discipulo) poterat erudiri. Legamus totam S. Thomæ periodum. *Ad secundam rationem hoc quod dicitur necesse est vt veniant scandala, non est intelligendu n de necessitate absoluta, sed de necessitate conditionali, quæ scilicet necesse est præscita, vel pranunciata euenire. si tamen coniunctim accipiatur, vt lib. 1. ostensum est. Vel necesse est euenire scandala necessitate finis, quia vtilia sunt ad hoc, vt qui probati sint manifesti fiant, vel necesse est euenire scandala* [...]*dum conditionem hominum, qui sibi à pec*[...]*on cauent*, afferens exemplum citatum de medico. *& similiter necesse est euenire scandala si homines conuersationem malam non mutent.*

[margin: *a. 1. loc. cit. ad ..*]

Non dissimiliter Grauina processit, cū scandalorum necessitatem ex conditione hominum & in lapsa natura non absolutā sed conditionalem asseruisset in primo argumento, & partim in secundo argumento; eandem in alia parte secundi argumenti scandalorum necessitatem adstruit ex necessitate finis, ad *probationem, & piorum exercitationem, & vt frumentum Dominicum solida charitate ponderosum, à leuissimis paleis adueniente ventilatione dignoscatur.* Nec fuit argumentatio ab effectu ad causam, sed ex fine necessitatem euentus demonstrare, vt hæc sit argumentatio [conducit ad finem scandalum, nempe aliorum probationem, vt à diuina prouidentia permittatur & hominum malitia vtatur, ergo bona permissio. Nunquam tamen sic arguit Grauina, vt falso illi imponitur: effectus scandali bonus esse potest, ergo & scandalum, sed: ex scandalis multa bona elici possunt, necesse ergo est vt permittantur. Nūquam scandalū bonū est, quia de volūtate deficiente est; eiusdē autē permissio à diuina voluntate est illa permittēdo, & ad altiorem finē ordinando. Et quia ex voluntate scandalum committitur, committentis culpatur intentio in aliorum tendens ruinam, quia effectus (præter committentis intentionem) bonus à permittente Deo elicitur, eius omnipotentia commendatur, aliorum intendens & procurans sanitatem. Sed si Tertullianum libro de Præscriptionibus primis capitibus legisses Vindiciane, aduertisses quicquid in suo discursu Grauina habet, ex Tertullianicis ne dum sensibus, sed ijsdem penè verbis hausisse, hoc solo mutato, quod vbi Tertullianus de necessitate hæresum cōditionali in specie locutus est Grauina, generalius de omnibus scandalis, ne dum S. Thom. sed & vetusto

[margin: *Lib. de præscrip. c. 2. & 3.*]

vetusto

veri sto i li authori, in hac parte orthodoxè oqu enti, subscribens.

Nec ista conditionalis necessitas adducta, ad excusandas excusationes in peccati, sed ad pusillorum mentes sedandas, qui ex scandalosis personis, personarum statum traducunt; cum non religionem ex personis, sed personas ex religione metiri debeamus: & cognito fine etiam à murmuratione Dei, scandala permittentis ob cognitos sibi fines, tandem desistant. Quare merito subdidit Grauina (quod immeritò laceras) *inuigilandum ne possint scandala, quod solent, & vt muscipulæ à pedibus insipientium auferantur.*

Oportebat verò ad noui Æsculapij aduentum, noua pharmaca adducentis in eburneo Panario Grauinā assurgere, quando Vindiciano remouendorum scandalorum Grauiniana non sunt probata remedia; dum dicit: *neque Grauinam iuuant excogitata remedia. Primo vt alij obsistant. Secundo vt ab innocentium oculis remoueantur, quasi hæc remedia spinæ sint, non consilia. si enim* (inquit) *causa est necessaria, effectus erit necessarius, & Præsides retibus illaqueari hinc scandalorum necessitati cedere, dum imperat Grauina, hinc noxiis effectibus occurrere.* Propter quod exclamat. *Quanto salubrius, sic scandalorum fontes obturari &c. sin cum pertinacia luctandum sit, nosti ex S. Pauli viridario Alexipharmacum: Increpa eos durè &c.* — VIND.

TVRT. — Fortissima sunt hæc duo sola assignata remedia, obsistere ne suum effectum consequantur, & fontes obturare, ne scandala nascantur. obsistere autē magis est in Prælatorum potestate, quàm siccare fontes, & scandalorum scaturigines, quod vnicum, solum esset efficacissimum antitodum, vnde à Prælatis non exigitur ne scandala penitus oriantur (nec enim hoc in ipsorū est potestate, etiam si Indicorum antitodorū aggerem importarēt) sed præcidere scandalorum radices, & nascentia Hydræ capita, igne ferroque præcidere, hoc est, illud quod affers: *increpa illos dure*, ex Apost. & Clim. vt refractarijs punitis etiā de vulneribus plures sanentur, & sapiant. Laudat Plato Præsides & legislatores scelerū vindices, sed admonet, non propter hæc putandum esse penitus extingui posse hydram malorum, alijs subinde capitibus repullulātibus. Vnde nulla perplexitas in Principibus vel Prælatis imponitur, nec admonetur indè necessitati cedere, & hinc defectibus occurrere, laqueos illis inijciendo (vt fingis Vindiciane) sed viriliter nascentibus & renascentibus defectibus obuiare, & præcidere in stirpibus radices, & semina, vt hoc in Prælati meritum cedat laborare, si nascantur itidemque punire; sciendo non ex absoluta necessaria causa, sed conditionali eos effectus nasci, vt qui corrigi volunt, habeant in suis correptionibus medelam, qui nolunt, habeant meritam de sua peruicacitate sententiam. — *Plato l. 4. de Repub.*

§. III.

Argumenti à Vindiciano reiecti vis expenditur, & augetur, ab exemplo vniuersalis Ecclesiæ in quocumque cœtu scandalosos, bonis permixtos fore.

CVM Iphicrates obrutus videretur dicaci eloquentia patroni cuiusdam, qui causam Aristophani defendebat, scitè pronunciauit. *Aduersariorum melior est histrio, sed mea fabula melior; vt enim fabula nonnunquam exploditur vitio histrionis, ita sæpè melior causa vincitur à peiore, patroni elumbi in efficacitate probationum vel confutationum.* Sic accidisse Vindiciano probabitur, vt melior ipse histrio sit, sed melior causa Turturis. — TVRT. — *Apophth. lib. 5.*

VIND. — Ab exemplo vniuersalis Ecclesiæ morem informis vetustatis Grauina in sacros ordines deriuat, *vt enim illa in senium declinans sanguinis frigiditatem experitur in tepentibus, ita idipsum religiosorum cœtus in frigidu*

 reli-

religiosis patitur, cum non sit maior pars toto, nec dignior aula Palatio.

Quid ad hæc Vindicianus? *esse disparem rationem de Ecclesia, ait, & religionibus* (ex Ribera) *nam mitior est ad Ecclesiam, & præcepta vocatio, seuerior ad consilia euangelica, & Climacum adducit. proinde complures possunt, ratione secularium, causæ incidere, propter quas magistratus ferat, quæ in eisdem pro animi voto emendare nequit: secus autem, ait, in Regularibus,* & Hieronymum adducit, nihil aliud differentem, & inculcantem, quam Monachi obligationem ad perfectionem assequendam.

Ad Eliodor.

TVRT. Maiorem hanc obligationem in cœnobitis, quam in secularibus Grauina non diffitetur, ex religionis assumpto statu, cuius scopus est, vt ne dum labores cunctos infatigabiliter, sed etiam gratanter impendamus ad perfectionem adipiscendam, ob quam ait Cassianus, *ieiuniorum inedia non fatigat, vigiliarum lassitudo delectat, lectio, ac meditatio scripturarum continuata non satiat, labor etiam inæssabilis nuditasque, & omnium rerum priuatio iucundissimè sustinetur.* &c. *Sed quamuis in ludis bellicis parua scutula proponantur sagittas intorquentibus ad lineam meliorem, si quo modo scopon attingentes præmium valeant obtinere, non omnes ad propositum destinationis centrum pertingunt, aliis inutilibus per aëra ictus effundentibus, aliis à recto tramite cassa intentione frustrati, aliis ex sagacissimorum obtutuum pertinacia indeclinabili tandem lassis, & pharetram & arcum proiicientibus. Sic non omnes profitentes attingere religionis scopum, perfectionem attingunt, nam si cum Apostolo multi dicant. Quæ posteriora sunt obliuiscens, ad ea verò quæ ante me sunt extendens me ad destinatum persequor brauium supernæ vocationis κατὰ σκοπὸν διώκω, id est, secundum destinationem persequor, multi quoque sunt, qui à scopo aberrant, multi sunt qui laboribus, vel disciplina fracti, lassi in segnitie torpent, vel turpi, & ignominiosa fuga palæstram linquunt. Et sicut non omnes iuuenes pari modo vel feruentes spiritu vel disciplinis instituti, ita ne senes quidem* (ait Cassianus) *vno modo vel perfecti possunt, vel probatissimi reperiri, de quibus Oseas. comederunt alieni robur eius, & ipse nesciuit: sed & cani effusi sunt in eo, & ipse ignorauit. Hos inquam in exemplum iunioribus, non vitæ probitas, nec vlla propositi huius laudabilis atque imitanda districtio, sed annositas sola prouexit. Quorum canitiem callidissimus inimicus deceptionem iuniorum in præiudicata auctoritate proponens, etiam illos qui ad viam perfectionis, vel suis vel aliorum poturerunt monitu incitari subuertere ac decipere exemplis eorum fraudulenta subtilitate festinat, vel in teporem noxium vel in lethalem desperationem doctrinis eorum institutisque perducens.* Non ergo solum Ecclesia veterascentes in se claudit Christianos, cum multos etiam tepidos concludat & claustrum. Quæ dicta sunt à Grauina non afferta ad minuendam culpam religiosorum, si contra profectionem peccent, vel scandalosè viuant; sed ad ostendendum, non vni parti immarcescibilem ætatem concessam, cum in omni congregatione boni sint malis permixti & feruentes cum tepidis.

Philip. 3.

Cass.

Oseæ c. 7.

VIND. Adoritur etiam aliud exemplum Grauinæ dicens. *Metaphoras partis & aulæ facile in Grauinam retorquemus. Minores enim sunt extensione viribus, & dignitate.*

TVRT. Partis & aulæ metaphora assumpta respectu totius Ecclesiæ vbi orthodoxi malos misceri bonis confitenda est ab orthodoxis, quæ licet (vt retorsioni Vindiciani respondeamus) minori labore *ob minorem extensionem exornari, & veluti interior homo proprius, & facilius excoli possit, quàm vastissimum corpus Ecclesiæ, quod difficilius, sicut corpora vasta, in multa membra diffusa omni ex parte expoliri possit,* nihilominus sit quæcumque perfectissima congregatio religioso-

giosorum, quæ Solis regiam repræsentet, adhuc puluis à Smaragdis excutiendus, quem si neges, radius Solis, quantumuis minutos, innumeros tamen atomos demonstrabit. Quod si illam fictam Phænicis nunquam in interitum vergentis præsumas pro clientulis quos fingis æuiternitatem, alios tanquam aberrantes ab instituto & scopo contendens; scias à Xenotho illo duce quibusdam exprobrantibus, quod Imperator fugisset in bello, responsum esse. *At vobiscum ô chara capita* [*probrum cum exprobrantibus communicans*] turpe enim erat alteri vitium objicere, à quo nec objiciens esset immunis.

Lib. 5. Apophth.

VIND. Sed & aliam Vetustatis speciem in personis cuiuscumque, ordinis rectè fateris, *cum tædio rerum suarum religiosi intepescunt & à pristinâ alacritate languescendo, nescio quam humanis inuisam caniciem inducunt, nec cum Aquila vel Accipitre vires instaurant, sed spontanea segnitie marcescunt, deflorescunt, contabescunt, qui morbus* (ait) *si diffundatur, integris cœtibus, & quodammodo toti ordini vetustatis rugas inducit.* Sed subdis. *Absit tamen ut hinc senescendi necessitatem Grauinæ concedamus, cum vniuersa Doctorum antiquitas aduersus hunc veterem morbum exarserit* & Cassian. citas 4. instit. in multis capitibus & in 4 coll. *vt pro centum*, subdas, *testimoniis aliorum Doctorum hæc sufficiant, vt sibi persuaderi sinat, sacros ordines nulla ætatis prolixitate, sed regularium desidia, & Præsidum perniciosa dissimulatione veterascere.*

TVRT. Psalm. 6. Quod hæc mala torpore subditorum, & oscitantia regentium emanent, non inficiatur Grauina & cum vno vetusto Psalmographo etiam gemit: *Inueteraui inter omnes inimicos meos*, nam interprete Gregorio, *à feruore mentis vel inter spirituales inimicos, vel inter carnales quesque proximos, ipso aliquo modo viuendi vsu veterascimus, & assumpta nouitatis speciem fuscamus: à qua tamen vetustate quotidie, si studio circumspectionis inuigilamus, orando, legendo, benè viuendo renouamur: quia dum vita nostra, lacrymis lauatur, bonis operibus exercetur, sanctis meditationibus tenditur ad nouitatem suam, sine cessatione reparatur.* Nihilominus cum Cypriano dicam, *nobis tacentibus & nulla de scripturis sanctis prædicationibusque diuinis documenta promentibus, mundus ipse iam loquitur, & occasum sui rerum labentium probatione testatur.* & in ipso paruo mundo in sensibus cernimus (ex eodem) quod *non perinde vt prius vigeant auditu aurium, &c. mole membrorum, & cum olim vltra octingentos & nongentos annos vita hominum longæua procederet, vix nunc possit ad centenarium numerum peruenire. Cum ipso quoque senescente mundo, virtutes quoque, non ipsorum vitio, sed corporis corruptione, consenescunt, vnde* (ait idem) *ex hac vetustate deficiant, innocentia in foro, iustitia in iudicio, in amicitijs concordia, in artibus peritia, in moribus disciplina.* Non est ergo perfectio religiosorum vnquam consenescens, quòd solum est in patria, & si secundum se & suam formam, charitas perfectionis fundamentum non in occidua & extrema diuertat, tamen ex mutabilitate subiecti, humanæ scilicet creaturæ, quæ varijs passionibus obnoxia, & infirmitatibus tam spiritualibus, quàm corporalibus, alijsque malis, quæ sæpissimè militant aduersus animam, amissibiliter inest. Et licet independens sit à morbis & infirmitatibus, imò quandoque in ipsis (vt dicebat Apostolus) perficiatur, quia tamen *corpus quod corrumpitur aggrauat animam*, & temperamenti corporis, & complexionis motus frequentissimè sequimur, vt & omnia orta occidunt, & aucta senescunt, & fortia infirmantur, & cum infirmata fuerint minuuntur, sic in nostro proposito. Frustra ergo analogiam istam infringis, quod decursu temporum virtutes cũsenescente mundo non consenescãt

Lib. 19. Mor. c. 16.

Demetrianum.

2. Cor. 12.

Sap. c. 9.

in multis; quod si malè traducis Grauinam, quod tale dictum (ex penu tamen SS. Patrum desumptum) pronunciarit, & ab impugnatione adhuc non cessas, impete S. Doctorem dicentem, non oportuisse differri vsque ad finem Dominicam Incarnationem, *ne feruor fidei temporis pro-* 3.p.q.1.a.5 *lixitate tepesceret, quia circa finem mundi frigescet charitas multorum, vnde Luc. 18. dicitur, cum filius hominis veniet, putas inueniet fidem in terra?* & art. sequen. *cum languore quodam humani generis abolescere cœpisset cognitio Dei inter homines, & mores immutarentur, eligere dignatus est Abraham, in quo forma esset renouata notitia Dei, & morum, & cum adhuc reuerentia segnior esset, postea per Moysen legem litteris dedit &c. si autem hoc remedium differretur vsque in finem mundi, totaliter Dei notitia, & reuerentia, & morum honestas abolita fuisset in terris. & in responsione ad primum ex Aug. docet tempus Incarnationis posse comparari iuuentuti humani generis, propter vigorem feruoremque fidei, quæ per dilectionem operatur.* Morum & cognitionis teporem, & senectutem vides cum senescente mundo coniungi. Eodem ergo modo locutus Grauina, qui à conditione primæuæ institutionis religionis, progressu temporum ol solescere perfectionem dixit in aliquibus, cum morum immutatione, & sicut fuit tempus perfectionis in prima hominis institutione, & in secundi Adam formatione, vt vterque status iuuentutem exprimeret, & deinceps mundo in senium vergen- Luc. c. 18. te, illud locum haberet, *cum filius hominis veniet putas inueniet fidem in terra? &c.* Ita florentissimum fuit tempus iuuentutis in primæua institutione religionum, vt etiam ex annorum prolixitate, contradicente Vindiciano, veterascere in multis Grauina sibi satis persuadeat.

§. IV.

Argumenti, à Vindiciani calumnia defensio, ostendens præteritorum defectuum, nonnullorum religiosorum recognitionem, id parere debere, vt cautiores simus, & præsumptuosi, qui semper se stare confidunt, & perseueraturos iactant, humiliores fiant.

QVartum argumentum producit confutandum Vindicianus, quod deducit Grauina *ab euentu præteritorum temporũ, comminando ex priorum experientia, posterioribus peiorem collapsum, vt humilientur.*

Cui argumento occurrens Vindicianus dicit, *argumentum esse efficax quatuor concurrentibus primo vt ex annosa serie, laxorum turba numero, & viribus præualeat. Secundo vt hac multitudo sensim Præsides suos peruadat, sibi similes, vagos, leues, disciplinæ non custodes, sed osores, bonorũ loco subrogando. Tertio vt ex hac multitudine in vno Cœnobio defectio à regula incipiat, vt cætera inficiat. Quarto vt veluti coniurata copia se tandem confirment, aduersus superiorum studia, & viuendi cœptam libertatem tueantur.* Quibus suppositis ex S. Bonauentura & Bernard. Nider. fatetur tandem: *nullum ordinem à veterum exemplis eximium futurum, sed potius interiturum.* Non tamen subdit Vindicianus subinde consici *aliam desiciendi necessitatem introduci, quam ex hypothesi, vt propterea non sit abstinendũ ab emendationis disciplina; in materia fidei Apostolus cum S. Thom. docet erroribus emergentibus resistendum, in cæteris peccatis correctiones adhibendas, etiamsi rei non profecerint, cum correctio ad bonum publicum ordinetur* (ait S. Thom.) *nec omittenda sit propter eius qui corripitur perturbationem, vt si non sponte emendare velit, per pœnas plectatur.* deducitque Vindicianus ex Bernardo & Hieronymo: *vbi laxorum multitudo abundat, totis viribus eos aggredi debere, & in eosdem piè sæuire, alioquin fœda totius ordinis macies, & defloratio consequetur.* Hæc autem asserta necessi-

1 Tim. 5

2. 2. q. 33 a. 6

Ep. ... ad Rust.

necessitas merè voluntaria est, & in chalybem induratur, eo quod maturius nemo obsistere voluerit.

TVRT. *Ad Archilochi melos*, hoc est, ad singula cantionis interualla, & paragrapha Vindiciana, illam toties inculcatam necessitatem repetant citharistæ. Quid opus erat (vt veteri prouerbio dicebatur) *tam longis canere tibÿs?* inanē operā præstando, in suppositis illis quatuor fundandis, vbi tota vis argumenti Grauiniani, iam præiactis fundamētis superextruebatur? vt illis positis, quam nec diffitetur Grauina, prolapsionis necessitas in cunctis ordinibus ex suppositione, manifesta sequela cōsequatur, & ipse Vindicianus admittit? Falsò ergo de malo omine criminaris Grauinam, cum veterum exemplo, in posterioribus euenire posse collapsum, si sint eædem labentium causæ prognosticatæ. Malus medicus Vindicianus, si præcedentium morborum experimento, posteriores nesciat malas valetudines præsagire, si eadē symptomata & causas prænoscat. Certè aliud est existentibus ijsdē causis generandorū morborū, ex veterum experientia, posteriora coniectare; aliud absolutam necessitatem prædicere: ægrotantibus siue præsentibus siue futuris, ne disciplinæ medicorum se subijciant, malum est suadere & à medicis pharmaca, antidota, ipsas quoque (si opus sit) auferre acerbiores curationes, & exustulationes. Vnde, vides quæ permixta erāt, discreta, & quæ confusa, distincta, quod non fecit sobrietas disputantis, qui vt vitium vitio pelleret, & errorem errore curaret, quasi duas contrarias sentētias noua arte confudit, & hoc cōpositionis suæ poculum securis authoribus propinaret, & mellito liquore amarum quod miscuit temperaret. Vide cōtrarietatem sententiarum: omnium ordinum demolitiones asserit futuras existētibus causis enarratis. Quantum vero attinet ad præsentes semper datur exceptio, vt sola remedia à Prælatis adhibeātur, vbi laxorum est multitudo: & quidem totus est disputationis scopus, vbi sit ista multitudo; & qui sint laxi iusto iudicio librandum est sine exceptione, & verbis claris significare, & non in fumosa falsitatis caligine relicta serenissima veritatis luce obuolui.

Ex Diog. L.

VIND. Sed percipio mentem tuam quo tendis, dum subdis *pugnantium intra se voluntatum in laxis, nempe Prælatorum & subditorum S. Augustinum & Cardinalem defleuisse, & immerito Grauinam in Bellarminum efferbuisse.*

TVRT. Rursum insurgit distinctio plangentium, & deploratorum superius confutata, nec à religiosissimis PP. acceptata. Cum à Diogene quidam percontaretur in qua parte Græciæ vidisset bonos viros, respondisse fertur: *nunquam, sed Lacedæmone vidi pueros*, idque significare voluisse, interpretatum est: *totius Græciæ corruptissimos mores, solū apud Lacedæmones gentem incorruptissimam & tantū in pueris in quibus prisca integritas resideret.* Idē esset assertum: omnium religiosorū statum penè corruptum & deplorandum, solum Bellarminum & eiusdem instituti viros esse deploratores, ac si soli pueri, & innocētes. Nō amat sancta Societas istas adulationes tuas Vindiciane, & cum Heraclide sophista euanidas istas laudes aspernatur, cum enim ille supra cæteros mortales efferretur, Homerico versu respondit *τί μ' ἀθανάτοισιν ἐΐσκεις*, id est, *quid me immortalibus æquas?* vt simul, & semel iam in patria degentibus impeccabilitatem deferri non cupiat imò oportet summa modestia inuidiosam laudem declinare.

In Apopth. lib. 3.

VIND. Redis rursus ad impetendum Grauinam *quod ea verba vsurparit, quæ latrunculi Dan in furto idoli, vsurparunt, dicentes ad Micham: Quid tibi vis? cur clamas? clamat verò Bellarminus, & conqueritur non de idolo Michæ, sed de seruis à Domini sui facie fugientibus, nihilominus ei silentium imponit. Caue vt vltra loquaris ad nos.*

Iud. 18.

Nec Michas expers culpæ, cui silentium imperabatur, nam vt de idolo Michæ verbum fiat, ille Leuites ventris & gloriæ gratia, sacerdotium, immeritus atq; indignus, prorsusque ineptus oblatum sibi vsurpauerat, magis adeò mercedis, & quæstus quã religionis, aut pietatis rationem habiturus. Quare nihil mirandum si nunc pinguioris (vt dici solet) sacerdotij opinione, & spe, non modo eum à quo beneficium acceperat, deserat, sed & spoliari, ac diripi patiatur. Indecora ergo erat reprehensio Michæ, qui & prædones, curantes ne curaret & taceret, liberrimè reprehendere non poterat, ipse præter idololatriam aspersus ambitionis fuligine.

Arias Mōtanus in eũ locum.

Quando vnquam in toto opere Turturis legisti quod Bellarminum impeteret Grauina his verbis. *Quid clamas? caue vt vltrà loquaris ad nos*, imo cum columba gemitus congeminans, defectus ne fierent postulauit. Tua est ista fictio habens pro prædonibus veteres religiosos, volens sistere voces plorantium, & fictas tuas, iam enim hæreticum spiritum imitaris, & ambitionis spiritu plenus, vt gloriam tibi compares apud mystagogos tuos, & antiquos ordines calũnijs deprimis, & superexcedenter laudatos clientes quos fingis, defendendo præcipitas. In te potius tuosque alios symmistas (si es de castris rebelliũ qui Germaniæ tot cœnobia religiosorum expilarunt, & bona diripuerunt) vero Deo, non idolo, non tantum erepto, sed conculcato reprehensio ista retorquetur, dum cœtui religiosorũ dicis *quid tibi est?* caue ne vltra loquaris ad nos, & veniant ad te viri animo concitati, *& ipse cum omni domo tua pereas*; illud obtinere satagentes, vt nec læsos se existiment, & si de læsione querantur vltionem paratam expectent, & tamen iusta est lamentatio de eiusmodi oppressione, illi & si apud ethnicos descriptæ assimilis.

Iud. c. 18.

Iuu. Satyr. 8.

Nunc socijs iuga pauca boum, & grex paruus equarum,
Et pater armenti capto eripietur agello,
Ipsi denique Lares, si quod spectabile lignum.
Si quis in ædicula Deus vnus, hæc etenim sunt
Pro summis, nam sunt hæc maxima.

Remedium vero, quo laboranti ordinum illi portioni à Grauina adhibitum, *nimirũ, vt scandala asserta omnino subducantur, & honorificentiori tumulo sepeliantur*, vnde colligit *reprehensibiles eos qui ea quæ silentio premere oportebat, rediuiua opinione diffamant*, explodit Vindicianus dicendo.

VIND.

Adhuc Grauinæ focus calet, sed quæso glossemata Hieronymi appende *conquerentis quosdam vestimentis tantum & voce, sæculo renunciasse*, & Cassianum, *qui cœnobitas reprehendit sui temporis etiam anulos in digitis gestantes*, & S. Greg *traducit eos fratres, qui S. Benedicto, non sufferentes reprehensiones, venena præpararint in cyatho*, & subijcit. *His scriptoribus scomma tuum, suscitatos cineres & putidam auram obijce, Si in tantorum luminum reuerentia te continet, retrahat quoque Cardinalis, & Archiepiscopi Capuani veneratio, ne ei probro vertas quod pro publici boni tutela & incremento semper in Ecclesia concessum fuit.*

Ep. ad Rust. [illegible] 2. Dial.

S. Hieronymum veneratur Turtur, Cassianum non vndequaque, sed ad Gelasij cẽsuram amplectitur, Cardinalem duplici titulo reueretur, sed tuam extorsionem vituperat. Nam Hieronymus ex suis verbis, quosdam impetit, non omnes vel penè omnes. Cassianus comparatiuè ibi loquitur, vt patet ex sequentibus & antecedentibus verbis, respectu Virtutum, & regularis disciplinæ quæ exercebatur in Cœnobio Thæbaide, vbi quinque milia egregij virtutum cultores degebant. S. Gregor. illorum fratrum defectus recenset, nihilominus innumerabilium aliorum virtutes narrat, id efficit Cardinalis sæpius admittens, quòd inter cultas & fertiles segetes lolium & auena dominentur; tu vero Cardinali & Socijs eius, tuorum symmistarum more inuidiam conflare vis, eius dictum

TVRT.

sic

sic ampliando, vt quod ille in magna Cœnobiorum parte deplorauit, tu ad omnia nullo excepto extendas, declamatoriè quoque in omnes religiosos & clericos inuehendo, in hunc modum.

VIND. *Nam quis (ais) enormem, ciuitatis vel Arcis ruinam à pusillorum oculis abscondat, quando in in meridiana luce descendit pluuia, flumina, ventique in domum irruunt; imo TOTA Monasteria in oculis secularium monstroso hiatu fatiscunt, & Sacerdotes, sicut populus, legem Domini pariter humi affigunt, quæ amabo tentoria tantis operiendis cladibus sufficient? Ne verò scandala regularium efficiant, quod possunt ac solent, quis vel Herculea claua impediet? Ardet domus antiqua pars, Grauina prohibet in flammas armari, vndas conuehi, tigna ignibus vstulata subtrahi, satius fore, si posticam à volantibus fauillis communitam edicit. Nonne ipse deplorandus, qui fontes aggredi formidas, neque cornupetis Pastoris pedum opponere sinis? longè aliter magnanimus S. Pauli ardor in inobedientes, vaniloquos seductores, domorum subuersores, Doctores eorum quæ non oportet, ac turpi lucro seruientes, illuxit.*

Matth. 7. Osea 4. Titi 1.

TVRT. Quam belle in te quadrant Cypriani dicta Vindiciane, qui in religiosos & clericos effrenis Nouatiani personam assumens debaccharis, videlicet. *Nos autẽ fratres dilectissimi, nõ moueat aut turbet hæretici istius perfidi abrupta demẽtia: qui cum in tam ingẽti dissensionis & schismatis crimine constitutus, & ab Ecclesia separatus sit, sacrilega temeritate non dubitet in nos sua crimina retorquere. Cum enim sit à semetipso, nunc factus immundus sordibus, sacrilegijs inquinatus, hoc nunc nos esse contendit.* Sic Vindicianus magnorum criminum sibi conscius fingit religiosorum, & clericorum domum & arcem corruisse, & tota Monasteria monstroso hiatu fatiscere, domus partem veterem ardere, in cineres penè resolui. *At cum scriptum sit, canes foris remansuros, & Apostolus hos eosdem canes docuerit esse vitandos, sicut legimus; ait enim; videte malos operarios, rabiem suam non cessat latratibus (aduersus religiones) excitare luporum more tenebrosam caliginem optare, qua facilè possit ferina sua crudelitate oues à pastore directas spelunca tenebrosa laniare: Aurum certè sesuosque [symmistas] vt olim Cathari quos colligit esse pronunciat.* vocant enim se suosque Caluinistas *sanctos, electos, ab impuriori portione discretos*, & idem in religionibus introducere studes, vt peiores fiãt scissuræ. *Nec nos dubitamus desertores in aurum, nũc facilè posse conuerti*, si Ecclesiæ incorporentur, & fateantur in Ecclesia, & quocumq; Ecclesiæ ordine, malos bonis esse permixtos. *Quid igitur vanis rebus extolleris? damna potius quã lucra consequeris. Quid te ex quo pauperior factus diuitem credis? audi in Apocalypsi dominicam vocem iustis de obiurgationibus increpãtem: dicis, inquit, diues sum, & nullius egeo: & nescis quoniam tu es miser & miserabilis, & cæcus, & pauper & nudus. Has opes, has diuitias paupertatis pro certo possidere se credat, quisquis Christi Ecclesia derelicta, ratione cæca apud temerarios illos duces & dissensionis authores*, Catharos, Caluinistas *conuerti non trepidat.*

Cyprian. ad Nouat. hær.

Ex eodem Cypr.

VIND. Iam vero cum sciscitaris, *quis Herculis claua, ne scandala regularium efficiant, quod solent impediet?*

TVRT. Hoc habe responsum. Quando oriuntur (non in illa, quam tu fingis, multiplicitate, & vniuersalitate temporum, & locorum, & personarum) præcidenda; vbi correctio non prodest, igne & ferro etiam si opus sit adhibitis. At nolo Vindiciane, vt hanc Hydram in solo antiquarum portionum nasci solum somnies; sicut somniasti solam hanc antiquam partem ardere, & Grauinam falso criminaris, ac si dixerit *incendia scandalorum extingui non debere.* In hoc vero tuo incendio, in hac rerum omnium confusione, proximo iam ardente Vcalegone *ουκάλεγοντος* sanè, conflagrante arce non adlambentibus labijs tuis & lingua, ignitas tra-

trabes, ad extinguendum ignem, sed nitrũ superaddentibus, vt in maiorem assurgat flammam cauillaris & argutaris, incensam antiquorum religionis arcem, vt pœnè, cũ mœstissimo Hectore in somnis post epotatos calices missus videaris ad Æneam admonendum.

Heu fuge nate Dea, teque his ait eripe flammis. & firmissima argumẽta, non propter huius vani somnij, quando tantum incendium nostram antiquam partem corripuerit vbi tanta rerum confusio oborta sit, qua parte primum ignis immissus sit, cum tamen sit excidiũ illud (ait Aug.) vsquequaq; decantatum, pueris que notissimum, atque verissimum, quia magnitudine sua, & scriptorum excellentibus linguis insigniter diffamatum, atque vulgatum est.

L. 2. Aene. d.

De ciuit. l. 18. c. 16.

§. V.

Argumenti Turturis roboratio, quod ex inconstantia & fluxu humana vita, senectute veterum ordinum, & alijs calamitatibus alicubi, & in aliquibus procedente tempore, tepescere potuit religiosa disciplina.

VIND. Aliud argumentum sic eleuat Vindicianus dicẽdo *nequaquam religiosi vita cum corporum defectione conferenda venit, omnia potius in contrarium sedula sui victoria experitur* &c. quam victoriam multis conglobatis authoritatibus Cassiani, Basilij probat]

TVRT. Hoc quod tu exprobras Vindiciane argumentandi genus ex humanæ vitæ fluxu, tepiditatẽ in aliquibus congenitã, feruorem que remissum ex S. Grego. didicit Grauina sic discurrente. *Quia ex hoc mundo corpus gerimus, vniuersitatis terminum ex ea qua nos sumus parte pensemus. Cuius quippe sit mũdi finis agnoscimus* (vt & quælibet defectio, & remissio alicuius communitatis) *si sollicitè aspicimus hoc quod de mundo gestamus. Aetas enim nostra per iuueniles annos robustior viget, in senili autem tempore crebrescentibus morbis excoquitur, & dum diutius distenditur vt subsistat, moriendi vice quotidie deficit per momenta viuendi. Ita etiam mundi tempus dum venientibus annis augetur, crebrescentibus malis afficitur, & vnde ætatis augmentum percipit, inde salutis dispendium sentit, tribulationes namque illi cum temporibus crescunt, & eo detrimenta vitæ deuil... tolerat, quo quasi ad vitam prouectior durat... totis enim contra illum hostis antiquus viribus soluitur, qui quamuis iam nunc interijt, pro eo quod superna conditionis beatitudinem amisit, tunc tamen plenius extinguitur, quando & a tentandi licentia abstractus æternis incendijs religatur. Vnde & extrema mundi atrocius tentaturus aggreditur: quia tanto fit feruentior ad sæuitiam, quanto se vicimorem sentit ad pœnam.* Inde ne dum in naturalibus, sed & in moralibus eo magis mundum deficientem cognoscimus, quo inlongius eiusdem vita protrahitur.

34. mor. c. 3

Hæc in minori mundo dispendia cernimus. *Vnde* enim ex August. *in vita spirituali inueteramus ? carne mortali, carne ista fœnea*, ex veteri homine incentiua malorum ministrante, dæmonijs colluctantibus & fatigantibus, quibus ignaui non viriliter resistentes, inter ipsos inimicos & vitia sæpissimè veterascunt, imo & multi in certaminum conflictu illustres athletæ, in pacis otio lentescentes, securitatis inertia dissoluti, obliti gloriosa præcedentium suarum colluctationũ certamina, futuris præmiorum illustrioribus defraudantur coronis: non conferes ergo Vindiciane religiosorum vitam cum corporum defectione? renouatur perfectorum vita, vt Aquila, & vt Accipiter, vt superius exemplificasti: sed audi Augustinum, dictum esse *renouabitur vt Aquila iuuentus tua. sed non ad immortalitatem. Data est enim similitudo, quantum de re mortali potuit trahi ad rem significandam immortalem, sed non demonstrãdam*: adhuc enim iusti excidere possunt à gratia, & perfecti frequentissimè excidunt à cõtemplationis

In Ps...

In Ps...

fasti-

2.2.q.186 ar.8. fastigio, nam ex S. Tho. nō potest esse *diuturna in hac vita in sui summo*: Et in vniuersum, si non sint confirmati in gratia, timorem Dei abijcere possunt, qui quamuis ex sui natura perpetuitatem habeat, vt monstrat Collationū auctor allegans Hierem.
Collat.3. c.18. *Dabo cor vnum, & animam vnam, vt timeant me vniuersis diebus*; tamen eodem destitui queunt; nec enim adhuc remanente corpore mortalitatis nostræ sunt perfecti viri, velut Aquila, renouati ad immortalitatem. Nunquid per sapientiam tuam Vindiciane, vt dicebat Dominus ad Iob. *plumescit accipiter expādens alas suas ad Austrum*;
Cap.39. hoc est, Greg. interprete. *Nunquid cuilibet electo tu intelligentiam contulisti, vt flante sancto spiritu cogitationum alas expandat? quatenus pondera vetustæ conuersationis abijciat, & virtutum vsum plumas in noui volatus sumat? hinc videlicet colligat, quia vigilantiam sensus in semetipso ex se non habet, qui hanc ex se conferre alijs nequaquam valet.* Quare dum dicis renouari religiosos potius ex sui victoria, caue ne dicas ait Aug. *Ego magnus sum.*
In Ps.102. *Ego luctatus sum: nam cuius viribus? ais? sed ab illo subministratis, luctari manifestum est, & ideò coronaberis, quia vinces; sed vide quis prior vicerit, vide quis te faciat etiam secundo victorem.* Non oportet Vindiciane multum laborare, probando sui victoriam medium esse ad iuuentutis spiritualis feruorem cōseruandum, nec opus erat id authoritate Apostoli, Cassiani, Basilij, Benedicti adeò inculcare, quod & Grauina promptissimè profitetur: magis inculcare debebas, hoc (sicut & victoriam) diuinæ gratiæ tribuendum (vt faciebat Apostolus) Deo *autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Iesum Christum*, & Dauid, *Deus docuisti me à iuuentute mea, & vsque nunc, &c. quasi* (ait Augustinus) *à tempore renouationis tuæ habens de viribus tuis præsumas, vt solent dicere homines, iam dimitte me, opus erat ostendere viā, sufficit, ambulabo viam, cum & ille qui ostendit viam, deducat te in viam, vsque nunc, & postea vsque in senectam, & senium*, aut dicas Cassianizans *diuinæ gratiæ est præstare nobis occasiones salutis, & prouentus secundos atque victoriam; nostrum vero vt concessa Dei beneficia vel intensius, vel segnius exequamur.* nam quod Col.3. c.15
segnius operemur de nostra socordia est, de nostra culpa est. Quod vero intensius, & primus feruor permaneat, de eiusdem munere est, à quo virtus, virtutisque intensio; vt qui habet eiusmodi feruorem non se discernat à non habente, & de accepto glorietur quasi non acceperit, nam si hæc aduertet Vindicianus, in accipiente & habente diuinam admirabitur gratiam, & dicet: *Domine memorabor iustitiæ tuæ solius &c.* O *solius* (ait August.) *solius prorsus, vbi* Aug in
meam non cogito. Iustitia tua sola liberat me, Ps.74.
mea sola non sunt nisi peccata, in non accipiente diuinum iudicium, & non accipientis demerita. Nec facilè classicum canens selectæ à se portioni tamquam à cæteris impuris discretæ, assignabis primas, cū in omni natione victores sint, & in bello cadētes, veterascētes, & sicut palma florentes & dies multiplicantes, vt ex victoribus diuina gratia commendetur, & ex tepidis, & veterascētibus timor noster augeatur, qui totus scopus Grauinæ fuit, non desidiam fouere ex laxorum cœtu, sed humilitatis argumentum præbere, ne vnus præ alio inflaretur: & si nunc non videatur in aliquibus aduersus operosa vigor strenuus, ita vt caries deprehendatur in arboris medulla, iam tuo duplici remedio vtemur, Vindiciane medice, quotidianæ innouationis, & memoriæ obligationis nostræ, quod si præ ijs quos fingis tuos clientes vis esse præseruatiuum, pro alijs curatiuum, iam apparetet eo tendere discretionem istam, vt statuatur iterum in te supercilium Pharisæorum, se ipsos commendantium, cæteros vero aspernantium, quod meritò respuent à te superexaltati, ne à iusti-

N tia

Dei illi defuisse credenda sit, quæ tantam tentatori tribuit potestatem, quantam, & illum resistendi nouerat habere virtutem, & quod sic eum protegebat vt humanæ virtuti relinqueret locum; sic S. Prosper eum impetit. *Rectius veraciusque loquereris, si vbi dixisti, quantam, & illum resistendi nouerat habere virtutem, diceres potius, quantam & illi resistendi nouerat se dedisse virtutem: vnius enim verbi correctio totam istam gloriam, quam humanis viribus assignare voluisti, sobrietate aliqua temperasses, vt illa mirabilis in tanta afflictione patientia, & Dei adiutorio & libero hominis adscriberetur arbitrio, sed veritus es naturæ humanæ minuere laudem si ei profitereris à Deo datam esse virtutem, itaque conflictus illius atque victoria non vis credi Deum cooperatorem fuisse, sed tantummodo spectatorem, vt cui persuadere poteris, per naturalem liberi arbitrij facultatem tam arduum certamen euictum, dubitare non audeat in leuioribus causis, multò liberiores esse bonæ voluntatis affectus*, quod ad scholas Pelagianorum relegandum subdit acerrimus gratiæ propugnator. An non ferè idem tua verba sonant? *Nunquam tamen ope cœlestis gratiæ facultas vincendi deest, modo homo ac præcipuè religiosus discussa ignauia constanter certet?* si id sic temperasses [nunquam tamen ope cœlestis gratiæ facultas vincendi deest, modo homo ac præcipuè religiosus eodem fultus adiutorio, discussâ ignauia constanter certet] sed dum hæc duo diuidis, vt facultatem vincendi, Deo tribuas, certandi constantiam homini solerti, & præcipuè religioso, assigans, victoriam Deo, certaminis constantiam homini reserues, & hominem athletam inuictè certantem facis, & Deum solum certaminis spectatorem, cum ne dum victoria, sed & bonum certamen, non solis nobis sed & Deo tribuendum sacra nos astringant eloquia, cum scriptum sit, *& certamen forte dedit illi vt vinceret*. Nolo te insultatorē gratiæ sub laude naturæ, nec religiosorum omnium adeo depressorem, vt qui ab eorum calamitate se expertes putant, talem sortiti sint adulatorem, vt in certamine non recurrant ad Redemptorem.

Sap. c. 10.

VIND. Victus ex supra dictis allegatis doctrinis, dicit illam necessitatem admittendam, *ob quam se liberandum postulauit Apostolus, & se liberandum à mortis huius corpore postulabat, quam eam alia occasione columba deplorauit*, sed ex ista, ait, *non prouenit altera necessitas asserta à Grauina, vt regulares deficiant, hac enim ex pura puta negligentia* (ait) *existit eorum, qui cum indomitis cupiditatibus pugnare, easque coërcere, ac sanæ rationi sanctissimisque ordinum suorum scitis, ac decretis ad mensuram diuinæ vocationis subijcere detrectant. qui maius accipient cum Scribis & Pharisæis iudicium, ad paleas & naues Grauinæ remittendi, quorum magnus, ait, est numerus, cum negligentia irrepserit. & hanc posteriorem necessitatem Augustinus expressit, dum scripsit, ex voluntate peruersa fit libido, & dum seruitur libidini fit consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, fit necessitas. Apage ad Caluini scholas cum ista necessitatis larua. Climaci pastor oues otio luxuque diffluentes verborum conuitio euerberari iubet S. Bernardus ait, tales mereri vt etiam quod videntur habere, ab eis auferatur.*

TVRT. Sed mi Vindiciane, negligentia, indomitæ cupiditates ex vulneribus inflictis originem habent, & sunt illius infausta soboles: illa vulnera quidem ad necessitatem quandam pertinent naturalem, non quidem ex principijs naturæ, sed quia ex vi originis, vt dicit Augustinus hoc generi inflictum vulnus est de diabolo, id est, originale peccatum: quicquid vero per illud nascitur, cogitur esse sub diabolo, tanquam à suo frutice fructum iure decerpat, propter quod subdit, *damnabile vitium quo vitiata est natura humana damnatur*, consequenter ignorantia, malitia, fomes eiusdem peccati radices sunt, ad peccatum allicientes, & inclinantes, quibus ex Dei munere

Loc. cit. cap. 23.

nere resistere possumus, vt cum dicatur *Non concupisces, medicinam gratiæ quæreremus, & in eo præcepto sciremus, & quo debeamus in hac mortalitate proficiendo conari, & quo possit à nobis in illa immortalitate beatissima perueniri*, vt ad gratiæ adiutorium non confugientibus etiam hæc culpa sit quod non petierint id quo culpas superare possent, & habentibus ad meritum imputetur, quod non exhibuerint membra eius arma iniquitatis peccato, quæ victoria illis in ruinam cedit, qui nolunt propriam iniquitatem agnoscere, se ipsos ab alijs discernentes. Hoc si aduertisses, in vniuersis communitatibus, à tritico paleas non distingueres, & alias non tibi reseruares areas, vbi solum frumenta colligeres, cum vbique permixta grana cum paleis cōiuncta sint, ventilabro diuini iudicij discernenda, nec seorsim area purissima constitui potest, cum nec *massa media* à Pelagianis introduci potuit sine fidei Catholicæ eieratione, vt dicit Augustinus, quæ tollerabilior videri posset nec malos nec bonos continens, quàm ista area quæ solos bonos continere fingeretur. Vadat autem ad Caluini scholas qui necessitatem si talem induci arguebat, necessitate suppositionis posita: imo & Pelagianis tradat se imbuendum, qui eandem dicebant introduci (ex Prosp. ad August.) Dei prædestinatione supposita, & si socordes religiosi necessitati laruam prætexentes vapulare debent Climaca ferula, durius plectendi militantibus contra orthodoxiam chalybem ministrantes, & si à negligentibus quod videntur habere eis auferendum, propter defensionem puræ doctrinæ ab alijs commilitonibus admixtis cum negligentibus, nihil de cœnobijs auferendum vt ad alios eorundem redditus transferantur.

Et c. 29.

Ep. 106.

Ep. ad Aug. to. 7.

§. II.

Argumenti vindicatio ab argutula Vindiciana oppositione, vbi scandalorum necessitas, quæ etiam à Christo Domino prædicta est, non absolutè, sed vt conditionalis & ex hypothesi accipienda est.

AD secundum argumentum Grauinæ elidendum se accingēs Vindicianus, quod erat: non *oportere scandala mirari, quia futura prædicta sunt, necesse est vt veniant scandala, & ex veteris hominis corruptione ijsdem materia subministratur*, impetit illud primo, *Grauinam Domini sensum malè percepisse Magistro suo eum redarguente, dicente necessitatem scandalorum ex hypothesi quadam abusus humanæ libertatis à Domino asseri, ad eum modum sicut medicus cum videt aliquos dietam non custodire pronunciat necesse tales infirmari: similiter necesse est euenire scandala, si malam homines conuersationem non mutent, & cum sanis sapere nolunt. sic nouerit Grauina in ordinibus ex illorum dumtaxat nequitia gigni, qui ingenium & mores maiorum actionibus accommodare nolunt.* VIND. 2. 2. q. 43. a. 2.

Si tales semper futuri essent pueri, iracundi, in parentes iniurij etiam dum mammillas sugunt, non tanquam faceti, sed vt immorigeri, & stulti haberentur, sed vt dicebat August. *dum spes est incrementorum, & ingenij lumen accessurum, creditur ætatis accessu, fit vt conuicia paruulorum etiam in parentes non solum iniuriosa non sint, verum etiam grata & iocunda sint.* Cum ergo talis sis Vindiciane in tuis scommatibus, in te sicut in recenter natis, profundissima stultitia cernitur, cum aliquali spe, vt non ex permansura ista fatuitate, tandem peruenturus sis ad scientiam veritatis, vnde & ridendus potius quā confutandus. Necessitatem scandalorū dicit S. Doctor ex hypothesi abusus humanæ libertatis. Discipulus eius Grau- eandē hypothesim fatetur ex prō- TVRT. Lib. de pecc. meri. & remiss. c. 35.

eorundem, & ex subministratione materiæ ob corruptionē veteris hominis. Nonne hæc synonyma? vtrumque horum respuatur, si alterutra sententia corrigatur. Dum autem Grauina dixit, materiam subministrari ab homine, satis nequitiam subministrantium expressit, qui prauis hominibus, non maiorum sanctionibus se accommodare nolunt.

Carpis deinde Grauinam dicentē, *quod ad probationem scandala eueniant, & piorum exercitationem*, & dicis, *Prosunt quidem, quæ Dei admiranda potentia est, ex malis optima elicientis &c. Sed id neque, ait, ex scandali natura, neque intentione operantis prouenit, ideoque Dominus perinde authorem scandali atque illū, qui se inficisinit, graui censura ferit. vnde nec scandalosi excusari videntur, nec qui scandalum patiuntur, quasi coacti non libera electione agentes, nam, væ homini illi per quem scandalum venit, & væ mundo à scandalis pronunciatur à Domino, interprete Chrysostomo, vt dolore suo ipsos incitaret, & diligentiores, & vigilantiores redderet, & sponte peccare demonstraret.* Vanè etiam hunc elenchum commisisse Grauinam effutis, nempè *ab effectu ad causam*, nimirum: *effectus scandali in religione bonus esse potest, ergo & scandalum.*

VIND.

TVRT. Sed [illegible] furoris cœcitas, oculorum persequentis ita lumen obnubilauit, vt cū S. Thomæ authoritatem allegarit, omisetit, ea quibus à S Doctore (si dedignabatur à discipulo) poterat erudiri. Legamus totam S. Thomæ periodum. *Ad secundam rationem hoc quod dicitur necesse est vt veniant scandala, non est intelligendu n de necessitate absoluta, sed de necessitate conditionali, qua scilicet necesse est præscita, vel prænunciata euenire si tamen coniunctim accipiatur. vt lib. 1. ostensum est. Vel necesse est euenire scandala necessitate finis, quia vtilia sunt ad hoc, vt qui probati sint manifesti fiant, vel necesse est euenire scandala* [illegible]*dum conditionem hominum, qui sibi à pec*[illegible] *caueant*, afferens exemplum citatum de medico. *& similiter necesse est euenire scandala si homines conuersationem malam non mutent.*

[illegible] c. cit. ad [illegible]

Non dissimiliter Grauina processit, cū scandalorum necessitatem ex conditione hominum & in lapsa natura non absolutā sed conditionalem asseruisset in primo argumento, & partim in secundo argumento; eandem in alia parte secundi argumenti scandalorum necessitatem adstruit ex necessitate finis, ad *probationem, & piorum exercitationem, & vt frumentum Dominicum solida charitate ponderosum, à leuissimus paleis adueniente ventilatione dignoscatur.* Nec fuit argumentatio ab effectu ad causam, sed ex fine necessitatem euentus demonstrare, vt hæc sit argumentatio [conducit ad finem scandalum, nempe aliorum probationem, vt à diuina prouidentia permittatur & hominum malitia vtatur, ergo bona permissio. Nunquam tamen sic arguit Grauina, vt falso illi imponitur: effectus scandali bonus esse potest, ergo & scandalum, sed: ex scandalis multa bona elici possunt, necesse ergo est vt permittantur. Nūquam scandalū bonū est, quia de volūtate deficiente est; eiusdē autē permissio à diuina voluntate est illa permittēdo, & ad altiorem finē ordinando. Et quia ex voluntate scandalum committitur, committentis culpatur intentio in aliorum tendens ruinam, quia effectus (præter committentis intentionem) bonus à permittente Deo elicitur, eius omnipotentia commendatur, aliorum intendens & procurans sanitatem. Sed si Tertullianum libro de Præscriptionibus primis capitibus legisses Vindiciane, aduertisses quicquid in suo discursu Grauina habet, ex Tertullianicis ne dum sensibus, sed ijsdem penè verbis hausisse, hoc solo mutato, quod vbi Tertullianus de necessitate hæresum cōditionali in specie locutus est Grauina, generalius de omnibus scandalis, ne dum S. Thom. sed & vetusto

Lib. de præscrip. c. 2. & 3.

veri sto illi authori, in hac parte orthodoxè loquenti subscribens.

Nec ista conditionalis necessitas adducta, ad excusandas excusationes in peccatis, sed ad pusillorum mentes sedandas, qui ex scandalosis personis, personarum statum traducunt; cum non religionem ex personis, sed personas ex religione metiri debeamus: & cognito fine etiam à murmuratione Dei, scandala permittentis ob cognitos sibi fines, tandem desistant. Quare merito subdidit Grauina (quod immerito laceras) *inuigilandum ne possint scandala, quod solent, & vt muscipula à pedibus insipientium auferantur.*

Oportebat verò ad noui Æsculapij aduentum, noua pharmaca adducentis in eburneo Panario Grauinā assurgere, quando Vindiciano remouendorum scandalorum Grauiniana non sunt probata remedia; dum dicit: *neque Grauinam iuuant excogitata remedia. Primo vt alij obsistant. Secundo vt ab innocentium oculis remoueantur, quasi hæc remedia spinæ sint, non consilia. si enim* (inquit) *causa est necessaria, effectus erit necessarius, & Præsidis retibus illaqueari hinc scandalorum necessitati cedere, dum imperat Grauina, hinc noxiis effectibus occurrere.* Propter quod exclamat. *Quanto salubrius, sic scandalorum fontes obturari &c. sin cum pertinacia luctandum sit, nosti ex S. Pauli viridario Alexipharmacum: Increpa eos durè &c.* VIND.

TVRT. Fortissima sunt hæc duo sola assignata remedia, obsistere ne suum effectum consequantur, & fontes obturare, ne scandala nascantur. obsistere autē magis est in Prælatorum potestate, quàm siccare fontes, & scandalorum scaturigines, quod vnicum, solum esset efficacissimum antitodum, vnde à Prælatis non exigitur ne scandala penitus oriantur (nec enim hoc in ipsorū est potestate, etiam si Indicorum antitodorū aggerem importarēt) sed præcidere scandalorum radices, & nascentia Hydræ capita, igne ferroque præcidere, hoc est, illud quod affers: *increpa illos durè*, ex Apost. & Clim. vt refractarijs punitis etiā de vulneribus plures sanentur, & sapiant. Laudat Plato Præsides & legislatores scelerū vindices, sed admonet, non propter hæc putandum esse penitus extingui posse hydram malorum, alijs subinde capitibus repullulātibus. Vnde nulla perplexitas in Principibus vel Prælatis imponitur, nec admonetur indè necessitati cedere, & hinc defectibus occurrere, laqueos illis injciendo (vt fingis Vindiciane) sed viriliter nascentibus & renascentibus defectibus obuiare, & præcidere in stirpibus radices, & semina, vt hoc in Prælati meritum cedat laborare, si nascantur itidemque punire; sciendo non ex absoluta necessaria causa, sed conditionali eos effectus nasci, vt qui corrigi volunt, habeant in suis correptionibus medelam, qui nolunt, habeant meritam de sua peruicacitate sententiam. *Plato l. 4. de Repub.*

§. III.

Argumenti à Vindiciano reiecti vis expenditur, & augetur, ab exemplo vniuersalis Ecclesiæ in quocumque cœtu scandalosos, bonis permixtos fore.

CVM Iphicrates obrutus videretur dicaci eloquentia patroni cuiusdam, qui causam Aristophani defendebat, scitè pronunciauit. *Aduersariorum melior est histrio, sed mea fabula melior; vt enim fabula nonnunquam exploditur vitio histrionis, ita sæpè melior causa vincitur à peiore, patroni elumbi in efficacitate probationum vel confutationum.* Sic accidisse Vindiciano probabitur, vt melior ipse histrio sit, sed melior causa Turturis. TVRT. *Apophth. lib. 5.*

Ab exemplo vniuersalis Ecclesiæ morem informis vetustatis Grauina in sacros ordines deriuat, *vt enim illa in senium declinans sanguinis frigiditatem experitur in repentibus, ita idipsum religiosorum cœtus in frigidis* VIND.

 reli-

religiosis patitur, cum non sit maior pars toto, nec dignior aula Palatio.

Quid adhæc Vindicianus? *esse disparem rationem de Ecclesia, ait, & religionibus* (ex Ribera) *nam mitior est ad Ecclesiam, & pracepta vocatio, seuerior ad consilia euangelica, & Climacum adducit. proinde complures possunt, ratione sacularium, causæ incidere, propter quas magistratus ferat, quæ in eisdem pro animi voto emendare nequit: secus autem, ait, in Regularibus,* & Hieronymum adducit, nihil aliud differentem, & inculcantem, quam Monachi obligationem ad perfectionem assequendam.

Ad Eliodor.

TVRT. Maiorem hanc obligationem in cœnobitis, quam in secularibus Grauina non diffitetur, ex religionis assumpto statu, cuius scopus est, vt nedum labores canctos infatigabiliter, sed etiam gratanter impendamus ad perfectionem adipiscendam, ob quam ait Cassianus, *ieiuniorum inedia non fatigat, vigiliarum lassitudo delectat, lectio, ac meditatio scripturarum continuata non satiat, labor etiam incessabilis nuditasque, & omnium rerum priuatio iucundissimè sustinetur*, &c. *Sed quamuis in ludis bellicis parua scutula proponantur sagittas intorquentibus ad lineam meliorem, si quo modo scopon attingentes pramium valeant obtinere, non omnes ad propositum destinationis centrum pertingunt, aliis inutilibus per aëra ictus effundentibus, aliis à recto tramite cassa intentione frustrati, aliis ex sagacißimorum obtutuum pertinacia indeclinabili tandem lassis, & pharetram & arcum proiicientibus. Sic non omnes profitentes attingere religionis scopum, perfectionem attingunt, nam si cum Apostolo multi dicant. Quæ posteriora sunt obliuiscens, ad ea verò quæ ante me sunt extendens me ad destinatum persequor brauium superne vocationis κατὰ σκοπὸν διώκω, id est, secundum destinationem persequor, multi quoque sunt, qui à scopo aberrant, multi sunt qui laboribus, vel disciplina fracti, lassi in segnitie torpent, vel turpi, & ignominiosa fuga palæstram linquunt. Et sicut non omnes iuuenes pari modo vel feruentes spiritu vel disciplinis instituti, ita ne senes quidem* (ait Cassianus) *vno modo vel perfecti possunt, vel probatissimi reperiri, de quibus Oseas. comederunt alieni robur eius, & ipse nesciuit: sed & cani effusi sunt in eo, & ipse ignorauit. Hos inquam in exemplum iunioribus, non vitæ probitas, nec vlla propositi huius laudabilis atque imitanda districtio, sed annositas sola prouexit. Quorum canitiem callidissimus inimicus deceptionem iuniorum in præiudicata auctoritate proponens, etiam illos qui ad viam perfectionis, vel suis vel aliorum potuerunt monitis incitari subuertere ac decipere exemplis eorum fraudulenta subtilitate festinat, vel in teporem noxium vel in lethalem desperationem doctrinis eorum institutisque perducens.* Non ergo solum Ecclesia veterascentes in se claudit Christianos, cum multos etiam tepidos concludat & claustrum. Quæ dicta sunt à Grauina non afferta ad minuendam culpam religiosorum, si contra profectionem peccent, vel scandalosè viuant; sed ad ostendendum, non vni parti immarcescibilem ætatem concessam, cum in omni congregatione boni sint malis permixti & feruentes cum tepidis.

Philip. 3.

Cass. 2. c. 2.

Osee c. 7.

VIND. Adoritur etiam aliud exemplum Grauinæ dicens. *Metaphoras partis & aulæ facile in Grauinam retorquemus. Minores enim sunt extensione viribus, & dignitate.*

TVRT. Partis & aulæ metaphora assumpta respectu totius Ecclesiæ vbi orthodoxe malos misceri bonis confitenda est ab orthodoxis, quæ licet (vt retorsioni Vindiciani respondeamus) minori labore *ob minorem extensionem exornari, & veluti interior homo proprius, & facilius excoli posit, quàm vastissimum corpus Ecclesiæ, quod difficilius, sicut corpora vasta, in multa membra diffusa omni ex parte expoliri poßit*, nihilominus sit quæcumque perfectissima congregatio religioso-

giosorum, quæ Solis regiam repræsentet, adhuc puluis à Smaragdis excutiendus, quem si neges, radius Solis, quantumuis minutos, innumeros tamen atomos demonstrabit. Quod si illam fictam Phænicis nunquam in interitum vergentis præsumas pro clientulis quos fingis æuiternitatem, alios tanquam aberrantes ab instituto & scopo contendens; scias à Xenotho illo duce quibusdam exprobrantibus, quod Imperator fugisset in bello, responsum esse. *At vobiscum ô chara capita* [*probrum cum exprobrantibus communicans*] turpe enim erat alteri vitium obijcere, à quo nec obijciens esset immunis.

Lib. 5. Apophth.

Sed & aliam Vetustatis speciem in personis cuiuscumque, ordinis rectè fateris, *cum tædio rerum suarum religiosi intepescunt & à pristina alacritate languescendo, nescio quam humanis inuisam caniciem inducunt, nec cum Aquila vel Accipitre vires instaurant, sed spontanea segnitie marcescunt, deflorescunt, contabescunt, qui morbus* (ait) *si diffundatur, integris cœtibus, & quodammodo toti ordini vetustatis rugas inducit.* Sed subdis. *Absit tamen vt hinc senescendi necessitatem Grauina concedamus, cum vniuersa Doctorum antiquitas aduersus hunc veterem morbum exarserit* & Cassian. citas 4. instit. in multis capitibus & in 4 coll. *vt pro centum*, subdas, *testimoniis aliorum Doctorum hæc sufficiant, vt sibi persuaderi sinat, sacros ordines nulla ætatis prolixitate, sed regularium desidia, & Præsidum perniciosa dissimulatione veterascere.*

VIND.

Quod hæc mala torpore subditorum, & oscitantia regentium emanent, non inficiatur Grauina & cum vno vetusto Psalmographo etiam gemit: *Inueteraui inter omnes inimicos meos*, nam interprete Gregorio, *à feruore mentis vel inter spirituales inimicos, vel inter carnales quosque proximos, ipso aliquo modo viuendi vsu veterascimus, & assumpta nouitatis speciem fuscamus: à qua tamen vetustate quotidie, si studio circumspectionis inuigilamus, orando, legendo, benè viuendo renouamur: quia dum vita nostra, lacrymis lauatur, bonis operibus exercetur, sanctis meditationibus tenditur ad nouitatem suam, sine cessatione reparatur.* Nihilominus cum Cypriano dicam, *nobis tacentibus & nulla de scripturis sanctis prædicationibusque diuinis documenta promentibus, mundus ipse iam loquitur, & occasum sui rerum labentium probatione testatur.* & in ipso paruo mundo in sensibus cernimus (ex eodem) quod *non perinde vt prius vigeant auditu aurium, &c. mole membrorum, & cum olim vltra octingentos & nongentos annos vita hominum longæua procederet, vix nunc possit ad centenarium numerum peruenire. Cum ipso quoque senescente mundo, virtutes quoque, non ipsorum vitio, sed corporis corruptione, consenescunt, vnde* (ait idem) *ex hac vetustate deficiant, innocentia in foro, iustitia in iudicio, in amicitijs concordia, in artibus peritia, in moribus disciplina.* Non est ergo perfectio religiosorum vnquam consenescens, quòd solum est in patria, & si secundum se & suam formam, charitas perfectionis fundamentum non in occidua & extrema diuertat, tamen ex mutabilitate subiecti, humanæ scilicet creaturæ, quæ varijs passionibus obnoxia, & infirmitatibus tam spiritualibus, quàm corporalibus, alijsque malis, quæ sæpissimè militant aduersus animam, amissibiliter inest. Et licet independens sit à morbis & infirmitatibus, imo quandoque in ipsis (vt dicebat Apostolus) perficiatur, quia tamen *corpus quod corrumpitur aggrauat animam*, & temperamenti corporis, & complexionis motus frequentissimè sequimur, vt & omnia orta occidunt, & aucta senescunt, & fortia infirmantur, & cum infirmata fuerint minuuntur, sic in nostro proposito. Frustra ergo analogiam istam infringis, quod decursu temporum virtutes cũsenescente mundo non consenescãt

TVRT. F, lin. 6.

Lib. 19. Mor. c. 16.

Demetrianum.

2. Cor. 12.

Sap. c. 9.

in multis ; quod si malè traducis Grauinam , quod tale dictum (ex penu tamen SS. Patrum desumptum) pronunciatis, & ab impugnatione adhuc non cessas , impete S. Doctorem dicentem, non oportuisse differri vsque ad finem Dominicam Incarnationem , *ne feruor fidei temporis prolixitate tepesceret* , *quia circa finem mundi frigescet charitas multorum , vnde Luc. 18. dicitur, cum filius hominis veniet, putas inueniet fidem in terra?* & art. sequen. *cum languore quodam humani generis abolescere cœpisset cognitio Dei inter homines, & mores immutarentur, eligere dignatus est Abraham , in quo forma esset renouata notitia Dei , & morum , & cum adhuc reuerentia segnior esset, postea per Moysen legem litteris dedit &c. si autem hoc remedium differretur vsque in finem mundi, totaliter Dei notitia, & reuerentia, & morum honestas abolita fuisset in terris. & in responsione ad primum ex Aug. docet tempus Incarnationis posse comparari iuuentuti humani generis , propter vigorem feruoremque fidei, quæ per dilectionem operatur.* Morum & cognitionis teporem, & senectutem vides cum senescente mundo cõiungi. Eodem ergo modo locutus Grauina , qui à conditione primæuæ institutionis religionis , progressu temporum ob solescere perfectionem dixit in aliquibus, cum morum immutatione , & sicut fuit tempus perfectionis in prima hominis institutione, & in secundi Adam formatione, vt vterque status iuuentutem exprimeret, & deinceps mundo in senium vergente, illud locum haberet , *cum filius hominis veniet putas inueniet fidem in terra? &c.* Ita florentissimum fuit tempus iuuentutis in primæua institutione religionum, vt etiam ex annorum prolixitate, contradicente Vindiciano, veterascere in multis Grauina sibi satis persuadeat.

3. p. q. 1. a. 5

Luc. c. 18.

§. IV.

Argumenti, à Vindiciana calumnia defensio, ostendens præteritorum defectuum , nonnullorum religiosorum recognitionem , id partie debere. vt cautiores simus. & præsumptuosi , qui semper se stare confidunt, & perseueratiuos iactant, humiliores fiant.

QVartum argumentum producit contritandum Vindicianus , quod deducit Grauina *ab euentu præteritorum temporũ, comminando ex priorum experientia, posterioribus peiorem collapsum, vt humilientur.*

Cui argumento occurrens Vindicianus dicit, *argumentum esse efficax quatuor concurrentibus primo vt ex annosa serie , laxorum turba numero, & viribus præualeat. Secundo vt hæc multitudo sensim Præsides suos peruadat, sibi similes, vagos, leues, disciplinæ non custodes, sed osores, bonorũ loco subrogando. Tertio vt ex hac multitudine in vno Cœnobio defectio à regula incipiat, vt cætera inficiat. Quarto vt veluti coniurata copia se tandem confirment , aduersus superiorum studia , & viuendi captam libertatem tueantur.* Quibus suppositis ex S. Bonauentura & Bernard. Nider. fatetur tandem : *nullum ordinem à veterum exemplis eximium futurum, sed potius interiturum.* Non tamen subdit Vindicianus subinde confici *aliam deficiendi necessitatem introduci, quam ex hypothesi , vt propterea non sit abstinendũ ab emendationis disciplina; in materia fidei Apostolus cum S. Thom. docet erroribus emergentibus resistendum, in cæteris peccatis correctiones adhibendas , etiamsi rei non profecerint , cum correctio ad bonum publicum ordinetur* (ait S. Thom.) *nec omittenda sit propter eius qui corripitur perturbationem , vt si non sponte emendare velit, per pœnas plectatur.* deducitque Vindicianus ex Bernardo & Hieronymo : *vbi laxorum multitudo abundat , totis viribus eos aggredi debere , & in eosdem pie sæuire , alioquin fœda totius ordinis macies, & defloratio consequetur. Hæc autem asserta necessi-*

VIN.

1 Tim. 3

[illegible] a.

Ep. [illegible] Rus[illegible]

necessitas merè voluntaria est, & in chalybem induratur, eo quod maturius nemo obsistere voluerit.

TVRT. *Ad Archilochi melos*, hoc est, ad singula cantionis interualla, & paragrapha Vindiciana, illam toties inculcatam necessitatem repetant citharistæ. Quid opus erat (vt veteri prouerbio dicebatur) *tam longis canere tibijs*? inanē operā præstando, in suppositis illis quatuor fundandis, vbi tota vis argumenti Grauiniani, iam præiactis fundamētis superextruebatur? vt illis positis, quam nec diffitetur Grauina, prolapsionis necessitas in cunctis ordinibus ex suppositione, manifesta sequela cōsequatur, & ipse Vindicianus admittit? Falsò ergo de malo omine criminatis Grauinam, cum veterum exemplo, in posterioribus euenire posse collapsum, si sint eædem labentium causæ prognosticatæ. Malus medicus Vindicianus, si præcedentium morborum experimento, posteriores nesciat malas valetudines præsagire, si eadē symptomata & causas prænoscat. Certè aliud est existentibus ijsdē causis generandorū morborū, ex veterum experientia, posteriora coniectare; aliud absolutam necessitatem prædicere: ægrotantibus siue præsentibus siue futuris, ne disciplinæ medicorum se subijciant, malum est suadere & à medicis pharmaca, antidota, ipsas quoque (si opus sit) auferre acerbiores curationes, & exustulationes. Vnde, vides quæ permixta erāt, discreta, & quæ confusa, distincta, quod non fecit sobrietas disputantis, qui vt vitium vitio pelleret, & errorem errore curaret, quasi duas contrarias sentētias noua arte confudit, & hoc cōpositionis suæ poculum securis authoribus propinaret, & mellito liquore amarum quod miscuit temperaret. Vide cōtrarietatem sententiarum: omnium ordinum demolitiones asserit futuras existētibus causis enarratis. Quantum vero attinet ad præsentes semper datur exceptio, vt sola remedia à Prælatis adhibeātur, vbi laxorum est multitudo: & quidem totus est disputationis scopus, vbi sit ista multitudo; & qui sint laxi iusto iudicio librandum est sine exceptione, & verbis claris significare, & non in fumosa falsitatis caligine relicta serenissima veritatis luce obuolui.

Ex Dion. l.

VIND. Sed percipio mentem tuam quo tendis, dum subdis *pugnantium intra se voluntatum in laxis, nempe Prælatorum & subditorum S. Augustinum & Cardinalem defleuisse, & immerito Grauinam in Bellarminum efferbuisse.*

TVRT. Rursum insurgit distinctio plangentium, & deploratorum superius confutata, nec à religiosissimis PP. acceptata. Cum à Diogene quidam percontaretur in qua parte Græciæ vidisset bonos viros, respondisse fertur: *nunquam, sed Lacedæmone vidi pueros*, idque significare voluisse, interpretatum est: *totius Græciæ corruptissimos mores, solū apud Lacedæmones gentem incorruptissimam & tantū in pueris in quibus prisca integritas resideret.* Idē esset assertum: omnium religiosorū statum pænè corruptum & deplorandum, solum Bellarminum & eiusdem instituti viros esse deploratores, ac si soli pueri, & innocētes. Nō amat sancta Societas istas adulationes tuas Vindiciane, & cum Heraclide sophista euanidas istas laudes aspernatur, cum enim ille supra cæteros mortales efferretur, Homerico versu respondit τίμ' ἀθανάτοισιν ἐΐσκεις, id est, *quid me immortalibus æquas?* vt simul, & semel iam in patria degentibus impeccabilitatem deferri non cupiat imò optet summa modestia inuidiosam laudem declinare.

In Apopth. lib. 3.

VIND. Redis rursus ad impetendum Grauinam *quod ea verba vsurparit, quæ latrunculi Dan in furto idoli, vsurparunt, dicentes ad Micham: Quid tibi vis? cur clamas? clamat verò Bellarminus, & conqueritur non de idolo Michæ, sed de seruis à Domini sui facie fugientibus, nihilominus ei silentium imponit. Caue vt vltra loquaris ad nos.*

Iud. 18.

Nec Michas expers culpæ, cui silentium imperabatur, nam vt de idolo Michæ verbum fiat, ille Leuites ventris & gloriæ gratia, sacerdotium, immeritus atq; indignus, prorsusque ineptus oblatum sibi vsurpauerat, magis adeò mercedis, & quæstus quã religionis, aut pietatis rationem habiturus. Quare nihil mirandum si nunc pinguioris (vt dici solet) sacerdotij opinione, & spe, non modo eum à quo beneficium acceperat, deserat, sed & spoliari, ac diripi patiatur. Indecora ergo erat reprehensio Michæ, qui & prædones, curantes ne curaret & taceret, liberrimè reprehendere non poterat, ipse præter idololatriam aspersus ambitionis fuligine.

Arias Mõtanus in eũ locum.

Quando vnquam in toto opere Turturis legisti quod Bellarminum impeteret Grauina his verbis. *Quid clamas? caue vt vltrà loquaris ad nos*, imo cum columba gemitus congeminans, defectus ne fierent postulauit. Tua est ista fictio habens pro prædonibus veteres religiosos, volens sistere voces plorantium, & fictas tuas, iam enim hæreticum spiritum imitaris, & ambitionis spiritu plenus, vt gloriam tibi comparares apud mystagogos tuos, & antiquos ordines calũnijs deprimis, & superexcedenter laudatos clientes quos fingis, defendendo præcipitas. In te potius tuosque alios symmistas (si es de castris rebelliũ qui Germaniæ tot cœnobia religiosorum expilarunt, & bona diripuerunt) vero Deo, non idolo, non tantum erepto, sed conculcato reprehensio ista retorquetur, dum cętui religiosorũ dicis *quid tibi est?* caue ne vltra loquaris ad nos, & veniant ad te viri animo concitati, *& ipse cum omni domo tua pereas*; illud obtinere satagentes, vt nec læsos se existiment, & si de læsione querantur vltionem paratam expectent, & tamen iusta est lamentatio de eiusmodi oppressione, illi & si apud ethnicos descriptæ assimilis.

Iud. c. 18.

Iuu. Satyr. 8.

Nunc socijs iuga pauca boum, & grex paruus equarum,
Et pater armenti capto eripietur agello,
Ipsi denique Lares, si quod spectabile lignum,
Si quis in ædicula Deus vnus, hæc etenim sunt
Pro summis, nam sunt hæc maxima.

Remedium vero, quo laboranti ordinum illi portioni à Grauina adhibitum, *nimirũ, vt scandala asserta omnino subducantur, & honorificentiori tumulo sepeliantur, vnde colligit reprehensibiles eos qui ea quæ silentio premere oportebat, rediuiua opinione diffamans*, explodit Vindicianus dicendo.

VIND.

Adhuc Grauinæ focus calet, sed quæso glossemata Hieronymi appende conquerentis *quosdam vestimentis tantum & voce, sæculo renunciasse*, & Cassianum, qui *cœnobitas reprehendit sui temporis etiam anulos in digitis gestantes*, & S. Greg *traducit eos fratres, qui S. Benedicto, non sufferentes reprehensiones, venena præpararint in cyatho*, & subijcit, *His scriptoribus scomma tuum, suscitatos cineres & putidam auram obijce, Si tantorum luminum reuerentia te continet, retrahat quoque Cardinalis, & Archiepiscopi Capuani veneratio, ne ei probro vertas quod pro publici boni tutela & incremento semper in Ecclesia concessum fuit.*

Ep. ad Rust.

4 Instit. c. 13.

2 Dial.

S. Hieronymum veneratur Turtur, Cassianum non vndequaque, sed ad Gelasij cẽsuram amplectitur, Cardinalem duplici titulo reueretur, sed tuam extorsionem vituperat. Nam Hieronymus ex suis verbis, quosdam impetit, non omnes vel penè omnes. Cassianus comparatiuè ibi loquitur, vt patet ex sequentibus & antecedentibus verbis, respectu Virtutum, & regularis disciplinæ quæ exercebatur in Cœnobio Thæbaide, vbi quinque milia egregij virtutum cultores degebant. S. Gregor. illorum fratrum defectus recenset, nihilominus innumerabilium aliorum virtutes narrat, id efficit Cardinalis sæpius admittens, quòd inter cultas & fertiles segetes lolium & auena dominentur; tu vero Cardinali & Socijs eius, tuorum symmistarum more inuidiam conflare vis, eius dictum

TVRT.

sic ampliando, vt quod ille in magna Cœnobiorum parte deplorauit, tu ad omnia nullo excepto extendas, declamatoriè quoque in omnes religiosos & clericos inuehendo, in hunc modum.

VIND. *Nam quis* (ais) *enormem, ciuitatis vel Arcis ruinam à pusillorum oculis abscondat, quando in in meridiana luce descendit pluuia, flumina, ven-*

Matth. 7. *tique in domum irruunt; imo* TOTA *Monasteria in oculis secularium monstroso hiatu fatiscunt, & Sacerdotes, sicut populus, legem Do-*

Osea 4. *mini pariter humi affigunt, quæ amabo tentoria tantis operiendis cladibus sufficient? Ne verò scandala regularium efficiant, quod possunt ac solent, quis vel Herculea clauà impediet? Ardet domus antiqua pars, Grauina prohibet in flammas armari, vndas conuehi, tigna ignibus vstulata subtrahi, satius fore, si posticam à volantibus*

Tit. 1. *fauillis communitam edicit. Nonne ipse deplorandus, qui fontes aggredi formidas, neque cornupetis Pastoris pedum opponere sinis? longè aliter magnanimus S. Pauli ardor in inobedientes, vaniloquos seductores, domorum subuersores, Doctores eorum quæ non oportet, ac turpi lucro seruientes, illuxit.*

TVRT. Quam belle in te quadrant Cypriani dicta Vindiciane, qui in religiosos & clericos effrenis Nouatiani personam assumens

Cyprian. ad Nouat. har. debaccharis, videlicet. *Nos autē fratres dilectissimi, nō moueat aut turbet hæretici istius perfidi abrupta demētia: qui cum in tam ingēti dissensionis & schismatis crimine constitutus, & ab Ecclesiæ separatus sit, sacrilega temeritate non dubitet in nos sua crimina retorquere. Cum enim sit à semetipso, nunc factus immundus sordibus, sacrilegijs inquinatus, hoc nunc nos esse contendit.* Sic Vindicianus magnorum criminum sibi conscius fingit religiosorum, & clericorum domum & arcem corruisse, & tota Monasteria monstroso hiatu fatiscere, domus partem veterem ardere, in cineres

Ex eodem Cypr. penè resolui. *At cum scriptum sit, canes foris remansuros, & Apostolus hos eosdem canes docuerit esse vitandos, sicut legimus, ait enim; videte malos operarios, rabiem suam non cessat latratibus* (aduersus religiones) *excitare luporum more tenebrosam caliginem optare, qua facilè possit ferina sua crudelitate oues à pastore directas spelunca tenebrosa laniare: Aurum certè se suosque* [*symmistas*] vt olim Cathari *quos colligit esse pronunciat.* vocant enim se suosque Caluinistas *sanctos, electos, ab impuriori portione discretos*, & idem in religionibus introducere studes, vt peiores fiāt scissuræ. *Nec nos dubitamus desertores in aurum, nūc facilè posse conuerti*, si Ecclesiæ incorporentur, & fateantur in Ecclesia, & quocumq; Ecclesiæ ordine, malos bonis esse permixtos. *Quid igitur vanis rebus extolleris? damna potius quā lucra consequeris. Quid te ex quo pauperior factus diuitem credis? audi in Apocalypsi dominicam vocem iustis de obiurgationibus increpātem: dicis, inquit, diues sum, & nullius egeo: & nescis quoniam tu es miser & miserabilis, & cæcus, & pauper & nudus. Has opes, has diuitias paupertatis pro certo possidere se credat, quisquis Christi Ecclesia derelicta, ratione cæca apud temerarios illos duces & dissensionis authores*, Catharos, Caluinistas *conuerti non trepidat.*

Iam vero cum sciscitaris, *quis Herculis clauà, ne scandala regularium efficiant, quod solent impediet?* VIND.

Hoc habe responsum. Quando oriuntur (non in illa, quam tu fingis, multiplicitate, & vniuersalitate temporum, & locorum, & personarum) præcidenda; vbi correctio non prodest, igne & ferro etiam si opus sit adhibitis. At nolo Vindiciane, vt hanc Hydram in solo antiquarum portionum nasci solum somnies; sicut somniasti solam hanc antiquam partem ardere, & Grauinam falso criminaris, ac si dixerit *incendia scandalorum extingui non debere.* In hoc vero tuo incendio, in hac rerum omnium confusione, proximo iam ardente Vcalegone *ἐκκαιόμενος* sanè, conflagrante arce non adlambentibus labijs tuis & lingua, ignitas TVRT.

tra-

1.2.q.186 ar.8. fastigio, nam ex S. Tho. nō potest esse *diuturna in hac vita in sui summo*: Et in vniuersum, si non sint confirmati in gratia, timorem Dei abijcere possunt, qui quamuis ex sui natura perpetuitatem habeat, vt monstrat Collationū auctor allegans Hierem. Collat. 3. c. 18. *Dabo cor vnum, & animam vnam, vt timeant me vniuersis diebus*; tamen eodem destitui queunt; nec enim adhuc remanente corpore mortalitatis nostræ sunt perfecti viri, velut Aquila, renouari ad immortalitatem. Nunquid per sapientiam tuam Vindiciane, vt dicebat Dominus ad Iob. *plumescit accipiter expādens alas suas ad Austrum*; Cap. 39. hoc est, Greg. interprete. *Nunquid cuilibet electo tu intelligentiam contulisti, vt flante sancto spiritu cogitationum alas expandat? quatenus pondera vetusta conuersationis abijciat, & virtutum vsum plumas in noui volatus sumat? hinc videlicet colligat, quia vigilantiam sensus in semetipso ex se non habet, qui hanc ex se conferre alijs nequaquam valet.* Quare dum dicis renouari religiosos potius ex sui victoria, caue ne dicas ait Aug. In Psal. 102. *Ego magnus sum. Ego luctatus sum: nam cuius viribus? aut sed ab illo subministratis, luctari manifestum est, & ideò coronaberis, quia vinces; sed vide quis prior vicerit, vide quis te faciat etiam secundo victorem.* Non oportet Vindiciane multum laborare, probando sui victoriam medium esse ad iuuentutis spiritualis feruorem cōseruandum, nec opus erat id authoritate Apostoli, Cassiani, Basilij, Benedicti adeò inculcare, quod & Grauina promptissimè profitetur: magis inculcare debebas, hoc (sicut & victoriam) diuinæ gratiæ tribuendum (vt faciebat Apostolus) *Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Iesum Christum*, & Dauid, *Deus docuisti me à iuuentute mea, & vsque nunc, &c. quasi* (ait Augustinus) *à tempore renouationis tua habens de viribus tuis præsumas, vt solent dicere homines, iam dimitte me, opus erat ostendere viā, sufficit, ambulabo viam, cum & ille qui ostendit viam, deducat te in viam, vsque nunc, & postea vsque in senectam, & senium.* aut dicas Cassianizans *diuina gratia est præstare nobis occasiones salutis, & prouentus secundos atque victoriam; nostrum vero vt concessa Dei beneficia vel intensius, vel segnius exequamur.* nam quod Col. 3. c. 15 segnius operemur de nostra socordia est, de nostra culpa est. Quod vero intensius, & primus feruor permaneat, de eiusdem munere est, à quo virtus, virtutisque intensio; vt qui habet eiusmodi feruorem non se discernat à non habente, & de accepto glorietur quasi non acceperit, nam si hæc aduertet Vindicianus, in accipiente & habente diuinam admirabitur gratiam, & dicet: *Domine memorabor iustitiæ tuæ solius &c. O solius* (ait August.) *solius prorsus, vbi* Aug in Ps. 74. *meam non cogito. Iustitia tua sola liberat me, mea sola non sunt nisi peccata, in non accipiente diuinum iudicium, & non accipientis demerita.* Nec facilè classicum canens selectæ à se portioni tamquam à cæteris impuris discretæ, assignabis primas, cū in omni natione victores sint, & in bello cadētes, veterascētes, & sicut palma florentes & dies multiplicantes, vt ex victoribus diuina gratia commendetur, & ex tepidis, & veterascētibus timor noster augeatur, qui totus scopus Grauinæ fuit, non desidiam fouere ex laxorum cœtu, sed humilitatis argumentum præbere, ne vnus præ alio inflaretur: & si nunc non videatur in aliquibus aduersus operosa vigor strenuus; ita vt caries deprehendatur in arboris medulla, iam tuo duplici remedio vtemur, Vindiciane medice, quotidianæ innouationis, & memoriæ obligationis nostræ, quod si præ ijs quos fingis tuos clientes vis esse præseruatiuum, pro alijs curatiuum, iam appareret eo tendere discretionem istam, vt statuatur iterum in te supercilium Pharisæorum, se ipsos commendantium, cæteros vero aspernantium, quod meritò respuent à te superexaltati, ne à iusti-

tia excidant, tuas adulationes exufflantes.

Epilogans vero primum sui discursus membrum sic concludit Vindician *Itaque attentus lector Grauina errorem perspicuè cernit, cum defectionis seu regularium, seu ordinum causas in annorum detrimenta conijcit. Anni solum corporis vires atterunt, vt anima desiderijs amplius obsequi nequeas, quocirca ab actiua ad contemplatiuam homo se transferre cogitur; minimè vero pigrescendo stationem suscepta militia deserere.*

VIND.

TVRT. Stultitiam Vindiciani, non errorem Grauinæ deprehendet lector discretus, si quæ hucusque dicta sunt attendere velit, nempe, non annositatem, vt sic, causam esse defectionis, cũ etiã in multis sit causa profectus, sed annositati adiũcta mortalitas nostra, intrinseca, & extrinseca incẽtiua ad delinquendum, ipsaq; succumbens voluntas sua libertate in multis tẽporem causant. Quæ cum sint omnibus cœtibus cõmunia, non apparet alicui cœtui singularitatem esse concessam, nisi probetur, vt senectus detur ad consolidandas virtutes, vt procedente tempore nunquam experiatur virtutum detrimenta, nisi speciale producatur priuilegium.

VIND. Alterum impertinens ad quæstionem dicit Vindicianus *est Dei in mortales sapientißima prouidentia, qua dum nouos in vineam sua Ecclesiæ operarios substituit, ac singularibus donis instruit, antiquiores obscurare lippientibus oculis videtur. nulla hinc profecto veteribus negligendi spiritum sua vocationis neceßitas imponitur, quin imò nouis auxilijs à veterano excitari, à laßitudine respirare, ac veluti afflantibus* Prou. 25. *Fauonijs intime recreari, ac cœlestibus solatijs affluere debebant. sicut enim frigus niuis in die meßis, sic legatus ei, qui misit illum, animam ipsius requiescere facit; eademq; conditio erit illorum, quorum bono legatus mittitur.* Quod eiusdem Grauinæ probat testimonio, dum ait, quod *veterum religionum maxima laus, quod nouas parturiunt &c. & Nouarum maxima pietas est, quod senescentes parentes adiuuent & instaurent.*

TVRT. Accidit in hoc discursu quod Chirosopho, qui, quum videret Regem Dionysium cum aliquot familiaribus ridentem, ipse quamquam longo abesset interuallo, nec audiret pariter risit. Rogauit Dionysius, *num audiret, qua dicerentur*? negauit. *Cur igitur*, inquit, *rides? quoniam persuasum habeo quicquid istbuc est quod inter vos agitur, esse aliquid ridiculum.* Cum te ridentem video Vindiciane, & si propter disparatorum, quæ longo interuallo distant copulationem, fatear me te non audire (non entis enim intelligentia esse non potest) vix risum cohibere potui, & si percunctareris, *si te non audiui cur rideo*? in prompto responsio, *quia ridicula agis.* Quid magis ridiculum, quam ex discursu plano Grauiniano, fingere Centimanum Gyam? dixit Grauina duo. Primum in vita spirituali, iuuenilem feruorem senilem exuperare, & hoc pũctum discussum est. Secundum, operarios nouissimos ex Dei gratia pares fieri veteribus ijs, qui portauerunt pondus diei & æstus. Quid tu colligis, vel quem Centaurum efformas? *Deus in sua vinea nouos operarios substituit*, & addis amplificando, (soles enim è culice camelos facere) *& singularibus donis instruit; vt lippientibus oculis* (quales tui sunt, & tui similium) *antiquiores obscurare videatur, ergo tantum abest, vt veteribus necessitas neglectus sua vocationis imponatur, vt potius nouis auxilijs, à veterano excitetur, recreetur, refrigeretur, tamquam à Fauonijs, legatis fidelibus. filijs pientißimis.* Si fessos operarios, vel lassos milites à cultura, vel exercitu Grauina dimisisset, socordia fuisset: nunc verò cum ex remuneratione pari, tam senes quàm noui operarij, pares efficiantur (& si aliqui socordes in veteribus, vt & in nouis ordinibus designentur) in vtrisque sunt tamen solertes & diligentes qui mercedem accipiunt, mutuamque sibi sub-

Lib. 6. Apo

subministrant operam, impartientes sibi, secundum quod acceperunt multiformem Dei gratiam, vt nullo modo, nisi ridiculè, ex hoc discursu, ob nouorum ordinum institutionem, & parem cum veteribus in denario diurno accipiendo mercedem, concludi possit, necessitatem impositam deficiendi à suæ vocationis perfectione, propter aliquos lassos, socordes. non nisi imaginariè persuasam, sed potius ipsos lapsos, & lassos ex inuitatione mercedis ad currendum fortiter in huius vitæ stadio satis inuitatos.

§. VI.

Argumenti Turturis confirmatio, nempe alicubi, & aliquando, fruentibus Gentilibus, Hæreticis grassantibus, Monasterijs solo æquatis, aliquos regulares relaxari potuisse, vt propterea scandala ijsdem obijcere, veteribus ordinibus inhumanitas inducitur.

HOc sextum vt vltimum argumentum adhibita distinctione confutare studet Vindicianus, dicens: *Defectionis in ordinibus necessitatem Grauina etiam ex damnis colligit, quæ plerique inter hæreticos & Barbaros perpessi sunt, quamuis autem calamitates latè expluet, cum vmbra tamen propria digladiatur*, subdit: *cum Grauina defectionis necessitatem ex damnis colligit, quæ veteres ordines passi sunt à Barbaris, & hæreticis; vel loquitur de numero personarum, quæ à talibus damnis immunes sunt, vel de violatione regularis disciplinæ, ex hostium irruptione parta. Si primo modo loquatur: fauent loca à Grauina adducta. Quomodo si inueniatur granum in botro: educam de Iacob semen, & de Iuda possedentem montes meos &c. quæ loca ostendunt, alibi granum ab impijs attritum cum tanto fœnore multiplicasse &c. Si de defectione in disciplina loquatur, magis debebat efflorescere, cum martyrum sanguis semen sit Christianorum, & disciplina potius persecutorum persistatur, quam labefactetur, & ex virtute religiosorum heroica de hostibus triumphando, religiosi quàm maximè efflorescunt. illeque ordo suspicitur magis, & amabilior, cuius plura in oculis viua & recentia fortitudinis ac sanctitatis exempla refert. Nihil ergo argumentum Grauinæ à persecutionibus ductum concludit.*

Dicamus Vindiciano quod scripsit Augustin. *Primo fuit impetus persequentium, modo remansit maleuolentia cogitantium: tempora sunt in Ecclesia persecutione distincta. Contra martyres fremuerunt tyranni persequendo, contra eosdem fremunt maledici insultando: illi contra personas eorum, isti contra sodales, & contubernales eorum.* Vtramque defectionem amplexus est discursus Grauinianus. in prima Vindicianus conuenit cum Grauina, in secunda perperam eundem impugnat. Cum imminutione personarum, & cœnobiorum pauci numero derelicti, & inter paucos infirmiores, qui procedente tempore, in tanta caligine, & funesta persecutorum tragœdia, abscondi potius cogebantur, quàm vel diuinas laudes in choro publicè canere, vel alias disciplinæ Monasticæ exercitationes frequentare, sic tepescere in infirmioribus cœpit rigor obseruantiæ regularis. Sed nec mirum quando persecutionem aliqui non tolerantes consenserunt iniquis. Vnde & pro vtrisque illud martyres vsurpant. *Humiliata est in puluere anima nostra*, hoc est (August. interprete) *inter manus persequentium*, nostra cœnobia solo æquantium: *adhæsit in terra venter noster, id est, carnales & infirmi ex eodem, vt os Ecclesiæ in sanctis sit, venter Ecclesiæ in carnalibus sit: sed os Ecclesiæ* (subdit idem) *eminet, venter absconditus tamquam mollior, & infirmior, in quo enim fortiter persistebant martyres inuicti, ab eo infirmi grauiter decidebant.* nec mirum de ista diuersitate fortium & infirmorum, *cum ipse liber, ius prophetæ ore dulcis videbatur, ventri eius dem amarus erat quid est hoc?* inquit August. *quia præcepta summa, quæ accipiūt spirituales, nō*

Turt. In Ps. 69. In Ps. 43. Ezech.

accipiunt carnales, & de quibus gaudent spirituales, contristantur carnales: quid ergo infirmos traducit Vindicianus, iam ab iisdem martyribus deploratis iniuria martyrum est, cum ventrem hunc, hoc est, infirmos in terram ipse abscondat, vt vltrà quod humilientur non habeat; Vindicianus vltra terram quærat vt hæreat venter, non vt humiliet sed obruat, imo inusitato crudelitatis genere, absconditum ventrem reuerset, vt Turcico more, funibus, & flagellis maledicentiæ detrahentes percutiāt. Nec sanguini martyrum insultet, quod cum sit semen virtutum & heroicarum actionum, in his locis vbi passi sunt non floreant, vt obijcit sine probatione, nam etiā Abrahæ dictum est. *semini tuo dabo terram hanc*] *& tanto interuallo temporis absque pueris manserat, minusq; apta generationi Sara fiebat*, vt ponderauit Chrysostomus & admonet alibi quod quando *Dominus aliquid pollicetur, & si diuersa his quæ pollicetur videamus in principio euenire, non turbemur, neque enim possibile est vt ad finem vsque aberrent.* Iam iacti seminis in ipsa Germania sanguinis martyrum abundanter fructus sperantur, vt erat ab initio, cum vetustis ordinibus cœnobia ab Hæreticis occupata, Inuictissimus Imperator Ferdinandus Augustus restituenda procurauerit, hoc vnum cupiunt martyres, ne astu inuidiæ, simultatis, vel alijs humanis, & secundum carnem affectibus & huius seculi legibus, eorum semina quin in flores & fructus erumpant, præfocentur.

Gen. c. 11. Chr. ho. 38. Idē ho. 53.

At tandem post refutationem elumbem argumentorum Grauinæ deficientiam lassorum ostendentium, adæquatam, vt putat causam eiusmodi tradere, ore maledico extimauit, dicens.

VIND. *Verum aliud hic subest secretum, quod Lynceos Grauinæ oculos minimè fugit, sed calamus euulgare detrectat. Videlicet incauta cum Ecclesiæ hostibus familiaritas, quorum prophana, & scelerata colloquia plurimum ad impietatē proficiebant, & vt Cancer in viscera serpebant. Istorum venena de Babylonis poculo ori mellea, cordi fellea, portentosos veluti phrenesi eorum saltus de excelso in abyssum, de solio in cloacam, de cœlo in cœnum, de claustro in seculum, de paradiso in infernum procurauerunt. Hæc Accouita non modo Monasteria sed integras ordinum Prouincias exhauserunt, & lectissimam Ecclesiæ portionem in Tartari spolia verterunt. Nota mortalibus loquar, eandemq; sacrorum ordinum perniciem, si in argumento suo Grauina produxisset, omnes Peripateticorum demonstrationes superasset.* Ber. ser. 63. in Cant.

Si nunquam te hæreticis iunctum agnouissem, ex hoc procedendi modo Vindiciane te hæreticum coniectassem, dum velut laruata simia catholica documenta dare fingis, & religiosorum catholicorum (vt eadem fidelia cum cæteris hæreticis dealbentur) nomen tam turpi titulo hæreticæ conuersationis infamas. *Amici Iob* dicit Gregorius *quasi dum consulunt, inuehunt: hæreticorum figuram exprimunt, qui sub specie cōsulendi agunt negotium seducendi*, vnde, vt fabricatores mendacij, & cultores peruersorum dogmatum detecti sunt. Non erat efficacius argumentum ad alienandos catholicorum animos à religiosis, & hæreticis iubilationis materiam ministrandi, quā eosdem fingere religiosos habere socios & domesticos; cumque tu Vindiciane ad ipsorum castra pertinere coniecteris, vt excusabilis fiat à te tuisque symmistis eorundem malitia, vel culpam extenuando; vel religiosorum statum pernicioso eorum statui exæquando, tam insigne mendaciū fabricasti. Tibi nota, quia à te inuenta, loqueris. Affingis religiosis ex familiaritate ficta, hæreseos non leuem suspicionem, ne tu tamquam hæreticus solus imperaris, vel religiosos sub vno fasciculo cum hæreticis alliges. *Notata sunt* vt dicam cum Tertull. *etiam commercia hæreticorum* (de quorum grege es) *cum Magis quamplurimis. cum* 24. mor. c. 1. De præsc. c. 43.

circu-

circulatoribus, cum Astrologis, cum Philosophis curiositati deditis, nunquam notata religiosorum, cum hæreticis tuis commercia, tãto ordinum, & prouinciarum, & selectissimæ portionis Christianæ (vt iactant tua ampullosa, & sesquipedalia verba) detrimento. Cum ergo non sit materia quam imperas, & carpas,

Quid dentem dente iuuabit
Rodere? carne opus est, si satur esse velis. dicebat Poëta Martialis in obtrectatorem, nõ habentem calumniandi materiam.

Pergis deinde plusquam pictoria & poetica licentia, addens & tertiam hæreticam in regulares hæc effutiendo.

VIND. *Sed enim quem Grauina perditorum ordinum auctorem accuset? Regularem an hæreticũ? Ille oua posuit, hic exclusit: iste tibia cecinit, ille saltauit: vnus sirenes & saliaria sacra inuexit, alter cupidius inuasit: sicam hæreticus sub osculi blandimentis lateri infixit, Monachus ictum non cauit. Quæ vtrinque necessitas potuit in mutuam perditionem exurgere? Effrenata voluntatis libido. Hic tu Grauina, non in recentium dũtaxat, sed veterum quoque ordinum pestibus infige Maronianum illud Acroama: Discite iustitiam moniti: & festiuum illud scholium appone. Asserta nostra scandala vestra sint, hoc est, seruiant vobis, vt nunc seruit Deo vestra praeseruatio.*

IVRT. *Sanctus quisque cum caditur* (dicebat S. Hilarius) *non humilitatis suæ qui casus est, sed insolentia eius qui cadit miseretur, vt à vesano filio pater, vt ab amente ægroto medicus contumeliam passus, dolorem non ex eo quod perpessus fuerit sentit, sed ob id quod ille quem sanum esse cuperet, iniuriam sibi vesanus intulerit.* Non tam iniurijs quam tua insolentia, væsania, & amentia commouetur Grauina, qui te sanum cuperet, & in Ecclesia esse tamquã morigerum suum, non carpentem sua illustriora membra. Petis. *quis ordines magis perdidit hæreticus an regularis?* Respondet Grauina: *Hæreticus plus nocuit, quàm malus & pessimus regularis.* hic malo exemplo suadet, ille quoque & falsa doctrina, & potẽtia opprimit. vnde S. Gregor. exponens ea verba de oppressis & quibus nocumentum infertur. *Propter multitudinẽ calumniatorum clamabunt, & eiulabunt propter vim brachij Tyrannorum*] ait. *Quod quisquis male viuere suo nos exemplo compellit, adhuc in nobis voce calumniatoris vtitur. Quisquis verò peccatum suadens etiam terrere nos appetit, iam contra nos brachio tyrannidis sæuit. aliud est enim vitia suadere viuendo, aliud iubere terrendo. Dum ergo exempla mala actionis aspicimus, quasi adhuc strepitum calumniatoris audimus, dum vero vi peccare cogimur, iam Tyrannum in corde sustinemus.* si qui regularium aliquos perdiderunt malo exemplo, nec totam communitatem destruxerunt, neque Cœnobitas occiderunt, nec materialia templa & religiosorum domos euerterunt. at vt dicit P. Richeomus Societatis Iesu in Idololatria Hugonotica, Hugonosticorũ velut *i ferarum immanitatem senserunt simul Dynasta plebei, viri, fœminæ, puellæ, viduæ, virgines, senes clerici religiosi, Sacerdotes, Episcopi, Abbates &c. non est facultatis meæ recensere innumerabiles omnium ordinum homines innocentissimos à vestræ factionis reformata, captos, fortunis omnibus spoliatos, vinctos vexatos, contrucidatos &c. quæ porrò tanta crudelitatis causa? alia nulla prorsus, nisi quod orthodoxam fidem, ac religionem Catholicam religiosè tuerentur.* nec id solum in Anglia, Scotia, Belgio, Germania, Polonia factitatum est, sed & in Gallia: cuius rei, inquit, *testes Picardi, Andegauenses Normanni. Biturgens. Pictau. Santones Cardurcen. Burgund. Lugdunenses &c. ipsa quoque elementa orbis, quæ tali carnificina se contaminari ac funestari persenserunt.* Quis ergo auctor Vindiciane, perditorum ordinum regularis an Hugonota? & quantum attinet ad mores, plures perdidit, vnus halitus draconis illius à fide & religione apostatæ, qui etiam traxit tertiam partem stellarum

In Ps. 118. in ea verba defectio tenuit me.

Iob c.35.

26. mor c.10.

Lib. 2. c.26.

larum cœli, vale dicendo Monaſticis votis, Monachos, Moniales, nec non & clericos inceſtuoſis copulis iungi poſſe falsò ſuadendo, quàm ex omnibus ordinibus collecta obſcęnorum multitudo vnquam prauis exemplis perdere potuerit puſillos. Magis corrumpere potuit & deprauare Cœnobitas ſuaſor corruptus voluntate & intellectu, quàm ſolo affectu deprauatus. Quicunque in Eccleſia libidinoſus eſt, ſi deprauata voluntate libidini ſeruiat reluctante conſcientia, iudicat ſe intemperanter facere, & ſaluo fidei iudicio, Dei ope rurſus inflecti poteſt ad ſtudia caſtitatis: ſed execullati apoſtatæ, Moniales ſacro velamine abiecto, ſacerdotes, & clerici cęlibatum execrati, Hugonotiſmum Vindiciani profitentes, ne dum appetitu carnis, & affectu corrupti, ſed etiam intellectu, tàquam triplici ſatyriaſmo intellectus, volũtatis, & carnis, maiori impetu ad obſcęnitatem anhelant, id perficientes, quod ſine remorſu eſſe faciendum, animis hæreſis inſtillauit. Idem in corruptione Monaſticæ diſciplinæ contigiſſe dicendum eſt, plus enim nocuit, chori deſtructor, ieiuniorum eliminator &c. quam quod infirmi Monachi firmo exiſtente iudicio de ſacris obſeruantijs religioſiſſimè ſeruandis, ab ijſdem ex fragilitate, veterata conſuetudine, vel malitia deflexerint. Quomodo ergo Regularis poſuit oua, & hæreticus excluſit? &c. miror quod non addideris [regularis adhibuit tormentarium puluerem, & globos æneorum tormentorum, hæreticus ignem admouit: Regularis ſemina prauæ doctrinæ veſtræ ſuppoſuit, Hugonotus fouit & excepit pullos, & inter cæteros Vindicianum iam eierati Monachi ſobolem, vt certè,

Ouo prognatus eodem.

Non ſecus ex Leda, à Ioue compreſſa, ouum illud peperit, vnde Gemini quoque prognati Caſtor & Pollux. Decantatum prius per Germaniam in hæreſis Lutheranæ initio: *Eraſmus innuit, Lutherus irruit, Eraſmus parit oua, Lutherus excludit pullos, Eraſmus dubitat, Lutherus aſſeuerat, vel Eraſmus lutherizat, vel Lutherus eraſmizat.* & tu Vindiciane diſſimile tanquam ſimile formaſti, diſſolutis Regularibus fermè tribuens initia hæreſum, vt ſimili deſinentia cantillarent turbæ, videlicet [vel Monachi hæreticizant; vel hæretici Monachizant] cum nec prauæ doctrinæ regulares quantumuis diſſoluti oua ſuppoſuerint, vel tibijs cecinerint. Quod ſi vnus Lutherus innumeros pullos excluſerit, nõ ex ouis religionis, ſed ex ijs, iam intra ſe conceptis iam pridem hæreſibus, excluſit. Hoc tamen non in culpam religionis refunditur, ſed prauæ Luthericæ voluntatis, vnde nõ eſt cur ex Vindiciana obiectione erubeſcat à Sanctiſſ. Auguſtino fundata religio Illuſtriſſima. *Non erubeſcant in me qui expectant te Domine &c.* [*dicebat Dauid*] hoc eſt S. Auguſt. interprete *non ſic affligar ab inſurgentibus perſecutoribus, non ſic obterar ab inuidentibus inimicis meis, ab oblatrantibus hæreticis, qui à me exierunt, quia non erant ex me: nam ſi fuiſſent ex me, mecum forſitan permanſiſſent: non ſic eorũm ſcandalis premar, vt erubeſcant in me, qui expectant te Domine virtutum.* Nec ſcandalorum oua in hæreſim neceſſario rerum ordine erumpunt; nam nec releuat Caluinum & Lutherum dogmatizantes, *rectius facere ſuos proſelytos, nullo modo vinculis voti caſtitatis aſtringi, quia impudicitia deprehenditur in religioſis, Deo dicatis perſonis* (quam falſo proinde dicunt à Cęlibatu emanare) nam quod multi licentiosè, & flagitiosè viuant, eorum culpa eſt, ex effręni libidine, cum è contra innumerabiles viros religioſos, & moniales vitam agere caſtiſſimam experiantur. Quomodo ergo ex hac effræni libidine, tamquam eſſent ſibi inuicem cauſæ, concludis Vindiciane, *hanc vtrimq; ſubminiſtratam operam, regularis & hæretici in mutuam*

Pſal. 68.

Calu. l. 4. c. 31. Luth. ſer. de Matrim.

mutuam perditionem prorupisse? cum vnum ex alio nequaquam sequi sit demonstratum, & demonstratio à te nō sit percepta, cum nescieris occasionem à causæ ratione separare. De te tuique similibus hæreticis scriptum est: *oua aspidum ruperunt, qui comederit de ouis eorum morietur, & quod confotum est, erumpet in regulum*: rumpunt enim oua ab hæresiarchis parta ministelli doctrinā euulgando hæreticam, vnde ex ouis ruptis; erumpentibus vel exclusis serpentibus letho dedantur rumpentes, & multò magis comedentes. Quod vero confotum est, auxilio, opibus, adulationibus erumpit in regulum, cuius afflatus, vel proxima quæque loca sæuissima lue corrumpit. In tuis ergo postibus nullum Maronianum Acroama, sed propheticum memoratum dictum affigendum, vt discas hæreticos oua concepisse & fouisse, & erupisse regulos, nullo modo regulares supposuisse, & vestrates exclusisse, & si Gallus es Hugonota vel de Britannorum vicinia, vel de cubilibus leonum, vel montibus pardorū timendū, ne ex ouis erumpat Basiliscus. *Esa 54*

CAPITIS NONI

ANIMADVERSIO.

Vbi Vindicianus redarguitur, Grauinam arguens quod Regularium ordines hodie vniuersim florere sancta contentione sustineat.

SVMMA CAP.

Ex externis quoque spiritualibus exercitationibus florentissimus Religionum status ostenditur: & difficile est probos ab improbis Regulares velle discernere, ex recto vsu donorum & virtutum exercitio interiori, mortificatione &c. cum intentio operantis cognosci nequeat. Nec ad internas oportet nos conuertere notas, videlicet interioris crucis, mortificationis, & huiusmodi, quod & hæretici faciunt; sed opus est easdem cum exterioribus pœnalitatibus, & exercitijs copulare. Ex palmis martyrū floridus status earundem demonstratur, quorum martyria eludere Iulianica imitatio est. Similiter ex interuento martyrio austeritatum, ieiuniorū etiā &c. ostenditur florens, quæ tanquam à Spiritu Acediæ proficiscentia reijcere, Iouinianicum est. Ex diuinis alijs charismatibus & donis Dei similiter comprobatur: sic ex titulis, prorogatiuis Magistrorum, ex regularibus assumptis ad Ecclesiasticas dignitates, in quas inuehi de hæreticorum officina prodit. Aliæ regulæ dignoscendi obseruantes ab inobseruantibus Religiosis ab Anonymo traditæ, discutiuntur.

A Iunone Iouis Germana, & coniuge Troianis illud dictum affixum eleganter Poëta expressit, dicens:

Pacem orare manu, præfigere puppibus arma, *Lib. 10. Æneid.*
significare volens, ideò Troianos supplices esse Italis, vt mentirentur amicitiæ, & concordiæ fœdera, quò securos nihilque mali metuentes ex improuiso adortos subigerent, & opprimerent. Conuenienter tibi idem adaptatur carmen. Vindiciane, qui simulata beneuolentia erga Societatem, & publicata erga veteres ordines inimicitia, & perniciem vtrisque moliris, & sub amicitiæ prætextu ad omnes, occasionem eiusdem Societatis simulatū sumēs patrociniū, te præparas ad lædendum omnes religiones veteres, & nouissimam Societatem.

Primo ergo adoriris in hoc capite Grauinam, dicendo, vt *Bellarmini lachryma magnifico solatio siccarentur, Grauina solerti mentis industria sacrorum ordinum origines, progressus, præstantium virorum facinora laudesq; in aceruum congessit, vt epitomen ex omnium regularium chronicis compilasse videretur. Hac relationis series titulum operi imposuit, hac Turturis exultatio. Est & triumphus hac Bellarmini in querela de Regularibus, veluti Nilo AEgyptus affatim inundatur. Vbi nunc vetus propositum gementis columbæ zelum, quoad fieri posit excusandi? abite in pessimam rem suspiria & lacryma, Grauina monstraturus est ordines illos, quos Cardinalis deflebat, non modò semper floruisse, verum etiam iā nostra ætate florentissimo in statu versari,* & ad hoc verba, & probationes Grauinæ refers, & statū quæstionis in hoc con- VIND. *Ex 1 p. c. 3. præfat. ad lect. & c. 2*

dum absoluerunt, nequaquam enim inde licebit concludere, hodie quoque eorum posteros virtutibus, & prodigijs excellere, & probas ex author. Greg. qui quamuis libros de sanctis Italiæ scripserit, grauiter de suæ ætatis clericis, grauiter de secularibus lamentatur. Est & S. Felicitatis comparatione fœdius posteritatem desciscere à maiorum laudatissimis vestigijs, ac potius degenere probari. Bellarminus vero, non eos qui ante Concilium Tridentinum vixerunt defleuit, sed viuentium ac militantium in ordinibus conditionem.

VIND. Ergo iam me prouocas ad chronicorum exhibitionem, vt non nisi à tempore Concilij vsque ad præsens, floruisse & florere demonstrem saltem nomina & instituta breuissimè attingēdo. sed iam id præstitum 2. part. Turturis in enumeratione illustrium personarum etiam post Concilium vsque ad præsens in singulis sacris Ordinibus, & in eorundem chronicis diffusis inspicere poteris. & inferius multa te importunè flagitante in discussione tui 17. Capituli, proponentur, quæ os tuum oppilabunt.

De Helena loquens Theocritus dixit. *Satis florentem dici potuisse Lacedæmonum Rempublicam, quia vnam solam Helenam produxisset*, & eloquentiæ parens ad Catonem. *& si* (dicebat) *in ciuitate nostra multi Catones non essent, in ea vnum extitisse mirabile est.* Ep. 379. At non vnam Helenam, vel vnum Catonem, sed innumeros deprehendes viros gloriosos in omnibus Ordinibus vsque ad nostra tempora. Si piget chronica euoluere, saltem sepulchra percurre, non in vna vel altera Prouincia, sed in omnibus quæ sub cœlo sunt insignium Beatorum, & perfectorum monumenta occurrent, vt in vnoquoque illorum affigi possit illud Epitaphium. *Adam maximus ibi inter Enacim situs est*, vel vt alia habet versio. *Homo maximus & clarissimus inter gigantes.* Iosue 14. his (etiam quando imperfectorum vitia S. Gregorius arguebat) operum sanctitate, & virtutum splendore si non inferioribus, saltem paribus, suos dialogos implesset. Quid nasutulus Vindicianus? *Est qui accusat vos Moyses, dicitur immorigeris*, ait Vindician. *frustra igitur Grauina, seu potius cum ætatis nostræ dedecore Heroum antiquorum agmina ducit*, nemo enim de illis scrupulum, aut quæstionem mouit.

TVRT. Sed dum hoc dici immorigeris fateris Vindiciane, euidenter immoriger demonstraris, qui omnia confundens, cœlum cum terra miscere contendis. Nec (vt carpis) Grauina cum ætatis nostræ dedecore, Herorum antiquorum agmina ducit, de quibus nullus scrupulus, nulla quæstio, sed præsentium temporum, & ætatis suæ densam turbam, perfectorum virorum, quam calculo tuo vix numerare valeas, in apertum produxit magno omnium religionum & Ecclesiæ totius gloria & ornamento.

I. Probatio Grauiniana elusa à Vindiciano, roboratur, & multos bonos, cum paucis malis admixtos (quicquid Censorinus Cato mussitet) reperiri demonstrat.

§. I.

VIND. PRimam ergo probationem florentium religionum ab Indicis peregrinationibus & profectibus desumptam aggrederis, dicendo *te impium fore si quicquam istorum inficiari velis, cum Grauina ostendere incumbat omnes talium ordinum alumnos, vel maiorem, vel tertiam saltem eorum partem memoratis Heroibus similem reperiri. In magna, inquit, domo Apostolus, etiam Vasa lignea & fictilia inuenit, sed Grauina pro sua in omnes Regulares beneuolentia, cum Thoma Bozio pauca agnoscit, vt vix in aliquem numerum cogenda. Quocirca*, subdis, *mei officij erit cum Cardin. Bellarmin. selectorum vasorum numerum iustis calculis supputare.*

TVRT. Tua diuerticula & anfractus verborum reperisse, triumphasse est. Doces ergo velis

nolis, admisceri in religionibus tot Heroibus dissimiles, ac proinde vasa lignea cum fictilibus inueniri: Et sola contentio de horum excessu superest. Et vbi est quod hucusque non lacrymis columbæ, sed Crocodili, vt mactes, & perdas, penè corruptorum ordinum statum deplorasti, Michææ tibi partes impositas asseuerans, vt botrum vnum in vineis reperire diffideres? Acutus disputator existimabitur Vindicianus, qui contradictoriæ suæ positionis oblitus, tam cito à sententia sua volubili leuitate discessit. & vt fucum facere lectori videatur, mixtionem tandem fatetur, & ad superexcessum imperfectorũ supra perfectos & Heroicos, statum quæstionis immutando, sermonem dirigit, & se triumphasse putat, si suis calculis hoc reperiat. Sed vide manifestam inconstantiam. Hucusque Vindicianus de multitudine scandalorum & deficientium ab institutis, longiores sermones protraxit, nec tantum excessum, quantum cupiebat reperit, nunc de ordinarijs religiosis viuentibus nouam quæstionem format, si à dictis Heroibus excedantur, an ipsos potius excedant.

VIND. Arripis ergo calculos ad supputandum Heroes & vasa ista selecta, vt horum raritatem ostendas. *Ex Cassiani ergo institutis, accipis abnegationem sui cum arreptione crucis, & in eadẽ crucifixione, & præcipuè (ex Gregor. 5. moral.) ambitu, cæterisque affectionibus per tria vita tanquam tres clauos crucifigendus, attentione (ex Cæsario) vel penitus cõcremandus ex ratione holocausti (cum S. Doct.) per tendentiã ad perfectam charitatem, & remotionem sollicitudinis à temporalibus.* & subdis. *Hic mihi cũ Grauina certamen est, ex dictorum progressu, vel defectu nostrum duellũ dissoluetur. Si tu mihi plures tali modo crucifixos in ordinibus, vel certè ad eiusmodi crucis mortificationem aspirantes, & pro virili sua adnisos exhibueris, totam Victoriæ gloriam cum summa voluptate concedam. Cardinalis dum pro columba gemitibus fontes inue-* Inst. c. 34.

stigaret, planè ex istius abnegationis mensura Regulares probauit, plurimaque desiderauit, quorum partem expressit, reliqua silentij velamine texit.

TVRT. Optimus calculus cognoscendi perfectos eiusmodi ex abnegatione & crucifixione. Vnde Gregorius Papa idem dixit. *Hi ergo in numero perfectionis sunt, de quibus per Paulum dicitur: Qui carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs.* Sed ibidem docet quomodo perfectionẽ metiamur, explicans ea verba Prophetæ: *mensus est virlatitudinem à facie portæ inferioris vsque ad frõtem atrij interioris extrinsecus centum cubitos*, ait ergo, *quod Redemptor noster quotidie per magistros atque Doctores in mensura perfectionis metitur vitam fidelium, vel in specie boni operis per fidem, vel in sanctis desiderijs, per contemplationem*, & infra subdit. *Et notandum, quia non dicitur quod intrinsecus, sed extrinsecus ista mensurantur, quia Redemptor noster, cum per nos facta hominum vel approbat vel iudicat, non intrinsecus metitur, vnde & per Euangelium dicit: ex fructibus eorum cognoscetis eos. Quia enim per hoc quod videmus, cognoscimus operantis animum, quem non videmus, siue latitudinem quæ in facie portæ est interioris extrinsecus metimur. Cum enim alios conspicimus largiri eleemosynam, afflicto occurrere, oppresso subuenire, nihil in hoc mundo gloriæ quærere, nullis huius mundi commodis inhiare, atque alios videmus carnem domare, lacrymis insistere, verbis cœlestibus occupari, nihil transitorij honoris appetere, quid aliud debemus nisi eos perfectos credere, sanctos existimare?* Certior hæc mensura tuo calculo Vindiciane, si in interiori abnegatione, dignoscendæ perfectionis rationem agnoscas. Nam & si hæc externarum actionum sit forma, sine actione exteriori, non erit norma & notio, qui sint perfecti cognoscendi, & si hanc sufficere putas, non mirum, quia in inuisibilitate Symmistæ tui ponunt Ecclesiam, inuisibiles faciendo notas, & inuisibilem, Hom. 18. in Ezech. Ad Gal. c. 5.

facit

facis tu quoque. Nonne tu dum viuum membrum deprehendi *à legitimo vsu donorum, & exercitatione virtutum pronunciasti*, ad interiora & inuisibilia, confugisti? id enim non potest cognosci nisi intentio penetretur. Certè plus proficit ad exemplum exterius opus, etiam si sinistra intentione maculetur, quàm operantis interior motus sine vlla exteriori actione. Vnusquisq; Illuminatorum iactabat interiorem mortificationem in suo corde gestare, nullum exterioris obedientiæ exemplum vel signum exhibendo. Si non operantem hæc exteriora video, quamuis intentionem iactet rectam, non iniustè scandalizor, sed si hæc extrinsecus operantem, interna mortificatione destitutum pronuncio, sum criminis reus, cum sanctos sancta operantes ex Gregorio venerari tenear. Cum ergo externis his mortificationibus & rectis operationibus, Monasteria tamquam vino torcularia redundent, omnes ad huiusmodi crucis mortificationem aspirantes, vel si mauis tertiam partem, concedas necesse est, & in maiori parte perfectos (qui erat nouus quæstionis status) sic totam Victoriæ gloriam ex tua promissione, non Grauinæ, sed veritati tribuere, volens nolens adstringeris. Hæc eadem Bellarmini mensura abnegationis, ad doctrinam Gregorij subordinata, Grauinæ propositum firmat potius quàm infirmet.

Illud etiam ad confutationem Vindiciani facit, quod dicit Gregorius, explicās quomodo intra partem erant fenestræ obliquæ, quod *contemplationis, & perfectionis gratia summis datur, & minimis non datur, sed sæpè hanc summi, sæpe minimi, sæpius remoti, aliquando eam coniugati percipiunt. Si ergo nullum est fidelium officium à quo posit gratia contemplationis excludi, quisquis cor intus habet, illustrari etiam lumine contemplationis potest &c. vt nemo ex hac gratia, quasi de singularitate glorietur, nullus se donum luminis æstimet habere priuatum: quia in eo quod se habere præcipuum putat, sæpe alter ditior est, quem habere apud se aliquid non putat.* sic fieri potest vt multi sint illustrati diuinitus & in magna perfectione, quos minimos vel nullos existimamus. *Hom. 17. in Ezech.*

Sed sint multi ex his imperfectis, Heroibus comparati, adhuc ad pulchritudinem spiritualis ædificij conducunt, nam licet ad perfectionem sex cubitorum non perueniant, tamen ad quinque cubitorum mensuram pertingunt, ait idem Gregor. *A mensura enim* (ait) *cælestis ædificij distincti non sunt, nam* (subdit) *& paulisper se ab appetitu corporalium sensuum abstrahunt, & per bonum desiderium in mensura cælestis ædificij esse memorantur, quia ex voce Ecclesiæ per Psalmistam dicitur. Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur.* Qui iterum *per Psalmistam dicit: Benedixit omnes timentes se Dominus, pusillos cum maioribus. Hi itaque & imperfecti sunt, & pusilli &c. qui & si necdum ad spiritualia dona proficiunt, vt vel ad perfectam operationem, vel ad succensam contemplationem animam exerant, tamen ab amore Dei & proximi in quantum capere præualent, non recedunt. Vnde fit vt ipsi quoque & si in minori loco, in sancta tamen ædificatione sunt positi, quia & si ad doctrinam, si ad prophetiam, si ad miraculorum gratiam, si ad contemptum mundi plenius exequendum fortasse minores sunt, tamen in amoris, & timoris fundamento sunt, in quo solidantur.* Solos ergone Heroes instructura spirituali religionum admisit, vt minores & pusillos excluderet? *Hom. 15. in Ezech.* *Psal. 138.* *Psal. 113.*

Sed sit horum imperfectorum & minorum ac pusillorum maxima pars, eundem ordinem sciat Vindicianus esse in religione, qui in arca (quæ est typus Ecclesiæ) fuisse perhibetur: latitudinem enim habebat arca in inferioribus, vbi erat animaliū turba, coangustabatur deinde paulisper, donec in altum proficiens ad vnum

tendebat in vno cubito cōſummata, iuxta quem homines & volatilia habitabant. Sic in Eccleſia (ait Gregorius) carnales ſunt, quos videmus tamquam animalem ſpiritum habentes *in ſuperbia erigi, in carnis voluptate diſſolui, acquirendis terrenis rebus inhiare, imperante auaritia mare tranſire, deſeruire iracundiæ, iurgijs vacare, proximos quos præualent lædere, ſed quia eos adhuc Sancta Eccleſia tolerat, vt conuertat, quaſi in arcæ latitudine deorſum beſtiæ commorantur*. Et tranſiens ad ſecundum ordinem ait. *Videmus alios iam aliena non quærere, illatas iniurias æquanimiter portare, rebus proprijs eſſe contentos, humiliter viuere. Sed quia iſti iam pauci ſunt coanguſtatur arca*. Ad tertium ordinem deueniens, ait. *alios autem conſpicimus etiam poſſeſſa relinquere, nullum rebus terrenis ſtudium dare, inimicos diligere, carnem à cunctis voluptatibus domare, motus omnes ſuæ rationis iudicio premere, per cæleſte deſiderium contemplationis pennas ſubleuare; ſed quia tales quique valdè rari ſunt in arca iuxta, cubitum ducuntur, vbi homines & volatilia continentur, &c. in vno verò cubito conſummatur arca, quia vnus eſt auctor, & Redemptor ſine peccato, ad quem omnes proficiunt, qui ſe eſſe peccatores nouerunt*. Eodem prorſus modo, de cœtu omnium Religionum diſcurrendum; quod ſunt ſummi, medij, infimi. Summi, qui ſunt perfecti & Heroes: medij qui ſunt illi imperfecti & puſilli, timentes tamen & amantes Deū: ſunt poſtremo infimi animales, & carnales pertinentes ad vaſa fictilia. Nec neceſſe eſt vt iſti medij ſint in tanto numero, vt Heroibus æquentur, nam Heroes rari ſunt, illi autem reſpectiuè pauci ſunt. Sic funditus Vindiciani diſcurſus euertitur, etiā cum ſtatū quæſtionis immutauit.

II. Probatio, ex palmata martyrum veſte deſumpta (cui Vindicianus Iouiniano ſupercilio illudit) ad florentem ſtatum religionum monſtrandum, congruenter adducta monſtratur.

§. I.

EX martyrum innumerabilium palmis florentiſſimum religionum ſtatum probari Vindicianus non inficiatur, ne Gnoſticus manifeſtus mordēs martyrium tamquam ſcorpius, Scorpiacon timens, deprehenderetur. Verum relinquens, leoninam aſſumpſit vulpinam veſtem nouus Iulianus, vt è manibus martyrum palmas ſurriperet, ne floridus ſtatus religionum ex martyribus appareret. De Iuliano ſcripſit Nazianz. *Martyrum quoque honorem athletis inuidebat. Primum ſi cuius nam cauſa periculum ſuſciperetur, obſcurum eſſe arbitrabatur, facturumque ſe putabat, vt artibus ſuis callidiſque conſilijs veritatem obrueret, ac non potius, quò plura aduerſus honores comminiſcebatur, hoc maiores clarioreſque redderet. Deinde ſi gloriæ cupiditate, ac non veritatis ſtudio, & amore nos periculum adire extimabat*. Non diſſimiliter in hac ſectione Vindicianus velut Lucianus cum Iuliano, eadem fidelia dealbato, procedit. Non poterat palmas iſtas adeptos, innumerabiles religionum ſacrarum martyres exturbare, vt tamen veritatem adumbret, extra chorum ſaltans, ad impertinentem quæſtionem vergit, an ex martyrio ſufficiens præcedentis ſanctitatis teſtimonium colligatur? & vt fucum faciat in eo, quod probandum non exigitur, laborat, ad oſtendendum baptiſmum ſanguinis ſanctum facere, non ſupponere, & cum ſit donum gratuitum, à meritis hominum non dependet; proinde cum à Gentilibus vel Hæreticis Monaſteria obruta narrantur, non concludi (ait) religioſos eo loco mactatos, vniformi virtutum exemplo floruiſſe.

Orat. 1. in Iulian.

VIND. Hæc tua verba ampulloſa. *Ex martyrum penè innumerabilium palmis Grauina quoque de ordinum fœliciſſimo ſtatu ducit argumentum. Neque ego inficior, quicumque ex Regularibus in cauſa fidei vitam poſuerunt, hos Chriſti mortificationem in corpore ſuo exactè pertuliſſe, cuperem tamen à Grauina edoceri, an*

ex

ex martyrio sufficiẽs praecedẽtis sanctitatis testimonium colligi censeat; cum enim hic actus constantiam in fidei professione primario respiciat, & genus quoddam baptismi sit, & à nullis hominum meritis dependeat. Certè in casu quo haeretici, Iudaei, Turcae, caeterique infideles subitò Monasterium obruunt, indigenas mactant; quis prudentum statim inde concludet Religiosos eo loco vniformi virtutum exemplo floruisse? &c.

TVRT. Diuersa quaestio est mi Vindiciane, an ex martyrum coronis Religio florere dicatur, & an martyres ipsi vt martyres sint, primam gratiam in ipsis supponant; & an ex Martyrio sufficiens sanctitatis testimonium colligi queat. Primum est quod in quaestionem cadit, & quod tu negas; Cyprianus affirmat, dum indifferenter pronunciauit de quibuscumque martyribus quod *floribus eius nec lilia, nec rosa desunt; vt singuli accipiant coronas vel de opere candidas, vel de passione purpureas.* imò illud mirabilius, quod paulo ante algente iniquitatis hyeme, repente sanguinis cruore è siccis ramis flores erumpant; vt, ne multa commemorem, in Bonifacio, & Aglae intemperantiae poenitentibus apparuit, & alijs moechis & sanguinarijs (vt ex Cypriano adducis) testimonium repente conuersis, qui palma martyrij coronati sunt. & hoc admirabilius ex Tertulliano, quod *post aduersarij insidias; saeculi retia etiam post lauacrum periclitatam fidem; aut qui vestitum obsoletassent nuptialem, qui faculis oleum non praeparassent; susceperint secunda solatia & extrema praesidia, dimicationem martyrij, & lauacrum sanguinis, inde securum; de quibus dicitur: Beati quorum remissa sunt iniquitates. Propriè enim martyribus nihil iam imputari potest; quibus in lauacro ipsa vita deponitur. Sic dilectio operit multitudinem peccatorum, qua Deum scilicet diligens ex totis viribus suis, quibus in martyrio decertat: ex tota anima sua, quam pro Deo ponit, hominem martyrem excudit,*, ex Tertullian. Non dicatur exercitus martyrum candidatus (vt canit Ecclesia) quia inter martyres corpore, iam pridem spiritu, adscripti sunt ambulantes ante martyrium in vitijs & concupiscentijs suis, nam vineas florentes non vult appellare religiones illas, si habeant tales martyres, in quibus sanctitatis vestigia non praecesserunt. Non obstant praeteritae sordes ad abolendam denominationem exercitus candidati. nam ex eodem Tertul. *innumera multitudo dealbati & palmis victoriae insignes reuelantur. De quibus dicitur: lauerunt stolas suas, & candidas eas fecerunt in sanguine agni. Vestitus enim animae caro: sordes quidem Baptismate abluuntur; maculae verò martyrio candidantur; quia & Esaias ex ruso & coccineo niueum & laneum repromittit.* Nec oberunt florenti vineae paliuri & vrticae, quò minus florida dicatur, si in florentes palmas conuertantur; sed quis est iste curiosus explorator, vt vestigia sanctitatis inquirat? cum, illo clamante, *qui sunt isti & vnde venerunt?* non ad omnia & singula curioso exploratori, meritorum & sanctitatis appensori responsum sit, tantummodo ad id quod ad florentem & candidatum exercitum probandum sufficiebat: *Hi sunt qui lauerunt stolas suas & candidas eas fecerunt, imo & ipsas maculas* ex Tert. *in sanguine agni.*

Epist. 9.

Cyp. Lib. de sing. clericorum.

Tert. in scorp. c. 6.

Psal. 31.

In scorpiac. 6.

Cap. 11.

In Apoc. cap. 22.

VIND. Aliud callidum effugium reperit versutus ad martyria eludenda infinitorum penè martyrum totius Ecclesiae. *Nimirum: latrocinium hostes intenderunt, qui vero peccati obicem; repentinis in terroribus contritione à se remouerunt, si causa religionis interuenit, martyrij fructum & gloriam consecuti sunt.*

TVRT. Duplici ergo titulo occidi potuisse insinuat Vindicianus praedictos martyres, quosdam latrocinij, quosdam religionis intuitu, quos si poenituit, fructum martyrij perceperunt. At haec veterum Gentilium calumnia apud Tertull. quod Christiani tamquam nocentissimi hominum

In Apolog. cap. 42.

de medio tolleretur: & hæc Iuliani vafricies, aliam causam quam religionis in martyrum occisione designans Non sola sacra auri fames infideles ad Cœnobia & Cœnobitas euertendos extimulauit, sed religiosorum, & Deo dicatorum nomẽ, plusquam Vatinianum odium politica lege vestitum, vt causa obscurata, titulum martyrij abolerent. Sed cum iura partium sunt obscura, quibus fauendum putas, an tibi lyncæos oculos habenti, & de intentione occidentium iudicanti, an illis, qui pensatis conditionibus occidentium, loci, temporis, imminentis causæ, & similibus, quę in passione & morte prędictorum religiosorum acciderunt, habita fida informatione martyrij, attestati sunt passiones? (nec enim alijs motiuis humanis præter assistentiam Spiritus sancti infallibilem processit Ecclesia, vt tot martyrum millia in suis tabulis describerentur, & tanquam martyres colerentur) vt si Vindiciana cauillatio cum Iulianica atque Gentilica locum habere posset, innumeros martyres è martyrologio expungere opus esset, latrocinij enim causa, & direptionis bonorum Christianorum ab impijs pro religionis titulo affigeretur.

Orat. 1. in Iul. Naz.

Adhuc martyriorum refragator Vindicianus ebullit, callens & ipse offendere, figere, & lingua occidere. Quasi non satis fuerit martyribus ad coronã pro Christo occubuisse, nisi noua alia causa à Vindiciano inueniretur, & verę causa in qua cõsistit martyrij gloria, assignaretur, quæ aut illam vel obscuraret, aut infirmaret, vel penitus interimeret. Nouum occidendi genus, vt mortem corporalem linguæ morte Vindicianus dissolueret, occisionem occisione dispungeret, tormenta tormentis discuteret, supplicia supplicijs euaporaret, peruersitas, quæ non aliundè quàm ex Erebi portis emanauit. Audiamus ergo, quæ ex fœtẽtibus pręcordijs Vindicianus eructet.

§. II.

VIND. *Sæpe etiam audiuimus Barbaros ad inferendam necem, à Religiosis irritatos fuisse, dum multa contra ipsorum politicas leges designarent, asperis verbis incederent, alijsque modis incautè prouocarent. qui etiam veteri Ecclesiæ tanquam temerarij displicuerunt.*

TVRT. Sed aliud est barbaros irritari & prouocari ad mortem inferendam; aliud actus fidei, & Religionis exercere martyres, scientes quod inde occasionem sumerent affligendi, & occidendi eos, vt scitè distinguit Caiet. primum illicitum est, secundum fieri licite Cardinalis Caietan. pronunciauit. Sed & inter alios modos temerarios, ipse temerarius recenset spontaneam ad martyrium oblationem, quam displicuisse veteri Ecclesiæ nititur probare. Siste Vindiciane antequam moueantur docti audientes aduentum argumentationis tuæ; vel ad lapidem offensionis impingant. Ad anchoram, vel baculum Ecclesiastici sensus confugiamus. Si vltronea oblatio ad martyrium reprehensibilis est, reprehendatur Ecclesia quæ S. Almachium colit non vocatum, sed vltro Præfectum alloquentem. *Hodie sunt octaua Dominicæ diei, cessate ab Idolorum cultura.* Ioannes martyr censoria Ecclesiæ virgula à martyrum albo dispungatur, quod edicta pendentia Diocletiani in Christianos, iniecta manu detraxerit, atque discerpserit Ædesius martyr non recitetur in Odæo, quia Iudicem virgines sacras prostituendas mandantem verbis aggressus. Aboleantur de martyrologio Roman. Eccles. Priscus, Malchus, Alexand. qui calore fidei accensi, vltro iudicem adeuntes; cur tantum in sanguinẽ innocentum desæuiret obiurgarunt. Annalia & tabulas Ecclesiæ scriberemus, si cunctos enumerare vellemus vltroneos martyres. vna sit virago, martyrum Amazona, quæ agmen claudat, Catharina Virgo Alexand. quæ intrepidè

Caiet. 2. 2. q. 124. a. 1. ad 2. arg. Mart.

In martyr. 1. Ian.

In mar. 7. Id. Sept.

In mart. 28. Mart.

In mart. 25. Nou.

pidè Maximinum Imperatorem adijt Christianos persequentem, crudelitatem Tyranno obijciens, & crucifixi sapientiam suadens, & tamen hæc & præcedentes felici agone consummati, meruerunt vt etiam in cœlis perciperent immarcescibilem gloriæ coronam. Refert S. Chrysostom. non solum viros, sed & teneros pueros virginesque, nondum nubiles; & in *summa ex omni sexu, & ætate quosdam pro religione ad mortem prosilire.* Ecclesiasticæ doctrinæ studiosissimus S. Thomas ex hoc vsu Ecclesiæ talem doctrinam protulit. *Non est contra perfectionem martyrij, si in aliquo casu sit de necessitate salutis.* & mox *est enim aliquis casus, in quo martyrium perferre non est de necessitate salutis, puta cum ex zelo fidei, & charitate fraterna multoties leguntur sancti martyres sponte se obtulisse martyrio.*

Orat. in SS. Iuuentium & Maximũ mar. to. 3.

2. 2. q. 124 a. 3.

VIND.

Contra instat Vindicianus & Sancti Cypriani authoritate Sanctum Doctorem Thomam prosternere aggreditur. S. Cyprianus *Clericos monebat vt tranquilli maneant, neque se quisquam quærentibus vltro offerat, Dominum enim magis confiteri, quam profiteri voluisse, & ipse à Proconsule de Presbyteris interrogatus respondisse fertur. Neque nos exhibere possumus, neque ipsi se vltro sistent: cum hoc sancta scriptura prohibeat.* Sanctus Ambrosius, *tempore persecutionis,* inquit, *nos de ciuitate in ciuitatem cedere, imò, vt ipso verbo vtar, fugere vult Dominus, ne temere aliquis dum martyrij desiderat gloriam, offerat se periculis, quæ fortaßè caro infirmior, aut animus remissior tolerare non queat,* ac paulò seuerius in prouocantes. *Cauendum etiam reor, ne dum aliqui nimia gloria ducuntur cupiditate, insolentius abutantur potestatibus, & plerumque auersos à nobis animos Gentilium in studia persecutionis excitent, atque ad iracundiam inflamment: itaque vt illi perseuerare poßint, & supplicia vincere, quantum perire faciunt?* Nota Grauina (subdis) *non minus in hac parte aliorum periculo, quàm proprio cauendum esse.*

Ep. 83. ad presbyt. & diac.

1. de off. c. 37.

TVRT.

At non est difficile respondere Vindiciano, nam non quamcunque oblationem ad martyrium dissuasit Cyprianus, sed tumultuosam, & temerariam. Vnde subdolè, non integrè attulit eiusdem authoritatem Vindicianus, sic enim habent fideliter transcripta Cypriani verba. *secundum quod me tractante sæpißime didicistis, quietem & tranquillitatem tenete, ne quisquam vestrum aliquem tumultum de fratribus moueat, aut vltrò se Gentilibus offerat, apprehensus enim & traditus loqui debet, si quidem in nobis Dominus positus in illa hora loquitur, qui confiteri magis voluit quàm profiteri.* Clarius mens S. Cypriani percipitur, ait enim, *ante aciẽ multi victi sunt sine congreßione prostrati; nec hoc sibi reliquerũt vt sacrificare idolis viderẽtur inuiti. Vltra ad forũ currere, ad mortẽ sponte properare, quasi hoc olim cuperent, quasi amplecterentur occasionem datam, quam semper optassent? Quid illi qui à magistratibus vespera vrgente dilati sunt? quod ne eorum differretur interitus etiam rogauerũt. Quam vim potest talis obtendere qua crimen suũ purget, cum vim magis ipse fecerit? Nonne quãdo ad Capitolium sponte ventum est, quando vltrò obsequium diri facinoris accessum est, labauit gressus, caligauit aspectus, tremuerunt viscera, brachia conciderunt?* &c. loquitur ergo sanctus contra vltroneam comparitionem temeritati innixam, imparem omnium humeris, cum specialis requiratur in martyrio gratia, supra communem gratiam. Inuehitur pariter contra dantes Gentilibus occasiones, & titillantes & vrgentes tyrannos ad occisionem; vnde mirum non est, si multi ex temerarijs istis vltroneis, & irritantibus Tyrannos, in conflictu lapsi sint. Quibus præcipuè, tàm ad temeritatem compescendam, quàm infirmitati consulendum conuenire exponit illud dictum, fugã suadendo: *exi de ea populus meus, ne particeps sis delictorũ eius, & ne perstringaris plagis eius,* subdens: *Qui exit & cedit, delicti particeps non est* (irritando) *plagis vero, & ipse perstringitur,*

Cyp. serm. de lapsis.

gitur, qui socius criminis inuenitur, & ideò Dominus in persecutione secedere, & fugere mandauit, atque vt id fieret & docuit, & fecit. Nam cum corona de Dei dignatione descendat, nec possit accipi, nisi fuerit hora sumendi; quisquis in Christo manens interim cedit, non fidem denegat, sed tempus expectat. Vel dicendum quod loquitur S. Cyprianus de sola vltronea exhibitione ad martyrium, nulla existente necessitate, vel vtilitate proximorum, nam cum est necessitas, sub præcepto quis tenetur se offerre, sicuti de consilio est quando est vtilitas, & certum est in tali casu fugam non posse habere locum, tunc enim vitium est, & cum periculo lapsus coniungi solet, & hi non sunt fortes, sed audaces, qui iactabundi esse solent & volunt videri fortes, cum non sint, vt plerique timiditatem habeant adiunctam: & hos Aristot. vocat θρασυδείλους, id est, audaci timidos, & hi (vt etiam Cyprianus descripsit, & subdit Aristoteles) *initio sunt præproperi, & antequam res vrgeat adire pericula volunt, in ipsis autem periculis, cedunt, & absistunt.* at viri fortes in factis ipsis sunt acres, & celeres, ante facta sedati & quieti. (3. Ethic. cap. 7.)

Ad authoritatem S. Ambrosij dicitur, quod non de quacumque spontanea oblatione, sed temeraria apertè loquitur, & hoc ea verba demonstrant, *ne temerè aliquis &c.* etiam de audacibus & iactabundis sermonem facit, ait enim: *ne dum aliqui nimia gloriæ ducuntur cupiditate, insolentius abutantur.* hi tantum absunt, Vindiciane, vt fortitudinis actum exerceant, & gloria martyrij decorentur, vt etiam ista, temeritate superaddita, de veteribus delictis pœnam reportent. Ijdem ergo Patres Vindicianum exarmant, cum facillime euertantur, quæ firma & certa ipsi videbantur: imò se ipsum destruit, nam dum veterum ordinum martyria in dubium vertit, ijsdem ratiunculis martyres etiam Societatis oppugnat, vt videas lector totum in hoc esse Vindicianum, vt nullis ordinibus parcat, qui fingit se pro Societate pugnare.

Clanculò iterum canis mordet, & derelicto martyrio cruento ad incruentum, & inuisibile prouocat, quod, inquit, *regularibus commendatissimum esse debet, cum ad exterius martyrium felicissime disponat:* & petit Vindicianus, *vt huius inuisibilis martyrij præbeantur indicia, vt florentissimus Ordo iudicetur. Huius martyrij mentu tria requirit testimonia vt afferantur. Primo si regulares iniurias, & contemptum æquanimiter ferant. Secundo si quascunque molestias huius vitæ ab intrinseca vel extrinseca causa ortas pacate subeant. Tertio si eiusmodi regulares potius ab ordine portentur, quam Ordinem portent.* VIND.

Interna indicia poscit Vindicianus, vt difficilè sit ea accipere vt notas perfectionis & martyrij interni. Ex illo fonte Hæreticorum nostri temporis procedit instantia, qui signa & notas Ecclesiæ ponunt, *charitatem & internas afflictiones & crucem interiorem.* Hæc enim omnia non possunt aliquid indicare, nisi ad actus externos prodeant, vt saltem per eos quantum possibile est, vel charitas, vel interior mortificatio indicetur. Cum ergo inuisibilia duo saltem prima signa ostendant, æquanimitatem & patientiam, quæ in actibus interioribus perficiuntur, non possunt esse rationes innotescendi, cum non nisi negatiuè actus connotent contrarios iræ v. g. &c. Et adhuc ij inter quos viuunt perplexi sint, ex taciturnitate & silentio, an ex virtute, an ex indolentia prodeât vel Apathia Stoica. Si vero cum adiunctis exterioribus actibus virtuosis internum affectum manifestantibus verbo vel factis ostendantur, accipimus vt signa interioris martyrij. Sed Vindiciano incumbit probatio quod hæc in sacris ordinibus non reperiantur, vt argutulus deflorator exoptat. Verum ex sequentibus sinuosus & perplexus, & dolosus animus Vindiciani dete- (TVRT. *Lutherus tom. 7. de not. Eccl.*)

dete-

detegitur, hæreticis non leuem lætitiam subministrans, sub prætextu solius interni martyrij externas omnes afflictiones & externas cruces ablegando, ait enim.

§. III.

VIND. *Triumphat Grauina in præfat. sua: adhuc vigiliæ, preces, lacrymæ, collisa genua, pectoris diuerberationes, suspiria ex imo, pernox statio, mētis ad Deum peregrinatio perennant: adde quæso tristiores indutus setosum stragulum, aßidua verbera, & quicquid asperitatis regula vel deuotio cuiuscumque excogitarit. Hæc omnia cum Acediæ spiritu consistunt, vti multis Caßianus, & Climacus testificantur, quibus & S. Greg. & S. Bernard ingenuè assentiuntur.*

In Instit. in prim. capitibus grad. 12. c. 31. moral. 31. serm. de pass. Domini.

TVRT. Paulatim te prodis, ad quæ castra pertineas: nēpè ad delicatulos illos Epicuræos, Iouinianos, & nouissimos, Protestantes, qui vt sint ad opera carnis aptiores, afflictiuas operationes, & austeritates, quibus caro deprimitur, aspernantur & ablegant: & tanquam minime ad perfectionem conducentes, imo & obsistentes pronunciāt. Alij delicatuli & si catholici mortificationem voluntatis exagerant, afflictiua refugiunt, quæ exterius inferuntur. De illis dixit Gregor. interna exercitia iactantibus, refugientibus externa quod *volunt esse humiles sine despectu, esse contenti proprijs, sed sine necessitate, esse casti, sed sine maceratione corporis, esse patientes, sed sine contumelijs volunt. Cumque adipisci virtutes quærunt, sed labores virtutum fugiunt, quid aliud quam exhibere belli certamina in campo nesciunt & triumphare in vrbibus concupiscunt? Quid ergo inquit? siccinè illa spiritualia* ait Bernard. *persuades, vt etiam hæc quæ ex regula habemus, corporalia damnes? nequaquam, sed illa oportet agere, & ista non omittere?* Quam delicatus, & compulus Vindicianus apparuit, qui deflorans religiones, coronam sibi struit victoriæ ante prælium, & ex SS. Patribus solos flosculos suaueolentes decerpsit, herbas vero vel flores medicinales corpus purgantes negligit, assuetus sensibus fauorabilia eligere, & aspera eliminare. Si religionis schola consideretur, vt pœnitentiæ status, vbi homo vitam inchoat (ait Tho.) & à veteri vita purgatur, tantum abest vt hæc parui pendenda sint, vt potius illa perfectior dicatur religio, quæ maiores austeritates habet, sicut in ieiunio, vel paupertate, vel huiusmodi: vnde quando conceditur transitus ad perfectiorem, intelligitur austerior ex Concil. Tributiensi. *Virgines sacræ, si pro lucro animæ suæ propter districtiorem vitam ad aliud Monasterium pergere disposuerint, Synodus concedit*: si autem consideretur, vt perfectionis est status, vigiliæ, ieiunia &c. & si perfectio ipsa non sint, sunt perfectionis instrumenta ex S. Thom. & dispositiuè ad acquirendam perfectionem ordinantur, vt ad votorum obseruantiam: vnde idem Sanctus: *oportet continentiæ viam assumentibus carnem propriam abstractu delitijs, vigilijs, & ieiunijs, & huiusmodi exercitijs castigare.* Sed carni & sanguini concretus Vindicianus in sola Metaphysica & Mathematica abstractione consistens, ac si à carne & sanguine absolutus esset, in sola interiori mortificatione obtutum figit, vt aërem verberet, & non corpus domet & redigat in seruitutem: & si Physicè loquitur, non Physica flagella assumit, sed Physica oblectamenta, de quibus loquebatur venerabilis Hugo. *Ecce diabolus Physicam docet. Ecce medicus factus est, de complexionibus loquitur, infirmitates diuersas, si teneatur Religio, generari prædicat. Sed quare hoc? non vt mederi velit, sed vt occidere possit. Videt ex subtractione ciborum luxuriæ vires posse minui, ideo non tardat minari ægritudines.* Sic facit Vindicianus, qui externas afflictiones recensitas, cum spiritu tristitiæ, vel acediæ (quæ tristitiæ affinis est) coniunctas dicit, cuius vitij infirmitas *amentem facit*, ex Cassiano, *& ebrium sensum; frangitque & obruit desperatione pœnali: sicut enim tinea*

7. mor. c. 12.

Ber. Apol. ad Guill. Abbat.

S. Thom. e. ius. 19. c. 1.

Habetur c. 1. 20. q. 4.

S. Th. 2. 2. q. 184. a. 3.

Opus. 18. c. 9.

De claustro animæ c. 2.

Lib. 9. c. 1. & 2. & ... 10. cap. ...

tinca vestimento, & vermis ligno, ita tristitia viri nocet cordi. Ex Salomonis Prouerb. cap. 25. & vt quædam febris ingruens tempore præstituto, ardentissimos æstus accensionum suarum solitis, ac statutis horis animæ inferens ægrotanti. An fortè ad tristitiam propulsandam ieiunandum, psallendum & vigilandum non est, quia ex istis oritur acediæ spiritus? non esset nouum hæc audire; nam alter Anonymus tuus symmista id prius scripsit: *ieiunia, vigilias, ad corporales exercitationes pertinere, quas ad modicum* ait *valere pronunciauit Apostolus, respectu pietatis religiosæ mentis, quia sunt tantum ad morbum peccati carnalis, non spiritualis, quia aliquando propter abstinentiam, homo in iracundiam, inanem gloriam & huiusmodi incurrit S. Thom. interprete*: hæc ille. Sed neque hoc consistere potest (vt generalis statuatur canon) ex operibus afflictiuis spiritum acediæ vel tristitiæ nasci, & ex illis hominem in iracundiam, inanem gloriam & eiusmodi incurrere, nam S. Thomas consulto addit particulam *aliquando* (vt temeritatem Vindicianam tanto ante reprimeret) qui absolute easdem exercitationes cum spiritu acediæ coniunctas indefinitè & vniuersaliter pronunciauit, nec enim negare poterat S. D. quoad superbiam edomandam valere ieiunium, dicente August. *ieiunium facit cor contritum & humiliatum &c.* solum docuit S. Doctor illa opera afflictiua ex sui natura, quia non bona simpliciter (pœnalia enim sunt, si enim homo non peccasset illa non fuissent) sed sunt bona medicinalia vt Reubarbarum purgans &c. in quantum reprimunt concupiscentias & sunt primo & per se ad peccata carnalia non spiritualia instituta; at pietas valet ad omnia ex natura sua, ex eodem, ad spiritualia & carnalia, est enim filia charitatis, abstinentia autem ex ordine ad charitatem, primo & per se ad carnis

Ep. ad nobilem Polonum.

macerationem, & etiam ad mentis elationem reprimendam valet. Vindicianus hæc cum spiritu acediæ coniuncta audacter pronunciauit. *Reuera magni homines* dicebat Cyp. (vel quicumque eius lib. auctor) *qui se comparant sanctis & eximia conuersatio nostra quæ prophetis vel Apostolis videatur æqualis, ad occasionem luxuriæ nostræ in peruersum sanctos volumus imitari, & in cæteros actus vestigia iustorum nolumus sequi.* Apost. se exercet in ieiunijs, macerationibus, &c.]

Cyp. de ... cleric.

Ex hac discursu, si omnimode Vindiciane negas vtilia esse, & generali clausula affirmas cum ieiunijs &c. spiritum acediæ residere, iam Iouinianista Lutheranus declararis, quasi istarum exercitationum damnator, vtpote acediam & tristitiam generantes, & vt dicebat de Iouiniano Hieronymus iam *Epicurus, Christianorum deprehenderis.* Sic etiam si istis abiectis, in sola sistis interiori abstinentia & mortificatione, à vero aberras, qui simplicibus, quod nec vident, nec tu facis, tuo interno martyrio & abstinentiæ vis vt credant. Si aliquando vel in aliquibus cum his omnibus austeritatibus spiritum Acediæ consistere profiteris, vel ex illis nasci iracundiam, & huiusmodi, fatearis necesse est tuis etiam internis exercitationibus & tuo martyrio, eadem vitia vel coniuncta esse posse, & oriri posse, non minus quam ex corporporalibus illis pœnalitatibus, si quidem teste Gregor. *acceptis virtutibus homo interdum in audaciam suæ præsumptionis erigitur*, & sunt nonnulli (ait idem) qui *dum virtutibus crescunt elatione corruunt*: cur ergo proprium fit, quod omnibus virtutibus potest esse commune? audi eundem tuum Cassianum, *nam virtuti pietatis proximis, spiritus Acediæ suggerit necessarias salutationes fratribus exhibendas, visitationes infirmorum, vel eminus vel comminus positas. Quædam etiam pia ac religiosa dicta* affi-

Hierony. contra Iouin.

9 mor. c. 13.

Li. 2 Reg. cap. ...

Lib. 10 ...

officia, illos vel illas parentes debere inquiri, & ad salutandos eos crebrius properari, illam religiosam deuotamque Deo fœminam omni præsertim parentum subsidio destitutam, magnum opus esse pietatis frequentius inuisere, ac si quid ei sit necessarium, quæ à proprijs parentibus negligitur, atque despicitur, sanctissimum procurari, magisque oportere in his operam pietatis impendi, quam infructuosè, ac sine vllo profectu in cellula residere. An detrahes pietati & alijs virtutibus internis, quia etiam spiritus Acediæ interdum potest bonis operibus etiam internis copulari, quem tu vniuersaliter, vt tuam temeritatem eleuares, externis pœnalitatibus adiunxisti?

Potiatur Vindicianus perfectionis virtutibus interioribus, & interiori cruce, credat non Turturi, sed sanctis adhuc opus esse extrinsecis illis pœnalitatibus ad eas conseruandas & promouendas. Rectè Riccardus de S. Vict. *Voluntatem* ait *nostram nunquam perfectè desiderio bonorum cœlestium inflammari posse, nec intellectum nostrum rerum diuinarum contemplatione posse plenè illustrari & purgari, nisi diligentes simus, in reprimendis commodis & cupiditatibus corporis etiam licitis, & necessarijs:* & S. Chrysost. *Ioannes purus homo indigebat medicina ieiunij. Christus Deus erat non purus homo & ideò huiusmodi non indigebat: & si homo* ait S. Thom. loco cit. *esset in statu in quo non posset peccare, non indigeret ieiunio & huiusmodi.* existimabat fortè Vindicianus dum hæc scribebat se esse in statu innocentiæ, sed dum supra homines se efferre voluit, inferior hominibus reperitur, comparatus iumentis insipientibus, & maior Ioanne indigente medicina ieiunij apparere vult, volutatus in carne & sanguine, vallatus agminibus fœminarum. Has authoritates adduximus, multas relinquentes vt dicam cum Hieronymo, vt erubescant *formosuli nostri, & tonsuli, & vix summis pedibus adumbrantes vestigia, quorum verba in pugnis sunt, & syllogismi in calcibus, qui paupertatem Apostolorum & crucis duritiam, aut nesciunt, aut contemnunt.* Loca vero quæ adduxisti pro tuo spiritu Acediæ tuendo impertinenter adducuntur ex Cassiano & Climaco, nam, *nec in omnibus, nec semper,* religiosis infensum esse ex ijsdem PP. colligitur, nec à Turture in aliquibus imperfectis, & ad horam perfectis considere denegatum. *Non nego eos esse sectandos* (vt dicit Cyprian.) *quos DD. accipimus cuncti, sed aduersus eos contendo, qui cupientes ad mala sua bonorum historias deprauare, legem Dei existimant sibi suffragari, sicut omnes, qui perire festinant, & sub obtentu sanctorum dedecora sua volunt esse celata, vt sub imitatione maiorum contraria quoque committant.*

Lib. de contemplat. *Matth. 16. venit. Iesus.* *Cont. Iouini.* *Cyp. de sing. cleric.*

§. IV.

VIND. Quisquilias tandem colligens subdit Vindicianus. *Atque experientia certificamur longe segnius admitti, quæ ex aliorum arbitrio, quam quæ ex proprio, seu vrgente necessitate onera imponuntur; item, sub zelo publicæ incolumitatis priuata emolumenta egregiè vindicamus, &c. ob leuiculas res haud secus anguntur, discruciantur, vt veteres Eremicolæ apud Cassianum pro sportella, codice, graphio inuerecundè litigantes:* & concludis. *Tot delicatos martyres Grauina fortissimis Athletis æquabit, isti ne flores amœnissimam omnium ordinum viriditatem explicabunt?*] TVRT. Benè scripsit Hesychius, *Ficulneus gladius sicophanta,* quod idem mollis sit, & calumniator. Et minimo negotio refelli potest ex solo Ioco prouerbiali Μὴ κάρφος κίνει. *ne moue festucam.* adeò enim morosus est Vindicianus vt ad motum stipulæ satis offendatur, quando non habens quid vltrà de multitudine scandalorum obijceret, eos defectus recensuit, qui sunt in perfectissimo cœtu perfectissimo-

rum virorum, imo quos Apoſtolorum chorus compati potuiſſet, & ex ſportella & graphio vel codice ſcandalizatus phariſaica ſuperbia ad peſſundandas vineas religioſorum contendit. Audi Vindiciane, etiam ad floritionem probandam, ſatis eſſe Grauinæ, vt ſi non in omnibus ſit ſperatus perfectionis fructus, ſaltē in aliquibus inſpiciatur proficiendi deſiderium, in alijs vero fructus è floribus enaſci videamus: vnde Gregor. explicans illum locum.
22. mor. c. 23. *Mane ſurgamus ad vineas, videamus ſi floruit vinea ſi flores fructus parturiunt*, ait. *Florent quippe vineæ cum mentes fidelium bona opera proponunt. Sed fructus non pariunt ſi ab eo quod propoſuerint, aliquibus victi erroribus infirmantur. Non ergo intuendum eſt ſi vineæ floreant, ſed ſi flores ad partum fructuum conualeſcant, quia mirum non eſt ſi quis bona inchoat, ſed valde mirabile eſt. ſi intentione recta in bono opere perduret; Vnde fit plerumque, vt ſi in bono opere recta intentio non tenetur, etiam hoc ipſum opus quod bonum creditur amittatur. Nam quoſdam ſæpè vidimus terrena quæ poſſederant reliquiſſe, & nihil iam tranſitorium quærere, nullis pro hac vita iurgijs miſceri. Cum itaque hoc in ſe fidelis anima oſtendit, quaſi oliua florem protulit. Sed cum quidam ex talibus rurſus cœperint mundi gloriam, quam contempſerunt, quærere, & terrenis rebus quas ſpreuiſſe videbantur inſatiabiliter inhiare, vacare iurgijs, nimirum proiecit oliua florem, quam propoſuit: quia rudimenta boni ſtudij ad perfecta opera non perduxit.* Qui vero in bono perſeuerant, de ijs dicitur quod *flores fructus parturiunt*, vt ſunt perfecti, in incipientibus, & interdum in proficientibus locum habet quod
Iob c. 15. ſcriptum eſt: *Lædetur ſicut in primo flore botrus eius, & ſicut oliua proijciens florem ſuum*; de quibus ſpes eſt, quod alias refloreſcent ad fructus quoque maturitatem. Illi ſteriles ſunt de quibus dicitur: *Congregatio Hypocritæ ſterilis, congregant enim Hypocritæ*, ait
Iob. c. 15. Sanctus *bona opera, ſed eorum ſterilis eſt congregatio, quia per hoc quod aiunt fructum recidere in æterna beatitudine non appetunt: fœcundi, ac virides in ſuis operibus videntur, ſed in conſpectu occulti iudicis infœcundi & aridi apparent, ſæpè verò æſtu auaritiæ accenſi, eo maiora de ſe opera humanis oculis oſtendunt, quo ampliora ſibi ab hominibus munera appetunt.*

III. Probatio ex florentibus lilijs Confeſſorum & alijs diuinis charismatibus, florentes religiones monſtrans, à Vindiciano tamen irriſa, Nouatorum more, quam ſit efficax diſcutitur.

CVm audiſſet Demetrius Phalaræus Athenienſes fuiſſe demolitos ſtatuas ſuas, quas illi poſuerunt; *at virtutem* inquit ſapientiſſimè, *non euerterunt, cuius gratia illas poſuerunt*. An non ſimile poſſumus Vindiciano reſpondere? qui cum Grauinam alteram palmam à Confeſſoribus deſumentem ad probandum vineas Regularium florentes, cerneret, non ſolum euertere tot heroicas perſonas, velut Ideas imaginatas carperes, ſed eorundem gratijs gratis datis videtur illudere; videlicet *prædicationum, regiminum, Miraculorum*, & penè virtutes eorundem heroicas, ſi fieri potuiſſet, deſtruxiſſet. VIND.
Et non habens quid reſponderet ſingulis ſæculis innumerorum confeſſorum myriades producentibus, *neque hic diffiteor* ait *talium Idæarum contemplatione cæterorum ingens ſecuturum decus, ſi eorundem viuendi rationes ſine cunctatione induerint*, & mox in Grauinam inuehitur: quod *monſtret certiora vbique Regularium, erga Beatos ſuos Parentes, & fratres ſanctæ æmulationis ſpecimina*: & in gratias eorum inuehitur, & incertas reddit, quia *hodie* ait *Viſionum & diuinationum inſolita apud regulares audacia emergit, prout quiſque ſe magis à publico contrahit, & orationi intentus eſt*. Vnde eos cohortatur cum S. Auguſt. *vt ab eiuſmodi rerum pruritu & affectione ſe cohibeant*, 10. Conf. c. 35.

Deo-

Deoque nostro humilem ac simplicem exhibeant famulatum, hortaturque mox, *vt dum Regulares Beatorum suorum laudes prædicant, id verecundè faciant, sine iactantia spiritu & inuisis comparationibus. Auditores enim frequenter tacito murmure susurrant: vos autem qui estis? mores dissimiles denotantes, optantes sequi instructionem Grauinæ vt Pauonis instar, si videns hinc pennas in orbem concinnatas, inde pedes inspiciant cum Daniele clamantes, dicant. Peccauimus &c. confusio, & opprobrium facti sumus &c.*

TVRT. Magna cũ difficultate & pressis labijs & mussitando tot Proceres admittis; quos velut Idæas Platonicas (æquiuoco vocabulo vtens, assuetus ad Idæalem quoque & inuisibilem Ecclesiam formandam) efformas. Non dissimiles præcesserunt antiquitus ludi. Percunctatus quondam Stilpo Philosophus de statua Mineruæ, quam Phidias finxerat: *num Iouis Minerua Dea esset?* acceptoque responso: *est*, subdit: *at hæc non est Iouis sed Phidiæ.* Quod cum fuisset concessum, collegit, *Non est igitur Dea.* Ad hanc vocem apud Areopagitas impietatis reus damnatus est. sed ille conatus est sic elabi, nõ negasse illam esse *Deam*, sed *Deum*, hoc est, masculũ, θεὸς enim apud Atticos communis est generis. Quo non obstante pellitur è ciuitate in exilium actus, sed his auditis Theodorus cognomento ἄθεος dixit. *Vnde hoc nouit Stilpo, nisi fortè sublatis vestibus inspexit Mineruam?* & pari scelere mulctatum historici tradunt. Verecundatus est Vindicianus apertè in Beatorum albo, vel sanctorum, iam locatos vel locandos proscindere, noluit ordinaria nomenclatura eos appellare Sanctorum vel Beatorum & huiusmodi, sed Idæas, quæ cum illas Platonicas imaginarias, & paradigmata & exemplaria exprimere possint, sic putauit ludere, vt illuderet ne deprehẽderetur irreligiosus vel atheos, punibilis certè, si puniri non contingeret, etiamsi exemplaria, & paradigmata se intellexisse subterfugeret. At intelligat Idæas pro exemplaribus, si non ad exemplaria vbique Regulares omnes in suis ordinibus se componunt, velit nolit, iam sunt tot exemplaria vt religiones decorare sufficiant, à quibus dum imperfecti deficiunt, prototyporum perfectionem monstrant, à qua degenerant, nec eorum degeneratio deflorationis religionum testis, sed ipsarum commendatio, à quarum perfectione, ipsorumque perfectorum virtutibus degenerant, ob heroicorum operum arduitatem, difficultatem, & supra communem & vulgatium hominum excellentiam. Quod si hos deficientes ab exemplaribus ob eorum imperfectioné à vineis cupis Vindiciane remouendos, scias palis & truncis egere vites vt floreant & sustentenτur, vt sint meritorum materiæ. Sed mirum est dicebat Aristhenes *triticum optare repurgari à lolio, bellum ab inutili milite, & à Republica inuidos non excedere.* Reputabat iste Philosophos non tã esse inutiles inuidos vniuersitati humanæ, quam inutile lolium tritico, & ignauus bello reputatur.

Laertius li. 2.

L. 7. Apophth.

At sufficere debebat personas heroicas, sub Idæalium imaginum titulo laruatas proscripsisse, voluit quoque miracula, visiones, & alia charismata eorundem infringere, eo titulo quod hæc fingat Regulariũ audacia. Iam Anonymus magis suam deposuit laruam, miracula, visiones &c. hoc prætextu, quia conficta, exsufflando. Simile quid in Catholicos effutiuit Magister tuus Caluinus, dicens. *cum Antichristus mendaces & prophetas Domini miraculis armatos forè pronunciet, non est cur tantopere superbiant Papistæ hoc obtentu, vt ipsorum iactantia terreamur.* Communia pronunciata sunt hæreticorum, teste P. Martino Becano, *Pontificios fingere multa fabulosa vt statuas in Ecclesiæ progredi, animas è purgatorio venire, Christum aut B. Virginem apparere.* & in speciali dicunt

In Matth. cap. 24. L. de Antichristo reformato.

impiè, & calumniosè apud eundem. *Iesuitas dicere, multa se miracula facere in Iaponia, quæ hic facere non possunt, ac proinde verisimile esse eos mentiri.* Fabulis huiusmodi passim ijdem Protestantes conclamant, Legendas Sanctorum respersas. Ab his Vindicianus tanquam vipera de rubeta venenum mutuatus. Et vt modo omittam miracula, visiones, &c. quæ calculo Ecclesiæ in canonizationibus, & beatificationibus diligenti trutina appensa sunt; fidem quoque merentur in suo tamen ordine, & gradu, ij, qui iam pridem chronica religionum descripsere, quos in omnibus mentitos, & deceptos, nullo modo in sapientem cadit: & velle excipere aduersus tam graues scriptores, historicos antiquos maximè irrationabile est, & negatiua probatio aduersario competit, vt proferat in hoc vel illo fuisse deceptos vel mentitos. Nec aliquorum vafricies figmenta multa confingens (qui sint nescio, Deus scit) veris fidem adimit, sicut nec falsarum margaritarum apparentia tollit bonæ margaritæ existentiam. sunt qui rapiuntur cum Apostolo qualis erat S. Thomas (cuius visionibus alter Anonymus nuper detraxit) & alij innumeri sancti, sed exiccato ventre ad aëra eleuati, vel super lapidem cum Iacob caput reclinando Angelos, ipsumque cœlum apertum videndo. Sunt & alij qui ex Hieronymo *post cœnam dubiam Apostolos vident:* dubiam, inquam, quia tot epulis referta, vt ad quam se applicarent, hærebant, quæ si parca fuisset & frugalis, aliquam opinionem vel probabilitatem posset aggenerare, sed cum dubia esset, dubia magis visio; & non mirum si post has dubias cœnas, dubias quoque aliqui visiones saltem vt probabiles recipi velint, vt regulas humanorum actuum, etiam contra Ecclesiæ regulam, vt fuit illud: quod *existente opinione probabili de visione facta in sacris constituto de nubendo, possit eidem visioni obtemperari.* Ad quas insidias cauendas vigilantissimus Ecclesiæ Catholicæ Pastor Vrbanus VIII. zizaniorum prauorum eradicator, superstitionum euersor, Ecclesiasticæ disciplinæ tenacissimus custos, omnia hæc miracula, prophetias, visiones, & libros quæ vitam recentiorum cum opinione sanctitatis defunctorum, diligenti trutina ad præscriptam, & ab eo traditam normam examinentur; & ad cauendam affectationem ab eodem præceptum est omnibus regularibus etiam Mendicantibus, etiam Equitibus S. Ioannis, etiam PP. Societatis Iesu, vt miracula iuxtà traditam à Sanctissimo regulam recipiantur, ne falsa irrepat margarita quærenti bonas margaritas. & quando aliquis impostor detegeretur vel detectus sit, particulare istud factum, vniuersitatem non læsit nec læderet. Quare satis insipienter propter paucos, imò paucissimos, ex hypothesi thesim formauit Vindicianus, quod *hodie visionum & diuinationum insolita apud Regulares audacia emergit* &c. vt omnia chronica, & vera charismata authentica & probata cum fictis imposturis aboleret.

In libello me. ad iud. veritatis.

L. 1. cont. Iouinian.

In decret. 2. die ... 1625

In ... decret. de ... 1612

Verecundè autem (vt petit Vindicianus) Grauina Pauonis instar, dum Sanctorum & Beatorum sui ordinis, & omniũ aliorum dona celebrat, sub vno corpore pedes intuendo clamat & ingemiscit: *Peccauimus iniquè egimus &c.* at tuus diuersus est gemitus, Regularium enim gemitus est de corde compuncto, mente & corpore sobrio, & fide non ficta, tuus, vt Hæreticorum, de corde læto, corpore saturo, fide peruersa procedit, de quibus dixit Hieronymus, quod *epulantes statim vt vident aliquem ingemiscunt, vt se cœlestia contemplari, terrena despicere monstrent, prius ferculis & compotationibus refecti, vt compunctos corde ex ficto gemitu, reassumptis delitiis rideant.*

Sup. c. 1...

Non

Non indignatur autem Turtur de ea admonitione; *vt cum laudes sanctorum prædicantur à Regularibus, modestè id faciant seclusis comparationibus.* quo in genere interdum à quibusdam sciolis peccatur, tales faciendo sanctos, quales dici ipsi nolunt, vt aduertit Magnus ille Magister Cano, & sua sic exaggerant vt faciant de culice camelos. hæc enim omnia hostibus Ecclesiæ irridendi, pijs lacrymandi materiam subministrant. illud à Vindiciano Turtur exoptat vt sciat ex S. Doctore ex huiusmodi prærogatiuis & donis licitum esse *Religionem suam commendare, vt alij ad perfectionem sequendam instammentur, sicut Christiano licet Religionem Christianam commendare apud infideles, vt ad fidem conuertantur, & quanto sunt magis sancti, tantò hunc zelum conuertendi alios ad statum perfectionis magis habent.* hæc ille. Optimum documentum, vt si hoc, quod absit, etiam Vindicianus respueret, ramusculus Guilielmi de S. Amore detegeretur.

Lib. 10. de autho. hist. c. 5.

Opusc. 19. c. 13.

IV. Probatio desumpta ex Gentium conuersione, florere etiamnum veteres ordines conuincit, non tamen Vindicianum spiritum superbum & singularem.

§. I.

Supra clepsydram dicere (ex veteri Prouerbio) Vindiciano aptari potest, loquentiæ enim multum habens, sapientiæ parum, verbositate nimia tempus extrahit: solebant autem veteres ad aquæ stillicidium in clepsydra orandi modum productiori breuiorique tempore præscribere. Tertiam ergo palmam regularium ex conuersione gentium in Oriente & Occidente reportatam, nullo modo florentissimum regularium præsentem statum attestari contendit Vindicianus. Et quia versutus videbat hanc facti euidentiam negari non posse, *immensum proclamat opus, id ostendere sola æternitatis mercede remunerandum.* Interim (subdit) *Neque hinc video Quid Grauina in suum horreum conuehat. Primo, quia conuersio Indiarum solis ferè Mendicantibus curæ est, aliorum regularium multitudo aliorsum velificat. Et hæreticorum loca nec magnopere dictos ordines occupant. Secundo, quia ex Mendicantibus quotusquisque est, qui Indorum vel hæreticorum, vel Saracenorum auxilijs insudat, ita saltem, vt ad tanti operis molem apparatus, qui est necessarius nequaquam prætermittatur? quantus in eiusmodi operatio castimoniæ ac paupertatis cultus, & soliditas non requiritur? quam exacta in diuinis & humanis scientijs eruditio? quam indefessum ad peregrinas linguas desiderium? atque huic non impar ingenium? quam laboriosa in rudibus docendis industria? quàm inuictum ad insuetum solem, auram, & victum robur ac patientia? accedunt quotidiana vitæ pericula, morbi, ærumnæ sine numero, rara confessarij copia, potentes hominum ac Dæmonum insidiæ, & omnium prope amicorum & familiarium inopia huiusmodi, & lucidiora operarij in Domini vineæ lineamenta exhibeat mihi Grauina per regularium cellas, & conditoria, & credam paucorum fortitudinem, & perfectæ virtutis similitudinem in omnes ordinum subditos commigrasse. Hactenus præter nudam affirmationem nihil apparuit.* VIND.

Vltimo tandem cum multorum ignominia addit discursus sigillum videlicet. *Qui scripsit de conuersione omnium gentium, negat illos ordines ad perfectionem properare, qui pauculis secularium conuertendis insistunt.*

Et vt primo membro respondere incipiamus; hæc non solum à te prolata sunt, Vindiciane, sed ab alijs tuis confœderatis Anonymis, *protegunt enim* (Iob attestante) *vmbra vmbram eius* (impio videlicet alterum protegente) *& se ipsos tegunt* exponit Gregor. *dum alios protegunt, quia vitam suam* TVRT.

Cap. 40.

ſuam vident impeti, vnde alios conſiderant libera correctione confundi. & propterea Anonymos ſcribunt libros, ne manifeſtius perſonæ deprehendantur. Anonymus ergo quidam Polonus illi ordini bona addicenda voluit, qui non auſteritatibus &c. inſiſtit, ſed qui verbo, prædicatione, vberem fructum facit in Eccleſia. Anonymorum aliorum quædam biga, non proprijs poſſeſſoribus reſtituenda eſſe propria regulariũ veterum Monaſteria ab hæreticis occupata contendens, iſtud aſſumpſit inter cætera pro medio [quia multæ ſunt religiones quæ alio velificant] nimirum ſibi ſoli, non ſaluti proximi & conuerſioni attendendo; vnde hæc formalia verba biga protulit. *Debere nos hac in re quoque ſententiam hæreticorum inquirere, & quid olim viribus florentes, & liberè ſine vllius timore dixerint, ac fecerint, attendere, quo pacto Monachos eſſe inutilia terræ pondera, ventres pigros, ſtupidas pecudes clamauerint: quæ licet ex ea parte qua vota & & inſtituta Monaſtica condemnantur, hæretica, & ex ea qua iſta bona ad hæreticos prædicantes ac ſtudioſos volebant conuerti, Eccleſiæ Catholicæ pernicioſa fuerint. &c. ex ea tamen parte qua contendebant, melius eſſe bona illa applicare ijs. qui publicam vtilitatem Eccleſiæ melius & efficacius procurant, vera fuiſſe ac laude digna. & à Catholicis merito perpendi, & reipſa perfici debere.* Hæc tui ſynmiſtæ Anonymi.

De transl. reſtituendorum in Imperio ad Societ. Ieſu.

Quo vtruque diſcurſu tecum hos in eo cõſpirare video, vt Monaſtici ordinis profeſſores v.g. Carthuſienſes, Camalduenſes, Ciſtercienſes, Benedictinos improbent quaſi ſint minus vtiles Eccleſiæ, inutilia terræ pondera, ventres pigri, ſtupidæ ac mutæ pecudes, publicam vtilitatem Eccleſiæ, maximè in Infidelium conuerſione non procurantes, ac proinde alio velificãtes tanquam minus fructuoſi, vt Anonymi citati Germani dicebant, quam ij, *qui cum propriæ ſalutis ſtudio, etiam curam alienæ ſuſcipiunt, qui religione, doctrina, prudentia, ſpiritu Apoſtolico inſtructi, ex propria vocationis præſcripto arma contra hoſtes fidei expeditè, in aciem prodire, hæreſes profligare &c. prompti ſemper ſint, & parati.*

Calumnia Anonymorum contra ſacros ordines Monaſticos v. g. Camalduenſes, Carthuſienſes, Benedictinos.

Ergone ſi non deſcendunt, Monachi & Eremitæ mare in nauibus, facientes operationes in aquis multis, pergentes ad gentem diuulſam, & dilaceratam, & alio velificent, non cooperantur ſaluti animarum? an propterea, in ſanctum ocium contemplationis, in vocabulis, cum hæreticis vocantibus Monachos terræ inutilia pondera, imo in re ipſa conuenire debebas? Non ſolum ob odium in vota Monaſtica vel vitæ, vel ſcholas, procurarunt hæretici antiqua Cœnobia vſurpare & retinere, ac ſi per eos publica (vt iactant) vtilitas Eccleſiæ ageretur, ſed etiam propter vitæ ſolitariæ ſtudium, crebra ieiunia, reiteratas vigilias, perennes pſallentium choros, ipſorumque Cœnobitarum nomen, & inſtitutum tantopere illis inuiſum. Callidè Vindicianus ſub prætextu laudis Mendicantium, ob prædicationem Euangelij, quos ſe extollere fingit, cum Anonymis, cæteros Eremitas & recluſos, vel Monachos maiorem auſteritatem profitentes abijcit vt inutiles, quia ad Indos non properant Ipſe vero cum Anonymis, illã prædicationis miſſionem aſſumit, de qua ſcriptum eſt: *væ terræ cymbalo alarum, quæ eſt trans flumina AEthiopiæ, quæ mittit in mare legatos, & in vaſis papyri ſuper aquas.* Quem locum interpretatur S. Gregorius de hæreticis prænuncijs Antichriſti quos mittit diabolus tanquam legatos & prædicatores ſuos in vaſis papyri, per quæ ſecularis ſcientia deſignatur, *in ſapientium enim carnalium papyro ſeu charta prædicationẽ ponit, vt diſfluentes populi ad culpam vocentur*, impugnando auſteritates, ſacras vigilias, pſalmodiam, & eos, qui ad talia opera præſtanda à Deo in ſuam laudem vt peculiarem populorum

ſelecti

selecti sunt; tales legati fuerunt Brasiliani Prædicantes de Caluini grege hæc omnia imperentes.

§. II.

Audi Vindiciane, si alij Cœnobitæ inutilia sunt terræ pondera, quia reclusi & ad Indos non properant, & alio non velificant; Perperam à munificentissimis Institutoribus pro ijsdem ædificata Cœnobia, vt alerétur publico bono inutiles, & boantes pecudes ad nihil aliud apti, quam vt dicebat Lyricus:

Nos numerus sumus & fruges consumere nati.

Pessimè Romani Pontifices, suis litteris & diplomatibus eam viuendi rationem approbarunt, cum ijs cumulatè eorundē bona applicari debuerint, qui vtilitatem Ecclesiæ melius, & efficacius procurant. quæ cum nonnisi impiè concederentur, Anonymorum cum Hæreticis conspirantium, mala esse causa demonstratur.

At quamuis reclusi Monachi ad dissemi- nationem Euangelij passim non pergant, nec ad infidelium oras velificent; tamen eorum statui prædicatio non repugnat, & satis apud Deum coronatur promptitudo animi conuertendi Gentes, & pro facto computatur, vel quia non possunt, vel eisdem non ministratur occasio, sicut in cæteris operibus misericordiæ accidit, quæ exercere non possunt. Etiam satis eorundem naues & classes munitionibus bellicis replent, vt non minus pugnantibus quā adiuuantibus & suppeditantibus arma victoria adscribi possit, per occultos enim precum suarū cuniculos Ecclesiæ hostibus generosè obsistunt. Magis vnius Moysis oratio Amalecitas prostrauit quam vniuersi Israelis armatæ copiæ. Prouincialis Societatis Iesu tanta perfectione pollere describitur c.1.num.5 *vt studio orationis totā Prouinciam debeat sustentare.* Nonne è tot myriadibus Monachorum centuriæ saltem aliquot reperientur, quæ Prouincias & Regna quæ incolunt, virtutum & orationis fulcris valeant sustentare, & aduersariorū impetus & conatus infringere? Decē Pentapolis vniuersæ regionem sustentassent, ne sulphureo incendio conflagrasset. Vnus Deo sufficiebat iamiam perituræ Hierusalem faciens iudicium, & quærens fidem. Vnus Moyses diuinæ restitit iræ Israëlitis comminanti, proferens seruitutis suæ scutum orationem, & tot iustorum Cœnobitarum iugis oratio è nubibus vacua reuertetur, & ignita spicula aspirationum non transfigent corda inimicorum Regis? & vbi illud? *arcum conteret & confringet arma, & scuta comburet igni. vacate & videte quoniam ego sum Deus.* vt his sancto ocio contemplationis vacantibus, Dominum formident aduersarij eius de cælis super eos tonantem & exercitus dissipantem, vt clarissimè Propheta describit.

In const. Soc. Iesu.

Sap. c.18.

Psal.18.

Nunquam ex doctrina hac Vindicianica Magnus ille Cōstantinus Augustus Magno illi Antonio Eremicolæ sese commendasset, nisi cum columnam, nedum Ægypti sed totius orbis existimasset. Theodosius quoque Augustus ad Ioannem in Ægypti Eremo constitutum misit, vt nuncium victoriæ acciperet, illi prædictam, & sine dubio eiusdem precibus impetratam. Existimabunt multoties nonnulli Prædicatores Euāgelij, solo labore prædicationis vomere glebas scindendo, tā vberē messem reportasse, cum tamen superiacta semina, lacrymarum fœcundus imber, ex cataractis oculorum Cœnobitarū effusus, adaquarit ea velut in abysso multa, vnde & Missionibus intenti, & orationibus attenti, euntes ibant & flebant mittentes semina sua, vberes deinde manipulos reportantes, vnde quicumque iam steriles & ventres pigros hos audeat nominare, illū offendat necesse est, qui reclusos Cœnobitas cōsolatur. *Lauda sterilis quæ non paris, quoniam multæ filiæ desertæ magisque eius quæ habebat virum,* nam si ad In-

Profectus cœnobitarum etiam non Mendicantium ostenditur.

Ex 2. 2. q. 174. a. vlt. ad vlt.

Is. c. 54

ad Indos, Mexicanos, Brasilienses &c. non perrexisti, filios sacra baptismatis vnda tingendo, plures filios multo semine lacrymarum prius Christo peperisti, & orationis feruore, vt ostium Euangelij aperiretur impetrasti, nã & si operarij velut Paulus plantarint, vel vt Apollo rigarint, Deus autem incrementum dedit, & vt præstaret oratio obtinuit pro Gentium conuersione effusa, vnde etiam si Stephanus non orasset, nec Ecclesia Paulum habuisset. Et licet vtrumque præstare potuerint orando & concionando Euangelici ministri veluti Machabæi illi, *manu quidem pugnantes, sed Dominum cordibus orantes* attentius & expeditius cum Deo luctãtes Cœnobitæ id multoties præstare potuerunt. vnde quasi alienis impensis militant operarij Euangelici interdum remissi, vbi suis Cœnobitæ feruentes stipendijs viuunt tanquam sibi sufficientes & optimam partem eligentes, in alios contemplationis fructus diffundentes.

2. lib. Machab. c. 15.

Sed non est negandum quando necessitas vrgebat etiam Eremicolas in apertum campũ prorupisse ad debellandas Phalanges infideliũ armati & stipati prædicatione & doctrina Monachi Timotheo Pseudopontifici Alexandrino restitere, & Euthychiana fuligine aspersum demonstrarunt. Hoc etiã titulo à Papa Simplicio cõmendati aduersus Episcopum Constantinopolitanũ pro defensione Catholicæ veritatis insurgunt, vt illud cuibus cantare licuerit: *nisi Dominus reliquisset nobis semen, &c.* Magnus ille Cœnobiarcha Theodosius cęterique Monachorũ ductores, quib. magna vis erat ad suadendum, Anastasio Imperatori sese opposuerunt vt murum validissimũ pro domo Dei, Imperatoris iacula feliciter eludentes. Contra Seuerum hęreticum, & eundem Anastasium Imperatorẽ diuinus Sabas (ait Baronius) Monachorum eximius, & electos Monachos congregauit, pro fide & Ęcclesiæ libertate tuẽda vsque ad martyrium se animantes. Quis innumeros recenseat triumphos cæterorum Monachorum?

Bar. an. 457.

Anno 476

Esai. 1.

§. III.

Descendamus ad sequentia tempora. S. Benedictus Monachorũ Occidentalium Patriarcha, Solitudinis amator præcipuus Dęmonicolas Cassinates à gentilitijs tenebris ad lucem eduxit Euangelij, simulacris Apollinis, & Veneris contractis. cuius exemplo eiusdem sancti Discipuli, ad errores vniuersos eliminandos accincti inferis funestum bellum intulerunt. A familia S. Benedicti Clodouæus Rex cum Francia vniuersa, Remigij prædicatione, ad fidem Christianam adducitur anno 50. Sueui à Martino Monacho conuersi Arianam hæresim eierarunt anno 540. Anglia ab Augustino Monacho cum sex alijs Monachis opera S. Gregorij Magni in fide Catholica instruitur. Lambertus Leodiensis Monachus Taxandriam Germaniæ prouinciã ad Christũ adduxit. Eodẽ tempore quo Kilianus Monachus in Francia Euangelium dissemina-bat 622. VVilfridus Monachus postea Episcopus Eboracensis, in Frisia & Hollandia, & in regione Australium, Saxenum & in toto tractu Insulæ, quæ Vetula dicitur Christum annunciauit, cuius vestigia imitati VVilibrordus Cœnobita Monasterij Rupẽsis in Frisia, & Svvibertus Lindillæ in Saxonia, innumerabiles populos fidei Catholicæ incorporarunt. Bonifacius itẽ Monachus tanquam Germanorum Apostolus vsque in hanc diem colitur. 717. ibidem & in Hassia plurimum in cultura vineæ Christi laborauit, quam & sanguine irrigauit. VVillehadus & Ludgerus in Francoriam Germaniæ Prouinciã profecti 800. plurimos filios Christo Domino pepererunt. In Dacia, Suetia, Gothia, Grotlãdia, Anscharius cum tribus Socijs idololatriã & errores debellarunt: eius vestigia insecutus Stephanus innumeros errantes in tramitẽ veritatis

S. Benedi-[illegible]

ritatis reuocauit. Albus Abbas Monasterij Floriacensis, in Vasconia Galliç parte 970. strenuè laborauit, & vna cum fratre eius Gaudentio Monacho S. Alexij Romæ in Pannoniã secessit, mox ad Sarmatas pergẽs, Russis, Lithuanis, Moschis, Prufcianis, Polonis Euangeliũ prædicauit. Bruno Saxoniæ Ducis filius Cœnobita eiusdẽ Conuẽtus 1025. Ruthenorũ innumeros populos ad salutis viam reduxit, quo etiam tẽpore Bonifacius S. Romualdi discipulus Russiæ Regẽ cum Regno ad Christum conuertit, & eius hostia fieri meruit. Humbertus ad Græcorum schisma eumcendum missus, cũ Nicæta congressus coram Cõstantino Imperatore, in Conuentu omnium publicè confutauit, vt rubore perfusus librum à se conscriptũ flãmis tradere coactus sit. Otho 1125. in Pomeraniã destinatus Bracislaum Principem cum suis & maxima Gentium multitudine ad fidem conuertit cum alijs quam plurimis Saxoniæ ciuitatibus æternę vitæ verba annunciauit. VVicelinus cum quatuor socijs per 50. annos apud VVandalos in cultura Euangelij laborauit.

Fructus nostrorum temporum exorientus à Benedictinis. Sed rugosa facie, elato supercilio nasutulus Vindicianus dicet, iã hæc antiquata, & à modernis Cœnobitis missionum fructũ requiri. Accipiamus, & noua. Non solum Asiam, Africam, Europam suorum filiorũ prædicatione Benedictus præcipuè illustrauit, sed Americæ ipse primus sub Alexand. VI. 1495. aurora fuit Gentibus fidei prædicatione Bucilo Catalano cũ electis 12 socijs suæ familię, verbum Dei velut Solem deferente ijs qui in tenebris, & vmbra mortis sedebant, & viam fecit cæteris Euãgelij ministris, ad portandũ nomen Christi in Gentibus. Quid in Belgio, Lotharingia, Frãcia, Burgundia, pro fidei propagatione operentur, testis est Balduinus Iunius ordinis Minorũ. *par. 4. sui Chronici.* In Germania acies instruunt aduersus tẽtoria Satanæ. Vnus solus Abbas (vt dicamus recentissima & minutissima) Zvvifeltensis vnica sola exhortatione effecit, vt amplissimus pagus abiurata hęresi vno die ad Catholicã fidẽ reuersus sit. Nadburgum superioris Palatinatus vrbs nõ infimæ notæ, Benedictinis Monachis Sancti Andex, suã salutem acceptam defert, cum prius doctissimi Patres Societatis post multos labores non mercede vacui, ijs tamen surdis fabulã occinere viderentur, vt non volentis neq; currẽtis ministri, sed miserentis Dei opus appareret in cõuersione, & non ad clericum, vel Monachum alligatum. *Author li. contra Anonymos c. 4.* Similiter assertum est non vulgare Serenissimi Bauariæ Principis electoris, progredi fœliciter in Palatinatu Monachos S. Benedictini cõuertendis hæreticis, nõ minus quam nouissimos operarios. Reichenbachium prioratum S. Benedicti auspicijs Inuictissimi Cęsaris superioris annis rursus adepti, mille animas apposuerunt ad ouile Christi. Experiuntur quotidie inferior Saxoniæ, & alię partes Germaniæ deprauatę, quantum Benedictinæ familiæ, & aliarum intromissi operarij, vna cum Monasticę disciplinæ reparatione, vineã quoq; Domini ex resipiscentia hæreticorum quotidie amplificent. In vno solo Monasterio Vingartensi ab anno 1612. vsq; ad 1627. numerus pœnitentiũ 237, oS. ab hæresi vero absolutorũ 163. Vides ergo mi Vindiciane, cum illis Anonymis fœderatis, non esse tales Cœnobitas cũ reliquis Monastici instituti viris, ventres pingues, inutilia terrę põdera, vel si minus licentiosè loquaris, sibi vtiles, Reipubl. Christianæ inutiles, cum iam videtis multos ex vno solo instituto Monachorũ, non tã esse cum Moyse in montib. contemplationis orantes, sed pugnantes, atq; cum Iosue in campis viriliter aduersus infideles Hęreticos, Dęmonicolas decertantes, fidẽ quoque Catholicã proprio cruore à se prędicatam & defensam, contestantes, quorũ alij tentati sunt, vt Abbas Monasterij Altdorff, oblatum connubium cum Abbatia *Ex fidis relat. German. ad D. Constan. Caetanum. transmissis.*

retinendum in inferiori Saxonia à Pseudo-episcopo Halberstadiensi, constantissimè recusans, in hanc vsque diem superstes. alij in occisione gladij occisi, alij veneno sublati, alij extorres incruento martyrio prædicatione, & opere, fidei testimoniũ reddiderunt. Recentissimũ est quod die 25. Martij 1632. ex Westphalia prout ex eo Cœnobio D. Abbati Constantino Caietano litteris transmissis significatũ est, capta enim Gottinga à VVismatiensibus cum proditione, irruentibus Dei hostibus, Benedictinum hominẽ capiunt, de statu interrogãt: se Monachum profitetur, in eundem velut agmine facto irruunt, & naribus & auribus præcisis, & oculis erutis vt comederet in os ingerũt. mox per plateas raptant, expoliãt, viuũ decoriant, & in quatuor dissectũ partes, macello venalẽ exponunt, lictoris filio in officina illa crudelitatis apposito, qui ab ingredientib. quæreret, num vellent benè pinguẽ monachalem carnem, vili emere? proculdubio Vindicianus cũ suis nõ emisset, iã enim vt ventres pigros & inutilia terræ põdera publicarat. Goslariæ Monachi & Moniales in eadẽ irruptione in publico foro dehonestati, nudi tripudiare coacti, non minori tormẽto quã si viui decoriati, digni habiti pro sacra religione hanc contumeliã pati. quid respõdebis Vindiciane?

Ex ijsdem relationibus & alijs.

Sed ne solum Germaniæ finibus restrictam putes Benedictinã prolem, in partes Anglicanas & Gallicanas obtutũ fige Vindiciane. Hic enim Nicolaus Monachus etiam præcisa lingua, visus est magnalia Dei prędicare. Ibi cũ Henricus fidẽ cum humanitate exuisset, sex Abbates Benedictini crudeliter enecati 1536. post quos alij tres Abbates gloriosa prædicatione fidẽ profitentes agonis palmã promeruerunt. & Ioanes Feknamus Abbas VVestmonasteriẽsis cum alijs eiusdẽ sodalitij Monachis carceri teterrimo Londinensi mancipati, vbi tandẽ maceratus post annos 26. 1585. feliciter obdormiuit. Quo exẽplo alij animati simili vitæ periodo expleta, terram cũ cœlo cõmutarunt. Inter quos anno 1613. Frater Ioannes de Meruinia à Iacobo Anglorum Rege, neci traditus agonem cõpleuit. An non isti quoque, Vindiciane, per easdẽ semitas Mendicantium incesserunt, quos multo ante prǽcesserũt? cur ludis quod alio nõ velificent? cũ vtrumque præstiterint, nõ suam tantum, sed & proximi salutem effuso etiam sanguine procurantes? Multi hodie Benedictini superstites, qui fœtum suũ Anglicæ gẽtis recognoscunt, exemplo primorum Anglorum Apostolorum feliciter laborantes. cuius missionis Breue acceperunt à Paulo V. 1619. 23. Augusti: & vt feruentius opus tam insigne exequantur sub hac forma vota emittunt. *Ego N. Anglus Monachus professus, promitto, spondeo & voueo coram Deo, Beatissima semper Virg. Deipara, & B. P. N. Benedicto, me semper paratum fore in Angliam fidei Catholicæ propagationis causa redire, ibique permanere, indeque reuerti ad locum mihi destinatum, quando & quoties mihi præceptum fuerit à Reuerend. P. Præside missionis & congregationis Anglicanæ.*

§. IV.

Non defuerunt ante te Vindiciane cum tuis succenturiatis, qui eiusmodi Monachorum agminibus detraherent, vt alio velificantes, vt eos tanquã mortuos mundo, non ad Monasteria tanquam funus ablegandos dicerent, vt ijsdem Euangelij prædicatio non committeretur, nec ad gentes conuertendas mitterentur, præcipuè in Angliam. Vnde ad Academiæ Salmantinę candidatos, transmisso decreto Bonifacij IV. olim edito in Concil. Rom. 610. à S. Mellito Episc. Londinensi & omnibus Italiæ Episcopis subscripto, & transcripto, ex vetustissimo M. S. codice, pro Benedictinis pronunciatum: decreti Apostolici verba hæc sunt, & habentur in decretis.

Persecutio contra Benedictinos ne doceret.

Sunt

Sunt nonnulli stulti dogmatis, magis zelo amaritudinis, quam dilectionis inflammati, asserentes Monachos, quia mundo mortui sunt & Deo viuunt, sacerdotalis officij indignos, neque
16. q. 1. Pœnitentiam aut Christianitatem, seu absolutionem largiri posse Sacerdotalis officij iniunctam gratiam, sed omnino falluntur: nam si ex hac causa veteres æmuli vera prædicarent, Beatissimus Gregorius Monachico cultu pollens ad summum apicem nullatenus conscenderet, cui ligandi, soluendique potestas concessa est. Augustinus quoque eiusdem Sanctissimi Gregorij discipulus Anglorum prædicator egregius, & Pannoniensis Martinus, alijque quamplurimi Sanctissimi viri, pretiosorum Monachorum habitu fulgentes, nequaquam annulo Pontificali subarrarentur. Neque enim Benedictus Monachorum Præceptor huius rei fuit aliquo modo interdictor, sed eos sæcularium negotiorum dixit expertes esse debere; quod quidem Apostolicis documentis & SS. PP. institutis non solùm monachis, sed etiam canonicis summopere imperatur, vtrisque enim perspicacibus SS. PP. exemplis, vt mundo mortui sint præcipitur. Credimus igitur à Sacerdotibus Monachis ligandi soluendique officiū digne administrari, si tamen digne contigerit eos hoc ministerio sublimari. Quod euidenter affirmat, quisquis statum Monachorum, & habitum considerat Angelus enim Græcè, Latinè nuncius dicitur; sacerdotes igitur Monachi atque Canonici qui Dei præcepta annunciant, angeli vocantur, sed vnusquisque Angelicus ordo quanto vicinius Deum contemplatur, tanto sublimius dignitate firmatur. Nunquid non vt Cherubim Monachi sex alis velantur, duæ in capitio, quo caput tegitur, veris demonstratur assertionibus, illud verò quod in brachijs extenditur alas duas dicimus: illud vero, quo corpus conditur alas duas, sic sex alarum numerus conficitur. Decertantes igitur contra Monachos in hac re, Sacerdotalis potentiæ officio carere, præcipimus, vt ab huiusmodi nefandis ausibus in posterum reprimantur, quia quanto quisque excelsior, tanto potentior: ex decreto Greg. PP. Episcopus debet Missam celebrare in ordinatione Presbyteri, & Abbas in consecratione Monachi, & quatuor Euangelia super caput eis ducere, & sicut per quatuor Euangelia docetur, ita per quatuor orationes consecretur, & ita vsque in dum tertium velatum habeat caput, cum summo silentio, & debita Deo reuerentia figurā gerens Dominicæ passionis. Die tertio tollat Abbas capitium de capite eius, vt deposita tristitia veteris peccati reuelata facie gloriam Domini speculetur. Secundo ergo Baptizatus est, & emundatus ab omnibus peccatis: vnde oportet eum maiorem sollicitudinem habere, & pro peccatis hominum orare, & plus valere peccata eorum soluere, quam presbyteri sæculares: quia hi secūdum regulam Apostolorum viuunt, & eorum sequentes vestigia communem vitam ducunt, ideo nobis videtur in his, qui sua pro Deo relinquunt, & à passione eius & morte sumunt exordia mutatæ conuersationis dignius licere Baptizare, communionem dare, pœnitentiam imponere, peccata soluere: tribus diebus sunt sub silentio iuxta Apostolum, quia ob metum Iudæorum in conclaui residebant, vsque dum die tertia Dominus resurgens diceret illis: Pax vobis, sic Abbas pacem det Monacho, & capitium de capite eius auferat. Censemus ergo eos prædicare, Baptizare, communicare, pœnitentes soluere iuxta constituta trecentorum decem, & octo Patrum. Hæc Bonifac. Papa, huius ergo Pontificis decreto & auctoritate subnixi, tale votum Salmanticenses DD. pronunciarunt.

Eadē persecutio à Sede Apostolica sopita.

Nos conuicti tam aperta Pontificis decisione, non potuimus non subscribere debita reuerentia & obseruantia, atque ita censemus Monachos Benedictinos, quantum est ex professione quæ iuxta regulam suam deuincuntur, aut ex instituto seorsim viuendi à reliquis hominibus, vt liberius vacare possint contemplationi rerum diuinarum, non impediri, quo minus possint à suis superioribus mitti in Angliam, & alias Prouincias, vt dent operam reductioni hæreticorum ad fidem Catholicam, à qua defecerunt, & conuersioni quorumcunque infidelium ad eam: addimus præterea perpetuo vsu & consuetudine fuisse in ordine

Salmanticensium sententia aduersus eos, qui prædicationem Benedictinis non conuenire docebant.

D. Benedicti hoc receptum summa & euidenti Catholicæ Ecclesiæ vtilitate, vt confirmat testimonium, cuius meminit Gratian. 6 q 1 & propter id sunt plenæ exemplorum Ecclesiasticæ historiæ, plena fere omnium Catholicorum scripta, quæ hoc nomine hunc sacrum ordinem miris laudibus extollunt, vnde communis penè omnium Christianorum animis inhæsit opinio innumeros ex hoc ordine DD. concionatores martyres & Pontifices produxisse, adeò vt nemo sit cui hæc ignota esse possint. Ita tenet schola Theologorum Salmanticensium.

F. Bartholomæus Decanus
Io. Alphonsus Curiel Canonicus Salmanticensis
F. Augustinus Antonilez Eremitan. S. Augustini
Magister Andreas de Leon Canonicus Pœnitentiarius
F. Ludouicus Bernardus Cisterciensis
F. Petrus Ledesma Dominicanus
Magister Sagredo de Porres Canonicus Salmanticensis
F. Petrus Cornejo
F. Andreas de Espinosa ord. SS. Trinitatis
F. Basilius Pontius Legionen. Eremita S. Aug.
F. Dionysius Iubero Carmelita
Mag. Gelanda professor Hebræus
F. Petrus Herrera Dominicanus
F. Bernardus Benedictinus.

Quam resolutionem Antonius Ruano publico instrumento signauit die 27. Iulij 1609. Apostolica authoritate Notarius, & eiusdem Academiæ Secretarius. Horum exemplum imitatus D. Constantinus Caietanus Collegium Romanum erexit authoritate Pontificis Gregor. XV. confirmatum, vbi religiosi Benedictini instructi quarto voto se obstringunt ad missiones infidelium subeundas magno Ecclesiæ adiumento. Velificare igitur vidisti sicut optabas Vindiciane Monachos, & eo prius, & postea maiori plenitudine penetrasse, quo postea Mendicantes peruenire.] Quomodo ergo inutilia pondera terræ, ventres pigri vocitantur, vt hoc etiam argumento Serenissimo Imperatori Ferdinando, suasum, eis, cum alijs Monachorum familijs, imo & omnibus veteribus religionibus adiunctis, minimè restituenda eorum Cœnobia ab hæreticis occupata, sed solis ijs demandanda, vt qui prætendebatur, maiori fructu prædicationi, & conuersioni hæreticorum incumbent? Sed mirū est, quod optas vt velificent Monachi ad conuersionem infidelium, & alij symmistæ terræ pondera iudicauerint, et ad conuertendum, & docendum inhabiles, vt è mari nauigationem in Angliam impedierint Benedictinorum antiquissimam possessionem, & in Germania tanquam inutiles descripserint, & alijs operarijs eorum Cœnobia tradenda, cum tot Gētium per istos conuertendarum præiudicio? Satanæ hoc peruersum consilium, & machinatio, de quo scriptum est. *Nerui testiculorum eius perplexi sunt*, quia videlicet (exponente S. Greg. Angliæ patrono) *Prædicatorum illius argumenta dolosis assertionibus innodantur, vt recta esse simulent quæ peruersa persuadent, aut allegationum implicatio quasi neruorū perplexitas & si videri potest, solui non valet; vel quia acumina prædicatorum illius sub argumentis duplicibus latent, et numquam ... verbis corda inficiunt. in opere ... ostendunt, neque enim bonos ad se sua persuasione traherent, si se & in actionibus peruersos exhiberent:* & infra, *quos tamen si quis redarguat, mox se sub quodam velamine defensionis occultant, quia videlicet eorum nerui perplexi sunt & male impliciti corruptione solui nequaquam possunt.* Hæc Gregorius. Dies me deficiet aliorum Monachorum, in prędicatione fidei labores, nempe Præmonstratensium, Carthusiensium &c. enarrantem: hi recensiti, qui specialiter nominati, & redarguti & prouocati: pergo ad alia membra solutionis Vindicianæ implexa & perplexa confutāda.

Iob 40.

32. mor. c. 13

§. V.

§. V.

Vbi iam vel negata vel præclusa via esset velificandi Monachis argonautis, alias naues tanquam minus instructas deterret Vindicianus, nempe ordinum Mendicantium, vtpotè, nec cibo, nec armis, nec fortibus militibus, spiritualibus inquam & solidis virtutibus plenas. Ostendat ergo illam vnicam nauem, & singularē quæ munitionibus omnibus onusta felicissimè vndas maris sulcans ad diuisos ab orbe Brittannos vel extremos Indos euehat. Si enim tutè & fœliciter inceder, hic maximus orbis profectus, secum multiplicium ministrorum euangelicorum turmas adducere, vt in vastissimis Prouincijs disseminetur euangelium, si verò periculis & naufragio subiacebit & hoc gloriosum, vt communi dicitur prouerbio, *in eadem esse naui*, hoc est in communi discrimine, vnde Ismenes ad Antigonem sororem dicebat.

Sed in tuis non erubesco me malis,
Rate vecta eadem calamitati adiungere.

Crede non mihi sed psalmographo Vindiciane quod in euangelicis missionibus, magis diuinæ potentiæ, quam carnis sapientiæ fidendum: hæc enim in fluctibus cum exaltantur, homines stupidos reddit, Psal. 106. *anima eorum in malis* tabescit *& omnis sapientia eorum* deuoratur, diuina verò potentia fluctus sedat vt sileant, & deducit euangelicos *in portum voluntatis eorum*, vnde fœlicius est nauigare cum fiscella vel vimine, Deo auspice, quam cum nauibus Tharsis cum sapientibus Ægiptijs. Etiam apud Aristophanem dicitur:

Quisquis secundo nauigarit numine,
Is vel saligno nauigarit vimine. & iterum
Deo fauente nauiges vel vimine.

In Apolog. Fateor *non omnium esse* vt dicitur *adire Corinthum*: hoc enim officium salutis animarum insistendi, vt dicebat Nazianz cœlestem quandam vitam requirit, primo *purgari, deinde purgare, sapientia instrui & sic alios sapientes reddere, lumen fieri, & alios illustrare: accedere ad Deum, & alios adducere, sanctificari & alijs sanctitatem afferre*: nihilominus, ait S. Thomas *& si perfectio charitatis in plerisque proximorum saluti vacantibus, non inueniatur*, &c. quorundam defectus statui, vel officio præiudicium adferre non potest. Opusc. 18. c. 23. quare inani labore Vindicianus consumitur, discurrendo (vt dicit *per cellas & conditoria*) dormitoria debebat dicere, non conditoria (assuetus ad condimentoria, vbi ad pulmenta Apicij condienda pigmentarij pulueres reseruantur) vt inueniat huiusmodi perfectos, qui Gentium conuersioni operam nauare possint. Nec rigidus Mendicantium debebat esse censor ex his, quæ per accidens eueniunt. Gymnasia quoque percurrere debebat, quæ ad eiusmodi merita comparanda seminaria sunt, vbi quando puritas intentionis eminet, verior, sanctior, diuturnior doctrina comparatur. nec tamen desunt imperfecti operarij in quorum mentibus vanitas pro pietate subintret, vt magis eos delectet in clarissimis vrbibus eleganter dicendo consenescere, & docti existimari, quam de iuuandis Gentilibus vel tantillum cogitare: nec quoque desunt delicatuli, qui ad iter se accingant, & immemores Apostolicæ formæ in omnibus se exhibere in multa patientia, in ieiunijs multis &c. commoditates requirunt in desertis Arabiæ, & in vastissimo Oceano, & cœlestia, & diuina, in humana & terrena lucra conuertant, & tamen hæc feruentissimorum virorum statum, & conditionem non obscurant.

Quod vltimo loco dicas, authorem qui scripsit de cõuersione omniũ Gentiũ, *negare illos ordines ad perfectionẽ properare, qui pauculis sæcularibus cõuertendis insistunt.* Is author est Fr. Thomas à Iesu Carmelita discalceatus in suo lib. atticulato *Stimulus missionum* cap.

cap.4.& ſequent. falſo à te citatus, nec nominatus ferulam timens. Hic author illas ſolum perſonas improperat, quæ ex ſuo inſtituto ordinato ad prædicandum euangelium, etiam habita opportunitate, & occaſione, nolunt propagines euangelij ad infidelium conuerſionem extendere: ex cruda verò tua & indigeſta aſſertione omnes inuoluis, & indefinita propoſitione, non ſolum perſonas, ſed & ſtatus infringis. non tendere ad perfectionem, dum negas tu (non Thomas à Ieſu) illos ad perfectionē properare, qui pauculis ſæcularium conuertendis inſiſtunt, tacitam conſequentiā ſubdolè conſiderandam relinquēs, eas religiones Clericorum, quæ Italiæ finibus concluſæ ſunt, vt PP. Bernabitarum, & PP. Theatinorum &c. ad perfectionem non properare inſinuares. Sed licet hucuſque nulla oblata occaſione, ad miſſiones euangelicas deſtinatæ non ſint, noſtris temporibus eiſdem oſtium euāgelij apertum eſt, nam Bernabitis Patribus via aperta eſt ad Imperium Theutonicum, vt fuſius infra dicetur, Patribus verò Theatinis, ad Georgianorum Regna, anno enim 1625. religioſi Patres D. Petrus Auitabile, Iacobus Stephano, Ioannes Filonia, poſt Pontificis maximi pedum oſcula, pedes ſuos extenderunt, præparati ad prædicationem euangelij pacis, & ab eodem Summo Pontifice Vrbano Octauo talibus elogijs cohoneſtati in litteris directis ad Georgianorū Principem. *Auri cupido qua priſcis temporibus dicitur è Graciæ littore ad Phaſidis ora duxiſſe Argiuos Heroes per iter fabuloſis terroribus obſitū, non aduocat certè hoc tempore ſacerdotes Romanæ Eccleſia in Georgianas regiones, qui non armantur ferro, non ſtipantur militibus, non petūt theſauros, ſed vnam ſitiunt ſalutem animarum &c.* ad eos tractus poſt multa vera & realia pericula, varioſque exantlatos labores tandem appulerunt, & Fratrum Dominicanorum ope Prouinciæ Naxiuanenſis, à quibus tanquam Angeli pacis excepti, per rectas ſemitas deducti in terra illa mira, poſt varias tribulationes Georgiam penetrarunt. Ibi à Rege benignè excepti, vt in ſuo Regno permanerent, & templum ædificarent conceſſum eſt, quod & factum eſt magno illius regionis bono. Aliorum Patrum miſſiones aliæ inſtitutæ continuantur ad ferendum euangelium, & in magnā ſpem aſſurgunt, per eos quoque diuina adfauente gratia dilatanda tentoria Chriſti. Cur ergo Vindiciane velut nouus Pharao maſculeam iſtam prolem heroicarum cogitationum & conatuum vis ſubmergere? Tu certè *alio velificas* ad Cocythum vergens, qui communem nauigationem & prædicationem vis facere ſpecialem, & fictè vis, tuorum quos fingis clientum, ſola debere eſſe littora, aptus magis tu ad piſcādas margaritas quam homines, qui in omnes regulares nouam nauem coagmentatam conuicijs fabricaſti,

PP. Bernabitarū in Germania fructus.

Patrum Theatinorum miſſio in Georgiam.

Quorum onus haud portet centum ratis inſita remis

In cuius ſublimi ſpecula eoſdem locaſti à te fictos clientes, vt è ſublimiori loco in mare præcipitares. *Hom. Il. [illegible]*

V. Probatio roboratur aduerſus Vindicias Vindicianicas videlicet religiones eſſe [illegible] ob multitudinem DD. & Magiſtrorum, qui Eccleſiam à nouitatibus & ſuperſtitionibus defendunt.

§. I.

QVintam probationem Grauinæ, ſecundum ordinem ab ipſo propoſitū; aggreditur Vindicianus & caudâ blandiri incipit, nec enim tantum canes, ſed & lupi quidam, quorum genus Thos Græcè dicitur more canum blandiri ſimulant. *Proximam glorioſis (ait) Regularibus ſedem Grauinæ DD. Concionatoribus, ac reliquis aſſignat, qui ab hæreſi, alijſque erroribus S. Eccleſiam purificant, vniuerſas ſuperſtitiones, nouas opiniones, &*

vocu[illegible]

vocum nouitates, ac phantasmatum idola extinguunt. Cuius officij primatum nemine, vt opinor, inuidente, illi ordini adscribit, qui Aquinatem mundo produxit. Quid Vindicianus? *Non abnuit:* verum mox morsus insigens subdit. *solum enixius Grauinam obtestor, vt nobis in religiosis DD. praestet quod S. Cyprianus Donato, cũ de Deo vox est vocis pura syncerit as, non eloquentiæ viribus: sed rebus nititur: accipe non diserta sed fortia &c.* & subdit. *Quanti Regulares se, ingenium, literaturam, facundiam populo venditant, omisso legationis munere, quo pro Christo funguntur, tanquam Deo per illos exhortãte. Taceo plurimorum pœnè incredibilem oris libertatem, &c. in conscientijs mortalium astringendis inscitiam &c. Turpius adhuc est æmulationis crimen, qua pessimo exemplo hæresibus nostri æui classicum cecinit, & non dum sopita quiescit. Age quod agis Grauina, & sectionem tunicæ Christi, quam neq; latrones sub Domini cruce dissuerunt, lingua & calamo coerce &c.*

TVRT. Hac breui periodo multos regulares mordes, vt gloriæ cupidos, indiscretè liberos, indoctos, æmulationem causantes, etiam pessima, ex hoc crimine, exempla ministrantes.

Et quantum ad ordinatam prædicationem cum sermonis elegantia, si id quoq; neges præstandum esse, Guilielmi de S. Amore ramus deprehenderis ab eo procedens, impugnantis Mendicantes de ornata prædicatione, si quid vitij, est hominum, quod paucorum est & nobis incognitorum, extensa amplificatione extendis, & occultas à te discutiendas, intentiones præsumptuosè vsurpas; etiam Anna tanquam ebria reputabatur, quæ ebria non erat, se ipsam modestè defendens: *vinum & omne quod inebriare potest non bibi,* quod pertinet ad materiam bonæ doctrinæ, & prædicationis simplicitatem: & quantum attinet ad intentionem subdit [sed effudi animam meam in conspectu Domini.] vnde ait Greg. *vinum non bibit Ecclesia bonus prædicator, prauitatis hæreticæ non habens refectionem, nec aliud quod inebriare potest. quod procul dubio biberet, si de verbi facundia deceptus tumuisset, sed quia recta intentione docuit, subdens. ait, sed effudi animam meam in cõspectu Domini, hoc est, conceptam in mente verbi Dei scientiam pro solo conditoris amore prædicaui,* & licet sint, quos designare non potest Vindicianus, qui pro terreno commodo Verbum Dei prædicant; sunt & in omniũ virtutum culmine perfecti in eruditione fidelium magna facundiæ verba proferẽtes, sed ex vitæ verbis soli Deo placere desiderantes, nequaquam tanquam de prole Belial despici tales merentur: & quia permixti sunt castè prædicantes, cum prædicantibus ex contentione, vel vana gloria, non possunt ad inuicem discreti demonstrari ex solo Vindiciani calculo.

1. Reg. 1.

Greg. in c. 1. Reg.

Oris verò libertas & agendi importunitas non denegatur, in quibusdam inesse, qui nec silentij disciplina: nec clausura restricti, quomodo agendum vel conuersandum sit didicerunt: alij tamen sunt in oppositum, qui bis ad limam quam ad linguã verba transmittũt, ea discretione vt requirit à Prædicatore Gregorius: *ne tacenda proferant, aut quæ proferenda conticescant,* nã subdit: *sicut incauta locutio in errorem pertrahit, ita indiscretum silentium hos qui erudiri poterant in errore derelinquit. Sæpè namque Rectores improuidi* (vel prædicatores) *humanam gratiam amittere formidantes, loqui liberè recta pertimescunt.* De quibus subdit Greg. scriptum esse: *Canes muti non valantes latrare:* & si sint qui Deo militantes negotijs se immiscent sæcularibus, sunt qui & horum actuosa nundinatione se abstinent; & si actuosa vita exercẽda est, charitatis stimulo exercetur; *vigilanter* ait Greg. *ne dũ cura ab eis exterior agitur, ab interna intentione mergantur, plerumque enim corda Rectorum, dũ temporali solicitudini incautè deseruiũt, ab intimo amore refrigescunt,* Vnde ait idem Sanctus, *probibitum olim est* *sacer-*

2. p. past. cura c. 3.

Cap. 6.

sacerdotibus caput radere & comam nutrire, vt cogitationes carnis de vita subditorum, nec à se funditus amputent, nec rursum ad crescendum nimis relaxent, vt videlicet cura temporalis solicitudinis, & quantum necesse est prouideant, & tamen resecentur citius, ne immoderatius excrescant. Soli Vindiciano nouacula tributa est, qua Prædicatorum pilos plus nimio excrescentes radat.

§. II.

Quod autem in inscitam Regularium in conscientijs adstringendis inueheris; Nihil moror: sunt enim in hoc nonnulli delinquentes: Vitiosa certè extremitas laqueum animabus inijcere, & partus pœnitentium suffocare: hinc homines ad desperationem adducunt, in quibus tamen ait
4. in cap. 9 1. Reg. Greg. *summi viri salutis bonum facilè inueniri posse considerant, de quorũ vita in eruditi desperant*: sed cum huiusmodi viris Vindicianus non inuoluit eos confessarios, qui nonnũquam obstinatos, peruicaces seuerè corrigunt, nam ex eodem Greg. *sæpè pro inquietu-*
24. mor. c. 10. *dine refrænanda prauorum duritiam districti rigoris assumunt, sed intus charitatis igne liquescunt*, & iterum: *plerumque autem & non despiciendo despiciunt, & non desperando desperant, vt tanto eos celerius à culpa reuiuiscere, & resilire faciant, quanto iam vicinius mortis foueã ostendunt.* Est, mi Vindiciane vt te erudiam: altera extremitas, quæ etiam in doctos & sapientes cadere potest, quando videlicet sic fræna laxantur peccatoribus in improbabilium opinionum delectu, in actibus intemperantiæ, & impudicitiæ, in emptionibus, & venditionibus (quantum attinet ad commutatiuam iustitiam) in venditione officiorum (quantum attinet ad distributiuam) etiam Ecclesiasticæ libertati non parcentes, eas opiniones venditando, quæ è diametro cum ciuilibus legibus, & sanctionibus Ecclesiasticis pugnant, vt multò plures sint qui ambulent per viam latam & ad perditionem vergant, quam qui semitas strictissimas erroneitatis conscientiæ ad inferna demergantur. Sed & peccata cõmissa circa planissima præcepta, multoties peruersi corripere non præsumunt, & quæ increpare debuerunt adulatione demulcẽt, quibus propheta comminatur: *Væ his qui consuunt puluillos sub omni cubito* Ezech.
manus, & faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ c. 34.
ætatis ad capiendas animas: quæ verba exponens Greg. ait. *quasi puluillo cubitus, vel ceruicalibus capitis iacentis excipitur, cum correptionis duritia peccandi subtrahitur, eique mollicies fauoris adhibetur, vt in errore molliter iaceat, quẽ nulla asperitas contradictionis pulsat, sed hæc Rectores* (confessarij) &c. *qui semetipsos diligunt his proculdubio exhibent, à quibus se noceri posse in studio gloriæ tẽporalis timent, nam quos nihil contra se valere conspiciunt, hos nimirum asperitate rigida semper inuectionis premunt, nunquã clementer admonent, sed pastoralis mansuetudinis obliti, iure dominationis terrent*: de ijsdem dicit S. Greg. scriptum esse. *Propheta tui viderunt tibi falsa, & stulta, nec asseruerũt iniquitatem tuam, vt ad pœnitentiã prouocarent. Quos diuinus sermo falsa videre coarguit, quia dũ corripere culpas metuunt, incassum delinquentibus promissa securitate blandiuntur, qui iniquitatem peccantium nunquam aperiunt, quia ab increpationis voce conticescunt.*

[Margin: 2. p. past. c. 8. — Thren. c. 2 — In reg. ind. 9 ep. 24. ad Io. epis. Constan.]

Certè vtrumque perniciosum & nimia restrictio, & nimia laxitas, in directione conscientiæ, vt vtrumq; reprehensione dignum, & nostrorum non est designare, qui per extremitates declinent, cũ tamen Vindiciani scopus, quo sagittas contorqueat, manifestè noscatur, impetendi veteres ordines, vt nouissimos etiam in odium hæreticorum adducat.

Quantum verò æmulationis vitium detestabile sit, iam idem Grauina te fatente luculenter ostendit. Sed ex tuis discursibus te æmulum omnium religionum, & scissuras inter eos meditantem agnoscit. De

Phen-

1. Reg. c. 1. Phennenna scriptum lege, *affligebat quoque eam æmula eius, & vehementer angebat*; de sterilitate enim Anna à Phennéna exprobrabatur, & ordo vetus Monasticus (vt supra visum est) à Vindiciano & symmistis tanquã ociosus in mũdo traducitur; *talis enim est noster obtutus* ait Greg. *quod dum ex actiua vita bonorum operum, citò proferimus, & ad internæ contemplationis gaudia facilè pertingere non valemus, sterilis ista cernitur dum rudes de eius fœcũditate desperamus*: qui fructus etiam si ex pura actiua vita non procederent, sed ex mixta vita, nec contemplatiuæ derogare debemus, quando etiam prædicatio orationis, & contemplationis studio destituta, plerumque etiam de infœcunditate notatur. Age tu, quod agis Vindiciane cum tuis symmistis illis Anonymis, scissionem tunicæ polymitæ, quam neque latrones sub Dominica cruce scindere ausi sunt, coerce: suadeas eisdem ne suadeant aliorum Cœnobia occupanda, littora Euangelicæ prędicationis omnibus debere esse peruia, communemque ad Gentes missionem, Academias totius orbis, non ad solos nouos Academicos transferendas, nec ad eosdem omnia bona tanquam cæteris perfectiores, donatione vel testamẽto legenda; hæc enim contraria, scissionis fomentum, & materia, odij seminarium, simultatum & factionum fomes, vt vniuscuiusque ensis vertatur contra proximum suum: & vt di-
Is. c. 9. xit Esaias *vnusquisque carnem brachij sui vorabit, Manasses Ephraim, & Ephraim Manassem, simul ipsi contra Iudam*, & iterum. *Ruit enim Hierusalem & Iudas concidit, quia lingua eorum, & adinuentiones contra Dominum, vt prouocarent oculos maiestatis eius.* Ad quod malum auertendum optimum consilium, vt omnes ordines honore se inuicem præueniant, & qui maior est, fiat sicut ministrator, & tu quoque prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum, ne ex tua prouocatione religiosi, ex tuo astu Lucianico, de maioritate vel minoritate contendant, sic Iuda vnum ordinem, vt cæteros non despicias, qui omnes tandem despicis, & pessundas.

VI. Probatio quam sit rationabilis ostenditur in specie, ex commendatione sacri ordinis Prædicatorum, cuius laudes merito eiusdem filius, & alumnus P. Granina prosequitur in suo Turture.

§. I.

M. Tullius Cicero, quum ob Ciceronis cognomen à cæteris incessaretur, ab amicis admonitus, *vt aliud sibi cognomen asciscceret*, respondit, se *Ciceronis nomen illustrius effecturum quam esset Catonum, Catulorum, aut Scaurorum*: nam hæ familiæ cum primis illustres erant apud Romanos, quũ, *Tullius esset nouus homo*: cognomen autem ideo patebat cauillis, quod à Cicere vilissimo legumine dictum videretur. *Quasi verò non & Fabij à Fabis, & Lentuli à Lente cognomen habuisse viderentur. Parum illustris est qui præter imagines & cognomen nihil habet nobilitatis, pulcherrimum autem nobilitatis genus est, quam sibi quisque proprijs virtutibus conciliat.* TVRT. Lib. 4. [illegible]

Verè certè, & prudenter eloquentiæ parens, cum nec ex antiqua prosapia, nec auorum nobilium genitura, vel alijs externis splendoribus, sed ex sola virtute nobilitas extimanda sit, quæ honorabilis est, vt illa destituti, etiam si purpura, diademate ornentur despicabiles habeantur, & inglorij, qui & si honorentur ob externum splendorem & dignitatem, à vulgaribus hominibus honorantur, qui nulla alia bona (ait Philosophus) quàm hæc exteriora, cognoscunt. Vnde & scriptum est. *Qui glorificauerit me, glorificabo eum, qui autem contemnunt me erũt ignobiles*; hunc locum sic exponit S. Gregor. *glorificantem se ergo Dominus glorificat: quia à quibus deuotas quotidie laudes accipit, ad vniuersi orbis honorẽ sustollit.* 1. Reg. c. 2.

 Aqui-

A quibus maiores laudes accipit Deus quã à religiosis? vnde meritò, præ cæteris hominibus eos glorificat: sed audiamus speciem glorificationis. Audi Gregor. *an non glorificari gloria est, in terra manere, & cœlum claudere? vitam communiter homines viuere atque supernas cœlorum sedes subditis authoritatem potestatis exhibere? glorificabat quippe Dominum qui dicebat: Tu es Christus filius Dei viui, sed glorificantem se Dominus glorificauit: quia ei respondit dicens: Tibi dabo claues regni cœlorum:* glorificat autem Dominus Religiosos nedum æterna, sed temporali (in ordine ad æternam) glorificatione, summos etiam in hac vita eis honores dispensando. Hac glorificatione multos religiosos glorificatos, miro splendore religionum demonstrauit Grauina, & ante ipsum pientissimus Pater Platus Societatis Iesu, vbi quotquot ex religiosis familijs in Summum Pontificatum Petri successores euecti sint, eleganter recenset: addens. *Si domus ac familia quæuis & omnis propinquitas, ex qua aliquis ad hoc honoris fastigium assumatur, vt multum sit tenuis atq; ignobilis, tamen illustratur & nobilitatur, cur non hoc idem eueniat in religione in quam religiosus quisque iam quasi in propriã familiã ascitus est, cuius etiã beneficio ad hũc honorem peruenerunt quicunq; peruenerũt?* quæ assumptio nõ leue virtutum est testimonium, quando & hi sæpe non ex sanguinis nobilitate, aut alio extrinseco splendore, sed doctrina, pietate ad Petri solium euecti sunt. Pontificibus proximi Cardinales, post quos Primates, Patriarchæ, insuper Archiepiscopi, & Episcopi, innumeri è Regularibus in partem sollicitudinis, & Pontificiæ potestatis assumpti. Alij quoque si non Episcopi, Prælati suorum ordinum quasi Episcopalem dignitatem habentes, è vestigio hos insequuntur, vna cum sacræ fidei Quæsitoribus negotia fidei pertractantibus, Regum à sacris confessionibus præstantissimi viri, quorum consilijs, & prudentiæ retinacula Regnorum moderati sunt, magno Reipublicæ Christianæ adiumento, & religionum splendore.

De bono statu Relig. c. 28.

§. II.

Solum Vindicianus hos splendores intueri non vult, nec proponi Regularium oculis, ait enim. *Horum omnium qualis quantusue quotidie prouentus accrescat, in oculis mortalium florebit, nihil tamen ad controuersiam nostram conducet, & memor debebat esse* (ait) *Grauina dicti sapientis. Ne intuearis vinum, quando flauescit, cum splenduerit in vitro color eius, ingreditur enim blandè, sed in nouissimo mordebit, vt coluber, & sicut Regulus venena diffundet.* Et S. Francisci, PP. Carthusianorum, & Societatis Iesu exempla proponit, illius *qui Minorum nomen, vt fratres sui dignitates fugerent, suæ familiæ assignauit, horum qui voto se astringunt,* ait, *ne dignitates ambiant. Renouatio* (subdit) *ab Aquila imitanda, non obtutus in Solem, nisi in diuinorum contemplatione. Sic à dignitatibus oculos auertendos iuxta scita Patrum Gregor. Cassian. &c. sicut à fœmina:* concludens: *melius hos exaltatos à rudibus Ascetis ignorari, quam eisdem proponi.* VIND. Prou. 2.

Non mirum si passione inuidiæ excæcatus Vindicianus tanquam temulentus appareat, semper loquax. Si purum merum absque temperamento (vt in popinis bibere solet cum ministellis) ad propinãdum Ascetis exhiberetur, vt hæc charismata appeterent, tunc ex SS. Doctrina contra ambientes Episcopatum &c. dignitates Ecclesiasticas Vindiciani discursus locum haberet; nunc verò cum ad splendorem religionum, & religiosorum virtutum, qui ad eas dignitates promoti sunt adductæ sint Thiarę, purpuræ, infulæ, & alia stemmata, & insignia, ea omnia virtutis testimonia, bonitatis religiosorum indices, ad religiones commendandas, & in pretio habendas stimuli, imo & diuinæ TVRT.

pro-

prouidentiæ præmia, ne dum in cælo, sed in præsenti vita certissima argumenta. Miror quod etiam Cassianum voluere didicerit Vindicianus, & præsentis honoris religiosorum lectionem præterierit. Ait ergo vbi demonstrasset sublimitatem religiosi status, quantum ad virtutes illud allegãdo: *delectaberis super Domino, & extollam te super altitudinem nubium.* mox ad præsentes honores virtutum quoque præmia oculos dirigens, subdit, *nonne obsecro etiam in hoc centuplam gratiam euidentissimè, qui fideliter Christo deseruiunt consequuntur? dum pro nomine eius à summis principibus honorantur, ac licet ipsi humanam gloriam non requirant, venerabiles etiam in persecutionum angustiis iudicibus cunctis, ac potestatibus fiunt, quorum vilitas etiam mediocribus forsitan despicabilis esse potuisset, vel pro obscuritate natalium, vel pro conditione seruili, si in sæculari conuersatione mansissent.* & S. Basilius vbi religiosorum honores spirituales sub temporalium honorum typo adumbrasset, ad prælaturas & honores respiciens (si his contingat aliquos charitatis sarcina, & obedientiæ vinculo alligari) ait. *Animabus impera, spirituali prole fœcundus esto: impugna principatus & potestates, eijce illos primum ex anima tua, deinde ex eorum animabus, qui ad te confugiunt teque sibi deligunt, & propugnatorem, qui per sermonem tuum conseruantur,* quæ munera Episcoporum esse quis dubitet? inter quæ *maximus honor est, quod ad Prælatos subditi confugiant, vt adiutorem, deprecatorem & strenuum propugnatorem.* an non in præsenti vita est etiam centuplum accipere, vt tuus Cassianus dicebat?

Coll. vlt. c. 26.

Es. 58.

In prol. Ascet.

Verum cum nec tibi Vindiciane Monasticus ordo, qui est ordo discipulorum, placeat, vereor ne quoque tibi parum gratus sit ordo Magistrorum, qui sunt Episcopi, & sine modificatione loquens, vinum preciosum eiusmodi dignitatis è Christi torculari, hoc est cruce expressum (ipse enim Hierarchicum ordinem instituens gratiarum & charismatum donis, quæ sua passione promeruit condiuit, vt poculum ex vino condito propinaret Ecclesiæ) in venenum videris conuertere, quasi Monasticæ disciplinæ dignitas Episcopalis repugnet, vel perfectionem adimat. Id quidam extimarunt suadentes Dracontio ne eiusmodi vinum respiceret, quia venenum habebat, in fine mordens quasi coluber: ad quem errorem Vindicianicum eliminandum S. Athanasius se accingens, primo multos Prælatos intuendos Dracontio exhibet, dicens, *Nosti enim Serapionem Monachum esse, & quot Monachorum præfectum. Neque à te ignoratur quot Monachorũ pater fuerit Apollonius. Nosti Agathonem, neque ignotum habes Aristonem. Memor es Ammonij, cum Serapione peregrè profecti. Fortassis etiam audisti de Eue in superiori Thebaide. Poteris etiam resciscere de Paulo, qui est apud Latos, & aliis multis, & tamen illi Episcopi non contradixerunt, sed habentes pro exemplari Elisæum, & conscij quid Elias egerit, & eruditi quid discipuli Christi Apostolique fecerint, susceperunt hanc curam, neque ministerium hoc aspernati sunt, neque propterea deteriores facti sunt, sed mercedem laboris proficientes ipsi aliosque proficere hortantes. Quot ab idolis conuerterunt? quot à furiosa, & dæmoniaca consuetudine suis admonitionibus composuerunt? quot adduxerunt Christo seruos, adeò vt qui ista signa conspiciant, admirentur. An quæso non ingens signum puellam inducere vt virgo maneat, & adolescentiorem adhuc, vt sit continens, & idololatram, vt cognoscat Dominum?*] Hæc & similia Episcopi regulares quoque præstiterunt, quos cum laudibus recensuit Grauina. Deinde non esse venenum, vinum tantæ dignitatis (vt quidam persuaserant) subdit Athan. *Quapropter cum istiusmodi habeas exempla dilectissime Draconti, ne dicas, ne dicentibus credas, Episcopatum esse causam pec-*

Ad Drac.

 cati,

cati, aut quod inde nascantur occasiones delinquendi: Licebit tibi in Episcopatu esurire, sitire cum Paulo, licebit vinum non bibere, sicut Timotheus fecit, & ieiunare frequenter, vt Paulus solitus, ita vt secundum illum ieiunans alios sermonibus nutrias, & sitiens abstinendo à potu, aliis, docendo, potum præbeas. Ne igitur talia obijciant consiliarij tui; nouimus enim Episcopos ieiunantes, & Monachos comedentes.

§. III.

Quod vero ex PP. & ex Cassiano citat non esse Episcopos æmulandos, & ex Prato spirituali ab ijsdem Episcopis *obtutus auertendos æquè ac à mulieribus*, Monachos illos Eremicolas arguebant illi veteres, qui Cenodoxiæ tentationibus pulsati clericatus & Episcopatus gradum ambiebant, & relicta solitudine curias Episcoporum frequentabant. Quare sic dicit Cassian. *Omnibus modis Monachum fugere debere & Episcopos, neuter enim sinit eum quem semel sua familiaritati deuinxerit, vel quieti cellulæ operam dare, vel diuinæ theoriæ per sanctarum rerum intuitum purissimis oculis inhærere.* Quantum vero attinet ad dignitatem reprehenditur Monachi conditio in Prato spirituali, si ex affectu ambiatur. *quanto enim vicinior est affectu Præsuli, tanto fit sibi dissimilior.* vnde gradus iste sublimis indecenter appetitur ex S. August. ex S. Thom. præsumptuosè, nisi opera Episcopatus exercere intenderet, cupiens proximis prodesse, vt opus bonum cadat sub desiderio, non primatus dignitatis. Si ergo Grauina spiritu ambitionis pulsauit religiosos recensendo dignitates ad quas Religiosi sunt euecti, & qui scripserunt chronica, & Annalia reprehendantur, nec legantur ab eremicolis, quia flauens vinum intuendum exhibuerunt. Nec ipse Vindicianus in ficta Bellarmini defensione titulum Purpurati apponat, ne ambiendi materia ministretur. Quæ omnia cum præterir non debeant, etiamsi per accidens aliquis Cenodoxiæ spiritum imbiberet, satis infulsè dicis Vindiciane: *præstare ab infirmis, quorum vbique ingens est copia, fructus qui ab exaltatis regularibus in Ecclesiam Dei redundant, piè ignorari.* Quod est dicere, cum sint Episcopi positi in Ecclesia, tanquam candelabra, occultentur eorum fructus sub modio, ne luceant omnibus, qui in domo Ecclesiæ sunt. Et hic quoque ramusculus Guillielmi de S. Amore, nō propalandos fructus quos per religiosos Deus magnificè operatur. quem errorem S. Thom. egregiè confutauit.

40. instit. c.17.

2.2.q.185. ar 1.

Opusc. 19. c.18.

VIND. Aërem subinde verberas, subdendo. *Neque securior honorificorum in ordine munerum contemplatio existet, cum regularis modestia Dux & institutor neminem ad sublimia opera inuitet. v.g. vt discat mortuos suscitare & in mundo mirabilia operari, sed omnes ad mansuetudinem, & cordis humilitatem.*

TVRT. Nullam (vt opponis) Grauina Theoriam exhibet dignitatum ambiendarum intra claustrales parietes, vel religiosos inuitat ad opera miraculosa edenda, dum sublimium virorum religiosorum ad Prælationis onus assumptorum, eo fine proponit exempla, vt Dei gloria appareat in religionum institutione (qui etiā tot Præsules ad perfectionem eorundem ostendēdam miraculis illustrauit) & proximorum habeatur ædificatio, & hæreticorū confusio. Humilitas quoq;, vt optat vulpes Vindiciana, satis elucet, quādo in multis fuga apparuit, ne sublimarentur siue intus, siue extra claustra, & in ipsa dignitate nō intumuerunt. Tunc autē humilitas perfecta est dicit Gregorius, *cum ad respuendum hoc, quod vtiliter subire præcipitur, pertinax non est. neque enim verè humilis est qui superbi nutus arbitrio vt debeat præesse intelligit, & tamen præesse contendit.* & iterum de perfectis Prælatis ait, quod *in culmine positi cogitant non potestatis* excef-

1.p.past.c.6

excessum, sed æqualitatem conditionis, nec præesse se hominibus gaudent, sed prodesse, cogitantes, quod nihil aliud sit dignitatis fastigium, nisi tempestas mentis. Huius tincturæ viros tot geminare potest, quot ordinum vsque in hodiernum diem exhibent monumenta. Dicant ergo iam fidenter religiosi tot insignibus nobilitati quod scripsit Hieronym. *Parua dimisimus, & grandia possidemus, centuplicato fœnere Christi promissa redduntur.*

Ad Pammac. de obitu Pau.

VII. Probationis defensio, quod sacra religio Prædicatorum, vt cæteræ, suas constitutiones obseruet.

§. I.

NE cothurnatam affectes eloquẽtiam Vindiciane, nec more puerorum argutas sententiolas in clausulis struas. In fine narrationis vel disputationis tuæ longissimæ huius 10. capitis omnes tuos neruos intendens.

Cito turgens spuma dilabitur, & quamuis grandis tumor contrarius est sanitati, dicebat Hieron. ad Pammach. de obitu Paulinæ vxoris. *Vltima in lance* (dicis Vindiciane) *ex suo ordine Prouinciæ appendit Grauina, docendo maiorum instituta & leges seruare.* cap. 27. p. 2. *& omnibus ordinibus hæc prædicata vult conuenire*, cap. 24. 25. 26. *omnes deuotos considerans donis cælestibus, & gratia affluentes.*

VIND.

Sed quodcumque pulchrum est rodit Momus, nam vix papillati corymbi in calathum fusi, & rubentium flosculorum amœnitate vernantes expositi, quin illicò à manu Vindiciana immature imò inuidè demessi carpantur, vt æquis oculis marcescere videantur.

TVRT.

VIND. *Serm. ad Antioch.*

Solemus (ait Vindicianus) ex S. Ioann. Chrysostom. *similia de sui temporis Eremicolis narrante, credere & applaudere, nostris autem vtimur annis, hoc est, quemadmodum semel territæ volucres locum non facilè reuisunt, ita non facilè credimus, quæ sufficientibus indicijs non fuerint egregiè probata.*

TVRT.

Benè S. Hieronym. eodem loco. *Prima virtus est Monachi contemnere hominum iudicia & semper Apostoli recordari dicentis: si adhuc hominibus placere vellem, Christi seruus non essem. Tale quid & Dominus loquitur ad Prophetas: quod posuerit faciem eorum quasi vrbem æneam, & lapidem adamantinum, & columnam ferream, ne pauerent ad iniurias populi, sed impudentiam subsannantium frontis rigore contemnerent.* propter aliquos prauos tuis vteris annis Vindiciane, vt non applaudas ordinibus Florentibus, nec Chrysostomus cunctis veteribus applaudere potuit, cum Hieronymo teste *in omni conditione & gradu, optimis mixta sint pessima.* Etiam de sui temporis quibusdam religiosis dixit: quod *sublatis in altum humeris, & intra se nescio quid cornicantes, stupidisque in terram oculis tumentia verba trutinantur, vt si præconem addideris putes incedere præfecturam &c. Plerique artibus & negotiationibus pristinis carere non possunt, mutatisque nominibus institorum eadem exercent commercia, non victum & vestitum, quod Apostolus præcipit, sed maiora quam sæculi homines emolumenta sectantes, & prius quidem ab ædilibus quos ἀγορανόμους Græci appellant, vendentium coercebatur rabies, nec erat impune peccatum. Nunc autem sub religionis titulo exercentur iniusta compendia, & honor nominis Christiani fraudem magis facit quam patitur. Quodque pudet dicere, sed necesse est, vt saltem sic ad nostrum erubescamus dedecus, publicè extendentes manus, pannis aurum tegimus, & contra omnium opinionem plenis sacculis morimur diuites, qui quasi pauperes viximus.* tuis iam vtere annis eosdem habentibus nundinatores, in nonnullis prauis religiosis, quos florentissimo quoque tempore in aliquibus imperfectis Hieronymus denotauit.

Ep. ad Rusticum Monach.

Sed non sistit Vindiciani lingua quin vno rotatu multos, imò innumeros percutiat. videre mihi videor Testudineum

Grun-

Grunnium, primò lento incedentem ad loquendum gradu, per interualla quædam vix pauca verba fundentem, magis singultientem quam loquentem, deinde cathedram oratoriam ascendentem, obducto supercilio, contractis naribus, ac fronte rugata duobus digitulis concrepantem, tum suas nugas fundere, & aduersum singulos regulares declamantem.

VIND. Dicit ergo, *esto sint aliqui, qui reformationem admiserint. quid de Monasteriis, & Prouinciis, quæ non dum reformationi cesserunt? non pauci sed plerique sunt, imo immensa multitudo laxorum deploratorum à Cardin. qui etiamnum impatientes reformationi se præbent. esto Grauina assertio, ait, verificetur de ijs ordinibus, qui ab vno capite generali reguntur, qui à commissariis & prouincialibus visitantur & expurgantur, tamen vbi Monasteria, nec inter se nec sub communi regimine coaluerunt, vt eorum vnitas nec excedit vulgarem amicitiæ conspirationem & externam confœderationem, ibi carnalem sensum, ambitionem, contentiones, commodioris vitæ quæstum, mutuas* seductiones, prauas consuetudines & *in tepido statu contumaciam Cardinalem abundanter comperisse.* Pergit. *Vtinam non contingeret quod Abbas Syluanus vidit multos in habitu Monastico ad tormenta missos, contra multos sæculares in cælum euolasse. & quod legimus in prato Sophronij Seueriana labe corruptos Eremicolas extorres ab Abrahæ sinu. Multi sunt, qui sola conuersatione noscuntur qui sint AEgyptij, qui Hierosolymitani Monachi, vt erat S. Antonio familiare, vt Hierosolymitani gratanter exciperentur, AEgyptij arcerentur.*

TVRT. Iam vt dicebat Hieronymus quoque de Grunnio, dicam de Vindiciano: *Creticum diceres Longinum Censoremque Romanæ facundiæ, notare quem vellet, & de Senatu Doctorum excludere.* licebat enim censoribus Romanis Senatu pellere quemadmodum Portius Cato Titum Flaminium Senatu mouit: Iunius Brutus Lucium Antonium, alij alios ex Valerio Max. Talem se exhibet Vindicianus, quæ vult Cœnobia relaxata, à cæteris de quibus, ait, ea ob diuturnam laxitatem toleratum non iri, censoria virgula expungit, nec enim duo vel saltem vnum Cœnobium perfectæ obseruationis & disciplinæ concedere vult, auarus, & tenax. Multos in habitu Monastico, pari passu cum sæcularibus à libro vitæ expunctos tradit, ex Abbate Syluano potens censuram temperare, vt id intelligatur de generibus singulorum, non tamen in ea quam prætendit multitudine, & quod peius est, multos seuerissimæ vitæ Seueriana labe respersos extorres quoque à Regno Dei (vt multiplicitatem damnandorum religiosorum coagmentaret) profert in medium, adiungens AEgyptios illos Monachos S. Antonio inuisos, vt multitudinem imperfectorum & malorum exaggeraret, atque minimè florentes ordines demonstraret, quasi Syluani visionem nostris quoque temporibus vidisset, vel Seueriana, aut aliqua hæresi notatos multos nostris temporibus comperisset. vel super ipsum spiritus Antonij descenderit, vt Monachos AEgyptios ab Hierosolymitanis discerneret. At non potest Vindicianus hoc spiritu se esse dotatum certis argumentis persuadere. nam vt ille Aristarchus Criticus, *benè nummatus* (vt dicebat Hieronym.) lautè homines excipiebat, magis placens in prandio quam in dicendo, sic & noster Aristarchus diuitijs affluens, Christi pauperes diiudicare vult, & melior conuiuator quam orator, de abstinentibus iudicium ferre, & reclusos, ac solitarios censurare, qui multos huius seculi rebus inescare solitus est, facto cuneo circumstrepentium garrulorum in publicum procedit, vt digitis demonstretur, *intus Nero, foris Cato, totus ambiguus, vt ex contrariis diuersisque naturis vnum monstrum, nouamque bestiam diceres esse compactam; iuxta illud Poeticum.*

L. 2. c. de censoria nota.

Ad Rust. Monach.

Hieron. ad Rust. Monach.

Prima

Prima Leo, postremo Draco, media ipsa Chimara. De quibus monstris cauendis idem scripsit Hieronym. *Nunquam tales videas, nec huiusmodi hominibus applicueris, nec declines cor tuum in verba malitiæ & audias: sedens aduersus fratrem tuum loquebaris &c.* & iterum: *Filij hominum dentes eorum arma & sagittæ.*

§. II.

VIND. Diuertis deinde ad examinanda quæ prolixè extollit Grauina, quæ ex effectu comperta haberi possunt, *vel enim opera Regularium in fructum sæcularium per gratias gratis datas, redundant, vel in proprium suum, vel ordinis emolumentum. Primo modo oculi sæcularium* (ait) *implentur, prudentes vero non mirabuntur cum legant, etiam operarios iniquitatis eiecisse. Secundo, perfectio demonstratur, vnde solidiores in virtute & fortiores euadunt, sine qua virtutum exercitatione grauis erit religio ob labores, vt qui sine illa viuunt, & si mittant manum ad fortia, cibo fortium non nutriantur, socij tribulationis, nō consolationis.*

TVRT. Ex vtroque capite perfectio religionum demonstratur, maximè illarum, quæ non solum pro sua, sed etiam proximorum salute sunt institutæ, agnoscitque Grauina, religionis perfectionem in exercitatione virtutum consistere per renouationem interioris hominis & exterioris mortificationem, vt sine illa exterior mortificatio nihil prosit, & sine hac interior ruinæ pateat. Sunt enim toti positi in hoc vt solam voluntatis mortificationem prædicent, & interiora exercitia absque carnis afflictione. Audi Hieronymum. *Quid necesse est nos iactare pudicitiam, quæ sine comitibus, & appendicijs his continentia, & parcitate fidem sui facere non potest? Apostolus macerat corpus suū, & animæ subijcit imperio, ne quod alijs præcipit, ipse non seruet, & adolescentula* (quæcunque religiosa anima) *feruente cibis corpore, de castitate secura est?* *Hieron. ad Furiam.*

Nunc vero audiamus magistrum regulas adducentem, vt agnoscamus qui Ordines sunt florentes, qui deflorati.

VIND. *Quocirca lima vel Lydius lapis quo discernamus inter florentem & non florentem ordinem est, si subditi nullo modo superiorum in asserenda ordinis regula diligentiam impediant, vel auertant, neque vicißim Superiores in eandem laxandam consentiant. Hæc est via, qua ad perfectionem tenditur, alia nulli regularium conceditur, & citat* S Bernardum & August. *Neque S. Bonauentura florere illum ordinem credidit, in quo contra vota, vel regulam impune peccatur.*

TVRT. Si tales sunt ordines omnes, dicat Vindicianus esse ne dum non florentes, sed etiam exiccatos. Si vero permixtos reperiat obseruatores cum inobseruantibus, non exiccatos vel non florentes existimet, vel saltem etiam marcidis in ramis floritionem non desperet, illudque Vindicianus proponat bonis religiosis, discolis admixtis, quod scripsit S. Hieronymus. *Nobis electa seruanda sunt, & quasi inter scorpiones & colubros incedendum, vt accinctis lumbis, calceatis pedibus, & apprehensis manu baculis, iter per insidias huius seculi, & inter venena faciamus, vt poßimus ad dulces Iordanis peruenire aquas, & terram repromißionis intrare, & ad domum Dei ascendere.* *Ep. ad Demetriad.*

VIND. Profundius infigit vulnus Vindicianus, Grauinam expostulando, vt *ordinum prouincias, Asceteria obeamus, & in singulis non quis erret, quisuè officium suum negligat, sed qua licentia, & impunitate vnusquisque exerret, discutiatur,* & postquam velut scorpionis ictu simplices percussit, & fistulato vulnere viam sibi fecit, incipit venena diffundere.

In tres ergo in omnibus his asceterijs religiosos diuidit classes. Iuniorum, Mediæ ætatis, & in senectutem vergentium. Prima, subdit, classis hominibus conuenit expurgatio vitiorum, quæ ad vota & regulæ obseruantiam sunt necessaria, in vsum

S

in vsum & praxim perducere, ad quod confert interior spiritus cultura: iuuentus enim, ait, nimiũ ignorans, & ingenita mentu instabilitate promptius in exteriores ritus & caremonias diffunditur specie pietatis contenta, de latente eius virtute minimè sollicita. In secunda classe maturiores sunt qui non necessitate, sed alacritate de virtute in virtutem currunt, in dies proficientes semper ijdem in aduersis, & prosperis ex doctrina Hieronymi. In tertia classe reponuntur in virtute solidati, vt sint cæteris viua regula, & exempla in dictu & factis cæteros dirigendo; qui in eum statum deueniunt, vt superata vitiorum impugnatione transierint in virtutu affectum.

TVRT. Optima partitio, quæ melius à tempore Apostolorum tradita & distincta, in Incipientes, Proficientes, & perfectos, vel Purgatos, Illuminatos, Vnitos, quæ vero adducta est à Vindiciano non ad instructionẽ adducta (& si palpet initio, vt scorpius) sed ad omnes omnium Prouinciarũ religiosos cuiuscunque instituti submordendos: vnde propterea sequitur.

§. III.

VIND. *In ista demum triplici Regulariũ classe monstret Grau.* *qui, quantique in singulis eorum domiciliis efflorescant, vt minimum quoad illas Virtutes, quas Cardinalis, in omni Religione necessarias assignat, humilitatem, paupertatem, castitatem &c.* adhuc subdit: *tam pauci emergunt post Tyrocinij*, siue Nouitiatus *procurationem, vt expectationem de se primis annis conceptam fallant, & quia non amplius Nouitij plurimum sibi licentiæ, vel debitè arrogent, & verecundiam, simplicitatem abijciant, & curiosis ineptiis se fatigant. Tandem exemptionum, dispensationum, Indultorum, Prærogatiuarum ingẽs cumulus, preeminentia quod apud Superiores grati sint, monstrosa illa & frequens vox, debiti, & tamen nec legis statuta transgredienda sunt, vt fecit Eleazar, nec senes debent prabere occasionem iunioribus laxiora affectandi, velut nauta fortiter agere debent, nec propter vim ventorum nauem deserere, vel mercibus vel vectoribus exonerare, sicut palma crescere latior in vertice, angustior in radice consurgens, plus finiendo peragere, quàm propositum sit inchoando, ex Gregor. 13. moral. cap. decimo-sexto.*

TVRT. Iam morsu notasti. Manum quæso de tabula Vindiciane amoue, ne sis de numero eorũ de quibus Hieronymus, quod *pleni arrogantia cunctos despiciunt, amantque linguas suas, vel Clericis vel alijs Monachis detrahendo, de quibus rectissime dicitur: Filij hominum, dentes eorum arma & sagitta, & lingua eorum gladius acutus.* (Ep. ad Demetriad.) Si tanta esset tua authoritas atque securitas quanta Catonis (vt eo præsente non possent agi Floralia, cum nec ille vultum mutare posset, nec illa auderent eo spectante agere) rationabilis esset tua censura, nunc vero cum tu lætus & floridus, conficta macie, mortificatos, & mundo prorsus mortuos etiam impetas atque condemnes, nedum in scirpo quæriens, magis detractor, quàm censor deprehenderis. In toto triplici hoc ordine semper graduationem reperies, non par omnium regularium spiritus, vt inter seruidos remissi non reperiantur, astra non sunt munda in conspectu Domini, quantò magis (dicebat Hieronymus) homines, quorum *vita tentatio est? vt nobis qui quoties concupiscimus toties fornicamur, inebriatus est, inquit, gladius meus in cælo, multo amplius in terra qua spinas & tribulos generat: Vas electionis in cuius ore Christus resonabat, macerat corpus suum, & subijcit seruituti, & tamen cernit naturalem carnis ardorem sua repugnare sententia, vt quod non vult hoc agere compellatur, & quasi vim faciens vociferatur & dicit. miser ergo homo quis liberabit me de corpore mortis huius? &c. & tu arbitraris absque lapsu & vulnere posse transire?* (Ad Rustic. Monach.) Hinc idem S. lapsibus humanis commiseratus noluit cum Vindiciano generalem Canonem edere de omnibus religiosis, & neque de imper-

fectis ferre sententiam, mox dicens. *Non est humilitatis meæ neque in censura iudicare de Clericis, & de ministris Ecclesiarum.* & si postea nonnullorum Monachorum mores perstringat, cum non de Clericorum, sed Monachorum institutione tractaret, nunquam thesim fecit de hypothesi qualem fecit Vindicianus, vt omnes Monachos appendens, & decades perfectorum in quocumque statu & prouincijs omnium religiosorum diffiderit inuenire: Talis est iste nundinator, qui tantam multitudinem tanquam venalem foro inuisendam exposuit, sed crede, vt dicebat Hieronymus ex communi fori vsu, *vltroneæ putere merces, & precia facilitate decrescunt: quæ semper in raritate maiora sunt.*

Sed plus mihi venena displicent quam morsus, venena inquam illa quæ hæreditario malo ad te perducta sunt de schola Guillielmi de S. Amore, quæ si forte serpunt in paucis, conandum ne ad plurimos perueniant. Ad exemptiones, ad prærogatiuas, & dispensationes oculos diligens in eosdem inuehetis? Inter cætera quæ adducebat Guilhelmus de Sancto Amore ad impugnandum Religiosos: non esse magistrandos vel non debere esse de Collegio sæcularium Magistrorum, aut quod litteris incumbebant, erat, quia *nemo potest Ecclesiasticis officijs deseruire, & in* 26. q. 1. *Monastica regula ordinatè persistere*, indigebant enim hi multis dispensationibus, silentij, vigiliarum &c. cui obiectioni respondit S. Doct. *Non esse inconueniens ab his obseruantijs aliquos abstinere, vt vtilitati communi vacent docendo, sicut patet in illis qui ad Prælationis officium assumuntur, cum etiam in claustris manentes in talibus quoque dispensationem accipiant propter aliquam causam: &* Opusc. 19. c. 2. *præterea aliqui religiosi sunt, qui in claustris suis manentes, districtionem sui ordinis seruantes, scholastico insistunt officio, quod ex institutione sui ordinis debent.* vnde in ordine nostro Prælatorum dispensationes, quibus & quomodo, & quando rationabiliter fiant præfixæ sunt, præsertim Lectoribus, Graduatis, propter munus lecturæ, prædicationis & similium. Vnde idem argumentum tractans Sanct. Doctor. *Rationalis hominis dignitatem amittit, qui ieiunium charitati, vigilias sensus integritati præfert.* Quodlib. 5. a. 18 in fin. corpor. Si vero laureas, & prærogatiuas magistrales pariter inculas, non est laborandũ, sed cum iterum sopitos cineres Guillielmi de S. Amore exsuscites, te S. Doctori confutandum relinquo.

CAPITIS DECIMI
ANIMADVERSIO.

In qua ostenditur Turturem iniustè exemplari, quod multos vitiorum næuos in Bellarminiana columba adnotarit.

SVMMA CAP.

A varijs criminibus ab Anonymo obiectis se purgat Turtur, videlicet quod sugillarit Cardinalem de iactantia, detractione, imprudentia, & ad talionis vices tam insignem virum expostularit: & singulis obiectis respondet, & satisfacit, calumniosum Anonymum demonstrando.

ADuersa valetudine afficiebatur Aristoteles, cui cum quidam medicus sciolus cum authoritate præscriberet, nec rationabile afferret curationis argumentum; *Ne me*, inquit *perinde curaris vt bubulcum, aut fossorem, sed prius doce me causam, cur ista præscribas, atque ita demum, habebis obsequentem:* Noster Vindicianus VIND. vetustus medicus. *Præter feruoris excessum in quo* (ait) *laborauit Grauina in excusando infeliciter Cardinali, cum velut obliuiosum, ac si letargo sopitus esset, taxat & criminosum immemor doctrinæ S. Thomæ requirentis ad indicandum iustitiam, authoritatem &* 2.2. qu. 162. a. 3. *certitudinem, quod Grauina id non præstitit, cum leuibus indicijs de alterius innocentia dubitarit, & potestatem sibi vsurparit,*

 in Car-

in Cardinalem, *& Romanæ sedis consiliarium, eumque rebus planè dubiis & in pectoris arcano reconditis quæque promptius in saniorem partem* TVRT. *caperentur*, *condemnauit*. Sed cum antitodis, quæ præparat, & præparata præscribit rationes non afferat solidas, non poterit sibi Grauinam habere obsequentem.

Optimum antitodum, si morbus præcessisset, vel eo supposito saltem bona esset medicamenti applicatio, atque subsumptio. Agnoscit Grauina iudicium habere illas tres conditiones quam suus magister. S. Thomas docuit (quo præceptore gloriatur & exultat) proinde mala tua est applicatio cũ eum nihil peccasse in Cardinalem, ingenuè, vt magis apparebit, fatendum sit. Sed esto mala quoque subsumptio tua [Grauina iustitiam læsit, iudiciũ, authoritatem] nam excusata modestè scriptoris ratione non intentionem iudicauit, quàm ipse pientissimè (vt decebat de Eccles. Roman. Cardinali loquentem) excusauit? solum scripta piè interpretanda, aut si id non pateretur interpretatio, saltem modificanda propter pusillos confessus est. Quæ admonitio nec auctoritati detrectat Sac. Rom. Eccles. Cardinalis, & consiliarij, cum etiam ex S. Thom. maiores Ecclesiæ, qua decet modestia, ab inferioris gradus hominibus ne dum admoneri, sed & corrigi possunt circumstantijs debitis. Quid ergo peccauit Grauina, edissere, vt te detrahentem corrigamus. Crede Vindiciane, quod non Grauina Cardinalem, sed tu peruerso iudicio addita amarulentia, Grauinam iudicasti. Sic te cum S. Chrysostom. conueniam. *Cur* Rom. 42. in Genes. *ante tempus inuadis iudicis ius, cur præuenis diem illum terribilem? Vis iudex esse, cognosce temetipsum, & tua delicta. Nonnullus est qui vetet. sic enim & peccata tua tu emendabis, & nihil ex facto incommodaberis. Quod si relictis rebus tuis sedes ad iudicandum alios, maiores te tibi ipsi colligere peccatorum sarcinas non sentis. idcirco obsecro fugiamus omnino, ne condemnemus alios.* Nam, *& si iudiciariæ potestatis non sis particeps, attamen iudicasti mente, & peccato te fecisti obnoxiam: præsertim quod nulla demonstratione audita, sed sola suspicione, & tenui accusatione condemnas, quapropter B. Dauid clamabat dicens: detrahentem clam proximo suo hunc persequebar. Non solum non recepit, quæ dicuntur, sed & abegit volentem fratri suo maledicere. Igitur, si & nos peccata nostra imminuere volumus, hoc maximè omnium seruemus, nè condemnemus fratres nostros, neque detrahere cupientes attendamus, imò iuxta Prophetam, abigamus, & omnino auersemur. Hoc enim opinor & Prophetam Mosen insinuare, cum dicit: auditum vanum ne receperis.* Hoc melius antitodum de officina Chrysostomi pro te sanando à tua dicacitate, in hoc cap. tuo decimo tibi præparatum, quam sint in tua taberna, pro medicamine venena venditata.

Primum vitium Bellarmino à Turture affigi (vt obgannit Vindicianus) nempe Cardinalem tumidè se & suam Societatem cæteris ordinibus prætulisse, calumniosam ostenditur.

§. I.

Hic est primus tuus articulus, vt reum VIND. monstres Grauinam, videlicet, *quod de tumore Cardinalem notauit, quo se suumque Ordinem de cæteris prætulit. Tumorem vero probasse dicis tripliciter. Primo ab intempestiua aliorum defectuum consideratione. Secundo ex partiali deploratione, non suorum sed aliorum lapsus plangendo. Tertio ex imploratione suorum ad plangendos cæteros ordines.*

Intempestiuam ergo alienorum defectuum consideratione dicis probare Grauinam suis verbis adductis, videlicet. *Colũ*- 1. p.c.a. *bam se ipsam, & non cadauera intueri, ergo alios misericordiæ virgam porrigere: Minus incom-*

incommodi exteriorem in mystico corpore fœditatem afferre, quam occultum Superbiæ tumorē, qui quidem in eo consistit, vt superbi de se maiora existiment quam sint, inter cæt. autem ad hanc superbiam inducentia vnum esse, quod aliquis aliorum defectus consideret, vnde alteri se præferat, cum e contra sancti viri, virtutum consideratione alios sibi prætulerint. Ex positis verbis (vt putat) Grauinæ, *iam Lector* (subdit) *subsumat. Sed Cardinalis Bellarminus hæc cumulatè fecit, vt ex toto* cap. 6. lib. 1. patet. Ergo &c. hæc Vindic.

TVRT. Satis decantatum Vindiciane illud Horatianum

Pictoribus atque Poetis,

Horat. in art. Poet. *Quælibet audendi semper fuit æqua potestas.*

Non inferior Vindicianica fingendi quodlibet, & quod nullus somniauit. Si litteras, periodos, transponere licet, ex ijsdem characteribus quibus impressi sunt Catholici libri, ex diuersa dispositione, & transpositione hæretica dogmata concinnabis. Hæc scripsit Grauina. *An oculi membri viui columba ad scandala oculos* dirigunt? &c. & non quamcunq; defectuum considerationem exclusit, sed curiosam, immitem, truculentam, qualis est Vindiciani, nec enim *In Matth. c. 6. h. m. 17. imperf.* ex Chrysostomo (ijs verbis. *Nolite iudicare, & non iudicabimini*) *prohibuit Dominus Christianos ex beneuolentia corripere alios Christianos, sed ne aut per iactantiam suæ iustitiæ Christianos despiciant peccatores, derogantes frequenter de multis, & solis plerumque suspicionibus odientes cæteros, & condemnantes, & sub specie pietatis proprium odium exequentes.* *Hom. 24.* Quæ doctrina habetur in alio comment. vnde ad curiositatem excludendam ab oculis columbinis dixit Grauina. *Nunquid cum emissa ex arca natantia cadauera mundum excurrens inspexit? minimè. Solus enim coruus, solus detractor putore cadauerum delectatus cadauera discerpens extra arcam moratur. Columba verò in arcam reuertitur, se ipsam intuetur, sine felle, & vnguibus reprehendit*, ad excludendam feritatem, quod & Bernardi testimonio confirmauit. Non ergo de intempestiua, vel peruersa alienorum defectuum consideratione Bellarminus à Turture denotatus est, imò si quid mali, apud pusillos, sapere videretur, etiam excusauit; nam & si notissima sint exempla Hieronymi (vt affert Vindicianus) Ambrosij etiam, atque Bernardi, authoritate Ephræm roborata, reprehendentium vtriusque sexus notissima vitia, quæ & Prælati oculati & veluti Argi (ex Chrysostomo & Climaco) reprehendere debent; nihilominus diffamato religionis statu ab hæreticis (vt inutilia terræ pondera habentibus etiam religiosos) & à malorum laicorum detractionibus ora calumniantium, per scripturam libri Turturis confutanda putabat Grauina, & si confodiendum se linguis maleuolorum agnosceret, quod tu aggressus es, mentiendo, eum de inconsideratione, immitique obtutu columbam perstrinxisse, quod non fecit, & tu finxisti. Redde ergo *verba mea* (vt in simili dicebat August.) *& cessabit calumnia tua.* *Lib. contra Iul. 4. c. 8.* Quod iterū dicis Grauinam, superbū quoq; vocasse humilem, & nunquā satis laudatum Cardinalē, per ea verba: *ad hāc superbiam inducens vnum esse aliquid quod aliquis aliorum defectus consideret, vnde alteri se præferat &c.* id non cōtra Cardinalem dictum, nec contra suos, imò pro eis, eosdem monendo ad elidendas tentationes (quæ possent irrepere in animis religiosorum) si pulsarentur alienos defectus inspicere, quod liquet ex ijs verbis Turturis. *Elidamus tentationes ignitas dæmonis. si animam religiosam his comparationibus adoriantur &c.* & postea sub infertur, *& propterea cauenda est superbia radix. ad tanti mali præseruationem. In eo autem consistit, quod superbi de se maiora existimant quàm sint, & inter inducentia ad superbiam, vnum est, quod aliquis consideret aliorum defectus*, ex doctrina S. Thom. quod erat optimum Sanctorum documentum,

2.2.q.162 a.3.ad 2. non Cardinalis sugillatio. Vnde malè subsumptum à te est Vindiciane (per allata verba Grauinæ in articulo quem contra ipsum formas) dicendo, *sed Cardinalis ista cumulate fecit*: non enim hæc est Grauinæ subsumptio, sed tua, vt odiosam causam & personam Grauinæ redderes: Tu ex duplici inflicto vulnere, ex tua additia subsumpta minore in Cardinalem, & in Grauinam, potius effecisti, vt non exiguus sanguis ex allato vulnere efflueret. Simili Hieronymus impetitus calumnia, quod non præseruatiua antitoda præpararit, sed inuectiuas sit meditatus; respondit (quod idipsum Grauinæ causæ congruit.) *Aut nihil scribendum fuit, ne iudicium hominum subiremus, quod tu facere prohibuisti, aut scribentes nosse cunctorum aduersum nos maledicorum ora torquenda. Quos obsecro, vt quiescant, & desinant maledicere: non enim vt aduersarijs, sed vt amicis scripsimus, nec inuecti sumus in eos qui peccant, sed ne peccent MONVIMVS, &c.* Ep. ad Nepotianū de vita clericorum.

§. II.

Vidisti puram Grauinæ intentionem, sed dissimulasti: tandem à veritate victus, pro eodem subiunxisti.

VIND. *Dicet Grauina in eiusmodi officijs vnumquemque se munire aduersus elationis peccata,* & subiungis, *optime*: quod est Grauiniani discursus ab hoste testificatio. Sed mox eundem Grauinianum discursum infirmas, *quod etiam extra dicta officia similis cautela, eadem industria exercenda: & quod hoc genus artis cum ista cautela corrigendi, cum antitodo contra elationem probè scientissimus Cardinalis nouerat, itemque probè callebat vim huius contagij superbiæ, ex praua dispositione intuentis defectus aliorum, nasci ex appetitu propriæ excellentiæ, vnde quando ex officio, necessitate, commiseratione, vel alia iusta causa, quis in alienos defectus oculos iacit, nihil religiosæ humilitati decedit, vnde præcipitem se Grauina dedit*, ait, *quando Cardinalem superbiæ in eo genere arguit, quod nonnisi ex interiori mentis deprauatione procedit.*

TVRT. Generalis admonitio à fortiori cæteris dabatur, quando sermo ad perfectissimum virum dirigebatur de munitione aduersus elationis peccatum, quod & si in viris imperfectis oriatur ex praua dispositione, & affectato appetitu propriæ excellentiæ; nihilominus vt dicit Cassian. de spiritu superbiæ: *sæuissima, & cæteris vitijs immanior bestia, perfectos maximè tentans, & propemodum iam positos in consummatione virtutum morsu diriore depascens*, vt etiam commiserationem, quantacunque sit ex officio, ipsamque repulsam superbiæ per actum humilitatis exercitam sæuissimè adoriatur, vt si ex hoc conflictu nihil humilitati depereat, commiserando aliorum defectibus, & huiusmodi, Iebusæus semper præsto sit, de elatione titillans, vt ad præliandum semper simus accincti. Lib. 11. c. 1.

VIND. Fingis deinde aliam obiectionem, quam Grau. non fecit, vt affigas ei, vel saltem Cardinalem de leuitate taxasse, videlicet: *Cardinalem aures delatoribus præbuisse, atque inde commotionem sensisse*. & Gordianum nodum à te factum sic conaris dissoluere: *quod etiam S. Paulus relata de Thessalonicensibus credidit quosdam scilicet ambulantes inquietè. Et corrigente desormia, non de aura superbiæ afflatum* & præoccupans responsionem, quod Bellarminus falsa de innocentibus credidit, instas. quasi cum laruis pugnans *hoc esse probandum, falsò delatis credidisse cum Bellarminus lustrarit tot Prouincias, & in Romana Curia in grauissimis causis diuersatus, & in Regularium errata, sicut & proborum egregia merita ancurrisse.*

TVRT. Damus nec Cardinalem falsò de innocentibus non credidisse, & credendo quosdam non rectè ambulantes absque aura elationis sugillasse, nimia tamen est

(ex

(ex defensione ficta tanti viri) nequitia tua, dulciter alios submordere, regularium errata, ex experientia, & officio (sicut egregia merita, tui dicti acerbitatem demulcendo) calluisse. Verum cum tu semper plus errata, quàm merita perspecta haberi vbique institeris, inimicus & defensor toto hoc opere demonstraris.

L.2.c.13. Momordit quondam Petilianus Augustinum cum Catholicis, quod *vipera facti essent, in fontibus populis morsus affigendo.* non secus ac Vindicianus calumniatur Grauinam, quod Bellarminum de tumore, elatione, leuitate, & Societatem de superbia taxarit; & tamen in toto opere non Catholicos, sed malos laicos, & ipsos hæreticos, qui in peiora crimina quam quæ existimantur à Religiosis committi incurrunt, acriter perstrinxit. Quid respondit Augustinus? *hæc si dicam de talibus esse dicta, quales vos estis* (Donatistæ, Vindiciane cum tuis symmistis superius recensitis hæreticis Religiosos lacerantibus) *respondetis; proba. Quid enim tu probasti aut si eo putas probari quo dicuntur non opus est eadem repetere. Retita illa ipsa tibi, & vobis in vos. Ecce & ego probaui, si hoc est probare, & tamen disce quid sit probare: neque enim extrinsecus quæro documēta, vt vos viperas probem. Ecce id ipsum vipereum est non habere in ore firmamentum veritatis, sed venenum maledictionis, sicut scriptum est: venenum aspidum sub labijs eorum. Et quia passim à quolibet in quemlibet dici potest, quasi quæreretur. Quorum? continuò subiecit: Quorum os maledictione, & amaritudine plenum est. Cum ergo talia dicitis in homines per totum mundum dispersos* (Religiosos fermè omnium Prouinciarum) *& quos omnino ignoratis, quorum etiam multi, nec Cæciliani, nec Donati*, Grauinæ vel Vindiciani defensoris, *nomen audierunt, nec auditis in silentio respondentes; non ad nos pertinet quicquid dicitis: non vidimus, non fecimus, quid loquamini penitus ignoramus. Vos qui nihil aliud vultis quam dicere quod probare omnino non potestis, quid aliud quam os vestrum maledictione, & amaritudine plenum est? iam videte vtrum vos possitis ostendere non esse viperas, nisi ostenderetis omnes Christianos omnium Gentium* (omnes Religiosos fermè omnium Prouinciarum) *traditores esse & homicidas, & non esse Christianos*, non esse bonos & probos Monasticæ disciplinæ obseruatores; *Imò verò etiam si potestis singulorum hominum* [Religiosorum] *per totum orbem diffusorum vitas & facta nosse & ostendere: tamen antequam id faciatis, & temerè ista iactatis, os vestrum vipereum est, os vestrum maledictione & amaritudine plenum est &c. Attendite hæc omnia, videte vtrum aliquid horum, quæ obijcitis* immanium peccatorum, vel de orbe terrarum, totius orbis Religioso cœtu, *probare possitis: cui tamen maledicere non quiescitis: in vobis vera ostenditis quæ de illo falsò iactatis.* VIND.

Mox eidem Grauinæ Vindicianus affigit, quod *partialem deplorationem obiecerit Bellarmino, quod non omnium ordinum facta sit à gemente columba, sed aliorum, exceptis suis.*

Non ex parte Bellarmini, sed eorum, TVRT qui tanquam lamentatrices assumuntur, & vt viua membra efferuntur, deploratio inhibita, sed quomodo fieri debeat præscripta est à Turture ijs verbis. *Si autem is, cui tribuitur officium plangendi tanquam verum & viuum membrum Ecclesiæ celebrari audit, meminerit, vt non in se, sed in Domino glorietur, vt sit quoque in ista Sancta gloriatione discretio, vt non ad omnes & singulos professores suos hoc dictum extendatur, sed ad illos solos qui apud oculos sponsi vera & viua charitate informantur tale dictum pertineat, qui & infirmos quoque portant, & plangunt. Facta autem omnium causa communi, vt in omni congregatione sint deplorantes, & deplorati, vniformis, atque communis sit omnium deploratorum gemitus &c.*

Vbi illa subsumptio tua? *Sed Bellarminus* quæ

qua erat causa communis partialem fecit. Ergo &c.]sola præmonitio est facta vocatorum ad lamenta, vt cum humili lamentatione absque distinctione in quouis ordine affirmet esse deploratos, & deplorantes, vt Turtur de sua præcipuè Religione fecit, vnde rursus cum Hieronymo assumit Turtur. *Nec inuecti sumus in eos, qui peccant, sed ne peccent monuimus. Neque in illos tantum sed & nos ipsos seueri iudices fuimus, volentesque festucam de oculo alterius tollere, nostram primum trabem eiecimus. Nullum læsi, nullius nomen mea scriptura designatum est, neminem specialiter meus sermo pulsauit. Generalis de vitijs disputatio est. Qui mihi irasci voluerit, ipse de se quod talis sit, confitebitur.*

Ad Nepot. de vita Clericorũ.

VIND. Hoc verò iaculum imaginariè iactatum in Bellarminum, vt putat Vindicianus sic putat elidere. *Non ferebat argumentum operis, vt Auctor se ipsum accusaret, & multò minus eum ordinem, cui illud munificè dedicare constituisset. Nam neque Grauina Turtur in se ipsum aut in suam, magnique Aquinatis mortem, quicquam tristius designauit: sufficiebat Bellarminum, neque se neque suum Ordinem à communi deplorandorum sorte exemisse, ac velut sancti viri aliorum morbos, ægritudines diuina ope sanarunt, quamuis ipsi morbi existerent, & in se ipsos curationis virtutem non verterent, ita sunt tempora quibus vacandum alijs sit integrè, suspensa tantisper sui ipsius accusatione. Cum Ioseph Patriarcha super singulos suorum fratrum fleuit, nunquid in semetipsum quoque debuit ingemiscere?*

TVRT. Defensioni tanti viri adfauet Turtur, sed displicet, quod ea quæ sapiens ille architectus ædificauit, tu destruis, tum friuolas rationes afferendo, vt indefensam causam, ex tua culpa relinquas. At placet quod nedum ex tuis criminationibus, sed ineptis probationibus totius orbis terrarum religiosi à crimine absoluantur: Ferebat occasio dedicationis (quis dicere posset) vt cum de tot charismatibus membrorum virorum mentio fieret, deplorandi materia subministraretur. Sed optimè Blesensis te confutat, aduersus enim quendam, qui de sua innocentia gloriabatur, quæ reprehensione, & planctu digna erant eiusdem oculis exhibet, se ipsum inuoluens in deploratorum numero eundem plangens. *Sanè vix vnam diem transigimus, in quo non offendimus Deum aut proximum irascendo, detrahendo, murmurando, inuidendo, scandalizando, cupiendo, garriendo, sequendo gulam, obsequendo carni, contradicendo spiritui, appetendo quæ sunt sæculi, contemnendo quæ sunt Dei.* Se ipsum Blesens. in delictis & planctu inuoluit, vt liberius sanaret ægrotum de se non humiliter sentientẽ, & propterea non se dignum planctu existimantem; vnde subdidit. *Tua opinione es sanctus, innocens, impollutus. sed supellex varia, delicatior cibus, vestitus cultior, vberes redditus, ambitio ad maiora, ædificia ampla, multiplices clientelæ, circa desideria carnis cura impensior, tuæ opinioni multipliciter obsequuntur.* Sic sancti viri ægritudines sanabant, saltem in Generalibus culpis ostendendo se peccatores, & nullus fuit quem legerim, qui in se ipsum curationis virtutem nõ verteret, vel ipsa non indigere dissimularet, & sanctitatem præseferentibus, aut iactantibus particularia non repræsentaret, vt eorum cor non exaltaretur, & ambularent in magnis, & in mirabilibus super se. Non sunt discreta tempora, vt ab aspectu propriæ miseriæ oculos auertamus, & suspendenda sint nostra accusatio, cum in culpa nulla suspensio assignetur, *septies enim in die cadit iustus*, nec fœdera inter exercitus constituantur, vbi multi corruunt. Cur ergo Vindiciane, dum alijs aliena opera vel onera conaris imponere, ausus es, in communi area, à tritico paleas separare? Vnusquisq; nostrum proprium onus portabit, & à tritico paleam ventilabrum vltimum separabit. Fleuit autem Patriarcha, sed

Ep. 118.

Prou. 24.

sed si se ipsum non fleuit, nihilominus cum iterum recideret in collum Beniamin fleuit, & hic super eo vicariam lacrymarum operam sibi impendentes. Vnde & si Turtur, nec suæ religioni, vel in magni Aquinatis extinctionem quicquam tristius designauit (quomodo designaret, religioni, vt & cæteris tot prærogatiuis, & priuilegijs cœli decoratis? an Sancto illi Ecclesiæ luminari, eclypses præsagire poterat vel debebat?) nihilominus suam Religionem & cæteras ad imperfectos deplorandos inuitauit. Non possunt oculi carnales super se ipsos reflectere, nihilominus tantum potest ars, vt ipsi se qui præuident oculi in speculo se intueantur ex imagine, sed nō veritate: at oculi mentis super ipsos se se reflectere possunt, & super se ipsos deflere ne dum humiliter, sed & veraciter. Vnde ad se ipsas plangendas mulieres Hierosolymitanæ inuitatæ à Domino ad Caluariam properante. Luc. c. 22.

§. III.

VIND. Iterum præuenis Grauinam, dicendo cum Salomone: *Iustus prior est accusator sui*, Prou. c. 18. & hoc præstitisse Cardinalem asseris, & probas ex lib. 6. vitæ suæ, & ex recessu suo, vbi contemplationi lacrymas coniungebat, in exercitationibus S Ignatij *se renouans ad propius accedendum, ad Redemptoris sui virtutes, & consilia. sic Bellarminus* (subdis) *trabem de oculo suo remouit. alios notare cœpit, albuginem propriam absterſit, & omnino vita exacta maculas eluit, priusquam in mores contaminatos consilium susciperet.*

TVRT. Et in hac accusatione, iusti lacrymis, piam animam Cardinalis Grauina agnoscit, humilitatem prædicat, & demiratur, de aliorum defectuum commiseratione. Solum (vt alias dictam est) monitio facta est humillimæ animæ, vt quiesceret eius vox à ploratu suo, ex existimato illo criminum excessu in vniuerso penè corpore regularium. Cur tu Vindiciane lacrymas non assumis ad longissimam trabem superbiæ tuæ eluendam? Qui easdem commendas, prædica imitandas, cum salsedine illa coniunctas, quam vt natiuam lachrymæ coniunctam habent, quæ est pacis condimentum. *habete in vobis sal, & pacem habete inter vos.* Marc. c. 9. Sed tu fundis Crocodili lacrymas, vt quos oculus nequam ploret, lingua acuta & dentibus ferinis interimas, omittatur de pij viri lacrymis differere, ad Vindicianum sugillandum idem valet, quod dixit Augustinus. *Non est huius areæ ventilabrum lingua Petiliani* (dicamus 3. Contra Petil. c. 1. Vindiciani) *ac per hoc quicquid in eius paleam mali etiam verè dixerit, nullo modo frumentis eius præiudicat. Quicquid autem in ipsa frumenta maledictorum calumniarumq; iactauerit, fides eorum exercetur in terris, merces augetur in cœlis.*

VIND. Sed ecce angustiatus in causa Vindicianus rursum impetum facit in Grauinam quod supercilio Pharisaico supra cæteros eleuatum pronunciarit Cardinalem, dum sodales acciuit ne dum ad deplorandum, sed & orandum pro laxis religiosis, constituendo illos pro alijs mediatores & aduocatos; dicit ergo. *Lector, iam subsumat: sed Bellarminus hunc fecit delectum, eisque orandi materiam suggessit. Ergo non sine Pharisaico spiritu, cæteros vt publicanos despexit.* Et vt veritatis serenitas obnubiletur, summa inopia fit copiosius inania producendo, dicens. *Ast ergo perspicilia Grauinæ* (inquit) *inspicere gestio, quibus cum ista, vt loquuntur ingrossarent, oculos fascinauit, extant enim vitra, quæ apto ordine in tubam collecta, ex musca fingunt Elephantem. Paulus Apostolus non semel petijt preces à fidelib. Eph. 6. 1. Tim. 4. nunquid, subdit, istos Apostolus cæteris fidelibus superbe prætulit? num in Aduocatos ac mediatores cæterorum sculpsit? num illi aduersatus. qui dixit: aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum &c.*

TVRT. Si perspicilia Grauinæ grossa sunt, vt

ludis, rem tamen videt vnicam: at oculis Vindicianis, illud adagium comperit, ex visus hebetudine, vt dicitur [*vni duo, vel duobus tria*] sic putat.

Et Solem geminum, & duplices se ostendere Thebas. Orthodoxè cum S. Augustino sentit Grauina, conformiter ad doctrinam S. Thomæ à te allegatam, nimirum, *solum Christum esse perfectum Dei, & hominum mediatorem hominem Christum Iesum, qui dedit* 3 p q. 26 1. a. 1. *semetipsum reconciliationem pro omnibus; nihil tamen prohibet aliquos alios secundum quid dici mediatores inter Deum & homines, prout scilicet cooperantur ad vnionem hominum cum Deo dispositiue vel ministerialiter.* nec ex hoc dictum est, vel sequitur ex discursu Grauinæ (qui est ipsius Augustini) quod solus Christus sit mediator per viam supplicationis, vel solus orator, aut solus intercessor: vnde bene notat M. Medina, non apponi in scripturis (vt obijciunt hæretici negantes SS. intercessionem) particulam exclusiuã [solus] sed quando ait adderetur à script. vel PP, exponẽda esset: quod vnus solus Christus est mediator, orator &c. per naturam 3. p. loc. cit. seu simpliciter, cæteros Sanctos participatiue. Et vtrumque præstitit Sanctus Augustinus in authoritate à Grauina citata; nam Augustinus volens excludere Donatistas qui se faciebant principales sanctificatores, se solos iustos, solum vnum iustum Christum Iesum mediatorem fecit. vnde excludens obiectionem Augustinus *sed dicet aliquis, ergo sancti non petunt pro populo: illam* elidit subiungendo, & quod Præpositi *orant pro populo, & plebs pro Præpositis &c.* vnde ergo excluduntur Vindiciane à Grauina, homines sancti ab intercedendo, & orando? Solum excluduntur à perfecto intercessore solo iusto Christo Iesu, quod & Apostoli Ioann. verba significant. *Aduocatum habemus Iesum Christum iustum.* Simi- 1. Ioan. 2. liter Grauina voluit excludere laudatos vt deplorantes, ne se existiment mediatores & aduocatos, non absolutè, sed cum reputatione iustitiæ, nam hoc solius Iesu Christi est: *Domine* (dicebat Dauid) *recordabor iustitiæ tuæ solius,* vnde ad orationem vocati, aliorum sint aduocati, reputando tamen Psal. 70. se peccatores & vicissim ab alijs petatur vt pro illis orent. Vindiciano displicet discursus, quia geminos Soles videt æquè principales Christum & sanctos hic degentes, cum vnus in iustitia Sol iustitiæ Christus sit: geminas Thebarũ Ciuitates facit, quæ tamen vna sola est, Ciuitas Hierusalem, quæ intercedendo pro nobis, non habet quod in se plangat, abstergente Deo omnem lacrymam ab oculis eorum: militans autem Ecclesia sic orat vt plangat.

VIND. Dicis postea, *Grauinam sub Aduocationis titulo superbiam denotasse in Bellarmino, praeferendo suas vel sociorum preces cæterorum regularium orationibus prætermissis, sic excusando mordes, & mordendo excusas, nimirum ex libertate eligendi comprecatores, suos potius ad quos magis afficeretur elegit, vt in electione Medicorum accidit, quia ij præponuntur ad quos magis afficimur. Sic Onias & Hieremias oratores exhibentur alijs omissis, quia adhuc in populo Israel* 2. Mac. 15. *memoria & veneratio recentior. Etiam S. Cyprianus, cum posset aliarum Prouinciarum preces expetere in graui necessitate, quæ imminebat, intra angustiora Africæ littora se continuit, nec tamen Europæorum vel Asianorum preces contempsit: ita nec Cardinalis recentes vineas Engaddi florentibus, & odoriferis antiquarum vinearum botris anteponere putauit, ex huiusmodi suorum Sodalium imploratione ad plangendum & orandum.*

TVRT. At mi Vindiciane, his tuis glossematibus hæc scribens pectora blandis videris lenire dictis;

At mens diuersa parabat.

Satis frigidas excusationes prætexis, & elumbes rationes adducis, nam particulares illæ causæ quæ adductæ sunt & pro loco & tempore, aut alijs circumstantijs adhibitis, ad-

adductis exemplis veritatem probant. In causa autem nostra vbi selecta portio religiosorum à cæteris secreta, interpellatrix peculiariter cōstituitur, vt inuocetur, Christo Regi & Principi non parua iniuria derogatur, scriptum namque est: *in multitudine populi dignitas Regis, & in paucitate plebis ignominia principis*; nam coarctatur religiosorum multitudo (dum omnium, maxima pars religiosorum deploratorum describitur) vt minus apta ad interpellandum, *rectos enim decet collaudatio*: & iterum. *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* Prou. 14.

VIND. Demum per ironiam concludis. *Macte animo Grauina, sunt tua tibi & cunctis sacris ordinibus apud Bellarminum, & socios eius certa & inuiolata iura, & prærogatiua, neque nunquam fuerunt aut in posteritatē erunt vindemia* Abiezer cum ramis Ephraim comparandæ.]

TVRT. Ephraitis veteribus ordinibus sua iura, per hæc, seruanda doces, at nescio, quid sub Ephraitarum nomine latet, sub quo veteres ordines sugillas, vt tumultuosos & refractarios, & tumidos. scribitur in lib. Iudicū quod viri de tribu Ephraim, cum à Gedeone non essent aduocati ad præliandum dixerunt: *Quid est hoc quod facere voluisti, vt nos non vocares cū ad pugnā pergeres cōtra Madian?* quibus ille respōdit *Quid enim tale facere potui, quale vos fecistis?* Nonne melior est racemus Ephraim vindemijs Abiezer? In manus vestras Dn̄s tradidit principes Madiā Oreb & Zeb, quid tale facere potui, quale vos fecistis.] Quæ cū locutus esset, *requieuit spiritus eorū*, quo tumebant contra eum. Cap. 8.

Eadem paræmia Vindicianus potius abusus est. nam cum ordo veterum religiosorū tanquam derelictus habeatur, nec ad implorandum vel plangendū inuitetur (quæ est pugna aeris contra diabolum) eadem verba vsurpat Gedeonis, quæ aduersus ingratum & tumidum populum tumultuantem, diuina & inenarrabili eloquētia, Gedeon ꝓtulit; res gestas Ephraitarum cū eis qui ascenderunt ad pugnā cōparando, solumq; ab Ephraim duos ramos decerptos, & deportatos cōmemorans Oreb & Zeb, præstātiores vineis Abiezer pronunciauit, quod erat dicere: suam tribum Abiezer elitarum, tū rerum, tum actionum Ephraim splendore obfuscari. Vnde ex eloquentissima eaq; breuissima oratione omnibus numeris Rhetorum absoluta (vt obseruauit Arias Montanus) populus conquieuit, nec enim ironicè, sed ex corde syncero Gedeō loquebatur. At Vindicianus ironicè loqui cōuincitur, quod superius racemū Ephraitarum veterum religionum laude dignum non existimauerit & botros despexerit, & vineis florentibus hucusq; detraxerit, nunc vero dum extollit atq; mirificat, potius exacerbat, quātum in se est, veterū ordinum spiritum, imò spiritum Christi ironicus iste discursus; & ex vtroq; latere constringitur Vindicianus; nā si veteres ordines magnificat, seipsum prius eosdem pessundantem deijcit. Si paruipendit, se ipsum redarguit, in ipsa, quam tribuit selecto à se Ordini, exaltatione. Dicas Turturi si veteres ordines florentes habes, cur hucusque eos deflorasti? si aridi & emarcidi, cur vineis Abiezer prætulisti? Ergo vel maledicus es dum florentes ordines negas, vel ironicus, dum vel decerptos ramos Ephraim supra alias vineas extulisti. Arias in eum locū

II. Vitium nempe detractionis crimèn, à Turture tributum Bellarmino dolosè Vindicianus conqueritur.

§. I.

DIogenes apud Laertium rogatus cuiusnā animātis morsus esset perniciosissimus; *ex feris*, inquit, *obtrectatoris, ex cicuribus adulatoris*, momordisti nuper vt cicur, nunc vt fera alium morsum figis, calumniam ex calumnia struens, quod Cardinalem Grauinā calumnia impetierit in præf. ad Lectorem 1. part. cap. 4. in dedic. quod detractionis crimen incurrerit, quod

ex suis verbis de Regularium scandalis, pusilli sub pietatis specie detractionis spiritum concipiunt, rudiores in acerbas criminationes labuntur, & ex paucorum lapsu totum ordinem auersantur. Multò magis, vbi nota regularium crimina libris, & mentibus imperitorum inscribuntur, eademque illi vernacula legunt ac ruminant &c.

VIND. Hæc verba Grauinæ dicis Vindiciane, *non esse conformia illis quæ ipse proposuerat, vt sit in nobis humilitatis virtus, in sustinendo, & pax de cordibus omnium triumphet. Sed conceptum sermonem retinere quis poterit? & quamuis identidem Apostrophe ad seculares, & regularium osores dirigatur, scriptura tamen admonitio non fallit, si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occultè detrahit. Author omnium petitur Bellarminus; hic defectus regularium detexit, hic grauia, multiplicia, & omnibus nota ab eisdem scandala profecta asseruit, hic paucissimos pie victuros, plurimos salutem neglecturos prædixit. hic lapis est offensionis, & petra scandali.*

TVRT Lacessita omnis religio ex occasione publicationis defectuum, potius sustinuit ictus eosdem repellendo, quam vices rependendo. Poterat illarum hyperaspistes Grauina illud Hieronymi vsurpare: *Possem respondere si velim, possem genuinum nempe dentem læsus infigere*, quod iam pridem Persius adagium vsurparat, sed vicit in bono malum excusando piam mentem Bellarmini, apostrophando ad malos laicos, quod non erat (vt obtrectaris) veluti serpentis, mordere sub silentio, quando maxima dexteritate Grauina serpentem, intacta persona pientissimi viri eos transfixit, hoc est asperum illud verbum de multiplicitate propulsauit. Sed tu Vindiciane *gangrænam addere visus es*, malum congeminando nouæ culpæ accessione, nam dicis & concedis quod Bellarminus defectus regularium detexit grauia, multiplicia, & omnibus nota ab eisdem scandala profectò asseruit, hic paucissimos piè victuros, plurimos salutem neglecturos prædixit, & sequentibus rationibus id fieri potuisse niteris persuadere.

Satyr. 1

Ex Arn. 5 aduers. gentes.

Ex doctrina S. Thom. intentionem tuam fundas, *quia*, ait S. Thomas. *Si verba, per quæ fama alterius diminuitur, proferat aliquis propter aliquod bonum, vel necessarium debitis circumstantijs obseruatis, non est peccatum, neque potest dici detractio. Similiter in contumelia, si dicitur verbum conuicijs non animo dehonorandi, sed forte propter correctionem, vel huiusmodi, non dicit conuitium vel contumeliam formaliter & per se, sed per accidens & materialiter, in quantum scilicet dicit id quod potest esse conuitium seu contumelia, vnde quandoque id potest esse peccatum veniale quandoque autem sine omni peccato, in quo tamen necessaria est discretio.* Hac doctrina superposita (ait Vindician.) *ad detractionem duo requiruntur, & contumeliam. Primo intentio sinistra, vt quis noceat alteri. Secundo vt debita moderatio excedatur. De sinistra intentione non conqueritur Grauina: de posteriori vero membro, nec potest Cardinalis redargui. Solum enim Cardinalem in vulgus notos defectus enumerasse constat, vel quæ scriptorum in Ecclesia receptorum libris essent publicata, absque exaggerationibus, falsè dictis, &c. non sicut (ait Grauina) qui in ipsum Cardinalem eiusque ordinem hinc inde multa dicaciter effutiunt, qui si voculam indecoram, subdit absonam, vel purpura indecoram reperisset, procul dubio in crista sui Turturis collocasset.* VIND.

2.2.q.73. a.2.

q.72. a.2.

TVRT. Sed mi Vindiciane, vt dicebat August. *gratanter suscipit osculum columbinum pulcherrima & modestissima charitas, dentem autem caninum vel euitat castissima cautissimaque humilitas, vel retundit solidissima veritas.* De pia intentione Bellarmini securus est Turtur, vt de eius humilitate; si quæ scripsit significata ei fuissent, certè ante mortem suum correxisset excessum, vt de humillimo, & sanctissimo Cypriano (in re maioris momenti) scripsit Augustinus. Tuum dentem

2. de Trin. c. in proœm.

Ep. 48.

ne

ne dum euitare, sed & confringere oportet, ne amplius Ordinibus deroget. Verissima autem doctrina Angelici Doctoris est, quam pro maiori propositione sumpsisti, quando scilicet potest proferri verbum detractionis vel contumeliæ, nimirum propter aliquod bonum vel necessarium, adhibitis circumstantijs, & discretionis virtute. Sed nescio quomodo oblitus es de Minoris propositionis probatione, vt probares necessitatem propalationis scandalorum, & annexas circumstantias. Imo potius negatiua minor subsumi potest sub tuo discursu. quòd nulla erat eiusmodi necessitas, aliundè enim si erant talia scandala, prouideri poterat, quam ex librorum impressione, vbi eadem mundo euulgarentur, nimirum visitatione, reformatione, & eiusmodi. Publica delicta & scandala notoria notorietate iuris, euulganda, ad hoc enim infamia denotantur delinquentes, vt innotescant: qui tamen postquam honestè viuendo famam recuperarunt, si traducantur, cõtra charitatem traducuntur, habent enim aliqualem ad famam respectum, quam eo tempore post inflictam pœnam benè viuendo sibi compararunt, ex communi Thomist. sententia in ijsdem locis cit. & aliorum extra scholam S. Thomæ. Quæ autem notorietate facti publica sunt, efficiunt, vt eo loco vbi innotescunt delinquẽtes manifestari queãt absque læsione iustitiæ & charitatis, si id bono animo fiat, non tamen absque detrimento charitatis innotescere possunt ijs locis ad quos fama non erat peruagatura, retinent enim in ijs locis rei famam re ipsa & facto, licet non iure. Qu repropalare ibidem tales defectus, notabiliter proximus læditur in re magni momenti, quod diffamans in se ipso naturali lege in se pati nollet, vt eodem modo diffamaretur. Quantò magis si non vnus priuatus, sed vna communitas diffamaretur; & potissimè si plures & inter illas plures, determinatæ familiæ in particulari nominarentur, & propter paucorum, vel plurium, assererentur corruptæ, euanidæ, marcidæ, dignæ planctu & huiusmodi, & quod supremum est, si nec temporum ratio vel aliud huiusmodi pateretur, aut talium defectuum enarratione publici iuris fieret vetaretur.

Less. de iust. lib. 2. cap. 10. ar. 75. 76. 77. 78. 79.

At potuisse publicari suades Vindiciane, dicens. *alioqui nullus sacer vel prophanus historicus ab huius vitij labe purus, & integer censebitur*, quod inductione probas in scriptoribus sacris, Genesceos, librorum Regum, Machabæorum, quos non possumus de detractione taxare. Similiter idem apparet in librorum profanorum scriptorum libertate *narrandi dicta vel facta eorum, qui sui vel officij vel honoris obliti à virtutis tramite longius recesserunt. nam & hinc plurima in Nepotes eruditio & cautela venit speranda.* VIND.

Bene eos sacra Theologia non improbat, quia ait Bannes *ex narratione talium criminum vtilitates inde proueniunt Reipublicæ & particularibus personis*, si tamen talia dicerentur de familijs, vt cum nocentibus innocentes inuoluerentur, vel grande detrimentum in Republica, & nullus fructus nasci posset in posterum, & ex emendatione acquiri talis fama posset, vt in posterum etiam eandem existimationem posteritati tradendam, non mereatur, sicut quando fuit perpetratum delictum, non video cur scribi possit in memoriam sempiternam, quod fortè abolitum est, iudicandum tamen vt recens facinus per myriades seculorum. Quæ omnia in nostro contingunt proposito, quando, etiam si nocentes cum innocentibus misceantur, totus Ordo corruptus pronunciatur, nec omnes religiosorum familiæ talibus scandalis aspersæ sint, nec vllus fructus (vt videbimus inferius) reportari possit ex notitia talium criminum; vnde passim prohibentur

TVRT. 2. 2. q. 73. ar. 2.

bentur ioci, dicteria, narrationes defectuũ Ecclesiasticorum ex regulis Indicis, & fieri potest vt in melius Ordo reputatus corruptus, correptus assurgat, quam quod publicetur & in posterum semper de corruptela iudicetur.

§.II.

VIND. Audiamus aliam Vindicianam rationem ad propositam thesim euulgandi defectus Religiosorum adductam. *Re ipsa verissime dixit S.Thom. hominem peccatis suis ab ordine rationis discedendo, etiam ab humana dignitate excidere, & in quandam bestiarum seruitutem ac vilitatem compingi: homo cum in honore esset &c. imo peiorem bestia malum hominem fieri, & plus nocere, vt etiam Philosophus arguit. quo fit, vt peccator iustissima hac pœna mulctetur, quandoquidem vitam ipsam cum bestijs prostituit, vt fama quoque dignitate priuetur, cæteris terrori sit, & exemplo.*

2.2.q.64. a.2.

Psal.48.

TVRT. Nescitur in qua schola Vindicianus didicit talem consequentiam fabricari [Homo perdit dignitatem humanam peccando & bestijs fit simillimus, ergo meretur famam amittere.] si enim sic licet syllogizare, ipso facto etiam occultissima peccata propalanda erunt; correctio nulla adhibenda; in concione pro rostris quæuis, & quorumcunque magnatum & procerum publicanda & exemplanda delicta; Sicut fama, ita prærogatiuis & dignitatibus hi exautorandi. Quod si iuxta subiectam materiam se loqui dicat de publico peccatore, malè sub hac maiori subsumit dicendo.

VIND. *Quando igitur regulares quoque propriam famam suis excessibus misere prodigunt, atq; insuper suos commilitones, Præsides, & totum ordinem grandi subijciunt despectui, stigmate omnino digni sunt, quo nominis claritatem amittant.*

Amittunt particulares transgressores bonæ opinionis iacturam, cum aliquali familiæ totius mortificatione: vnde illa propositio *grauia, multiplicia, & omnibus nota*

TVRT. *scandala profecta è religiosis domibus* (præsertim exemplificãdo de religionibus SS.Benedicti, Dominici, & Frãcisci) semper cruda est velut subcineticius panis qui nõ reuersatur, & sic cruda prolata religionib. est iniuriosa propter paucos totam communitatem inuoluens. si quis diceret exempli gratia, quod absit, in religione Societatis Iesu sunt scandala grauia, multiplicia, omnibus nota, nonne expostularetur ad L. Corneliam de *falsis*, Vindiciano ficto defensore eius, quod correxisset Cardinalis & fortè ante mortem correxit: patrociniũ fictum asseruit, vbi author excusatur, defensor incusatur, absoluitur simplex assertor, damnatur callidus exaggerator? Facit in his probationibus Vindicianus, quod circulatores, & scurræ circumforanei, *fingunt inspecta manu se diuinaturos, deinde non obseruanti & alio intento*, vt scribit Hieron. *pugnum in nares impingunt, & risum populo mouent.* Defectus religiosorum, ne dum vaticinari Vindicianus, sed & prodere didicit, interim id studet, si stultorum verberet nares, & obtorto fuste (vt dicebat Hier.) *dentes mordentium quatiat*, sic enim iniecto in os simplicis & rudis hominis, fuste diuinare promittebant, sed mox intorquebant apprehensum dentibus non sine malo tenentis.

Ex Hier. in epitap. Marcellæ viduæ.

VIND. *Fuit, subdit* (vide circulatoris vafriciem) *cum diuinitus ex Prædicatorum ordine, illi qui propter ambitionem, æmulationem & alia delicta damnationem incurrerunt, cogerentur in Neapolitano Conuentu se sistere, & omnes ordinis cultores commonefacere, suæ vt vocationi, cæteris præmissis grauiter insisterent. Neque hinc abludit quod Bononiæ ex S.Dominici sacrario vulgatum fuit: Nec ego Pater, nec vos filij, quod tunc contra S. Fundatoris constitutiones attentaretur, Gramina nouit. Plura* subdit *in aliorũ Chronicis atro digna calculo obseruabis. in vita S.Bernardi æmulatio vterinorum fratrum, quos ad religionem adduxerat non reticetur.*

TVRT. Quantum attinet ad visionem illam factam

Visio quædã, falso asserta, accidisse in Conu. S. Dominici Neap. refutatur.

ctam in Neapolitano Cœnobio, ea relatio fabella extitit manifesta, nam Senensis, & qui ex eo transcripserunt, id accidisse referunt anno 1300. quo tempore, quantum in sanctitate floreret Regni Prouincia ex Chronicis colligitur. nam ante viginti sex annos S. Thomas diem clauserat extremũ, cuius socius B. Reginaldus de Priuerno eodem clarebat tempore, & sub eadem centuria, viri sanctitate florentes ex eadẽ Prouincia recensentur, B. Ambrosius de Auersa, B. Iacobus Sinuessanus, B. Lucas de Ponte Curuo, B. Robertus de Neapoli, B. Guido Marramaldus Inquisitor, B. Raymundus de Capua, B. Daniel de Beneuento, quomodo verisimile est laxorum tunc introductam vitam quæ faceret filios gehennæ, cum tot heroes spiritum primitiuum retinerent, quo commilitones ad feruorem conseruandum excitabant? Amplius famam adducit Senensis, & incertã traditionem, nec authorem vel scriptorẽ eorum temporum signat, qui rem adeò memorandam plumbeis laminibus descripsissent ad posterorum informationẽ, & eruditionem. Prꝗterea tabulam remansisse stigmatizatam ex ignita manu illam percutiente alij narrant. Sed hi posteriores scriptores inter se variant, nam quidam dicunt id in Conuentu Salernitano accidisse sine vetustioris scriptoris testimonio. Hoc probandi genere fabula Ioannæ Papissæ exploditur, quia illius auctor ex incerta fama solus Martinus Chromerus producitur etiam si multi Doctores Martino subscripserint. Accedit quod & nonnulli patres seniores, vt P. Fr. Magister Marcus de Castro maris (qui prope ad centesimum ætatis annum peruenit) nihil de ea re traditione maiorũ acceptum posteris consignauit, vnde & venerabilis P. Fr. Magister Marcus de Matthensio, bon. mem. qui & Prior Salernitanus, Prouincialis Regni, totius Ordinis Procurator Generalis, cũ de hac re à Grauina eiusdem Socio Romæ interrogaretur, an & vbi id acciderit, nihil tale traditum sibi fuisse, vel ab antiquioribus accepisse, nec à P. Fr. Mateo de Castro maris, à quo habitũ acceperat an. 1559. id vnquam audisse dixit, quinimo fabulosũ esse, & fabulosos, & confictos Patres dixit eos quos Martin. Delrius lib. disquis. magicarũ profert eius rei testes. *L. 2. q. 26. sect. 7.* Deceptus autem est author istius fabellæ nullum authorẽ eius tẽporis, quo factũ istud accidisse perhibetur, ꝓferens vel allegãs, sed aniles fabulas, tãquam territamẽta tyronum, fabrefactas edidit, non grauiores & doctiores Patres cõsulẽs, vel antiqua monumẽta perlustrãs, sed quod sine fundamento, & authoritate acceperat absq; delectu in suã cõgessit Bibliothecã. In capitulo Generali Neapolitano magna cõquisitio huius rei facta est anno 1600. maximè petentibus huius rei veritatẽ diffinitoribus Hispaniarum, & Indiarũ, & Senensem Lusitanũ de leuitate, & nimia credulitate taxarũt. vnde ex relatione Senensis lapsus est Ferdinandus Castillo, & alij ipsum sequẽtes, qui Senensis meri relatores fuerunt, nulli alio fundamẽto historicæ veritatis innixi. vnde & Magister Fr. Ioannes Espila à sacris confessionibus Ducis Beneuẽti Proregis Neapolitani retulit Philippum II. Regem non leuiter admiratum, quod tã insignis Magister, pueriliter lapsus esset, historiam minimè fundatam à Senensi transcribendo, extẽsa fortasse facillimè Senensis historia ex simili combustione tabulæ, quæ accidit Zamorræ, cum ad ꝓbandam acerbitatẽ pꝗnarum Purgatorij, anima religiosi cuiusdã manũ super tabulam refectorij apposuit, quæ vestigium ignitum reliquit, quod vsq; ad hęc tempora cernitur. Idem scribit Antonius Senens. sed rectè subdit Maluenda in Annalibus Prædic. 1219. *nõ ex solo testimonio Senensis, sed ex antiquæ & vetustæ traditionis ostẽsione, hæc asserimus, ad quã traditionẽ, si idẽ Se-*

nensis

nensis (quem secutus est Castillus tom. 2. cap. vlt.) attendisset, non tam leuiter sine fundamento asseruisset in Conuentu S. Dominici de Neapoli cõsimilem, sed incertam de damnatis PP. visionem, quam exaggerat Delrius in disquisit. Mag. l. 2. q. 26. sect. 7. Legendi contra Senensem Episcopus Monopo. 3. p. cent. in prooem. & M. F. Paulus Minerua in Apologia.

§ III.

Demus veras visiones quas Senensis narrat in Conuentu Neapol. & etiam in Conuentu Bononiensi demonstratas, in hoc differentia demonstratur eorum qui loquuntur ad gratiam dum historias scribunt, & eorum qui loquuntur ad profectum. In historia profana cum victures leguntur, animi eriguntur ad profectum, deprimunt animos cum recitantur infirma, inde suorum *tacent fugam, referunt constantiam, fortitudinem prædicant, timores silent, aperiunt insignia, infirma reticent, aduersa non memorant, victorias producunt.* At sacrarum rerum scriptores dum infirma aliquorum facta recensent, est aliorum prædicare cõstantiam, casus & lapsus referre, stantium est edicere triumphos, & ex alieno periculo in acie cadentium, fiunt superstites humiliores, & cautiores. Nec propterea infirmus exercitus, & inglorius denominari potest, cum inuictissimæ acies & bellatorum cunei denotentur, qui occisos in immensum excedunt. sicut nec inglorius remansit Angelorum exercitus, quia dæmon cum satellitibus suis ad tartara projectus & destinatus. Non solum tartara debes inspicere Vindiciane, sed (si gloriaris te defendere oculos columbinos) sursum respicere; videres enim turbam magnam quam dinumerare non potuisses Fratrum, sub paludaměto B. Virginis castrametantium, vt per visum S. Patriarchæ etiam in sui ordinis primordio ostensum est. quorum tanta est protectio, vt hæc B. Iordano dixerit, ex Humberto: *diligo ordinem tuum, vnde impetraui à filio meo, vt nullus in ordine tuo possit diu in mortali persistere, quin citò deprehendatur. aut citò pœniteat, aut extra projiciatur, ne ordinem meum fœdet.* vbi illud pronunciatum quod confirmas Vindiciane: *paucissimos in religionibus pie victuros. plurimos salutem neglecturos, & perdituros?* cum ex sola vna familia religiosa tot transmittantur ad Regnum. Quid paruo damnatorum illi cuneo, vel aliorum qui perduntur, cum agminibus innumerabilibus, qui salutem consequuntur? Hæc & similia, & maiora in alijs omnibus religionibus si Chronica eorum perlegeris candide Lector calculo candido annotabis, non atro & gehennali etiam calculo designabis.

Ex Chrysologo ser. 150.

Inuit. FF. c. 52.

VIND. *Hæc omnia (subdis) prudentibus viris in suis lucubrationibus licuerunt. solum Grauina Cardinalem allatrat, cũ modicè quidpiam de segnioribus regularibus, ex probatis authoribus, & diuturna experientia communit. Vexat censura columbam; legirupis, ac votorum violatoribus patrocinium, latebra; silentium conquiruntur. Scandalum est quicquid in scandalorum satores mouere contendas.*

TVRT. Diuersum est mi Vindiciane historias texere, & Ecclesiasten agere, vel paræneses scribere. Historicis multa licent, cautelis supradictis expositis, ad posteritatis eruditionem. In Ecclesiaste & parænesis scribente, maiori circumspectione opus est, qui cum admonere vel arguere debeant, sic linguam vel calamum temperare debent, vt vitia religiosorum non pandantur, per quæ denigrari possit religio: multo minus theses, quales sunt, quas defendit Vindicianus, efferendæ, vt ruborem religiosis incutiant, & de personis fiat transitus ad statum, vt ordines traducti vt inordinati, regulæ religiosorum irregulares, cum suo statu denotentur, scandalum est mouere non mouenda. Non vexauit censura columbam, sed solum commonefecit, vt charitas (quæ operit multitudinem delictorũ,

&

& legirupum) non ad patrocinandum criminibus, sed infirmis prouidendum laborans requirebat. Si vixisses tempore S. Ioannis Euangelij, cuius pectus, amore proximi propter Deum conflagrabat, tibi dixisset ad aures Vindiciane: *si venero, commonefaciã eius opera* (de Diotrephe loquebatur) *quæ facit verbis malignis garriens in nos.* iam vero cum scriptum documentum spernas, sat est si Ioannis documentum, & exemplum sectentur pij, & garrientem Vindicianum meritò comprimant. nam vt dicit gloss. in eundem Ioan. locum: *sicut linguas detrahentium nostro vitio non debemus excitare ne pereat, ita per suam nequitiam excitatas debemus aquanimiter tolerare, vt meritum nobis crescat, aliquando etiam compescere, ne dum de nobis mala dissseminant, eorum qui bona audire poterãt corda corrumpant.* Te igitur mali oui malum pullum ferit ista censura, non simplicem columbam, cui parænesim beneuolam, nõ spicula Turtur destinauit, nunquam eam vulnerando, sed & (plus quam par erat) excusando. Talem monitorem libenter audisset columba, quem tu velut criminatorem sui operis auersaris. Nihil tibi profuit vulnera conscientiarum, & inusta cauteria aliquorum detexisse laxorum, cum innocentium exercitum in te reclamantium ad suarum religionum defensionem iustissimè excitaris. Hoc vnum documentum accipias ex Hieron. *Nulli vnquam omnino detrahas, nec aliorum vituperatione te laudabilem videri velis. magisq́ vitam tuam ordinare disce. quam alienam carpere. At semper scriptura memor esto dicentis: Noli diligere detrahere ne eradiceris. Pauci admodum, qui huic vitio renuncient, rarosque inuenies, qui ita vitam suam irreprehensibilem exhibere velint, vt non libenter reprehendant alienam.* ab oblatrante cane documenta accipe, qui pro custodia religionum, detrahentem non vni proximo, sed vniuersæ illustriori portioni gregis Christi, iure persequitur.

Io. ep. 3.

Ad Celantiam.

Interim audit ex te Turtur documenta, quæ ex Augustino profers [vt excitemus Christum in corde nostro, dum fluctus passionum nos conturbant, vt fiat in mari tranquillitas.] VIND. In Ps. 93. v. 10. TVRT.

Quiescat pariter cor tuum, dicam iterum cum Hieronym. supra: *nihil enim est quod ita mobilem mentem ac leuem faciat, quã facilè totum credere & obtrectatorum verba temerario mentis assensu sequi. Hinc enim crebræ dissensiones, hinc odia iusta nascuntur, hoc enim quod sapè de amicissimis etiam inimicos facit dũ concordes quidem, sed credulas animas magniloqua lingua dissociat*, adnecte etiam verba Augustini, quæ in eodem Psalmo prosequitur. *de hominibus quidem malis exercet nos, & de illorum insecutionibus nos erudit. De malitia mali flagellatur bonus, & de seruo emendatur filius: ita fingitur dolor in præcepto. & Deo permittente captabunt in animam iusti &c.* quare captabunt, subdit August. *quia verum crimen non inueniunt quod obijciant.* & si in aliquibus obijcitur, hoc funestum est, quod propter malos, tot innocentium sanguinem condemnasti.

In eundem Psalm.

III. Vitium nempè Imprudentiæ Turturem Cardinali affinxisse, dolosè & vafre Vindicianus effingit, vt odium ex hac calumnia, illi conciliaret.

§. I.

CVm Antiochus Rex ab vniuerso exercitu associatus venisset in Græciam, omnesque reddidisset attonitos & militum numerus, & armaturæ varietas; Quinctius hoc sermone metum ademit Achæis. *Quũ essem in Chalcide cœnans, apud hospitem meum, mirabar carnium copiam, quum omnia essent tecta niue, at hospes respondit: ea omnia nihil aliud esse. quàm suis domestica carnes, tantum apparatu & conditura diuersa, ne vos igitur, inquit, admiremini Regis copias, quum auditis hastatos, cataphractos pedites, equites, & sagittarios.*

Ex 5. Apoph.

V Nam

Nam hi omnes Syri sunt armaturæ inter se differentes. Si videas prima fronte (candide Lector) rationum apparatum Vindiciani, exercitum tibi obijcient cataphractorum, peditum, equitum, sagittariorum: at si intimè illas penetrabis, vnius sunt ordinis categoriæ diuerso apparatu concinnatæ, ad Grauinam exterrendum, & sugillandum, quæ proinde non extimescendæ.

VIND. *Grauina quoque,* inquit, *rursum Cardinalem imprudentia insimulat p.1.c.20. quod velut Balac partem dumtaxat ordinis cuiuscunque regularium, non totum simul considerauerit, cum necesse sit, vt fecit Balaam, non seorsim de communitate singulos, sed in communitate adunatos, nec de vnis partibus, sed de summis montibus exercitum Israel contemplari. Quæ enim pars seorsim maledictionis & benedictionis capax est, in toto incorporata illud audit. Quam pulchra sunt tentoria Israel &c. propterea discretionis spiritum requiri, vt totum consideretur non partes, sed totum in partibus, & in toto partes. quam doctrinam* multis authoritatibus *Augustini idem Grauina confirmat.* Quid Vindicianus? *hæc præcepta* Cardinalem seruasse. nam lib.2. cap.6. ait. *Ex quibus omnibus agendas esse gratias Deo cum ingenti lætitia, pro tot sanctis hominibus, quos Ordines Religiosi Ecclesiæ Catholica pepererunt, & in dies pariunt. & simul etiam fundendas lacrymas pro deformatione, quam passa est tam illustris portio gregis Christi.*

TVRT. Sed etiam si in exercitu Israelitico, multi essent deformati, non deformata illa acies appellata. Quid si diceretur hæc portio pene corrupta? vt dicitur in cap.6. quod scandala &c. *materiam vberem præbent columba gemendi, & plangendi relaxationem, ne dicam corruptionem ordinum religiosorum.* Nonne hoc totam communitatem ordinum respicit, & totum præcipuè appellat morbosas partes continentem? Nonne in ignominiam verteretur, si propter scabiosos milites, & vulneratos, & macie confectos, absolutè Balaam pronunciasset, non vt dixit, *quàm pulchra sunt tentoria tua Israel, sed quam morbosa & corrupta sunt tẽtoria tua,* quia & multos morbosos continebant?

L.2. de gem. colūb. c.6.

Nescis aliud respondere ad Grauinæ discursum, nisi negatiuo argumento quod *Balaci allegoricus sensus nec in Augustini scriptis reperitur, nec apud interpretes,* & in margine citas Cornelium à Lapide. VIND.

TVRT. Sed si legisses Aloysium Granatensem Pontificis calamo celebratum Cornelium longè excedentem, hanc allegoriam deprehendisses in tractatu de scandalo c.6. vnde illam Grauina transcripsit. At conuictus iterum elaberis nescio qua Physica consideratione, dicens.

VIND. *Peripateticorum dogma est partes in toto non actu, sed virtute contineri, proinde opus esse quadam designatione, quando partes in toto actuare velim, secundum arbitrium autem designantis multæ vel pauciores partes existant. Quare nemo totum in partibus ante talem designationem considerare poterit, quia adhuc integrum, ac indiuisum aliam induere nequit rationem, quam vniformem, ac simplicem totius. Sed facta diuisione tam totum in partes illas diuersis modis influet, easque perfectione sua imbuet, pro vt illæ mole, vel alijs conditionibus affectæ fuerint. sic ais, Bellarminus vnumquemque ordinem Regularium in duas partes diuisit. I. eorum qui viua essent membra. II. reliquorum qui mortua membra vocari possunt: Diuisio nihil erroris continet, sequitur ordinis veluti communitatis totius in dilectis membris consideratio, quæ virtutibus, & perfectioni insistunt, & ex totius, ordinis gratijs & charismatibus, ijsdem membris communicantur, falsis vero & imperfectis fratribus non ita communicantur ex illius ordinis totius in mala composita membra, aridoque, & tenui influxu, defectu spiritualis alimenti, quod deformatio necessario consequitur: vnde totum in partibus expendit Elias S. Sabæ discipulus, cum dixit:*

dixit: diebus Patrum nostrorum tres virtutes in amore & studio apud Monachos erant, nuditas omnium rerum, mansuetudo, & continentia, nunc autem Auaritia, Gula & Audacia regnant. Vicißim autem partes considerare in toto, ais, est expendere quantum quælibet de totius perfectione participet, vt de palmite monuit Dominus qui in vite non manserit. Hoc, ait, Bellarminus notauit in viuis membris, qui obseruantes Regulas Institutorum piè, perfecteq; vitam transigerunt, & insigni sanctitate floruerunt: cæterum membra mortua multiplicare gentem, non magnificare lætitiam, vtpote sanctam vestem induentes non mores mutantes, ambitiosos, contẽtiosos &c. & hoc Epiphonemate concludis. *Ecce Grauina quàm ad votum tuum omnia Cardinalis expleuerit, vt ei merito iure herbam porrigere poßis &c.*

TVRT. In hoc longo discursu Iulij Pollucis prouerbialis sententia est opportuna.

Oportere multoties excusare,

Clauum clauo, perticamq; pertica.

Longam lectionem (cum deessent vnciales litteræ ad opellam ingrossandam) ex 4. Physicorum de toto & partibus in tuis pagellis dictasti, & cum sermo esset de toto discreto, qualis exercitus in tentorijs vel in campo aperto, diuertisti ad totum continuum, fortasse vt si etiam esset tempus tractares de punctis, inde postea transires ad *vacuum*, vel spacium illud imaginarium *nugarum certe plenum* (vt cum Nazianzeno discurram) impeteres, si vltrà clepsydram licuisset. sed sistendo in toto continuo, si loquamur de esse secundum quod est actus entis, vnum esse est totius, & partis in toto. Sed si considerentur separata, esse totius non est esse partis. Coniunctim intuitus est Balaam totum exercitum, secundum quantitatem discretam, & non secundum quantitatem continuam, vnde propter vnum esse totius exercitus non morbosum, non putidum appellauit, sed pulchrum, & morbosos dixisset malè affectos seorsim & disiunctim, sicut si ex similitudine totius continui, partes separatas quoque à toto esset intuitus. Sed non sine dispositione altiori factum est, vt relicta metaphora totius discreti ad totius continui considerationem conuolares, & diceres, opus esse quadam designatione, *quando partes in toto actuare velim*, secundum autem arbitrium designantis multæ vel pauciores partes existent, vt nostra probares, & tua infirmares, & euerteres. Si enim hoc modo concedis secundum arbitrium suum, Bellarminum, maiores vel minores, præstantiores & deteriores designasse, non ex natura rei, sed ex arbitrio metientis vel secantis vel designantis partes, causa confecta est. vnde quid mirum si hic designarit v.g. optimam partẽ nempe plangentium, ibi deploratorum, hic membra viua, ibi mortua: hic influxum recipi gratiarum ex totius ordinis virtute, ibi ad malè composita membra ex tenui aridoque fluxu vix peruenire spirituale alimentum, non in vnoquoque ordine ambas partes istas actuando, sed vnum extra cæteros lineando, vt melior præ cæteris monstraretur; vt ibi calcator vuæ solitum ex lætitia spirituali Cœleusma cantet, hic & si quondam virtutes florerent, nunc eorum opposita vitia colligantur, & cũ multiplicatione Gẽtis non magnificetur lætitia. Tolle designationem, tolle partialem istam diuisionem, siste in metaphora exercitus cõtinentis diuersa vexilla, & sub illis diuersos milites castrametatos, & totum in partibus, & partes in toto cõsideres, siue totius Ordinis influxum recipiant, siue nõ, & admittere illicò adstringeris florentem exercitum, & exclamabis cum Balaã: *Quã pulchra sunt tentoria Israel, vt horti irrigui &c.* vt florentes etiam nunc dicere religiones necesse sit.

Orat. 1. de Theol.

S. D. A. 6. q. 2. q. 3. c. 1. 2. q. 4. 5 ad 2.

§.II.

VIND. Victus tandē à veritate Vindicianus subdit, *& si partes adhuc nō auulsas non esse seorsim inspiciendas sed in toto inspiciendas ex participatione totius, illas tamen saltē respici debēt,* (ait) *alludens ad Apostatas, quæ iā non inhærent toti, ab ordine discedunt, rumpentes iugum & vincula, & absque ordinis culpa ab optima Religiosi corporis harmonia se abiungunt, isti obseruandi, detestandi tanquam struma & catarmata, quamdiu vitalem Ordinis succum non receperint, & viuendi stylum non emendauerint.*

TVRT. Non reluctatur Grauina (vt quod scripserat in Turture firmum remaneat) cæteros (exceptis apostatis) non auulsos, nullo modo respici discreta visione deberi, sed vnum & idem corpus integrare, nec particularium fœditatem, ordinatissimam aciem sacrorum Ordinum nec in tantillo denigrare.

Disce post hac melius mederi Vindiciane, hoc est, non malum malo medicari, hoc est, religiosorum defectus per detractionem, & publicam ostentationem tollere, dicam cum Sophocle in Aiace.

Bene ominata loquere, ne malum malo
Medicans, & hancce noxam augeas tibi.

Tua ergo satis impudentia notata, nō imprudentia Cardinali affixa monstratur ex dictis, qui si ex pietate plusquam par esset, suos celebrasset, adhuc prudens ex hac laudatione monstraretur, patriæ enim fumus igne alieno luculentior, vnde illud tritum.

Ouid. 1. de Pont. eleg. ad Ruff. 4.

Rursus amor patriæ ratione valentior omni,
Quod tua fecerunt scripta retexit opus.
Nō dubia est Ithaci prudentia, sed tamen optat
Fumum de patrijs posse videre focis.
Nescio qua natale solum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non sinit esse sui.

Herbam dabo Cardinali, vt cōsulis, quod est ex veteri Prouerbio agnoscere illum victorem, me victum, si errorem in defendendis religionibus commisi, herbam ille dedisset veritati, quæ de omnibus triumphat vbi excessum aliquem vel lapsum deprehendisset: Detur Victori, quicunque sit, herba, tibi scias reseruatum Helleborum.

VI. Bellarmino vitium Vindicianus impositum clamat, quod e sua columbæ scriptione ad talionis vindicias expostuletur.

INducit magnus ille Plato Euthydemū Sophistam, qui *canem aiebat suum patrem esse, & eūdem patrem omnium, & omnes omnia scire, atque sexcenta eiusmodi portenta afferebat, ne posset coargui.* Inde aduersus eiusmodi homines, qui ad hanc insaniam deuenirēt, qui vel concessa negabant, vel manifestè falsa pro veris & indubitatis affirmabant, illud Horatianum prolatum est.

Nil intra est oleam, nil extra est in nuce duri *In epist.*

Nux enim extra dura, intus mollem fructum continet, è contra bacca oleæ tenera lapillum intus durum, vt proinde operam perdat, qui cū eiusmodi hominibus disceptat, qui oliuam nucem, vel nucem oliuam dicunt, dicamus cum nostris, qui dicunt *Es. cap. 5.* *bonum malum, & malum bonum, & dicunt tenebras lucem, & lucem tenebras.* Talis videtur mihi Vindicianus, vt Euthydemus Sophista, qui admonitionem Grauinianam ad columbam, reprehensionem; excusationem criminationem; & cautionem adhibitam, ne religiosi remaneant sauciati, laici in religiones insolescant, & hæretici efferaciores euadant, *talionis vindicias appellat* VIND. *illudque reportasse Cardinalem ex gemitu, lacrymis commiseratione & lamentis regulariū, quod Hieremiæ accidit, qui cum loqueretur pro Israelitis bonum, & auerteret indignationem Dei ab eis, at illi foderunt foueam animæ suæ, & laqueos absconderunt pedibus eius, propterea* (ait Vindicianus) *ad tollendos Grauinæ scrupulos, singulas classes, quibus columba scandalum intulisse scribitur discutiendos, excutiamus.*

Sed

Sed dum Cardinalem defendere parat, & Grauinam absque scrupulo relinquere satagit, id dolosè concinnat, vt Cardinalem fictè excusando inexcusabilem reddat, & conscientiæ Grauinæ tranquillitaté exturbet, animãq; pungat, & sauciet.

CAPITIS VNDECIMI ANIMADVERSIO,

Vbi gemitus columbini, an cuiquam nocuerint Vindicianus examinat, & ordinem accusationis aduersus Grauinam retorquet, & sine probatione eum locutum obmurmurat.

SVMMA CAP.

Variumgenus obloquentium expenditur: ex proposito, & formaliter detrahentium sacris viris, & incaute corrigentium, vnde materialiter ijdem lædi possunt. Ad primum genus pertinet oblocutio Friderici Episcopi Moguntini in religiosos, quam persecutionem Baronius voluit appellare. Ad secundum genus zelantium reprehensiones in excessum declinantes reducuntur, inter quæ genera zelantiũ & reprehendentiũ magnum discrimen est. & quocumque modo proferantur, semper regulares læduntur: propter quod nullo modo religiosorum defectus, propalandi; scãdalizantur enim laici. Nec ob istam occultationẽ regularium crimina defenduntur, sed offendiculum cauetur, maximè cum seculariũ delicta, cæteris paribus sint Ecclesiasticorum culpis maiora. Impium vero dicere solum cessandum à propalatione scandalorum vbi spes, profectus concipitur. Nec licitum, vt ex proclamatione sontium innocentes traducantur, & ex vnius loci, vel partis, aut tẽporis vniuersaliter pronuncietur totus ordo corruptus; maximè ne sacris Ordinibus detrahendi detur occasio Nouatoribus, statum cum personis confundentibus, & de religiosorum defectibus passim obloquentibus, & calumnia est Anonymi dicere (exceptis Iesuitis) veteres Ordines non lacerari ab hæreticis, quia (ait blasphemè) sunt hæreticorum soboles.

DVo sunt ait S. Greg. genera locutionum, importuna valdè & noxia generi humano: *vnum quod curat etiam peruersa laudare, aliud vero quod studet semper etiam recta corripere. Illud deorsum cum fluuio ducitur, hoc vero contra fluenta veritatis obstruere & alueum conatur, illud metus premit, hoc elatio erigit, illud gratiam ex fauoribus captat, hoc iram vt ex certamine ostendatur exagitat.* Hæc ille. (7. mor. c. 17.) Sũt autem & medij inter hæc, nec peruersa laudantes, nec recta corrigẽtes; sed ex fragilitate naturæ (etiam sancti homines) qui in ipsa correctione vel locutione, leuiter loquuntur, vnde per accidens, & materialiter proximi lædi possunt. (Cap. 40.) Hinc & patientissimus Iob dicebat. *Qui leuiter locutus sum, respondere quid possum?* (32. mor. c. 2.) ac si dicat Gregor. interprete, *sermonem meum defenderem, si hunc cum rationis pondere protulissem, at postquam lingua leuitate vsa conuincitur, quid restat, nisi vt conticendo refrenetur? vnde*, subdit: *manum meam ponam super os meum, quod est virtute boni operis culpas tegere incautæ locutionis.* Quare vniuersaliter ex eodem Greg. *sancti viri ante Dei oculos student culpas linguæ tegere meritu vitæ, student bonorum operum pondere premere immoderata* verborum &c.

Ad primum & secundum loquentiũ genus pertinẽt castra illorum impiorum qui Religiosos persecuti sunt, Iulianus, Valẽs, Cõstantinus Copronimus, Leo Armenus, Habdala Saracenus. Horum & sequentiũ sibi similium cõmunis erat illa vox quæ apud Hieron. registrata. (Epist. 25.) *Quousque genus detestabile Monachorum non vrbe pellitur? non lapidibus obruitur? non præcipitatur in fluctus?* His adiuncti Hęretici, vt Ariani in Oriẽte, Donatistæ, Circumcelliones in Africa, Iouinianus in Italia, Vigilantius, Guilielmus, Giraldus, Caluinus in Gallijs, VVicleph in Anglia, Lutherus, Melanthon, Centuriatores in Germania. Illos enim ait Greg. *in Sancta Ecclesia reprobi persequũtur, quos multis cõspiciunt esse profuturos, qui vitã carnalium verbo correctionis conterunt, eosque in Ecclesiæ corpore spiritualiter vertunt.* (3. mor. c. 7.) vel vt dixit S. Thomas, *vt in eis fructificare non poßint.*

His succenturiati illi persecutores. qui exterius causam bonam tueri sub specie zeli videbantur, praua autem intentione Cœnobitas exterminare curabant. Vnum exemplum (ex Eminentissimo Cardinali Baronio Annalium Ecclesiast. conditore eruditissimo, Cardinalis Bellarmini synchrono & collega accipio) insignis (vt ipsemet vocat) persecutionis, quæ facta est in Monachos per Fridericum Episcopum Moguntinum apud Witichindum lib.2. prope finem his verbis descriptæ. *Igitur cũ bella intestina externaq; cessarent, legesque diuinæ atque humanæ authorali vigore pollerent, grauis persecutio oritur in diebus illis affirmantibus quibusdam (ad Fridericum & alios Episcopos Germaniæ alludens) MELIVS ARBITRARI paucos vita claros, quam plures negligentes inesse Monasterijs oportere; obliti ni fallor sententiæ patris-familias prohibentis seruos zizania colligere, sed vtraque crescere oportere, & zizania, & triticum vsque ad messem. Quo factum est, vt plures propria infirmitatis conscij deposito habitu, & relictis Monasterijs graue onus Sacerdotum deuitarunt. Fuerunt autem quidam, qui Summum Pontificem, Fridericum hoc non purè, sed fictè fecisse arbitrati sunt, quatenus venerabilem virum & Regis fidelem Abbatem Fuldensem Haudomarum quomodo posset dehonestaret, ipse enim erat magnæ prudentiæ, sub cuius temporibus, templum famosum aliud Fuldense igne consumptum, & subito restauratum, & multo maiore decore perfectum. Hic Pontificem Fridericum sub custodia tenuit prima in iuuentute culpabilem; primum honorificè, sed cum litteras ab eo scriptas deprehendisset, satis seuerè. Pontifex vero dimissus dum vltionem quærit, & contra tantum virum leges non praualerent, humillima Monasteria authoritate tentauit, vt ad excellentissima æqualiter procederet, sed huiusmodi simulationes in cassum profusa sunt. Abbas in gratia, & amicitia Regis semper permansit. & causis interuenientibus Pontifex* Fridericus *quod cogitauit, non impleuit.* Hæc Baronius recenset, Friderici falsum zelum persecutionis titulo sugillans. An tibi Vindiciane parua Baronij videtur authoritas? est tanta, vt non minus (si non magis) de Ecclesia Dei benemeritus tanquam diues depositorium Apostolicarum, & Ecclesiasticarum traditionum abundè argumenta aduersus hæreses ministret. Quid ergo mirum si vestigijs Cardinalis Baronij inhærens Turtur, Bellarmino Cardinali contradixerit, quando in simili causa Friderici, dissimili tamen intentione, eadem verba ferè sint à columba prolata? An non similes hæ propositiones cum enarratis Friderici, videlicet: *grauia, & multiplicia esse regularium scandala,* &, eorum paucissimos *pie victuros, & salutem neglecturos,* vt soli Deo noti esse possint, qui ex hac lectione versa ad aratra manu, vt tempore Friderici, decesserint è sacris Cœnobijs. Sed diuersa vtriusque Prælati intentio: Fridericus enim fictè, Bellarminus ex cordis compunctione, ille vt cœnobia sibi appropriaret, hic vt in aliquibus disciplinam integram restitueret; ille, vt de personis vindictam sumeret, hic vt defectus infirmorum extirparet: vnde ille formaliter, vt loquitur Baronius, persecutionem excitauit, hic solum materialiter, quæ postmodum consecuta est, non ex intentione, nullo modo ab eo præuisa, & dissensionis materiam contra omnes religiosos ministrante, ille læsit Regulares, & ex illa propositione armauit, & (quod tamen hic non intendebat) multiplicia arma fabricauit. Ex illa maxima Friderici: *melius arbitrari paucos vita claros, quàm plures negligentes inesse Monasterijs oportere,* præter multorum religiosorum à Monasterijs decessionem, ad surripienda Monasteria auari æmuli anhelarunt; Ex maxima verò Cardinalis Bellarmini (de apostatis nescio) potuit forrasse con-

Tom.10. ann. 941. n.6.

contingere, vt religiosi status saltē multos pœniteret. Insuper consecutum est duorū iudicium Theologorum Anonymorum, & in Germania eadē euulgatum est, vt *restituta & restituēda Monasteria ab hæreticis occupata, nō amplius vetustis religionibus, anti quis possessoribus, sed Patribus Soc. Iesu restituerētur.* Ex eadem Maxima alius Theologus Polonus Anonymus Epistolam dictauit cuidā Illustrissimo Domino, *vt sua bona, & nepotē eidem addiceret Societati,* vt cæteris ordinibus perfectiori. Alij in Senatu Regis Catholici elaborarunt, *vt Iaponiæ Regnum non omnibus religiosis esset cōmune in dissemiuatione Euāgelij, sed in quatridarchias diuideretur,* qui, ne prorsus alij Religiosi eò penetrarent, altās restiterunt. Quidā, *ne Monachi Benedictini in Angliam mitterentur ad prædicandū Euangeliū docuerunt,* & institerunt. Non est hæc læsio Cardinalis in regulares, sed illorum Anonymorum, quorum magna est turba, qui ex verbis piæ mentis, nō dissimiles à Friderici astu has cō'equentias totius religionū veterum status subuersiuas fabricarant. Propterea non dicendum est (vt imponis Grauinæ) quod Bellarminus regulares læserit, sed ea dixerit, quæ ad suas cupiditates explendas alij sinistrè sunt meditati, propterea Cardinalis ad categoriam S. Iob pertinet, qui si incautum quid protulit locutionis illius vitium, manibus, hoc est bonę operationis, & vitę meritis operuit. Nō ergo ex experimētis præteritis sine probatione, vt fingis, Vindiciane, amplificat Grauina materialem saltem regularium læsionem, & ex simplici intentione, nec contra legem, nec templum, nec in Cæsarē quicquam peccauit Bellarminus (vt exaggeras impositum) sed peccandi occasionem alij ex ipso sumpserunt.

VIND. Quare superflue apponis:

Sequemur ordinem accusationis Grauinianæ, qua Regulares, laicos & Hæreticos à Bellarmino læsos sine probatione amplificat.

TVRT. Loquere vt te patienter audiamus.

§. I.

Discussio, an Columba regulares læserit.

VIND. I*Nfirmus (ait Grauina) offendiculum obrepere posse*, ex narratione scandalorum dicis Vindiciane & subdis. *Istud propter iuniores dictum, quos parum considerate pusillos, & insipientes vocat Grauina, qui sic ædificandi sunt, ne coram illis regulares à regulis exorbitent, nam quando aliter fit, frustra celandi & excusandi, & dehortandi studium superuenit.* & scripturā adducis, Deut. 27. Leuit. 19. vbi offendiculum ponentes damnātur, vt à Christo Domino scandalizantes vnum ex pusillis.

TVRT. Sed non tantum ab oculis amouenda scandala, sed ab auribus: quare (& si tu videas) etiam omnem periculi vel erroris mentionem prohibet Turtur, hoc enim ipso quod scandala audiunt, scandali materiam haurire possunt, qui si essent cordati, alieno exemplo non mouerentur ad malum, at quia debiles, & pusilli, ideò quoque meritò insipientes. Vnde meritò nullius instituti defectus propalandos tam anxiè elaborauit.

VIND. Sed & cum Vindicianus petit à Grauina. *Quid facies ei qui te de ordinis alicuius vel Monasterij optione consulit, aut de transitu adstrictius aliud Cœnobium?*

TVRT. Illud daret consilium Grauina, vt omnibus institutis laudatis, in omni professione edoceret esse bonos malis admixtos, nec suum ordinem ita ad cœlos extolleret, vt cæteros ordines sugillaret: & in quo Cœnobio sciret apertè leges non seruari, improportionatum esse illum viuendi modum, sic affecto ad ingrediendum, & talibus armis indutum incedere non posse, suaderet: gratius Deo esse proinde, in alijs castris adscribi. Sed tu edissere quid consuleres, qui te consultorem & Apollinem finxisti.

Propo-

VIND. Proponendum (ex P. Plato ais) *quanta sit bonorum communicatio, concordia personarũ & charitas, ambitionis fuga, obedientia incorrupta, cognatorum familiaritas, tolerantia laborum, rigor regularis disciplinæ.*

TVRT. Bene si non addas subsumendo. Sed hic non ibi, in hac Societate non in illa repeririuntur; ergo hic non ibi Christo militandum. Absoluta enim instituti cuiuscunque debet esse laudatio, nequaquam comparatiua, superbiam enim & arrogantiam redolet, cum aliarum despectu. *Auferatur* (dicam cum S. Petro Venerabili ad S. Bernardum) *scandalum de corde fratris. Ori, ne detrahat, imponatur silentium. Recedant vetera de religiosorum ore qui despecti & compuncti ex eiusmodi prælatione dicere solebant:* Nunquid ego Iudæus sum? *Christianum me esse putabam, & pro Ethnico reputor, amplius Monachum me credebam, & vt publicanus abijcior. Conciuem me existimabam, & vt Samaritanus expellor, verè nunc cognoui, quia non coutuntur Iudæi Samaritanis &c* [*obstruatur igitur charitatis obice os loquentium verba comparatiua, ne exasperentur despecti*] *Consulatur infirmis quorum se medicum Christus dixit. Caueatur pusillorum scandalum, timeatur mola asinaria, quæ non cauentes mergit in profundum maris.*

Ep. 4.

VIND. Vrges adhuc: *vbi plura ex ijs quæ recensita sunt in religione aliqua deessent, tacebitne Grauina ac perniciosa dissimulatione hominẽ perfectionis cupiditate ardentem, permittet illuc trãsire, vbi illã nequaquã reperturus est? fortaßis autẽ duplicis Gehennæ pabulum futurus? nam licet aliqua religio* subdit ex P. Plato *habeat sanctas leges, si tamen nemo vel pauci pareant, id parum prodest, in tanti momenti negotio, nec vllus est tanti roboris, vt se multitudini poßit opponere, & cæteris errantibus viam rectam tenere.*

TVRT. Tunc, Caietani consilium sequendum Grauina proponeret, prius suppositis supponendis, videlicet: *vbi personæ, quarum consortio dantur impiæ apparent, vel infames, aut deuiæ à regularibus institutis, magna dementia est ingressum vel educationẽ in religione suadere.* & iterum. *quãdo reprehensibilis vita illorũ religiosorũ vel mala est, exorbitãs à regulari vita, vituperabile est non solũ inducere, sed etiã ingredi & recipere homines ad vitã illã irregularem. Cæterũ ex eodẽ si tepide maiores viuunt, & inter minores est multa relaxatio, non parum imminet inducto periculũ scandali, dũ credẽdo se ad perfectionis semitã induci, ingressus inuenit tantã remißionẽ & imperfectionẽ, vt deceptus videri poßit* &c. & in tali casu (ait Caiet.) *quando inducitur aliquis ad Religionẽ, exponenda etiam est ei difficultas, quæ erit ex imperfectorum cõsortio,* si ita est. Sed aliud est loqui, vt dicebat Caietanus *suppositis supponẽdis*, videlicet de notorietate relaxationis vnius vel alterius Cõuentus, addo Prouinciæ & data Hypothesi totius ordinis; aliud immunem facere vnum solum Ordinẽ, & alios vniuersos, vt relaxatos vel penè corruptos, & deformatos postponere. In primo casu cum Caietani voto concurritur, in secundo discretum suasorem desiderat Grauina; vt domus, Prouincias, Ordines attendat ingressurus, nec permixtim omnes vel penè oẽs ab institutis deuiare superba animositate suasor pronunciet, ista enim adducta maxima, tot obseruantium millia non leuiter læderet.

2. 2. q. 189 a. 5. & 9.

Et ar. 9

§. II.

VIND. Ab exemplis rursus aduersus Grauinam bellum instauras, nam Bernardus, ais, *conquestus est de suo Roberto, malis artibus ad Cluniacenses transisse. Fefellit* (dicebat epist. 1.) *illũ Sanctitas, seduxit religio, perdidit seniorũ auctoritas, plura sigillatim enumerãs perperã commissa quam vnquam Bellarminus de Regularibus retulit. I nunc Grauina, S. Bernardum tua censura perstringe quod scandali materiam pusillis obiecerit, quem cœlum ab omni crimine absoluit, ea ipsa hora, qua seueriora illa scribentis calamo dictauit.*

Fla-

TVRT.

Flagrantissima S. Bernardi charitas ad perfectionis metam semper aspirans, ardēs quoque in papyro in qua eam dictauit epistolam, monstrata est. quam nec stillæ pluuiæ obruere vel extinguere potuerunt; cupiebat enim in arctiori Cœnobio Cisterciensi tanquam in stadio Robertum currere, vt comprehenderet securius palmam, quare doluit quod *ex tunicis ad pellicias, de olcribus ad delicias, quod denique ad diuitias de paupertate transierit, idque sine Apostolica, quæ requirebatur, authoritate: & per seductionem cuiusdam Cluniacensis allectus sit ad talem mutationem, commēdabat enim crapulam, parsimoniam damnabat voluntariam paupertatem miseriam, ieiunia, vigilias, silentium, manuumque laborem vocabat insaniam:è contra ociositatem, contemplationem nuncupabat, edacitatem curiositatem, cunctam denique intemperantiam nominans discretionem.* Vbi scandala grauia multiplicia, vnquam recensuit Bernardus? temerariū discessum exprobrauit sine Apostolico assensu, falsam illam, & seductoriam doctrinam, arctam obseruātiam perstringētem coarguit, & propterea coactus est in aliud extremum impingere sapienter, vt etiam licitas vestes, cibos, commoditates Cluniacensium improperet, non absolutè, sed prout erant ab illo indiscreto Cluniacensi super rigidam Cisterciensium elatæ. Cæterum absolutè ante ingressum Cisterciense non esset dehortatus, vt Cluniacum non eligeret, vbi S. Petrus, Venerabilis appellatus, cum alijs Cœnobitis, Religiosissimam vitam transigebat. Vnde idem Petrus Venerabilis ad eundem B. Bernardum respondit, sicut & Apologiam ad Guilielm. Abbatem, ostendens, *nec vsum pelliciarum, nec fœmoralia, nec stramenta lectorum, nec duo pulmentaria, nec possessiones regulæ contraire, imò & ieiunia secundum regulam seruari, alias obseruationes custodiri.* Minores certè sunt nunc austeritates in Regula Societatis Iesu præscriptæ, quā quod in Cluniacensibus (& in relaxatis Cœnobijs) pœnalitates seruabantur, & tamen nullus Societis ingressum (quia austeritatibus illis caret) nisi perditionis filius dissuaderet.

Propterea de strictioribus, & quæ non regula præcipiebat, sed consilio relinquebat, differentia erat inter Cistercienses, & Cluniacenses, & in ijs quæ erant secundum regulā dispensabilia pro loco, tēpore, &c. vt erat vsus pelliciarum ex nimio frigore in Cluniacensium climate. Vnde ad oppositionem aliam Cisterciensium idem S. sic respondit. *Licet hæc* (arctiora illa) *regula non iubeat, monet tamen, vt Monachus ad meliora transeat. Benè certè dixisti monet. Nam planè monet, non præcipit. Quod si tantum monet non præcipit. Quod si tantum monet, non compellit. Qui enim monet, vt fiat quod vult suadet. Sed qui præcipit, ad faciendum quod præcipit, præcipiendo compellit &c.* & post loca Apostolica producta, subdit. *Vos hanc eius regulam scilicet dedignantes, ad quod tantum monitis prouocandi, eos cogere non formidatis*, concludens. *Sicut enim eos qui oblectamenta mundi fugientes eius aspera ob maius meritum discretè amplectuntur omnino scimus esse laudandos: sic illos, qui alios ad id quod non proposuerunt, & quod non expedit cogere volunt, dicimus non esse prorsus audiendos.* Sic Cisterciensium, & Cluniacensium caussa vtraque defensa. *Pet. Cluniacen. Epist. 9. l. 1.*

VIND.

Superaddis ex hist. Clun. *quod idem Petrus Cluniacensis dixerit, quod succreuerint paulo ante in Magno illo Monastici Ordinis agro resecanda vel potius euellenda vtilibus satis contraria, & quorundam quos nominare nolo culpa vel desidia, plurima extirpanda, iā exorta fuerāt.* *Li. 2. Hist. Clun. c. 11.*

TVRT.

Nihil prorsus hæc tuam causam iuuant, primo quia Petrus compellebatur reddere rationem, cur in Societatem sui regiminis assumpserit Matthæum Sancti Martini Priorem: secundo, quia vel ad tempus, nec de omnium relaxatione facta loquitur,

cui mox obuiandum, ex adiutorio Matthæi studuit: vel etiam quia nota erat publica vnius solius Cœ[illegible] illa laxatio, sicut & [illegible], & [illegible] biennio Schisma Pontio [illegible], quæ omnia non omnium; temporaria, & localia, publica notorietate facti recenseri poterãt absque familiæ totius Cluniacensis ordinis detrimento, vnde non potest Grauina dicere ex tali relatione seminarium scãdalorum pusillis, & insipientibus ministratum. At ex vniuersali vel penè vniuersali, cum familiarum præcipuarum designatione Benedicti, Dominici, Francisci relaxatione vel quasi corruptione, occasionem scandalorum infirmos posse sumere hacusq; monstrauit; & non esse recensenda defendit.

VIND. Sed optas *vt huic assertioni parem thesim Grauina apponat, videlicet, non esse recensenda (si temerè maligno consilio quispiam Regularium excessus recenseret)* & subdis; *pedicas Grauina exues quibus te ipsum inuoluisti, Cardinali famam innocentiæ restitues.*

TVRT. Iam apposita & apponẽda semper optatur, & iam pronunciatum est: ex zelo, commiseratione Cardinalem defectus recensuisse Regularium, vnde expeditus est Grauina quibuscumque pedicis, quibus fingis se inuoluisse, cum nunquam aliquo vinculo detractionis se alligarit; nec Cardinalis famam innocentiamque læserit, cum abundè tot locis innocentissimam animam excusarit. Pedicis te exuere debes, cum appareas velut bestia Onix tuismet rationibus illaqueata, nec Cardinalem defendẽs, & religiones oppugnans, & teipsum expugnans, & in præcipitium tendens damnationis æternæ, qui, laqueos & pedicas etiam tendis in captum simplicium laicorum, vt mox ostendetur.

Discussio, an præter regulares, laici quoque à columbino gemitu læsi sint.

§. I.

CVm quidam acrius seruum suum castigaret, à Socrate expostulatus est, quamobrẽ ita sæuiret, respondit, *quia hic [illegible] morum voracissimus, tamen ignauissimus est, quumque sit auidissimus, tamen desidiosissimus est.* Tum Socrates: *Nunquamne,* inquit, *considerasti vter vestrum pl[ur]ibus verberibus egeat, tu an famulus?* volens ostendere illum herum (vt multoties accidit) in alijs reprehendere & punire, quod sibi ignosci, vel saltem taceri vult. Hoc olim obijciebat S. Gregor. Nazianz. quod multi essent (dicit Sanctus) qui *res nostras tam honestas & laudabiles, quàm cum vitio coniunctas obseruant, non vt eas expendant, sed vt improbent, nec vt nobis gratulentur, sed vt insultent, atq; & ea quæ laudẽ merentur, calumniando deprimant, & quæ reprehensione digna sunt, tragicis verbis exaggerẽt, ac insectandis proximorum erratis excusationem suis vitijs quærant,* & vbi apud sæculares e-uulgari aliena non curant, sua vellent Orgijs Samothracijs occultiora. [Laert. lib. 3] [Nazianz. orat. [illegible] pace.]

Talis videtur Vindicianus, qui Grauinam criminatur columbæ detraxisse, quod sæculares etiam læserit, religiosorum defectus in eorum prospectu adducendo, cum soleant ex vnius defectu totum ordinem criminari, vnde sequitur.

Proinde eo etiã titulo Grauina reprehensibilis, quod non in scandalorum authores stylum acuerit, nam si eorum crimina sæcularium oculos offendissent, nunquam Cardinalis in arenam descendisset, vnde immeritò his prætermissis, in innocentem columbam, & in referentem eadem scandala ex regularium prauitate, vndique congesta insilijt. Interim Bellarminus infirmos, pusillos, rudes, plangendo sauciat. scandalosi religiosi non feriuntur, venia & honore digni à Grauina notantur. VIND.

Multò magis ipse Vindicianus feriendus, vt si qui Vindiciani dictis seducerentur, TVRT.

tur, dicendo, sine offensione Regularium defectus posse rudi vulgo ostendi, etiam si ad eorum detestationem vel correctionem proponerentur, cum interim, eorum delicta neque per somnium paterentur euulgari, sed potius eorundem patratores castrari, vt insontes viderentur. Quam bellè his qui adhærerent Vindiciano, quadrare potest quod idem declamauit Gregorius. *O communes nostrì pacificatores* (dicā. *O communes orbis reparatores, & Religiosorum reformatores* hanc doctrinam edocentes.) *Non propterea pij estis, si quid ipsi vel leuius vel grauius peccemus. Nos quidem reprehensionem meremur, si quod mali admiserimus: at vos interea impij esse non desinetis, etiam si in peccatum incidamus: imò eo etiam maior est impietas vestra* (tale dogma si assereretis) *quo ijs qui labuntur acerbiores estis*: Præclare S. Gregor. Papa nunciauit, quod quantum praua existimatio proximi *ab intuentium mente non tegitur, cunctis mala credētibus per exemplum culpa propinatur*, & postea subdit. *Hinc est quod Paulus immunda quadam sine pollutione comedentibus, sed imperfectis tentationis scandalum sua hac comessatione mouentibus dicit: Videte ne fortè hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis: & rursum: & peribit infirmus in tua conscientia frater, propter quem Christus mortuus est: sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam in Christum peccatis.* Hæc dicebat Paulus de comedentibus idolothyta, quæ comedere secluso offendiculo, culpam non inuoluebant, & quia mali imaginationem infirmis id præferebat, cauendum demandauit Apostolus. Quid de Vindiciano non dixisset Apostolus? qui à Brasiliensibus ministellis sarcophagis etiam humanarum carnium esum comestoribus edoctus est, si nō comedendo carnali, spirituali tamē dente detractionis carnes religiosorum, nec secreto, sed publicè dilaniando. Quid etiam si recta intentione Vindicianus Bellarminum imitando, sæcularibus defectus obijceret intuendos? illa cautela quoque Gregoriana admonendus, vt à tali obiectu linguam temperet: *nam & Moyses cum dixisset, non maledices surdo; protinus adiunxit, nec coram cæco pones offendiculum. Surdo quippe maledicere est absenti & non audienti derogare* (vt fecisti Vindiciane Monachij caueam fabricando) *coram cæco verò offendiculum ponere, est discretam quidem rem agere, sed tamen ei qui lumen discretionis non habet scandali occasionem præbere*, tales cæci sunt sæculares spiritum discretionis vt in plurimum non habentes.

Idem Naz. orat. ibidem.

Greg. Papa 3. p. past. c. 3. adm. 36.

Ibidem.

Porrò in eo quod optas, vt Grauina contra scandalosos inuectiuas texuisset, & dixisset abundare religiosos scandalosorum satoribus; in vitium vitio esset coarctatus alieno, asserente scandala esse multiplicia in sacris ordinibus, quare satis fuit absque offensione columbæ docuisse Grauinam, imò potius monuisse, ne scandala euulganda proponerentur propter rudes, & infirmos, quàm scandalosos perstrinxisse: nunc verò cum exigas non plus alienos quàm tuos insinuas obseruandos esse defectus. Habes tua delicta quæ deplores, quid vis aliorum curas quæ ad te non attinent, ceruici tuæ superimponere? *Nemo super vnam febrem cupit adhibere peiorem, ne incipiat hemitritæo insanabili laborare, cui nullus valeat medicus subuenire. Neque aliquis super onus proprium tollit insuper alienum, ne oneribus duobus oppressus vsque ad inferos demergatur*: in summa si proprijs grauaris delictis non graueris extraneis.

Cyp. vel quis sit au. de sing. Cleric.

§. II.

VIND. Subinde petit Vindicianus à Grauina, *cuius climatis fuit illa gens quæ ex lectione Bellarmini in regularium odium exarsit. Non defuerunt celeberrimi authores*, subdit, *qui ante vel post Cardinalem, nec mitiora, nec leuiora, contra*

dissolutiones regularium deposuerunt. sine tamen noxa vel scandalo. **Solus Cardinalis velut David** *à maiori fratre corripitur: noui superbiam tuam, & nequitiam cordis tui, vt videres prælium descẽdisti. & sæculares in religiosos infenso animo stimulares. Amplius grauis accusatio non vulgaribus signis corroborari debet, ede Grauina locum, tempus, populum, & arma quibus Bellarminia factio in aliquod Monasterium vel Prouinciam, aut ordinem regularem irrupit, sicut supra memoratus Petrus Pontianam cohortem contra Cluniacenses ductam, consignare potuit.*

TVRT. Vere, vt nullam in particulari Gentem offensam designare potest Grauina, quia de omnibus nationibus, omnes ordines offensi, ita nullam in particulari potest designare nationem, quæ sub cœlo est de religionibus quæ scandalum passa sit, cum omnes passæ sint, & si non in odium execrationemq; exarserit, at manus scribentis contra omnes processit, omniũ contra eũ; illius tamen ad emendationem; horum ad iustam defensionem, audiente & spectante vulgo, in contraria studia discisso. Nunc verò cum Vindicianus ordinem iudiciariũ meditatur, & ista interrogatoria format, exacuit Turturem ad acutiorem defensionem. Scipio quũ ei M. Flaccus multis probris obiectis P. Mutium iudicem tulisset. *Eiero* inquit *iniquus est*. Huic voci quũ esset admurmuratũ, *Ah* inquit *Patres Conscripti, non ego illum iniquum eiero, sed ab omnibus, expectabatur, vt quod dixerat purgaret: aggrauauit; innuens si licet reiicere iudicem reo iniquũ vel inimicum, multò magis eum qui nulli æquus est*: sed ne subterfugere iudicium appareat, percontati iudici Vindiciano & si incompetenti [de loco & tempore scandali, vel quando Bellarminiana ait, factio ad instar Pontianæ cohortis contra regulares ordines irrupit, respondeat Turtur.]Sed dicat prius Vindicianus, quo loco & tempore scandala commissa sunt, cum enim iudicis

Lib. 6. Apoph.

& accusatoris duplicem personam assumpserit, prius probanda delicta ex loco & tempore, deinde absoluto iudicio, si iudex instituatur, sua Contrairrogatoria formet, de loco & tempore. Quando ex accusatione regularium scãdala exorta sint in sæcularibus. Locum, & tempus designat Grauina, videlicet vbicumque Ordines diffusi sunt, & quocumque tempore, nam cũ dedecore & iniuria religionum passim legũtur illæ propositiones: *scandala grauia, & multiplicia esse in religionibus*, si à simplicibus præsertim audiantur. Sapientissimè Cato senior dicebat, *etiam si iniuriam facienti nullum periculum afferretur, vniuersis tamen* (etiã si designari in particulari nequiuisset) *periculosam esse*, sentiens impunitæ exemplum, omnibus iniuriam minari, & omnes ad inferendam animare. Sic omnibus iniuria facta est regularibus, linguis sæcularium expositis, etiam si nullus ordo nominatus esset, qui iniuriam pateretur, & qui iniuriã inferret designaretur, sed dũ omnes penè traducti, omnibus impudentibus, impunitas concessa detrahendi, omnes inuitati, etiam ignorati. Satis verò testes populumque cum tempore requiris, vt ostendatur, *quibus armis Prouinciam vel Ordinem aliquem Bellarmina factio adorta est*, non est aliena adoriri piorum, sed iniustorum hominum, vnde Tyrannicè Antigonus ille senior Sophistæ cuidam librum de iustitia conscriptum porrigenti; *Desipis* inquit *qui quum me videas alienas vrbes armis vexantem, tamen apud me de iustitia disseris*: sentiebat eos qui ditionis ampliandæ gloriæve causa bellum inferunt alienis ciuitatibus, non posse tueri iustitiæ leges, quod de Bellarminiana, vt dicis sodalitate (malè à te vocata factione) nec licet suspicari. *Nullus*, dicebat Chilo Laconis, *conuitijs lacessendus, nec si dixerit quæ lubet, audiat vicissim quæ dolent*.

L. 5 A...

L. 4 Ap...

Adhuc

VIND. Adhuc reassumpto anhelitu pugnam prosequeris. *Dicet Grauina posse rudiores è Bellarmini querelis in odium regularium animari. Sed nouit ex Philosophorum placitu argumentum à potentia ad actum nihil concludere. Potes, & ipse doctrina & aliis à Deo concessis donis abuti, in Apostasiam, & hæresim deficere, numquid propterea magnifici in sacra Inquisitionis Consilio Collegæ in carceres coniicere debent, & ad rogum postulare? fatemur omnes nihil tam sanctè, & eruditè in terris concipi, quod iniquæ mentis homuncio, tanquam aranea in suam & aliorum perniciem deprauare non possit. Sed nouimus similiter beatum prædicari eum, qui potuit transgredi, & non est transgressus.*

TVRT. Puerile sophisma est arguere à potentia Physica, vel Logica ad actum, cæterum in moralibus maxime vbi ratio imminentis periculi cernitur, non minus actui quam potentiæ exeundi in actum via præcluditur, alias daretur licentia Sanciana, vt possit incipere præpostere vir in vxore maritalem coniunctionem inchoare (etiam si absit periculum imminens in Pentapoleos fines terminandi) quia à potentia ad actum magna distantia asseueratur à Vindiciano. Non interdicantur libri prohibitorum Autorum, maleque prohibiti asserantur, vt Poza contendit de suis Apologijs, quia ab eo quod potest accidere ne personæ eos legentes hæresi inficiantur, vel praua circa mores doctrina offendiculum capere possunt, legi prohibentur, hanc doctrinam si Vindiciane doceres pertinaciter, vt alia paradoxa in tua cauea docuisti, vel his peiora doceres, magnifici sacræ Inquisitionis cōsiliarij Grau. collegæ in carcerem te de facto conijciendū, & si in negatiua persisteres, vel in perfidia, ad rogum expostulandum, iudicarent. Fateor nullum esse bonū, quin malè quis in suam aliorumque perniciem vti possit. Sed hoc est, solo malo vsu, & mala intentione vtentis bono, omnibus circumstantijs vestito. Sed an sit omnibus circumstantijs vestitum, religiosorum scandala propalare, inuictissimis rationibus non licere persuasum hucusque est.

VIND. Ludicro Epiphonemate cōcludis, quod *hactenus in amplissimis trans Alpes regionibus, nec visus quisquam sit nec auditus, quem Bellarmini columba fecisset prophaniorem, tantum abest vt in religiosos quisquam furere didicisset.*

TVRT. In altissima specula constitutus Vindicianus, etiam si luscus absque conspicillis, vidit quæ fiunt & non fiunt in remotissimis Americæ regionibus, non mirum, nam soles iudicare, vt dicitur *Dardanidas de mœnibus*, vt introducitur Helena, quæ interrogata, *quos de mœnibus videret*, & si multos insignes inspiceret viros in exercitu, solum Agamemnonis formam laudauit.

Ille quis est cedo, Graium homo, magnusque bonusque.
Sunt alij hunc fateor superātes vertice plures In Hem. Ili.
Verum æque pulchrum memini me cernere nunquam.
Nec reuerendum æquè Regē præferre videtur.

Solus Bellarminus sufficiat Vindiciano, spectabilis solus inter purpuratos, vnicus inter Doctores habeatur, cæteri etiam si Docti, infulati, Heroes, Purpurati tanquā pedites exercitus Christi habeantur. Iustior ergo Turturis causa, quæ plures Purpuratos religiosos defendit, quàm Vindicianica vnius solius defensio.

§. III.

VIND. Prosequitur eandem cantilenam Vindicianus, irridendo & de sua arte medica differendo, docendo, docet Grauinam, *quod sicut ex signis & symptomatibus deprehendi potest an vires prostratæ, stomachus languidus &c. non secus sæculares, tot seruitiis & negotiis cum regularibus implicati ex iis, quæ vident & sentiunt, deprehendere possunt vulnera conscientiæ, interiorum corruptiones, quæ nullis vestibus,*

aut carceribus coerceri possunt, *quacunque erumpant, olida Mephiti omnia implens*, *& seculares maiorem in modum affligunt. omnium ergo dicis Theophrasticorum acumina*, *Academicorum, Meandros*, *& Peripateticorum labyrintos, Grauina superabit, si artem edoceat qua à saecularibus dictu morbi regularium non deprehendantur.*

TVRT. Duplici post hac stipendio Vindiciane tua medendi ars remunerabitur, quod etiam animorum curandorum curam susceperis, & indicia, & symptomata ostenderis. Medicus ille qui Pausaniam curabat, quia dicere solitus erat: *Nihil mali habes*, optimum accepit responsum. *non enim te medico vtor*: insinuare volens eius imperitiam, vel negligentiam, vel quod ambitione vel quaestu corruptus esset: Malus medicus Vindicianus, qui iudicio spiritualium infirmitatum maximè occultarum, fallacibus signis, & falsis coniecturis laicorum (qui nesciunt quid inter sinistrum, & dexterum differat) attribuit. Malus medicus Vindicianus, qui intempestiua medicamenta probat, videlicet publica & notoria, vt inquit, scandala, nescientibus saecularibus propalanda ad ruborem incutiendum, & deneganda est matricula si licentiatus, vel laurea, si iam ad medendum probatus, nam ex S. Greg. PP. *Medici qui curam gerunt de corpore quadam adiutoria recenti adhuc confectione formata, indigenti non offerunt, sed maceranda temporibus dereinquunt Nam si immaturè quis dederit, dubium non est, quia fit causa periculi, & salutis. Discant itaque, discant in efficio suo sacerdotes, quibus animarum credita est cura, quod diuersarum professionum, etiam homines docente ratione custodiunt & à praecipiti se ambitione [medendi spiritualibus morbis] intempestiuè, si non metu saltem pudore contineant.* Intempestiua ergo cum probes medicamenta ex parte personarum, locorum & temporum, imperitis chrisim concedendo, verendum, ne toga medica priueris, imò è mundo eliminens, nam de schola Socratis, & Pausaniae processisse te video. Pausanias enim illum medicum censebat optimum, *qui non sineret agrotos extabescere, sed quam primum sepeliret*, non multum à Socratica doctrina alienus, qui volebat, *admodum valetudinarios, nec vlla tam ex parte vtiles Reipublicae aequo animo debere e vita decedere sic tamen. vt nemo sibi [illegible] adferret, sed honestis actionibus [illegible]*. Hoc praestat Vindicianus, qui Regulares scandalosos antequam moriantur, in saecularium ore tanquam foetidis sepulchris locandos probat, vel vt honestis actionibus, sub pietatis specie in sua fama moriantur. Macte animo, imprime etiam sine licentia hos aphorismos, vt cum Leonardo Fuchsio, & tuo Paracelso inhibeantur.

1. Apo.

5 Reg. ep. 110. indic. 2.

Apo[illegible]

VIND. Grauinae deinde fingis consilium velle sequi: *quid faciendum, & quomodo medendum malis & scandalis*: *Vis, inquit, tegere quod iam dudum euolauit? Certe qui malum dicunt bonum, tenebras lucem &c. Propheta maledictum non effugient. Vis vt ingeniosè excusem? Sed hoc erit cum fure currere, & cum adulteris portionem ponere, cui enim colludentis suspicionem non mouebit, qui nota crimina defenderit? Vis saeculares moneam, ne scandalizentur, risum tollam; proprium vitiis est venenum aspidum sub labijs condere, os maledictione, & amaritudine plenum gerere, contritionem, & infelicitatem in omnibus viis spargere.*

TVRT. Consilium petit, qui consilia sacra etiam spernit, ne dum prophana. Si in auras euolauit fama scandalorum, & ad aures tuas peruenit, illud accipere debebas: *audisti verbum aduersus proximum tuum, commoriatur in te, credens quod te non dirumpet*, & illud, contra detractores vel accendentes

tes ignem. *Si sufflaueris quasi ignis ardebit, & si expueris super illam* (nempe linguam magniloquam) *extinguetur*, non est hoc dicere bonum malum, nec malum bonum, sed Charitatis veste Constantini chlamyde Deo dicatorum hominum delicta operire,& hæc ingeniosa coopertio, vt & excusatio, non est participatio in crimine vel cum furibus, vel cum adulteris portionem ponere, imò illud impletur: *recupera proximum secundum virtutem tuam, & attende tibi ne incidas.* Certè recuperatur proximus, cum nec culpa panditur, & correctio suos limites non excedit. vnde ait Gregorius: *nisi prædicator sustineat quando congruè proferre correptionem possit, auget in eo malum quod insequitur.* & concludit. *Magna itaque arte agendum est, vt qui ex aperta correptione deteriores fiunt, quodam temperamento correptionis ad salutem redeant.* Possunt etiam sæculares admoneri, ne scandalizentur, si scandala audierint, illud inculcare poteris quod consulit Spiritus sanctus. *laqueo peribunt, qui oblectantur casu iustorum: dolor autem consumet illos antequam moriantur.* An hæc consilia tua impiorum consilio non anteponenda ? & tuum vis permanere cum totius ordinis religiosi insigni detrimento ? Certè rectè Gellius ex Hesiodo.

Eccl. c. 19.

Eccl. c. 28.

Eccl. 29.

13. mor. c. 3

Ecclesi. c. 27.

Ipse sibi nocet, is alium qui lædere quærit
Consultum malè consultori pessimum est.

Id admonuit etiam Spiritus Sanctus per Ecclesiasticum, vbi elegantissimis similitudinibus demonstratur, quod facienti nequissimum consilium super ipsum deuoluetur. si displicet euoluere quæ Chrysostomus dicit homil. contra potentum fastum & Socrat. lib. 6. cap. 5. Sozom. 8. c. 7. Niceph. 13. cap. 4. saltem apologum Græcum ne displiceat recolere. Cũ lupus vulpem detrectaret, quod infirmum leonem non visitasset, primatum illi non deferendo, vulpes excusationem prætexit, ideò non venisse, intenta enim erat ad remediũ quærendum pro incolumitate. cumque auidè remedium sibi Leo aperiri postulasset, vulpes inquit, ex lupi pelle, malo obuiari posse, illicò Leo lupum inuasit, & interemit, vnde quæ rea criminis læsæ Maiestatis incusabatur festiua discessit, quod malum consilium in consultoris mali caput recidisset. Sic accidit Vindiciano, qui dum cæteros Ordines vult trucidare, suo corio excoriatus, satis denudatus apparet magna sui ignominia & detractor & inimicus sacrarum religionum detegitur.

Cap. 27.

Illud vero quod superinducis lepidum, *sæculares vulnerari ob propriorum delictorum diminutionem, & aliorum supra Tullij, & Demosthenis eloquentiam, exaggerationem, cuperent enim, ais, commiserationem erga se tanquã debiliorem partem, & minus florentem, accusationem vero in illos qui sunt in sublimiori perfectione.* VIND.

§. IV.

Filum tuæ orationis] vltro citroque implicas, prima medijs, vltima primis, *vt formicæ semitas canas*, vt dicebat Aristophanes de flexiloquis carminibus cuiusdam poëtæ minutissima, & impertinentia immiscẽdo, vt elaberetur, adinstar formicæ discursu obliquo viam implicantis. Videbas Vindiciane, de relatione defectuum esse quæstionem, non posse sine scandalo manifestari, & adstrictus es firmissimis rationibus id neque posse fieri, nec consulendum vt manifestentur, in aliud extra propositum diuertis certamen, de alio scandalorũ genere, ex imminutione defectuum propriorum, aliorum exaggeratione &c. & vtraq; scandali specie tacitè insinuas notatos defensos à Grauina, & ob eandem sæculares offendi. TVRT.

Sed ad ædificãdos sæculares, proposito Serm. &

thémate

VIND. themate Dorothæi de necessaria iustorum accusatione, ad capitulum de culpis vocas Grauinam dicendo. *quid iuuat è delicatißima farina confectus panis si vitri testulas ad misceas? quidvè proderit venustißima virtutis simulatio, si interiora vitiorum flamma excudat & eijce virus, deprecare, emendationem pollicere, sic coram sæcularibus facinorosißimum quemquam ab infamia, odio & vindicta eximere, & in pristinum fauoris & honoris gradum reponere audebo.*

TVRT. Vtinam defectus eorum quos exaggerauit Grauina (vt dicis) supra Tullium & Demosthenem facundus appenderentur in statera, semper inferior apparebit Grauiniana exaggeratio, quam Vindiciana culpatio. Appende Vindiciane, & vt dicitur *stateram ne transgrediaris*, eosdem sæculares & simplices voca, qui exaggerationes Grauinianas, & tuas vindicias vindicatiuas, ponderent, & iudicium expecta etiam plebis (quod Turtur non refugit) & vbi videris, tuas Philippicas plus æquo grauare adiudicatas, à sæcularibus, laurea dignus adiudicaberis de publica pœnitentia, si errorem agnosces tuum, quod temerè ordines infamaueris, & Dominum deprecatus fueris, vt dimittatur hæc nequitia tua. vbi Grauinianæ præponderare videbuntur, illud assumet Grauina: *os meum increpabit me.* hæc autem ex Gregor. differentia est inter bonos, & reprobos, quod *recti de quibusdam, quæ eis non rectè gesta sunt, correctionis vocem, ministerium charitatis æstimant; peruersi verò contumeliam derisionis putant, illi se protinus ad obedientiam seruant, isti ad infamiam suæ defensionis arguuntur. Illi correptionis adiutorium vitæ suæ patrocinium deputant, per quod dum præsentis vitij culpa corripitur, venturi iudicij ira temperatur: isti cum se impeti redargutione conspiciunt, gladium percussionis credunt: quia dum per correptionis vocem culpa detegitur, præsentis gloriæ opinio fœdatur. Hinc quippe in laudem iusti per Salomonem dicit veritas. Doce iustum & festinabit accipere. Hinc prauorum contumaciam despicit dicens: Qui erudit derisorem, ipse sibi facit iniuriam. Nam fit plerumque, vt cum correpta in se mala defendere nequeunt, ex verecundia peiores fiant, ac in sua defensione superbiant, vt quædam vitia contra vitam corripientis exquirant, & eo se criminosos existiment, si crimina & alijs imponant. Quæ cum vera inuenire nequeant, fingunt, vt ipsi quoque habeant quod non impari iustitia increpare videantur.* in quo dicendi genere illustris est Vindicianus in tota sua cauea.

L. 20. m. c. 3.

VIND. Timens obiectionem aduersus suum discursum Vindicianus, eam præoccupans scribit. *Verum instat Grauina, Ordinis, & innocenter in eo degentium rationes, maioris esse momenti, & omnino à labe, contumelia defendendas. Assentior vbi spes alicuius profectus accesserit.*

TVRT. Quid hoc Vindiciane nisi *super peccata sua blasphemiam addere*? vt dicitur in Ecclesiast. nam & illud sequitur è diametro oppositum paradoxum nimirum: *Vbi non est spes alicuius profectus relaxatè viuentium, non esse Ordines vel innocenter viuentes à labe & contumelia defendendos.* Mallem esse certe velut nouelli Herodis porcum, quam filium, si omnes innocentes. cum impijs vult Vindicianus esse trucidandos. Nouum ius belli vt cum nocentibus innocentes trucidentur contra id quod scriptum est *insontem & iustum non occides.* & iterum in Deut. pugnaturis, & oppugnantibus ciuitatem aliquam, iubetur occidi quicquid in ea generis est masculini, absque mulieribus & infantibus. hi enim omnes innocentes reputantur, & ex primaria intentione occidi impijssimum est. Per accidens tamen in extrema necessitate cum periculum immineret, ne vel exercitus corruat, vel obsessus hostis euadat, aut ad finem belli sit necessarium (vt ad victoriam vel punitionem) nocentes cũ innocentibus trucidari posse DD. con-

2.2.q.40. DD. concedunt. At quæ necessitas fingi potest, vt alijs medijs derelictis Vindicianus, more bellico imo tyrannico trucidādos gladio linguæ paruulos, & innocentes Religiosos pronunciet, illud occinendo: *exinanite, exinanite vsque ad fundamentum in ea &c: beatus qui tenebit, & allidet paruulos suos ad petram?* Poterat circa deformatam, vt putat, portionem ponere obsidionem admonitionum, aggerem obsecrationum, rogare quæ pacis sunt, prudenti dolo capere, præceptis Apostolicis reformationem procurari, Apostolicos Visitatores transmitti, inhiberi (vt diximus ex Caiet.) vel in claustralis seu Conuentualis viuendi ratione, vbi penitus esset collapsa disciplina, aditus ingrediendi tyronibus non pateret. At his prætermissis remedijs, nullaque de eis mentione facta, ad mortem, ad gladium, ad arma conclamatum est, vt nec innocentibus ferri auxilia iubeat Vindicianus, nec defensiua arma furore arma ministrante, vt etiam baltheum innocentum sanguine coloraret. Si hoc erat ad vindicanda scandala, nouum stratagema Vegetij alia scandala assumere, non erat bella sopire, sed rursus vehementius accendere. scandalum certè est dicebat

Ps. 140 S. Hilar. *vxor irreligiosa, filius iniquus &c. & omnis ex Ecclesia frater, aut contumeliosus, aut auarus, ebriosus, aut turpis, in his enim nobis scandalum est, quoties ad necessitatem irascendi, arguendi, inhibendi, vindicandi, ex illa quiete, fidei nostræ mansuetudine prouocamur.*

§. V.

VIND. Allud argumentum Vindiciani cur suppetiæ non sint ferendæ Ordinibus à contumelia oppressis est, *quia sæpius eiusmodi Apologiæ tantum Bibliothecas ornant, lectores non mouent; quia nihilo secius vident subditorum scandala à Præfectis Monasteriorum foueri, sibique neque authoritatem, neque vires suppetere, vt omnes valles impleant &c. vident visitationes, ac reformationes parum beneuolè admitti: vident eos qui cæteros conturbant non integrè abscindi, quid hic Grauina pro secularium satisfactione comminiscitur? meminit vtique qualia nostræ salutis reparator de infatuato sale sanxerit.*

TVRT. Serò admonuit Vindicianus hoc argumento veteres Ecclesiæ proceres, qui tot Apologetica mira elegantia descripserunt, cum potius ad Vindiciani mentem plus valeant Apologiæ ad Bibliothecas exornandas quàm ad lectores mouendum. Si ad purganda obiecta crimina iniustè obtrectatoribus sanctissimi Patres ad tuendam famam Apologias doctissimas sale etiam respersas, vbi opus erat attexuerunt, quid nō respondissent, si particulares personæ cum eorundem ordinibus denotati fuissent? Vnus sit satis Augustinus pro tuēda religiosorum fama, quæ à sæcularibus traducebatur, acerrimus defensor, & incautorum laicorum obstruens ora loquētium aduersus religiones peruersa, & iniqua. Nostra omnium vita dicebat Hilar. *maximeque eorum qui religioni student, qui aduersantium sustinent bella, atque obtrectationum venenata iacula suscipiunt, fraudulentæ blandiloquentiæ veneno appetitur, & hæc omnia per homines, in quibus spirituales nequitiæ operantur, insistunt. scriptum est enim, excitauit Dominus Satan Salomoni Ather Idumæum, & aduersatus est non vt homo, sed vt Satanas Salomoni omnibus diebus vitæ eius &c.* sunt autem ij præsertim (ex eodē) *superbi parantes illis muscipulas & scandala*, qui ex eodem Hil. *admisceri peccatoribus dedignantur.* Sed mox subdit Vindicianus.

Epist. 137. — In ps. 139. — 3. Reg. c. 11

VIND. *Scandalizantur certè sæculares, cum vident Regulares Præfectos Monasteriorum, causas esse dissolutionum, non reprehendendo, non abscindendo.*

TVRT. Sed crede mihi Vindiciane, quod plus scandalizantur de illorum Prælatorum crudelitate, de quibus scriptum est; *qui nimium emungit elicit sanguinem*, vino atque oleo opus est regimini, vt nec nimis sit regimen remissum, nec plusquam par est seuerum, cæteris paribus, ex Bernardo, vbera vino præualent [exultabimus & lætabimur memores vberum tuorum super vinum] mollior amor præualet nimiæ austeritati, dicam laxitas Prælatorum minus obest animabus, austeritate indiscretorum, nam & si illa inducit ad mortem, induciæ dantur remedijs, hæc inducit ad desperationem & laqueum, in illa patris nomen non amittitur, hic penitus cum humanitate patris titulus obliteratur, & in Dominum despotice principantem, imò Tyrannum immutatur. Hos potius conueniendos ex Bernardo conueniebat cum Vindiciano eadem verba Cant. exponente. *Audiant hoc Prælati, qui sibi commissos semper volunt esse formidini* (Machiauellistas præstringens antequam nascerentur, qui dicunt magis Præfectos timendos, quàm amandos) *vtilitati rarò. Erudimini qui iudicatis terram, discite vos matres subditorum esse debere, non Dominos*, hoc est, paterno & materno principatu subditos regere, non despotico, & Politico, vel Monarchico, & quod peius est iuxtà Taciti præcepta, & Machiauelli, non secundum simplicitatem Apostolicam, sed secundum industrias filiorum huius sæculi. *Studete magis amari quam timeri* [non vt dixit Machiauellus plus timeri quam amari] *& si interdum seueritate opus est, paterna sit, non tyrannica. matres fouendo, patres vos corripiendo exhibeatis, mansuescite, ponite feritatem: suspendite verbera, producite vbera, pectora lacte pinguescant, non typho turgeant. Quid iugum vestrum aggrauatis, quorum potius onera portare debetis? Cur morsus à serpente paruulus fugit conscientiam sacerdotis, ad quem eum magis oportuerat tanquam ad sinum recurrere matris.* vnde ex nimia vt dicit S. Thom. Prælatorum seueritate, non dando licentiam alijs confitendi (vel vti velle notitia sacramentali ad exterius regimen, complicisque notitiam, vt extra confessionem dicatur v. g. quod in confessione acceptum est ad eundem finem) grauissimè peccant, ait S. Doctor: *multi enim aiunt sunt adeo infirmi, qui potius morerentur, quam tali sacerdoti confiterentur, vnde illi qui sunt nimis solliciti, vt conscientias per confessionem subditorum sciant, multis damnationis laqueum injiciunt, & per consequens sibi ipsis.* Quibus inconuenientibus à Clem. VIII. iam prouisum satis est. Subdit Sanctus Bernardus ad tales Dominos Prelatos Politicos, Monarchicos (si qui essent vel nascerentur) *si spirituales estis instruite in spiritu lenitatis: considerans vnusquisque se ipsum ne & ipse tentetur: alioquin ille in peccato suo morietur: sanguinem autem eius, ait, de manu tua requiram, sed hæc alias.* Hucusque Bernard. Horum duorum extremorum peius est, in peccato mori, quàm esse sal infatuatum, vt conculcetur ab hominibus. & si salis mordacitate, dicterijs scilicet voluit perstringere religiosos, habendos, vt infatuatos quasi nihil saliant, & accepti saporis sensu amisso, corrupta corpora viuificare non possint, & quasi abiecti de Ecclesiæ promptuarijs pedibus transeuntium proterantur; præstat tamen esse sic infatuatos vt ex humiliatione proculcati ad meliorem frugem deueniant, quam esse σαλάκωνες, fastuosos, arrogantes, vt salis in eis (de quo gloriantur) nullum restet vestigium, vt eisdem competat, illud Zenodoti.

Bern. in Cant. ser. 23.

Loc. cit.

In addit. 3. p. q. 8. a. 4. ad 6.

Sal abijt illuc vnde dimanauerat,

alludens ad mercatorem illum, cuius nauis sale onusta, cum sale submersa, sal in

aquam

aquam marinam ex qua sumptum, in eandem denuo liquefactum. Peius ergo scandalizabitur sæcularis de euanido, quam de infatuato sale. Magis hos, quam illos censurare debebas.

VIND. Adhuc addis *nihil innocentibus derogari ex sontium proclamatione, idque probas ex Petro Cluniac. lib. 2. cap. 6. Rhemensium canonicorum ambitionem, cupiditatem &c. reprehendente, & nullus*, ait Vindicianus, *Philippicam vel Apologiam scripsit in Cluniacenses Monachos, qui se purgando nocentiores crediti essent. Item ex Seraphica S. Catherina in suis dialogis Cleri vitia & scandala mira narrante. ex Trithemio in opusculo de sacerdotibus, nullusque pro eis pugnauit, nam supra omnes Apologias erat morum reformatio. Supra cæteros S. Brigitta in clericos, & religiosos effusior reprehendendi licentia, quam & Dominus consolatus est.*

TVRT. Non semel huic ratiocinationi responsum est, fallacem esse à parte ad totum ordinem, & ex vnius loci vel temporis circumstantijs, vniuersum alicuius ordinis penitus statum corruptum (quæ est thesis Vindiciana) proclamare, quod non fecerunt Petrus, Catharina, &c. vnde Philippicæ, vel Apologiæ non sunt elaboratæ pro multis illis de facto manifesto conuictis.

At Apologijs opus erat hoc tempore grassantibus hæreticis in statum religiosum debacchātibus, ob particularium defectus deprehensos, & rigidis censoribus malis laicis religiosos carpentibus pro defensione innocentium. Crede Vindiciane quod qui nocentes sunt manifesti, non minus lædunt sæculares, si innocentes se simulent, cum in oculis sponsi sint multò nocentiores, & ex signis tales quoque apud homines deprehendantur. Candor, & odor requiruntur in lilio, *virtus & bona fama*, ait Bernardus. vnde si in conscientia næuus fuerit, nec quod ex ea prodierit, carebit næuo. nam si radix in vitio & in ramis: ac per hoc *quicquid illud sit quod radix vitiata, non absque traduce vitij ex se producat v.g. sermo, actio, oratio, etiam si fama applaudere videatur, non est quod debeat dici lilium, quia & si odor conniuere videtur, sed non color, quo enim pacto lilium cum impuritatis næuo? nec sanè fama valebit vendicare virtuti quod esse vitium conuicerit conscientia. Erit quidem virtus contenta candore conscientiæ, vbi sequi non poterit odor famæ; cæterum odor famæ nec excusare sufficiet vitium conscientiæ decoloris.* Nocentiores hi probabuntur deprehensi, vt sanctitatis impostores, fingentes quod nō sunt (vt tu es & tui similes Hypocritæ) & supra peccata cautè occultata hypocrisis quoque detegetur maiori scandalo, quàm qui ex fragilitate subito noscuntur peccatores, qui tamen candorem facilius recuperare possunt infirmitatem recognoscentes, cum publicano, quàm cum Pharisæo, hypocrisitia merita iactante; imò lilia fieri possunt, ait Bernardus, *Est enim animæ candor indulgentia Dei, ipso dicente per Prophetam: si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur, & si fuerint vt vermiculus, velut lana alba erunt.* Non ergo insontes illi traducendi cum sontibus, & è sontibus potius feriendi, subdoli, quàm infirmi peccatores: aduersus quos etiam columba laudabiliter, seruatis circumstantijs, sæuire debet, vt Grauina concedit, & in Bellarmino, quod tu impudenter negas, in eiusmodi correctione, pietatem, amorem, zelum agnouit, quem nec excessus quicunque in redarguēdo potuit obscurare. Tu vero Vindiciane, nec substantiam nec modum habes, qui etiam innocentibus, nec ad se defendēdum, nec vt alios defendant Apologijs persuades, vt innocentia indefensa remaneat. *Non audiendi ergo sunt*, ait August. *siue viri sancti,*

Serm. 71. in Cant. — Esa. 1 — De bo. vidui. c. 22.

siue fœmina, quando reprehenso in aliqua negligentia sua, per quam fit vt in malam veniant suspicionem, vnde suam vitam longè abesse sciunt, dicunt sibi coram Deo sufficere conscientiam, existimationem hominum non impudenter solum, verum etiam crudeliter contemnentes, cum occidunt animas aliorum siue blasphemantium viam Dei, quibus secundum suam suspicionem quasi turpis qua casta est vita sancta: siue etiam cum excusatione imitantium quod non vident, sed quod putant. Proinde quisquis à criminibus flagitiorum atque facinorum vitam suam custodit sibi bene facit, quisquis autem etiam famam, & in alios misericors est. Nobis enim necessaria est vita nostra, aliis fama nostra: & vtique etiam quod aliis ministramus misericorditer ad salutem, ad nostram quoque redundat vtilitatem.

§. VI.

VIND. Amplius discrimen ais esse *inter correctionem malorum & sacri Ordinis reprehensionem, quod qui ordinem inuadit, vota, regulam, & officia & mores à Sede Apostolica approbatos dictis & sannis lacerat; quod sine grandi impudentia nemo audet, ne sancti Spiritus opera, & Ecclesia qua columna est, & firmamentum veritatis, institutionem vellicare videatur. Quo pacto Grauina rectè laudat S. Bonauenturam, S. Thom. &c. qui pro regularium ordinibus strenuè laborarunt. Qui verò peccata dumtaxat negligentium in ordine aliquo lingua vel calamo obiurgat, communem solummodo hostem persequitur, caterisque membris, & ipsis ordinis Prafectis ingentes suppetias affert: nam & Dominus monuit. Qui non est aduersum vos, pro vobis est.*

TVRT. Discrimen hoc est mi Vindiciane inter reprehensionem Ordinis Monastici, & correctionem malorum: quod primum hæreticorum est. Secundum si absque debita commensuratione fiat, detractorum

Epist. 137. est. Vnde de Donatistis dicebat Aug. quod plura contra Catholicos cõminiscebantur falsissima, vt quia veritatem diuinæ scripturæ obscurare non possunt, homines per quos prędicatur, adducantur in odium]ita in nostro proposito qui non audent statũ vellicare, homines saltem statum profitentes, in odium adducunt. Quidam detractores ordinũ tempore Augustini ex quodam scandalo exorto, bene sentientes de statu religionis, ex eo arguuntur, quia cum aliquid se de aliquibus, qui sanctum nomẽ profitentur criminis, vel falsi sonuerit, vel veri patuerit, *instant satagunt, ambiunt, vt de omnibus hoc credatur.* & licet hoc non intenderet Vindicianus, ex sui natura talis est ista malorum sic vniuersalis & ab que delectu pronunciata enunciatio, vt in iniuriam facile omnium redundare possit, vt euicimus. Si hoc est suppetias ferre ordinibus, libenter naues cõuitijs onustas expectabimus, & cum ad portum incolumes applicabunt, vota affigentur. Eadem ep. 137.

VIND. Tandem, quod est vltimum tuæ potentiæ excusas Bellarminum, quod *nihil contra homines, sed contra vitia militet, quod frequenter S. August. hortari solet. Eiusque rei certissimum iudicem habemus, quod vitio sublato, ira & arma statim deponantur. Quorsum ergo Grauina machina & aggeres Apologiarum? Non aduersum te hodie venio, sed contra aliam pugno domum; suspectum se Deo improborum societate facit, qui cum Iosia temerè in pugnam contra sibi minime aduersantem descenderit. Vana autem futilisque prorsus pratensio ab infamia ordinis fingitur, hac enim per corrigentis pietatem multò felicius desinit; vtpotè prius improborum scandalis inducta, & peruulgata.* 2. Paral. 35.

TVRT. Contra vitia inuehimur cum in abstracto & in genere vitia eadem reprehendimus, vt auaritiam, superbiam &c. contra homines inuehimur, cum in concreto dicimus, hos vel illos esse superbos vel auaros. benè verum est tunc obseruandum

quod.

quod dicit Augustinus, correptionem fieri debere *cum dilectione hominum, & odio vitiorum.* Huc usque nihil aliud à te elaboratum est; nisi, religiosos ambitione, auaritiaque taxari in specie, & in indiuiduo: vnde quia hoc redundabat in ordinum infamiam (vt dictum est) sola vna Apologia concinnata est ad defensionem sacrorum Ordinum. In Reg.

Sed quid sibi velint illa verba Regis Ægypti ad Iosiam à te allata: *quid mihi & tibi est Rex Iuda? non aduersum te hodie venio: sed contra aliam domum ad quam me Deus festinato ire praecepit. Desine aduersum Deum facere, qui mecum est, ne interficiat te*, nō est difficile penetrare, si non aduersus Grauinam, & suam familiam, sed quamcumque aliam castra admonuisti, ex charitate, & obsequio, quod omnibus Religionibus Turtur debet (indifferenter enim Sanctus P. Dominicus omnes religiones diligebat) pro omnibus adiuuandis pugnat, vnde nō (vt vellicas temerè) de improborum societate est, aut quasi temerè vt Iosias ascendat aduersum minime sibi aduersantem; vnde alia ratio est Grauinæ, & Iosiæ, diuersæ enim domus Iosiæ, & illius, quam Nechao Rex Ægypti oppugnabat Charcamis iuxta Euphratem, non vnum efficiebant corpus, at vnam domum efficiunt omnes religiosi, de quibus dicitur, *qui habitare facit vnius moris in domo*, vbi alia versio habet, *Monachos in domo*, si vt alludere videris, domus & domus distinguis in vnam impiorum, & alteram bonorum, curret illico Donatista ad accipiendam hanc distinctionem, pro Ecclesia bonorum, & Ecclesia malignantium roboranda, cum tamen vna sit Catholica continens bonos, & malos, vt & omnis Religiosorum cœtus, vt bellari non possit, in malos) nisi specificentur) quin totus ordo infametur. Erubuisti dicere, quæ sequuntur post illa verba scripturæ: *contra aliam pugno domum*, videlicet *ad quam me Deus festinato ire praecepit*, *&c.* nam oportebat signo vel portento dicere te à Deo missum & prophetam Dei demonstrare. Quod si ex zelo & instinctu Dei, & pietate te motum esse suadere coneris, scias quoq; reperiri dæmones zelotypos, qui sibi & multis qui se putant Deucaliones, & reparatores orbis suadent, id ex spiritu Dei proficisci, cum tamen interdum ex proprio spiritu, & ambitione nascatur. Torquebat quendam hominem diabolus, & suaserat patri quod Apolepticus erat: *Domine miserere filio meo quia lunaticus est*: quem locum exponens Chrysost. dicit. *Vt esse Luna crederent, quod erat diabolici criminis, & furoris*, vt à cœlesti influentia morbus, non à malitia proueniret: sic & similes detrectatores sunt, qui amicti pallio zeli murmurant de proximis, & ne id diabolicæ tentationi adscribatur, cœlesti & diuinæ attribuunt influentiæ charitatis. Certè quando similis correctio cum ordinis infamia procedit, non felicius inducta, nec peruulgata scandala sedantur, sed veluti superposito oleo magis accenduntur. Psal. 67. Matt. 17. Ser. 2. Chrys.

III. Discussio, an hæreticos in Regulares armatos à gemitu columbino, ex Turturis voce concludi possit.

§. I.

IMponitur Grauinę quod inuictum fidei athletam Cardinalem despicatus sit, *per correctionem regularium, vt ferocius in regulares debaccharentur, eisdem collusisse, vt proinde hæc prima, & potissima ratio contra columbam scribendi impulerit.* VIND.

Verum hæc manifesta calumnia, aliud enim est ex intentione arma hostibus fidei ministrare, aliud quod ijdem occasione accepta, quæ pro pietate elaborata sunt, arma bellica in nos ipsos conuertant: primum actiuum; secundum passiuum scandalum TVRT.

dalum est. De primo Turtur nihil meminit, de secundo hæc protulit prima par. ca. 1. *Sed ne infirmi ex his verbis occasionem detrahendi sacris ordinibus sumant &c.* potissimum scribendi argumentum desumens.

1. Cor. 10. Porrò vtrumque scandalum vitandum Apostolus docuit: *sine offensione estote in Iudeis, & Gentibus, & Ecclesiæ Dei*, hoc est interprete S. Ioann. Chrysostomo. *Nullam cuiq; causam in scandalum præbeatis, etenim scandalizabitur frater; & Iudæus* (Hæreticus) *maiori te odio prosequetur, & reprehendet &c. non solum autem fratres non sunt scandalizandi, sed quantum in nobis est, neque externi. etenim lux sumus, & fermentum, & luminaria, & Sol, illuminare itaque, non tenebras ostendere oportet, constringere, non dissoluere, ad se allicere fideles non fugare. Quid igitur persequeris qui sunt alliciendi? etenim Gentiles perturbantur, cum nos discordes videant, animum enim ignorant.* Si in opinionum vel morum discordijs, quæ possunt esse cum charitate coniunctæ, perturbantur Ecclesiæ hostes, cum animum nostrum non deprehendant; quid si tenebræ ostenderentur, vel tenebrarum opera quacumque pia intentione panderentur? hic erat Grauinæ Apostolicus, non effæminatus timor, *nec* enim *suam*, vt (iocaris) *vmbram timebat*, sed hostium armatos cuneos formidabat, rationabiliter verendo, ne quod fabricaret Catholicus prosterneret Hæreticus, sed non Grauinam audias, at multo antiquiorem Doct.

Hom. 25. in eū locū.

Ludouicus Blosius in instit. Spirituali in epist. ad Florentium, inter cætera eam assignat causam, cur hæretici hodie in errore permaneant, quia inquit *nullum in Ecclesia Apostolica* (quam ipsi Papisticam appellant) *iustè viuere credunt: conspiciunt enim in arca Dominica magnum palearum aceruum: vnde & nulla grana inter paleas esse iudicant. Dicūt ergo. Hicne erit Ecclesia Christi, vbi tanta est morum corruptio, vbi tot abusus inueniuntur, tot Episcopi, tot sacerdotes, tot Monachi, tot turmæ hominum perditè viuunt? Paleas vident, grana non, vel potius videre nolunt, nam & ibi grana sunt nitidissima, atque integerrima, quæ propter multitudinem palearum vix apparent &c.* Cum ergo sic male affecti sint hodierni Hæretici, nonne rationabiliter timuit Grauina: ne imperfectiones Ecclesiasticorum, maximè & religiosorum oculis Hæreticorum obijcerentur?

§. II.

Frustra postea nititur ostendere irrationabilem timorem Grauinianum extitisse de opere Bellarminiano, religiosos cum excessu corrigente, nec quicquā ad Rhombum faciunt quatuor rationes quas Vindicianus assignat.

VIND. Primo, *quia nullus*, ait, *Hæreticorum conquestus est contra regulares propter Bellarm. luctum: imo ex libr. 6. vita Bellarmini cap. 3. Rex Angliæ studiosè hunc columbinum librum legit, vt cætera eius ascetica: neque* (subdit idem) *quicquam capsit, nisi historiolas quasdam, quas fabulosè commentis accensuit. Basiliè si regularium mentionem in Grauina morem apprehendisset; enim verò Basilicè contra eos, & vniuersam Ecclesiam orthodoxam triumphasset, sed non triumphauit, placuit magis candor scriptoris etiam inter suos, quæ displicerent corripientis.*

TVRT. Lepus dormiens Vindicianus, quod scit, nescire fingens. Nonne vnquam legit Andreæ Fornerij opus Catholicum articulatum *laquei Diabolici Hæreseos & Apostasiæ Iacobi Reingh* (qui à fide, & Societate non secus Iudas à Collegio Apostolico discesserat) *editum. Ingolstadij 1622.* circa tempora editionis Bellarminianæ de gemitu columbæ: si vel saltem dedicatoriam Andreæ inspicere voluisset, luce clarius deprehendisset, ad nihil aliud hæreticos inspicere, quam vt Orthodoxorum defectus in canticum, & ludibrium vertant: hanc enim

In præfat. enim quoque rationem idem Andræas suæ scriptionis causam assignat, *vna*, ait, *laquei Pontificij nomine re Luthero Caluinianis pronuper euulgati, quos irato Deo misere illaqueatus* (Iacobus Reingh) *ordinis sui desertor, & nefarius Apostata nobis subdolè texuit, struxit, supplantauit, altera conciones, versiculi, rythmi, Satyra, criticorum famosi libri, quorum iam ante semestre & quid vltra mille centuria ac myriades penè prodierunt, indigna sanè eiusmodi scripta, qua communem Solis lucem intueantur, nedum legantur, nam Sanctissimo coram Deo, Sanctis Angelis, hominibusque iureiurando asseuerare, ac protestari ausim, in illis chartaceis schediasmatibus, velut euangelicis diplomatibus longe lateque sparsis, & promulgatis pro agnato Centaurorum, Logodædalorum Euangelicorum furore, amarulenta conuitia & absurda absurdissima Pontifici, Cæsari, Principibus, Iesuitis, Monachis, Clero, & statibus Catholicis vniuersis, paradoxa, qua toto pectore fastidimus reijcimus, damnamus, anathematizamus, per calumniam, & turpissimum mendacium affingi.* Sed bene dixit Nicander *ventis mare, & ignis seruiunt*, vt illud intumescat, hic vt ex leui scintilla violenta flamma assurgat, & de facto Satyris illis furentibus defectus religiosorum traducti obsecundarunt; nam si non Basilicè scriptæ sunt à Rege Angliæ, Basilicè tamen inter mimos, & parasitos decantatæ Monachorum fabellæ: dum (Vindiciano fatente) Rex Angliæ in operibus Bellarminianis historiolas inspersas fabulosis commentis accensuit, multò magis mala exempla viuentium religiosorum exemplasset, ni calamus regius dedignatus esset eadem sæpius vsque ad nauseam recensita repetere, & satis est quod vel exemplare potuisset.

VIND. Secunda ratio Vindicianica, *quod eundem librum legerunt ministri, & Proceres Britannia, & cum Catholicorum admiratione assiduè teneatur, & nullus* sacris ordinibus sit debacchatus.

TVRT. Quod in particulari de hac re occasione accepta à lectione Bellarminiana aduersus sacros ordines à ministris Britannicis peculiare argumentum editum sit, ego nescio, & tu non doces: id potuerunt tot ministelli, cum in concionibus, in Academijs iactare conuicia, defectus Monachorum fingere, vel exaggerare, vel propalare passim suis auditoribus soleant. Adeò ne diligens Vindicianus fuit, vt omnibus, vt dicitur, vestigijs semitas omnium hæreticorum Prouinciarum odoraret, & hucusque ad hypocausta, & triclinia ingrederetur, testis taciturnitatis, modestiæ, silentij Nouatorum erga Deo dicacitas personas? Prætores, quando cum Vindiciano contenditur, opus est aduocare, & Vindicianam aduocandi formulam quam expressit antiquitas, litigantibus tradere opus est, vbi enim ex iure, vt dicebatur, *in manu consertum vocatur* (ex Cicerone & Gellio) Vindicianus destruit, indeq; ipse reuocat, hoc est negat, quę alias affirmat litigosè respōdendo, & inuerisimilia affirmando; at parum prodest in hoc immorari, nā id quoque timebat Cicero Iureconsultum dicēs: *metuo ne artificium tuum tibi parum prosit, nā vt audio isthinc non ex iure manu consertum, sed mage furorem repetunt, regnumque petunt, vadunt solita vi*: cui violentiæ peruicacia Vindiciani in respondendo, & inuerisimilia meditando non absimilis. *Cic. orat. lib. pro Murena lib. 7. noctium Atticarum* *7. Epist. Trebian.*

VIND. Tertia ratio Vindiciani: *quia post euulgatam columbam Caluinista Bohemiam, Vngariam Silesiam, Austriam ac plurimos Germania Ducatus, ac Ciuitates seductionibus incenderunt, Iesuitas latè proscripserunt, reliquos religiosos benignè aluerunt, tantum abest vt columba gemitus regulares inuisos reddiderit.*

Intestina adolens, carnes deuorat, & dum sacrificium se præstare putat Vindi-

TVRT. Vindicianus defectus religiosorum adolendo, carnes fratrum deuorat detractione horribili, nam dum persecutionem passi soli Iesuitæ recensentur, cæteri verò religiosi retenti, simul & semel Iesuitas, solum, hæreticorum persecutores facit, cæteros religiosos eorundem Symmistas, nec enim pugna elementorum est nisi inter asymbola. Bestia bestiam nouit, &, vt dicit Ecclesiast. *omne animal diligit sibi simile.* Si soli Iesuitæ pulsi, cæteri benignè retenti, titulus proscriptionis, vt & retentionis assignandus, si namque titulo fidei Iesuitæ proscripti, eadem causa, & cæteri religiosi reiecti essent, cum vnam & eandem fidem Romanæ Ecclesiæ profiteantur cum veteribus ordinibus: at cum aliqualis distinctio & discretio assignetur, titulus diligenter inspiciendus est. *Deputet ergo* (vt in simili cum Augustino arguatur) *communem titulum iustitiæ talis persecutionis*, quem si non assignet, non se ideo iactet iustam habere causam, qua commendentur præ cæteris ij quos adulatoriè laudare vult: nuda proscriptio non sufficit Vindiciane, nam ex eodem August. ea pœna coerceri hæreses possunt, quam hæretici mentiuntur iniustam; & tādem intelligatur, quod *Christi martyrem* (vel confessorem) *non facit pœna sed causa*, quæ, si dato casu per impossibile, deprehenderetur esse Politica, nec in regnum cœleste transmitteret, nisi pariter Numam, Platonem, cœlo cum Zuuinglio affigas.

Eccles. 13.

L. 3. con. Cres. Gramma. c. 47.

§. III.

VIND. At iam discretio assignatur à Vindiciano dicente, nescire Grauinam hæreticorū ingenia, subdens, *non illi mordent lapidem, qui eos non fert, originem suam agnoscunt, eique cognatam sobolem odisse nequeunt.*

TVRT. Quid hoc est Vindiciane, nisi dicere in bona Grammatica prauos religiosos de hæretico germine descendere, hoc est, ex illis, qui duplici Apostasiæ titulo, fidei, & religionis de area Dominica auolarunt? Non mea me fallit opinio, nam alij ficti Anonymi Vindiciani Symmistæ, vbi restitutionem Monasteriorum non vetustis possessoribus, sed Collegijs, & Societati fieri debere, ad dissensiones excitandas inter Societatem, & veteres ordines, contenderent, in libello attitulato: Iudicium duorum Theol. super translatione Monast. restituendorum in Imperio ad P. P. Societatis, eam assignant rationem, quia *in vniuersa ferè Germania ordines illi sub initium sæculi præcedentis, in eam corruptelam peruenerunt, vt ex ijs minima occasione oblata cateruatim pestilentes hæresiarchæ prodierint, qui totam ferè secum Europam in hæresim, ac schisma protraxerint.* Hęc seriò isti Anonymi, qui ab ironica collocutione Bellarmini in tract. de Monachis id mutuati sunt deprauatores, verba Cardinalis sunt. *Quid eis Monachi nocuerunt (nempè hæreticis) quid rapuerunt? quid illis debent? Nonne si saperent, ingentes gratias potius regno Monachorum (vt ipsi vocant) agere deberent, ex quo nimirum Apostolus ille Germanicus, tertius Elias, atque alij illustres prophetæ, & Euangelistæ tanquam ex equo Troiano prodierunt? Vnde enim habent Lutherum Pomerani, Buccerum, Pellicanum, Mœnium, Musculum, Miconium, Oecolampadium, Martyrem, Ochinum? nonne ex Monasterijs? Quanquam* (subdit Bellarminus ad censuram cauendam, & ironiam deludendam) *si verum fateri volumus, non Monasteria tot nobis hæreticos pepererunt, sed ipsa potius hæresis Monasteriorum desertores fecit.* Quid Vindicianus ex ironica locutione Bellarminiana, & seria symmistarum hausit? relaxatorum fœtum regularium ad Hæresiarchas istos desertores reuocandum, vt propterea in ipsos regulares non habeant hæretici, quia ex dissolutis Monasterijs geniti, vnde subdit.

Tom. 2. cont. 2. li. de mon. in præf.

Quod

VIND. *Quod sibi similium multitudine, hoc est laxorum, & exlegum regularium impensè gaudent, indulgentiores ordinum Præsules laudibus supra sidera extollunt, &c. blandiuntur, vt incorrigibiles fiant, virtusque illorum vsque infirmetur, vt à veterno resurgere non valeant, & de his dicatur impleri. Tu confregisti capita draconum in aquis, dedisti eum escam populis AEthiopum, ad quod probandum affert Vindicianus locum S. Hieronymi super Abacuc cap. 3. quod ij fiunt tabernaculum AEthiopum, id est, Dæmonum, & quid mirum* subdit Vindicianus, *si ijdem ab hæreticis quoque demum deuorentur, quam calamitatem*, ait, *columba gemitus non peperit sed manifesta deploratorum peruicacia.*

TVRT. Hæc ergo causa Vindicianica, cur hæretici odio non habeant regulares veteres, quia hæreses à regularibus dissolutis ortæ, & dissoluti Religiosi suis parentibus in moribus, te iudice, imo impostore assimiles.] Ad hæc. *Posterioris nota religiosos eminus, vt canes adlatrare, hæretici potuerunt, sed absque omni damno, quia iam lolium in tritici naturam transit, & colonorum vigilantia præclarè custoditur. Neque ignominiosum probe expurgato agro, est, aliquando spinis, & vrticis obductum fuisse, quin trito S. Hieronym. verbo non quæruntur in Christianis initia, sed finis: noli fidem pensare temporibus, nec me idcircò meliorem putes, quod prior in Christi exercitu cœperim militare. Paulus Apostolus, & vas electionis de persecutore mutatus nouissimus in ordine, primus in meritis est, quia, extremus licet plus omnibus laborauit. Subitus calor longum vincit teporem. Nimium Gramina pudibundus, aut anxius foret, si hæreticorum in eos, qui ad meliorem frugem conuertuntur, conuitia sustinere nequeat, potest ne AEthiops lauare candorem? quod deprauata libertatis mancipia oderint, laus est Ecclesiæ, & gloria Christi apud Christianos, & quanto magis* apud religiosos, non qui patitur, sed qui facit contumeliam *miser est*. Hæc Vindicianus.

Epist. ad Furiam. VIND. *Ep. ad Paul.*

TVRT. Totus hic Vindiciani discursus ferula sanctissimæ Inquisitionis esset feriendus, magis quam arguendus, qui tam irreuerenter de sanctis ordinibus loquitur, sed permittamus ille sit suæ sententiæ amator, & Narcissus ardens amore sui, vel sit Trasylacus ille, qui quotquot naues in portum appellebant, suas esse credebat. Defendat si potest in suis clientulis, quos subdolè defendendos suscepit Apathiam Stoicam. An propterea alij ordines sacri denigrandi, etiam si ex eis hæresiarchæ egressi, & cum hæreticis in moribus aliquando consimiles fuerint? verè inflatis buccis spumantia verba

Trutinas, & vndam tepidi despumas aheni.

Ergo ne tam fortis fuit generatio prauæ istius sobolis Vindicianæ, vt parentes etiam accidentia Monachalia illi impresserint? Quæso te, an illos hæretici genuerunt, vt Monachi, an vt homines? si primum, cum omne agens simile sibi producat per formam, forma Monachatus egit, forma ergo hæretica, cum soboles hæretica sit. Si secundum: non est peccatum, quod facit homo, quod non faceret alter homo, nisi præstaret Deus ne faceret homo, dicebat Augustinus, qui ergo tunc orti non erant, non possunt se iactare, quod potuerint transgredi, nec sint transgressi, & pro futuris nascituris nullum pactum de præseruatione intercessit, Lutherica flamma Orbem peruadente. Alienæ ergo insultare miseriæ cum elatione sui, vel aliorum, arrogantiæ crimen est, cum suæ conscius vnusquisque debeat esse naturæ. Mirum nè vt *probatus aliquis postea excidat? Saul bonus præ cæteris, liuore postea euertitur : David vir bonus secundùm cor Domini, postea cadit, & stupri reus est. Salomon omni gratia, & sapientia dotatus à Domino, ad Idololatriam à mulieribus inducitur*, & vt explicemus in nouo testamento, Petrus Apostolorum Princeps

Tertul. de Præs. c. 2.

feruens primo, post Christum abnegauit: Apostoli addictissimi Christo Domino, in apprehensione postea eo derelicto aufugerunt. Nicolaus Diaconus in mulierum viduarumque ministerio castitatis cultor, deinde impudicitię sectator, & magister. Multi Episcopi, & proceres Ecclesiæ primo debellatores Hæresum, postea earumdem propugnatores. *Soli enim Filio* (dicebat idem Tertull.) *seruabatur sine delicto permanere. Quid ergo si Episcopus, si Diaconus, si vidua, si virgo, si doctor, si etiam martyr lapsus à regula fidei fuerit? &c.* Dicat nobis iste Anonymorum antesignanus cum subsequentium Anonymorum turba. Omnes ne & soli Monachi hæreticæ totius sobolis parentes fuere? Promerentibus hominum peccatis, & iusta Dei permissione, Lutherus ex ordine S. Augustini transfuga Germaniam dementare cæpit, an omnes orbis Prouincias fermentauit? magnam partem infecit Zuuinglius Lutheri syncronos, magnam Caluinus nunc tenet partem, & Monachi non fuerunt; quomodo Anonymi ausi dicere cateruatim è Monachis hæresiarchas prodijsse? forte illorum Theologia est, omnes hæreticos hæresiarchas esse, omnesque simplices à religione excucullatos apostatas, hæresiarchas esse. si Bucerum ordinis S. Dominici, Pellicanum, Ochinum, S. Francisci, Oecolampadium S. Brigittæ desertores dices, ramusculi sunt, non hæresum plantæ, & nullus ordo à Vindiciano, & Anonymorum censu liberabitur, quia hæresiarchas produxerit. Hæresiarcha erit ergo Otho Brunsfeldius à Carthusia Apostata, Christianus Francken, & Iacob Reingh à fide, & Societate Iesu extorres, vt & Nicolaizantes Mena, & Azeuedo, &c. hæresiarchæ dicendi erunt, cum simplices hæretici extiterint. Vnus nostrorum temporum è toto Monachismo Hæresiarcha fuit, & fœcundam genituram hæresiarcharum ex ordinibus prodijsse cōclamatum est. Talis fuit Luther Monachus anno 1516. cui euoluto sæculo (quod Vindicianus obticuit) hæresiarcha alter correspondit Marcus Antonius de Dominis, Exiesuita, Archiapostata Spalatensis, vt in pari causa clientum Vindiciani, & veterum ordinum religiosorum elationis præcidatur occasio, vt vnusquisque humilietur, & super alium non inflectur, & nullum Ordinum ex horum defectione fuisse denigratum ex prædictorum lapsu appareat manifestè. Detur libenter denigratoribus Ordinum, omnes enumeratos, ne dum simplices hæreticos, sed hæresiarchas extitisse, id in gloriam ordinum cedit à quibus discesserunt. *Auolent* dicebat Cypr. *palea leuis fidei quocunque afflatu tentationum, eo purior massa frumenti in horrea Dominica reponetur.* Malè ergo opprobria exprobrantium super religiosos veteres tantum cadere debebant, quod hæreticorum sint origo, vel equus Troianus cateruas hæreticorum continens, & huiusmodi. Peius insultatur areæ Domini, quod, remanente tritico, paleæ auolarint. Pessimè conclamatum, superstites ordines veteres dispergendos, quia ex illis hæretici (quasi ipsi eorum in causa) processerint. Destruēdum erat Apostolorum Collegium ob Iudæ Apostasiam, Leuitarum ordo pessundari propter vnum Nicolaum Diaconum. Episcoporum præfecturæ eliminandæ, quando etiam ex illo sacro principatu, hæresiarchas prodijsse legimus. Omnium denique Cathedralium Sedium Clerici exterminandi, quia multi eorum ad castra rebellium euolarunt; & omnium horum Clericorum, Episcoporum beneficia, Cathedræ, redditus omnes cum omnibus alijs Monasterijs, eorumque bonis, vt prætendebant Anonymi, illi ordini detur, quem nullum habere putabant hæreticum,

Ex eod. Tert.

Lib. de vnit. Eccl.

ticum, nec hæresiarcham, qui hæreticis solus inuisus adulatoriè, & callidè ad inuidiam eidem conflandam iactabatur, vbi omnes alios religiosos benignè ali, non cũ qui supra sidera extolli fingebatur. Admissa verò illa distinctione, Vindiciane, quod hæretici laxos regulares diligant, strictioris vitæ viros detestentur, illis applaudant, istos vt canes oblatrantes timeant; Petitur à Narcisso sui placiti amante, si vnusquisq; ordo habeat laxos cum obseruantibus, an non. [illegible] habet, iam Vindicianus argumentum [illegible] sua categoria inuoluat. Si non [illegible] clientes in relinquamus Narcissum se in suo lympido fonte cernentem. Alij tanquam Dracones in aquis, vt ludit, demergantur, & si nõ est ignominiosum expurgato agro spinis & vrticis oppleri, nullum probrum est in purgatissima religione, vt lolium & auenæ steriles in purgatissimo tritico misceãtur. Sint nouissimi in ordine, ipsi primi in meritis, plus cæteris laborarint, subito calore accensi longum veterum vicerint teporem, possunt procedente tempore, alijs superueniẽtibus commilitonibus & ipsi primos respectiuè in ordine præcedere, præcedi verò ab illis in meritò & feruore, si tepescerent.

Sed si solum hæretici libertatis, & carnis mancipia ordines detestarentur, non tales Grauina exprobratores extimuisset; nunc vero cum malorum occasione, bonos quoque sugillent, & ad statum transeant ex personis, perperam de nimia timiditate Grauina incusatur à Vindiciano, cum ex personis fidem, & religionem velint metiri. Quare ex eorum ore auferenda præda est, & molæ eorum confringendæ, quod & Grauinæ quantum potuit, præstitit.

* * *

CAPITIS DVODECIMI EXAMEN, TVRT.

Vbi Vindicianus Parerga instituit de secularium in ordines receptione.

SVMMA CAP.

Recipiendorum formulam tradens Anonymus, ne religiones laxentur, in errorem illum incidit, non esse Tyrones recipiẽdos in religione ante 18. annum. Impossibilẽ alium tradit canonem, vt finis, & intentio perspecta habeantur admittendorum ad Asceteria. Inmisericordem alium statuit, ne spirituales valetudinarij admittantur. Politicum quoque, inauditum in Apostolicorum schola, præceptum tradit, videlicet: parum prodesse posse religioni eum, [illegible] secularibus aptus non est. Quod re fusissimè probatur [illegible] documentis contra-

§. I.

LYnces à natura id insitum habent ex Hieronym. quod dum *sub frondente arboris ramo fugaces capreas vel timidos ceruos comprehendunt, prædam secum trahunt, rabido simul ore dilaniant, tamdiu meminere prædandi, quamdiu venter vacuus suum fame guttur exasperat. Vbi verò sanguine pasta feritas viscera distenta compleuerit, cum saturitate succedit obliuio: tamdiu nesciturа quid capiat, donec memoriam reuocauerit esuries.* Solus Vindicianus oculos Lynceos habens, non dum regularium carnibus exaturatus, finem iungit exordio, noua fame extimulatus, eorum quæ dixit nunquam oblitus, iterum rem exorditur à principio, nempe disserendo de fontibus, & origine scandalorum, vt iterum morsus figat. Ait ergo. *Inter cætera incommoda, quibus regularium ordines laborant,* (quod eos deplorauit Bellarmin. libro secundo, cap. 6.) *est multitudo tyronum, qui non diuina vocatione, sed carnali sensu, ad commodiorem vitam transigendam, ad honores, ad religionem admittuntur. Proinde Cardinalem permouerunt, vt Prælatis consuleret, vt vocationis signa diligenter exquirerent, nec maiorem augerent numerũ,*

TVRT

Ep. ad [illegible] Monac.

VIND

quis, ex redditibus, vel annuis eleemosynis ali possunt, colligitur.

Hæc (subdit Vindicianus) *partim suo calculo approbat, partim improbat* Grauina. probat ex prima parte Turturis cap. 7. *vbi enim inconstantes teneræ ætatis & cætera admittuntur sub specie discretionis, ordinis rigorem laxãt.* *Quod ego* (subdit) *Grauinæ testimonium pro oraculo accipio.* Et S. Gregorij authoritate corroborat inhibentis, *ne ante decimum octauum annum pueri in religionem admittantur,* quia (subdit Vindicianus) *tentationes carnis validiores sunt, & augentur ex frequentia asp. ctus cum quibus conuersanduni est, cenda rebus in obsequium cum iaco, & Cath. Senensi, & alia, minora tamen, succedere possent* ex Greg. *& licet nullum ex hac ætate incontinentia periculum aggeneretur, ætatis imbecillitas, iudicij exilitas, passionum æstus, indoles variabilis, &c. parum solidum in virtute & spiritu religioso profectum expectandum esse palam testificantur. Primogenitus Gedeonis aduersus homicidas agnatos exerere gladium extimuit, vnde ipse expostulatus. Tu surge & irrue in nos, quia iuxta ætatem robur est hominis. Quod autem corporis teneritudo patitur, animus in immatura indole grauius sentit, nisi excellenti quodam vocationis dono præcellat, quod tamen rarò contingit.* Hæc ille.

Ep. 48 reg. 9.

Li. 1. c. 14. c. 124. 7. reg. ep. 37.

TVRT. Non teneram ætatem illam Grauina vocauit Vindiciane, quando quis ad Nouitiatum admittitur, vt possit experiri austeritates ordinis, quibus datur annus probationis, vt eo absoluto profiteatur, nempe de iure antiquo anno 14. de iure nouo anno 16. tenera enim dici nequit, quæ vel propè pubertatem est, vel in pubertate est. Sed illa, quæ ante istam est, tenera est, nec de hac absolutè vnquam locutus est, quasi inhabilem ad ingressum, vel ad educationem taxans, cum iam pridem S. Thomas, ex traditione Apostolorum, Patribus, euidentissimis rationibus luculentissime probarit, in pueritia admitti posse pueros ad religionem. Sed locutus in casu reddendo rationem dissolutionis aliquorum cõuentuum tempore pestis anni 1318. ex receptione delicatorum puerulorum, per mortem sublatis veteribus, quos delicatula ætas illa imitari non poterat. Quare sapientissimè S. Thom. hanc quæ modo inter te, & Turturem versatur quæstio, dissoluere incipiens ait sapientissimè, quod *humani actus propter [illegible] casus [illegible] possunt: nec tamen si contingat aliquid in aliquo casu esse malum, propter hoc iudicandum est esse simpliciter illicitum, posset ergo contingere aliquis casus in quo aliquem adolescentem ad religionem obligare vel etiam recipere illicitum esset: puta si constaret vel probabiliter crederetur de eius inconstantia: vel si quid aliud esset huiusmodi, quæ diligenter considerantur in religionibus bene institutis. Dicere autem quod malum est recipere adolescentes ad religionem diabolicum est.* Quod si Greg. inhibuit, ne pueri ingrederentur religionem ante 18. annum ad casum vel circumstantias temporum respexit. Aliter tamen postea statutum est, nam Tridentinum dum annum 16. præfixit profitentibus, licitum ante hoc tempus religionis ingressum consequenter statuit. etiam ante Trident. annus pubertatis sufficiebat ad profitendum d. 25. cap. frequen. cap. si seruus. Item S. Greg. in vita S. Benedicti in dialogis refert paruulos traditos à parentibus sub Benedicti disciplina, tales fuerunt Maurus, Placidus & alij innumeri, quæ consuetudo ad tempora Damiani protracta describitur, ipsomet teste. opusc. 36. c. 16. vt merito cœli seminariũ mons ille dici meruerit & vt dicit Damianus cœli scala. *Pia enim, inquit, fide credendum est quod scala illa quæ de Casino Monte olim in cœlum videbatur erecta, adhuc pallijs strata, lampadibusq; coruscat, sicut tunc*

Opusc. 17. c. 3. quodl. 3. a. 11. & 4. a. 25.

Qu. 3.

tunc excepit Ducem, ita nunc exercitum transmittit ad cœlestia subsequentem; nec ab eius glorioso tramite exorbitant, declinantes iam defuncti, cuius dum in hoc exilio viuerent vestigia sunt secuti. Huic quoque Cœnobio S. Thomas Aquinas quinquennis, Landulpho suo patruo, Abbati, secundo suæ administrationis anno, religiosa disciplina imbuendus traditus, ibi doctrinæ, & sanctitatis optima elementa suscepit, ex diuturna Monachorum sancta conuersatione & eruditione, vt maxima inquit sit Benedictinorum gloria (ait M. Anton. Scipio Placentinus in elogijs pag. 117.) *diuinum hunc Solem qui latissime patentes campos Prædicatorum familiæ* (vbi prouectior est factus) *immenso lumine compleuit, sui exortus radijs Casinensem Montem illustrasse.* Nec solum Casini, sed in alijs eiusdem instituti Cœnobijs, Dynastarum, & Principum filij erudiendi tradi soliti, vnde Trithemius ob talem educationem dicebat Gymnasia Monasteria, & Monasteria Gymnasia extitisse; è quibus innumeri Heroes etiam Summi Pontifices nutriti in schola optima, & educati prodierunt. Ab his Doctores & magistri Vniuersitatum à Regibus & principibus assumpti. In ipsa principe Orbis Roma Gymnasia à Benedictinis moderatoribus regebantur, quæ scholæ Cantorum dicebantur, vbi sacri Rythmi decantabantur & sacra mysteria dilucidabantur, ab ipso S. Benedicto institutæ, cuius suasu Hormisdas, introductis Monachis ex Anastas. Bibliotech. in Romanas Basilicas Clerum composuit, duasq; instituit scholas vnam propè S. Petrum, propè Lateranum alteram, ad quod alludens Pontanus cecinit in Hymno de S. Benedicto.

Primus & hic Italæ posuit sacraria genti,
Et clausit sacros mœnia in vna choros.

Præter autem Hymnorum cãtum, Theologiæ arcana in ijsdem scholis, edoceri solita, colligitur ex Cassiodoro, Beda, Anastasio, & luculenter R. D. Abbas Constantinus Caietanus proprio de hac re opusculo ostendit.

§. II.

Huius puerorum educationis, & institutionis motiuum præcipuũ extitit quod cum (vt colligitur ex Saluiano) reliquiæ Ethnicismi relictæ in Vrbe in tantam obscœnitatem prorũperent, vt viri, adolescẽtes calamistratos sibi desponsarent, S. Benedictus opponere voluit Ephebiæ diaboli, sacraria castitatis, vbi educati pueruli ab omni impudicitia præseruarentur. *Lib. de gub. Dei* Propterea S. Thomas, reijciente Gulielmo de S. Amore, hunc laudabilem morem recipiendi pueros in religione, videns castra castitatis tuendæ oppugnari, indignabundus allegans pium institutum S. Benedicti, velut diabolicam reijcit sententiam dicentium, pueros non esse recipiendos in religione, quam nunc Vindicianus propugnat. Nonne propugnat, dum argumentum Gulielmi instaurat, dicit enim Vindicianus [ex huiusmodi puerorum receptione oriuntur grauiores tentationes, & peccata quæ horrẽt aures audire.] Quid Guilielmus & eius sectatores arguebant apud S. Thom. *Non sunt facienda bona vt eueniant mala. Sed ex isto bono quod iuuenes inducuntur ad religionem, sequuntur multa mala, quia apostatant, & illegitimas nuptias contrahunt, & multa alia illicita committunt* (vide modestiam S. Doct.) *ergo non sunt ad religionem aduocandi.* *Quodl. 4. c. 11.* cui argumento, in quo fundatur Vindicianus, sic respondet. *Ad V. dicendum: quod cum dicitur: non sunt facienda bona vt veniant mala, si ly; vt, teneatur causaliter est omnino verum: peccaret enim si quis ea intentione aliquem ad intrandum religionem induceret, vt postmodum apostataret. Si vero ly, vt, teneatur consecutiuè, sic ab omnibus bonis esset abstinendum, quia vix sunt aliqua humana bona, ex*

quibus occasionaliter non possunt sequi mala: vnde dicitur: qui obseruat nubes nunquam metet, Eccl. 11. *tunc autem solū aliquod bonum esset prætermittendum propter consequens malum, quando malum consequens esset multo maius, quam bonum, & vt frequentius accideret. Dominus autem non prætermisit eligere 12. discipulos, ex quibus vnus futurus erat diabolus vt dicitur. Ioan 6. Nec Apostoli prætermiserunt eligere septem Diaconos, propter vnum Nicolaum qui ex eis perijt. multo ergo minus religiosi debent prætermittere multorum salutem, propter paucos, qui apostatare inueniuntur*, & propter alia illicita commemorata in argumento, à Vindiciano inculcata, magni pendenda non sunt, cum è vena Impugnantium Religiones originem ducant hi riuuli.

Quod præter pericula, exilitas iudicij puerilis, passionum æstus, indoles variabilis, &c. religiosum profectum parum solidum in virtute (ais) repromittere, & in bello fortes assumi, quia iuxta ætatem est hominis robor, ex Iud. cap. 8. de eadem farina & fermento descendit. Nam hæc omnia in seculo & cum maioribus occasionibus minorem fructum certè repromittunt, *quia* ait S. Thom. *imminent multa pericula quibus exercitium virtutis impeditur, vnde tutius est, quod à principio impedimenta disrumpat per obseruantiam consiliorum.* Quodl. 3. a. 23. ad 12 inepta autem est hæc analogia, quod sicut in bello fortes, & robusti eligendi secundum carnem, ita in militia spirituali fortes secundum spiritum, quod probas ex dicto Zeb & Salmana, Iudic. 8. *tu surge* &c. simile iam argumentum proposuerunt religionis hostes apud S. Thom. dicentes: *nullus qui non est exercitatus in armis secundum leges est admittendus ad militiam corporalem,* Quodl. 4. a. 23. (addit Vindicianus) *& qui non est robustus corpore.* Sed religio est status militiæ spiritualis, ergo &c. respondet S. Thom. *Ad 18. dicendum, quod, quantum ad eos, qui in eo profecerunt est spiritualis militia, quantum ad eos qui de nouo intrāt, est quasi cuiusdam tyrocinij exercitium: & oportet ad maiorem profectum, quod à principio, aliquis huiusmodi exercitium subeat, sicut & de exercitio militiæ temporalis Vegetius docet in lib. de re militari.* Veget. de re mil. Non ergo quicquā facit Vindiciani ratio, nam alia fortitudo est militis veterani, alia tyronis, vnde in tyrocinio in immatura indole valdè confert quod in militia spirituali exerceri incipiāt. vnde idem S. Thomas exemplificat in corpore: quod *illi qui volunt fieri milites à pueritia exercentur in militia.* Quare ait idem *sicut milites à rudimentis militiæ, & clerici à rudimentis clericaturæ, ita etiam religiosi incipiunt à rudimentis religionis, vt proficiant vsque ad summum: vnde dicitur Thren. 3. bonum est viro cum portauerit iugum ab adolescentia sua.* Porrò differentia est inter robur corporale, & spirituale, corporale dependet à consistētia membrorum, quæ nō fit nisi ætate procedente, robur spirituale nulla ætate mensuratur, sed à Deo expectatur, quod non rarò, vt parcus est Vindicianus, pueris & puellis cœlitus ministratur. vnde Hieron. *religio nostra non athletam, non nautas, non milites, sed sapientiæ erudit sectatorem.* De Reg. Monac. Deinde illa verba Zeb & Salmana ex communi & celebri apud bellicosos viros sententia petitum est, quibus ignominiosum est forti viro, à puero prosterni vnde Abimelech à suo armigero confodi maluit, quàm à fœmina interfectum pronunciari. & hoc ipsum cedit in Dei gloriam, cum diabolus, & asseclæ eius per istos paruulos prosternantur, vt scriptum est *sagittæ paruulorum factæ sunt plagæ eorum.* Psalm. 56. Vtinam qui absolutè paruulos ante 18. annum non esse recipiēdos in religione dogmatizant, hanc doctrinam accipiant; *& infirmentur contra eos lingua eorum* talem mouentium quæstionem, qui ex eodem S. Thoma loc. cit. in corpore, non sunt alij, *nisi quidam cōtentiosi studen-*

studentes, & veritatē obnubilare conantes. Vnde subdit. *hic locum habent verba S. Aug* (nimirum.) quod *ille est maior & deterior insipientiū morbus animarū, quo instabiles etiā post rationem redditam, siue nimia cæcitate, qua nec aperta cernuntur, siue obstinatissima pertinacia, qua & ea quæ cernuntur nō ferunt, tanquam ipsam rationē veritatemq; defendunt, fit necessitas copiosius dicendi plerumque res claras, velut eas non solum spectantibus intuendas, sed quodammodo tangendo palpantibus offeramus. & tamen quis disceptandi finis erit, si respondendum esse ipsis respondentibus nos existimamus? Nam qui vel non possunt intelligere quod vel tam duri sunt aduersitate mentis, vt etiam si intellexerīt non obediāt, respondent, & loquūtur iniquitatē, atque infatigabiliter vani sunt, quorū dicta contraria si quoties velimus refellere, quoties obnixa frōte statuerint nō cogitare quid dicant, dum quocunq; modo nostris disputationibus contradicant, quam sit infinitum & ærumnosum, & infructuosum vides. Erit hic modus seruandus, vt veritas manifestetur, & quasi palpabiliter ostendatur, & si qua in contrarium dicta fuerint, quæ aliud pondus nō habeant, contemnantur, ne semper oporteat inutiliter eadē replicare. Sed si quis contrarium dicere voluerit scribat quod dicit, vt alij intelligētes dijudicare possint, an doceat veritatem.* quæ verba vt meritò adducta à S. Doctore contra defendentes non esse admittendos pueros ad religionem dicta inconuenientia adducendo, ita aduersus Vindicianum effunduntur, ijsdem vestigijs eorumdem inhærentem, & rationabiliter inculcanda.

2. de ciuit. Dei cap. 1.

§. III.

VIND: *Hactenus* (subdit Vindicianus) *postea Grauina Cardinali assensus est, sequitur* (ait) *dissensionis occasio. quod ait p. 1. cap. 15. scandalorū seges orta est propter eos, qui non à Deo vocati in religiones admittuntur, transeat: sed quæ culpa Præpositorum, inquit, si non semper fictos animos discernere possunt, qui licet nihil se fingere dicāt, adhuc tamē cordis latebras penetrare nō possunt, vt idoneos ab ineptis separēt. Malè se haberet religio, si eo foret deueniendū, vt ex cognitione intentionis hic esset acceptādus ille respuendus,* & postea subdit, *mox velut desperatione victus Grauina ex S. Gregorio necessitatem infert, vt boni malis permixti viuant in hoc seculo. & postea. Quæramus ergo & huic nodo suum cuneum, & triplici difficultati, quam Grauina ingerit, medicinam.*

Primo ex eo prouenit, quod ordinum Prælati ficta candidatorum verba & promissa à synceris dignoscere nequeant.

Secundo, quod recipiendi semetipsos malè cognoscant, pollicentur quæ non implent, se, & Prælatos ludificantes.

Tertio, quod interior dispositio recipiendorum eiusmodi candidatorum grauat Prælatos, propter scrupulos, iudiciorum differentias, inæqualem in tali negotio praxim, atque peritiam.

TVRT. Vellicare vult Turturis responsionem, cur interdum non apti recipiantur in Ordine, quia multi ficti accedunt, vt Præpositi non sint in culpa si decipiantur, cum non semper fictos animos discernere possint. Sed non eum vellicat, sed Sanctum August. qui iam pridem dixit, *posse homines fictos accedere ad religionem Catholicam suscipiendam: & quia nihil se fingere dicunt non imprudenter illis credi, etiā si fictè accedant. Quare nunc fas putas eum adesse, qui tibi religionem sit traditurus: quo nam modo illi fidem facturus es, vero animo te accedere, neque quicquam in te quod ad hanc rem attinet doli atque simulationis esse? Dices, bona tua conscientia nihil te fingere, quantis poteris idipsum asserens verbis, sed tamen verbis,* nihilominus dicit Augustin. nullum aliud superesse remedium, nisi *credere verbis suscipientis religionem*, qui si fingeret inculpabiliter, Præpositum Ecclesiæ deciperet. Sic & in casu nostro (ex Augustino & verbis Augustini discurrit Turtur loc. à te citato) mirum profectò est

Lib. de vtilit. credendi c. 10

Vin-

Vindiciane quod tuum oculum in solam paleam fictorum nostræ segetis ducas, & triticũ videre recuses. Quid si aliò oculos diuerteres ad eos considerandum, qui & cum ficti sunt, mali sunt, & qui ficti non sunt vani sunt? Propterea dixit Turtur, q̃ malè se haberet religio, si deberemus esse certi de intentione recipiendorum, cũ ficti synceris, & boni malis misceantur, quam doctrinam nõ desperatione victus, vt mẽtitis, induxit, sed edoctus à Gregor. & Patribus optimè deduxit, vnde de desperatione eum insimulans, funem & laqueum non tàm ei, quam Ecclesiæ proceribus præparas. & si de hac mixtione parum rectè sentiens, eadem sæpè vana repetere non puduit, eadem sæpè quamuis vera inculcantem te audire non tædeat.

VIND. Primæ difficultati occurrendum putat, Vindicianus docẽdo & præmittẽdo. *Prælatos dum tyrones in religionem admittunt, cõsiderare debere eorum defectus, si sui Monasterij disciplina aduersentur, nam moribus dissimiles tali disciplinæ, ad iugũ religionis inepti. & si initio feruere videantur ex nouitate vitæ & ardore desiderij velut ebrij, tamen vsu longiori, vbi mustũ speculus feruoris digesserint, & spiracula liberiora inuenerint, in pristinam conuersationem relabuntur. vnde & poterunt eorum supinam negligentiam Prælati explorare, & deprehensos plectere & castigare. Exemplum de quodam conuerso, qui prouidus ad exteriora, negligens ad diuina, qui nec verbis, nec carcere emendari potuit, qui tandem odio vel vindicta Monasterij horreũ incendens, subita morte punitus est. Ex Cluniac.* L.1.2.c.24 *Alter, ex Dorotheo furto assuetus erat, vt se abstinere non posset & si infælix ex praua consuetudine lugeret & tristaretur. spes futurorum annorum, vel peritia exterioris Oeconomiæ, vel quid simile fascinabat oculos ne dimitteretur. deprehensus in Tyrocinio nonne poterat corrigi? quod si post professionem ea delicta contraxit, neglecta disciplina plagam illi Cœnobia infliges.* Ser.11. prop. fin.

TVRT. Optimum & sanum consilium est considerare defectus horum qui in Tyrociniũ religionis recipiuntur. Sed si progressu tẽporis defectus detegentur, plectendi, puniendi, vt faciebat ille Abbas Cluniacẽsis qui carcere quoq; conuersum illum cohibuit. Sunt multi (vt allegas) Heli imitãtes, de quo dicit Scriptura, quod cum essent filij eius pestilentes (vt ponderauit cum scriptura Basilius) quoniam pater non grauius corripuerit, tantam iram Dei lenitate mouit, vt insurgentibus Philistinis contra Israelem, filij quidẽ isti bello interierint vno die, victus sit vniuersus populus, ipseque Heli miserabili fine mortuus, & semẽ eius sacerdotali dignitate priuatum. At nõ desunt qui imitantur & Petrum, qui Ananiã & Zaphyram, communitatem, bonis defraudantes, prosternant, & spiritualiter occidant, siue in ipso Tyrocinij limine, siue post redditã Deo altissimo religionis vota. Si multi sunt canes muti non latrantes aduersus vitia eorundem Tyronum, multi quoq; sunt, qui illud pastorale munus adimplent: *esto vigilans, & confirma:* & iterum, *posui te vt euellas, & destruas, vt ædifices & plantes.* Vnde nihil causam tuam iuuãt ad probandam ordinum destructionem, vel penè corruptionem, ex multitudine inexplorata, incorrecta, quum, si hic vel ibi, delectus recipiendorum desideretur, & virga quæ corrigat, hic & ibi selectæ oues quoq; in pascuis vberrimis pascantur, qui disciplinæ regulari subdantur: illudque correcti occinant. *virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt.* In Ascet. de iudic. Ierem.

VIND. Admones subinde antequã petẽtes habitũ religionis recipiãtur, *vt de defectibus admoneãtur, seipsos in morũ correctione vincant, vt ea exercitatione testẽtur, quam diligentius sint id præstaturi sub Tyrocinij probatione: si enim in recẽti vocationis æstu ad se ipsos ordini aptãdos languerint, quales erũt vbi in Cœnobio intepuerint? si in-*

si infirmi, & valetudinarij non admittuntur, cur ægri spirituales recipiuntur cum Spiritus sanctus admoneat: adolescens iuxta viam suam etiam cum senuerit non recedet ab ea?

TVRT. Hoc consilium diligenter examinandum est: si enim sermo sit, sermo de quacumque spirituali infirmitate laborantibus, vel saltem valetudinarijs, tunc ex Vindiciana doctrina oporteret excludere à recipiendis in religione, quotquot non sunt in præceptis exercitati, & præcluderetur pœnitentiæ schola pœnitentibus, & stadium perfectionis, & reuiuisceret Guilielmi de S. Amore doctrina, quam impugnat Angelicus, quare satis esset imperfecta obseruatio mandatorum Dei, cum desiderio feruenti tendendi in perfectionem. Imo dicit S. Tho. resp. ad 1. *facilius cõuertuntur ad religionem peccatores, quam illi qui de sua innocentia præsumunt, quibus dicit Dominus: publicani, & meretrices præcedent vos in Regno Dei.* Si verò sint laborantes infirmitate publica, scandalosa, infamiam afferente, vel quacunque diuturna & enormi, tunc optimum Caietani documentum in comment. cit. ar. dicentis. *Cum his tamen omnibus caue, ne subito ad religionem recipias eos qui sunt diuturna consuetudine adstricti enormibus vitijs, quales sunt lenones, latrones & huiusmodi: quoniam & si scriptum sit quod publicani & meretrices præcedent vos in Regno Dei, scriptum est etiam: Videte quomodo caute ambuletis. Non enim est tutum tales criminosos REPENTE in Societatem innocentium quodammodo iuuenum introducere. Timendum est, ne doceant alios mala, & ne corrumpant mores.* Quod si ad multitudinem laxorum probandam, hanc radicem velit assumere Vindicianus, nimirum relaxationis materiam nunc præbere, istorum morbosorum à Prælatis receptionem, lenonum, sicariorum & huiusmodi, per hæc quæ vel tacitus Vindicianus obijcit, solo silentio tanta temeritas confutatur, nam & Susanna vt dicit Ambros. *tacuit, & vicit: melior est causa quæ non defenditur, & probatur [taceat lingua in bono negotio, nam & mala malas causas obtinere consueuit.]*

Margin notes (left column): Op. 17. c. 2. 2. 2. q. 189. a. 1. — Matt. 21. — Caiet. in comment. [illegible] — [illegible] 5.

Margin note (right column): 10. in Luc. 23.

§. IV.

VIND. *II. Consideratio Vindiciani. A Prælato obseruandum si vires & corporis, & animi recipiendorum sint valentes ad onera sustinenda: discutiat, & primo, Si sint apti. Prudentum virorum sensus est, qui sæcularibus negotijs apti non sunt, neque religioni multum conferre posse. Similiter considerandum si tarda habeant, & obtusa ingenia, hæc enim vt & agrestis natura vehemens, aut præceps in contraria flexus, tetrica complexio, intractabilis natura, parum in ordine fructificant, & molestiæ & turbationis materiam præstant: exemplificatum est de Pontio turbulentis naturæ, quantum vexarit Cluniacenses. & de fratribus S. Bernardi, & auunculo, quantum in ipso Tyrocinio, & ipsi quoque Tyrones Bernardum & Claram vallem exturbarant. Sedari poterat rumor suspendendi tantisper iunioris Bernardi præfecturam super maiores, vel contubernium diuidere vt insanus ille tumor subsedisset: viniter (subdit) luxuriantes pampinos si maturius non amputet, nihil enim vitis succum attrahent. sed demque reddent. idem facit Prælatorum erga iuniores conscientia.*

Margin notes: L. 2. c. 12. — In vita eius ca. 9.

TVRT. Optima consideratio Prælati est, explorare corporis & animi vires ad sustinenda ordinis onera, sicut indolem, complexionem & similia, quæ Vindicianus proposuit, hæc enim omnia indicia animorum sunt, vnde & scriptura nos admonet, quod, *risus, amictus corporis*, enunciant de homine, *& ab occursu faciei sensatus cognoscitur.* Vnde ex his signis in Iuliani Apostatæ (à Gregor. Nazianz.) corpore deprehensis, nulla futura in animo pietatis signa cõiectauit. *Neque enim (dicebat Sanctus) mihi boni quicquam significari, vel ominari videbantur*

Margin notes: Eccl. 19. — Eccl. 21. — Orat. 2. in Iulian.

bantur ceruix non stata, humeri subsultantes, & ad æquilibrium subinde agitati, oculus insolens & vagus, furioseque intuens, pedes instabiles & titubantes, nasus contumeliam & contemptum spirans, vultus lineamenta ridicula idem significantia, risus petulantes, & effranati, nutus & renutus temerarij, sermo hærens, spirituque concisus, interrogationes stultæ, & præcipites, responsiones his nihilo meliores, aliæ in alias insultantes, nec graues & constantes, nec eruditionis ordine progredientes. Quod singula describere necesse est: talem ante opera conspicatus sum, qualem in operibus postea cognoui.

Multa & hic bona Vindiciane documenta suppeditas in recipiendis obseruanda, sed mox maculas vno næuo pseudoprudentiæ, actuosæ & negotiosæ vitæ, quæ veluti næuus est dictorum, imo vna veneni gutta, quæ totum discursum & sequentia documenta infecit (& diligentius mox in distincto §. examinanda, inferius) dicis enim. *Qui sæcularibus negotiis aptus non est, neque religioni multum conferre posse*, & mox tertium documentum è diametro contrarium adiungis, vt ludere videaris dum dicis. VIND.

III. Curet Prælatus, vt candidati quam purissima intentione religionem amplectantur, vt scilicet ab omni humano quæstu, vel respectu longissime recedant.] Vis Vindiciane aptos negotijs, & ab humano quæstu longè alienos; & subdolam primam propositionem, hac tertia eaque bona aduertentia inuoluis, vt cœnosam & lutulentam illam maximam, quasi noua temperatura, temperares, quæ postea examinabitur. TVRT.

Adiungis subsidium ex Dorothæo, & Bernardo, *vt candidato sæpius inculcent cogitandũ. Amice ad quid venisti? item ex S. Benedicto aliud medicinæ genus, vt aliquot diebus iniurijs, & alijs molestijs primo impetatur, deinde per bimestre intentio exploretur, quod & S. Basilius quoque q. 10. scripsit accuratius.* Praxim deinde ponis, *si quis religionem vel ordinem efflagitet, præcipuè propter studium, vel propter gradus honorificos obtinendos. & eisdem opponat, non aliud expectandum, nisi propriam abnegationem, obedientiam, vitam inculpatam. Item si commoditatis quæstum Prælatus olfaciat, asperitatem per totam vitam proponat, ex Bern. Sic alijs animi vitijs doces, & rectè, occurrendum. Similiter iuuat olfacere si à parentibus candidati instigantur, vt sumptibus, & alimentis parcant, si grauati ære alieno, si ex praua consuetudine peccandi detineantur.* VIND. In fusio. reg.

Hæc diligenter aduertenda mones, & probantur, & quotidie in praxi seruantur in rectè institutis ordinibus, ex eorum cõstitutionibus, in tit. de recipiendis. TVRT.

Ad professionem multò magis respiciendum, ait, ne tepidi, immorigeri recipiantur. Quod si hinc mouet parentum auctoritas, & offensio, reijciendi infamia, patrimonij amplitudo, spes fragalium annorum; exempla eorum qui gradum iam natu maturiores reuocarunt, pietas debilibus impendenda, & alij sexcenti respectus, magis debet mouere, quod in saniorem mentem nunquam respirant, & tetra morum suorum fuligine totum Monasterium conspurcant: modicum enim fermentum totam massam conspurcat, vt nec ab eo consilium petendum luculentissimè 2. off. cap. 12. probarit Ambrosius. VIND.

IV. Iuuant (ais) *Prælatum longa dies, multiplex in regula instuctio, in erroribus correctio, in virtutibus exercitiũ, in vtilibus assidua praxis.*

Et hæc per omnia probo, in omnibus ordinibus præcepta à primæua institutione, vt exerceantur, & quæ vt dixi in omnibus ordinatis de facto exercentur, vt ad mare Vindiciani flumina reuerti videam. TVRT.

Addis & aliud documentum ex Cardinali, *ne Præsides ordinum velut aurigæ loris & clamoribus semper insistant, sed liberaliter. at paternè, quæ ad religiosam vitã necessaria sunt, velut nutricis manu, in rebus, iã declaratis, exerceri curent:* subdens (ex eodem) *absque hac industria,* VIND.

stria, velamen ab oculis regularium non auferri, nec timidorũ genua firmari, quin quod alios bonos auctores sine intellectu prælegent & Prælati morbos suos pudore, & metu, sicut Rachel Idola patris sui, omnibus modis celabunt.

TVRT. Et in hoc documento, iam pridem te præuenit Vindicianæ ex auctoritate S. Bern. vt Prælati primò admoueant vbera, non protendant verbera, & plus amari discant quam timeri, ne subditi exterriti vel suffocati refugiant conscientiam sacerdotis, abscondendo in sinu eorum peccata, & celando iniquitatem, vt exemplificatum est de Idolis Rachel, & certè nedum lotis ladi possent subditi, sed etiam si chamo & fræno constringentur maxillæ eorum, si vrgerentur (per impossibile, quod absit) releuare complicem, vel vterentur Prælati notitia, ex conscientia habita Tyronum, vel etiam vterentur ad exteriorem gubernationem cum obstreticante manu, summa dexteritate, educi debeat de subditi anima coluber tortuosus. Sint hæc communia documenta vtrimque seruanda, vnde non erat quod sequentia adderes.

VIND. *Habes Grauina aduersus scrupulos tuos quadruplex consilium, videlicet, quomodo discerni possint recipiendi. maxime ex Spiritu discretionis, quo Apostolus docuit spiritualem ab animali discerni posse.*

TVRT. Sic ad primam difficultatem, respõdes,

VIND. Ad secundam respondes, *quod licet candidati seipsos in propositi feruore fallant, non refert. Nemo subdus, sine arbitris viuit, & quæ vehementius animum excoquunt, diu, & vbique abscondi non possunt.*

TVRT. Verè ita est. Sed quid dicet de simulantibus sanctitatem? sæpè enim ait Gregor. *dum hypocrita sanctum se simulat, & iniquum exhibere minime formidat, ab omnibus honoratur, eique sanctitatis gloria defertur ab his qui exteriora cernunt, sed interiora perspicere nequeunt,* quorum, vt dicit, *plerumque vita etiam ab omnibus reproba in fine cognoscitur, vt signis apertioribus, qui fuerint ostendantur,* vt in vita eos cognoscere difficile sit: quorum ex eodem Greg. aliud *emolumentum reportatur, vt simulata bona, Doctores sæpe non pro ipsis, sed pro alijs sustinent, quia quod simulatè agunt: non simulatoribus, sed videntibus prodest, sæpè quidem electi simulata bona malorum vident, sed quia corda nesciunt, bonum quod fulgere videtur exterius, imitantur.*

25. mor. c. 2

Cap. 5.

1. Reg. c. 15.

VIND. Ad tertiam difficultatem ais, quod *lex interiora examinandi mitescet, si quod in toto orbe per omnes status praxis consideretur, quod nullus ad aliquam artem vel officium assumitur sine discussione morum, iudicij, prudentiæ &c. quàm sit strenuus, vel recors, quod Salomonem cruciauit, quod ignoraret, qualem hæredem post se relinqueret, sapientem an stultum. similis cura debet angere Prælatum cuiuscunq; ordinis, quales Tyrones & successores pro Ordinis sui incolumitate relinquat.*

Eccl. 2.

TVRT. Et hoc ipsum documentum verum est, & salubre, nihilominus quia incertæ sunt prouidentiæ nostræ, multoties cum exactis diligentijs, nec scopum, nec finem attingit religio, quæ et præter mittendæ non sunt, ita nec illis fidendum, ne tota spes sit in diligentia nostra, sed in Deo à quo præcipuè petendus est discretionis spiritus, vt probentur meliora, qui si datur, misericorditer datur, si non datur, ex iusto occultoque iudicio denegatur: vnde Gregor. ad humiliandos eos qui putant se eligendorum methodum & artem inuenisse, vt se alijs præferant sic dicit. *Mira dispensatione diuini consilij & altissimæ conuersationis arce sic sublimati sunt, vt fortia agerent, sibi recta subditis prouiderent, sic sibi quandoque derelicti, vt ea quæ recta intentione disponerent, secundum Dei prouidentiam recta non essent, quatenus illorum infirmitas electorum sequentium firmitas fieret: quia & si homines in disponendis S. Ecclesiæ negotijs falli possunt, ipsa*

Lib. 4. in 7 Cor. 1. Reg. cap. 1.

ipsa tamen Ecclesiasticæ dispositiones deserendæ non sunt. Ecce etenim dicitur: Factum est autem cum senuisset Samuel, posuit filios suos iudices Israel, & non ambulauerunt filij sui in vijs eius. Ecce ait S. *qui prophetiæ spiritu plenus fuerat, ij quos iudices Israelis ponebat, quia per auaritiam postmodum declinare debebant, & munera accipere & peruertere iudicium, non cognouit.* Quid ergo mirum si falli in ordinibus possint, quia prophetiæ gratiam non accipiunt, si ij qui prophetiæ spiritum habent, eum ad disponenda cuncta non habent. *Quis autem de tanto viro dubitet* (sicut dicere possumus de tot Prælatis omnium ordinum) *quia si futuram peruersitatem filiorum prænoscerent, eos vtique forensibus honoribus* (in religione recipiendo) *non præferretur.* Verum est quod ibidem subdit Gregorius, quod *qui reprobos scienter prouehunt, hoc prophetæ exemplo sibi blandiri nequaquam possunt, quia tunc solum innoxiè agitur, cum in eis, tempore quo promoti sunt, subsecutæ iniquitatis signa nulla patuere.* Sicut ergo adulatoriũ esset dicere omnes Prælatos fecisse quod in se est in recipiendis nouitijs ad Tyrocinium; ita omnes adeò socordes pronunciare, non leuis est iniuriæ argumentum.

Digreßio, vbi documentum Vindiciani expenditur circa recipiendos, an sit Patribus Ecclesiæ conforme.

§. I.

SEd ne inserta obiter illa propositio in 2. admonitione posita, indiscussa remaneat, diligentius & operosius examinanda, quæ huc translata, ne discursus Vindiciani impediretur.

VIND. *Sensus* (dicebas Vindiciane) *prudentium virorum est: qui secularibus negotijs apti non sunt, neque multum religioni conferre posse.*

TVRT. Propositio hæc tam cruda & indigesta, vt nec authores proferantur, vel proferri possint. Vnde nec ad illam crudelitate plenam sententiam: *diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum,* authorem exhibere potuerunt Iudæi: sed solum illos Anonymos proferebant, *dictum est antiquis:* tua perinde est Vindiciane, cum de auctore non doceas. Matt. 5

Ab ipso limine aberras in designatione Tyronis, qui cum à sæculi negotijs debeat expediri, imaginesque eorundem delere, ipsa debeat secum ferre, vt multum sit religioni proficuus. *Quid* (dicebat Tertull.) *Athenis & Hierosolymis? quid academiæ & Ecclesiæ,* addam quid foro, & claustris, *nostra institutio de porticu Salomonis est, qui & ipse tradiderat: Dominum in simplicitate cordis esse quærendum.* Ipse Dominus noster admonet discipulos suos *dicens. Cauete, ne grauentur corda vestra in crapula & ebrietate, & in curis huius vitæ,* quibus ait Beda, *qui sauciari, & consumi non timent, fidem Domini verbis præbere contemnunt.* Similiter in parabola sementis, docet, quod *solicitudines, & voluptates & diuitiæ suffocant verbum, quia per curam* ait Gregor. *mentem opprimunt. & per affluentiam resoluunt:* & Apostolus: *Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus, vt ei placeat, qui se probauit.* In quem locum commen. Anselmo attributus dicit: *Clericus hac sententia tenetur, si enim inquit exercet mercimonia, intercessiones vendit, viduarum munera libenter accipit, hic negotiator magis potest videri quam clericus.* tales clericos S. Hieronym. perstringit negotiosos, & actuosos, quos descripsit Turtur. & Petrus Blesensis quosdam religiosos sui temporis implicatos negotijs sæcularibus reprehendit, quod, *etiam si viam vitæ arctioris, & sanctum otium elegerunt, simplices quidem sunt vt columbæ, sed vultu non actu, habitu sed non affectu. Venient, inquit Dominus ad vos in vestimentis ouium, intus autem sunt lupi rapaces. Non est hodie aliquod forum iudiciale, aut venale, cui se viri religiosi non immisceant, & cui*

De præs. cap. 7
Luc. 21 Beda in Cat.
Luc. 8
2. Ti...
Ans...
Epist. ...
In 1. c. Iob

& cui importunißimè non importent; mundum enim quadam simulatoria religione fallentes (sic quondam perstringebat sui æui tepidos) *falluntur peßimè, & mundo mortui negotiantur, & venantur, quæ mundi sunt. Quod si Ecclesia regnum Dei est secundum quod legitur: Regnum Dei intra vos est, cum ipsi Ecclesias vel violentia, vel venalitate inuadunt, secure infero, quod Regnum Dei vim patitur, & violenti diripiunt illud.* Idem dicebat. *vita curialis mors est animæ: recolebam damnabile esse in clerico, se curialibus aut sæcularibus negotiis immiscere.* Si hoc malum est exerceri post datũ religioni nomen, cur tyrones illi eliguntur, vel iudicantur aptiores, qui sunt in negotijs sæcularibus solertiores, contradicente Scriptura, Patribus, & ipso religionis fine. Signãter autem aduertit S. Thom. Apostolum dixisse: *Nemo militans Deo implicet se negotiis sæcularibus;* aliud enim est implicari, aliud se implicare. *Implicat se quando sine pietate, & necessitate assumit negotia: sed quando necessitas officij, pietatis, & authoritatis exercentur, tunc non implicat se, sed implicatur, huiusmodi necessitate.* & iterum. *illis negotiis non debent se implicare, cum animus occupatur colligenda cura pecuniæ, sine labore corporis, vt faciunt negotiatores, & huiusmodi, & talibus negotiis religiosi se implicare non debent, vt scilicet pro aliis negotientur, vel aliqua eiusmodi exerceantur. Sed licet* (ait) *nihilominus de aliorum negotiis se misericorditer intromittere, dando consilium, intercedendo &c.* in his tamen negotijs quæ exercentur ex charitate, aduertit S. Doct. ibidẽ *dupliciter defectus inueniri potest, Vno modo, quando aliquis est curiosus pertractator aliorum negotiorum, quod omnino negligat sua; contra illud Apostoli: operam detis, vt quieti sitis, & vt vestrum negotium agatis. alio modo quod turpibus negotiis se immiscent, vel bonis turpi tamen intentione, vt ventrem pascant, &c.* Adde ad auaritiam, ad gloriolam captandam & huiusmodi.

Ep. 14. ad sacell. aulicos.

In loc. cit. Apost.

Op. 19. c. 9.

Vt vero ad capita reducatur negotiorum vastissima sylua à quibus religiosi [illegible]re debeant, & ad quæ Tyro, vel pr[illegible] aspirare non licet; sciendum est [illegible] esse domestica; quædam Politica [illegible]stica concernunt negotiantes [illegible] vel sæcularium & earum [illegible] siones, & redditus, familiam. Politica varios hominum status & dignitates, & officia, ea etiam quæ faciunt ad gubernationem ciuitatis, & ad iudicia & tribunalia forensia, potissimum illa, quæ faciunt, ad eam quam appellant rationem status & Principis domum aulam, Regnum, Monarchias &c.

Accipe ergo optimam Sanctorum doctrinam & documenta generalia omnibus communia, quomodo in sæcularibus negotijs nulli religiosi cuiuscumque instituti sponte se implicare debent, vnde nec ad ea habiles, magis ad religionem conducere, posthac pronunciabis.

§. II.

PRIMVM ASSERTVM. Non debet se intromittere, & implicare Religiosus in ijs negotijs quæ Oeconomiam concernunt. Hoc documentum habetur ex S. Hieronym. *Tu vero si Monachus esse vis non videri habeto curam non rei familiaris, cui renunciando hoc esse cœpisti, sed animæ tuæ.* & infra: *vidi quosdam qui postquam renunciauerunt sæculo vestimentis dumtaxat, & vocis professione non rebus, nihil de pristina conuersatione mutarunt, res familiaris magis aucta quam imminuta,* & mox. *Plerique artibus & negotiationibus pristinis carere non possunt, mutatisque nominibus institorum eadem exercent commercia, non victum, quod Apostolus præcipit, sed maiora quam huius sæculi homines emolumenta sectantes. & prius quidem ab ædilibus, quos ἀγορανόμους Græci appellant, vendentium coercebatur rabies, nec erat impune peccatum. Nunc autem sub re-*

Ep. ad Rust. Monach.

 ligio-

ligionis titulo exercentur iniusta compendia, & honor nominis Christiani fraudem magis fa cit, quàm patitur &c. concludens. *Tibi cum in Monasterio fueris hæc facere non licebit.* Multo minus sæcularium negotiorum debet esse solicitator, procurator, & huiusmodi. *Qui enim in procinctu cœlestis militiæ*, ait B. Petrus Damian. *positus, ad supernæ patriæ municipium properat, studeat malè blandientis mundi promissa respuere, abhorreat se sub qualibet specie actionum sæcularium laqueis irretire. Habet deputatum sibi propriæ seruitutis officium, sufficere sibi credat, si indictæ sibi obedientiæ præscriptum munus possit implere. Illud ad memoriam reuocet quod scriptum est: Caue ne in multis sint actus tui. Sæcularibus relinquatur sæcularia iura componere. satis sit seruis Dei perituro huic mundo se mortuos exhibere.*

Apolog. de contemp. sæculi c. 27

Eccl. c. 11.

Non paruum dispendium salutis affert religioso vago discursus iste ad negotia sæculi tractanda, ex eodem Damian. vt si in pectore religiosi *insit, virtutum chorus abscedat, nonnulla vitiorum portenta velut ergastulum proprij iuris irrumpant. nam, vt pauca referantur è multis: Monachus in itinere positus tenere ieiunium nequit, quia hospitalis ei humanitas non permittit, non sapienter psallit, quia obambulantis comitatus loquacitas eum impedit &c. nequaquam sub silentij censura constringitur, quia frequenter emergentibus causis intuitus etiam per multiloquia diffrenatur; lectioni vel orationi minimè vacat, quem extra semetipsum egredi, & terrena quæque tractare imminens potius necessitas dictat. Charitas in eo minuitur, quia mens quæ tot sæcularium actionum ventos recipit, ab amoris intimi feruore tepescit. suum quoque castitas dispendium patitur, quia nonnunquam mens concupiscentiæ telo configitur per carnis speciem, quam exterius contemplatur. Robur etiam patientiæ frangitur, quia quolibet inceptanti, dum sæpè contra votum suum repentini casus emergentes obuiant,*

Dam. ib. c. 11.

qui suum accelerabat explicare negotium, non æquanimiter portat.]&cæter. Ingeruntur autem quidam vel potius se ingerũt sub specie auxilij, adiumenti, earum quæ vitam spiritualem profitentur, & sæpissimè sub specie charitatis suggerit antiquus hostis vt harum patrocinium suscipiatur, vt facilius tempestate tentationis ingruente fiat naufragium castitatis. Ad quæ pericula cauẽda, ne nullus quantumuis exercitatus in virtutibus & si castitatis dono pollere sibi videatur. libet Gregor. Nazianzen. in sententijs distichis versibus comprehensis, hanc vnam ante oculos ministrorum Dei apponere. *Equidem* dicebat: *in hac canitie corpus lanio, oculos premo, diuturnis nocturnisque curis ter miseram animam conficio, vt eam à flamma extraham; ne sic quidem tamen, nisi admodum ægrè corpus in potestate teneo. Quanam ergo fronte tu, & ætate florens, & carnes elephante ipso latiores excitans, postea nihil delicias facis, perinde atque egregia quadam puritate præditus, atque amasiam tuam* ἀγαπητὴν (id est Billio interprete, sororculam, tales enim erant quæ cum Monachis non libidinis causa, sed ad solitudinis solatium vitæ consuetudinem habebant) spirituali *dumtaxat amore complecteris*, & subdit Sanctus exclamando. *O auersandum amorem, quem Christus fastidit. Monachi monasticam vitam ducite, nam si cum amasijs, ad dictum sensum explicatis, consuetudinem habeatis, non iam Monachi estis. Societas enim à* Monachismo abhorret, id est, ex Billio, pluralitas: *Angelica imago est vnitas: quod si amasijs oblectamini, mortalis vtique dualitatis amici estis*, constantis ex Monacho & sororcula.

§. III.

Inter hæc negotia illa subtiliora cauenda à religiosis, per quæ ex omnibus negotijs negotium perambulans in tenebris,

imo de ipsis personis quomodo distillari posset, auari enim meditātur semper quomodo alienas possint captare diuitias, etiam bona exercendo, turpi scilicet intentione vt ditentur, ventrem pascant &c. Sunt & plerique à Sanctæ paupertatis, & religiosæ simplicitatis scopo aberrantes illis assimiles, de quibus dicit Apostolus Petrus, *& in auaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur*, & sunt nonnulli ex Chrysostomo *impostores sanctitatis, qui circa mulieres facilè se constringunt, quia nec intelligere imposturas eorum facilè inclinantur, cum sint molles corde. maximè tamen permanent cum viduis mulieribus propter duas causas. Primum, quia virita mulier nec facilè decipitur habens consiliatorem virum, deinde nec facilè de facultatibus suis aliquid eis dat, cum sit in potestate viri: viduæ autem facilè decipiuntur, non habentes consiliatorem virum, & facilè de facultatibus suis aliquid præstant, cum sint nullius potestati subiectæ*, vnde etiam Christus Dominus hoc titulo Pharisæos perstrinxit: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui deuoratis domos viduarum. Alij quoque imperfecti eosdem imitantes, qui ex* Hieronym. *res à parentibus extorquebant, sub specie oblationis in templum, qui ne sacrilegij crimen incurrerent declinantes, egestate conficiebantur, atque ita fiebat: vt oblatio liberorum sub occasione templi & Dei in lucra cederent sacerdotum.* vnde olim ex multorum auaritia clericorum vel Monachorum imperfectorum, occasionem nacti Imperatores contra libertatem Ecclesiæ vetuerunt indiscretè, ne clericis, & Monachis bona legarentur (ita scribit Hieronymus dicens) *Pudet dicere, sacerdotes idolorum mimi & auriga, & scorta hæreditates capiunt: solis clericis & Monachis hoc lege prohibetur, & prohibetur non à persecutoribus, sed à Principibus Christianis. Nec de lege conqueror* (cum deberet conqueri, & iniqua temporum conditione non datum fuit conqueri) *sed doleo cur meruerimus hanc legem. Cauterium bonum est,* (si bene fiat) *sed quo mihi vulnus vt indigeam cauterio? Prouida* (secundum Politicam, quam Ecclesia vim passa tolerabat) *seueraque legis cautio, & tamen nec sic refrænatur auaritia. Per fidei-commissa legibus illudimus, & quasi maiora sint Imperatorum scita, quam Christi, leges timemus Euangelij, sit hæres, sed mater filiorum, id est, gregis sui Ecclesia, quæ illos genuit, nutriuit & pauit, quid nos inserimus inter matrem & liberos? gloria Episcopi est pauperum opibus prouidere, ignominia omnium sacerdotum est proprijs studere diuitijs. Natus in paupere domo, & in tugurio rusticano: qui vix milio & cibario pane, rugientem saturare ventrem poteram, nunc similam, & mella fastidio: noui & genera, & nomina piscium, in quo litore lecta sint, calleo, saporibus auium discerno prouincias, & ciborum me raritas, ac nouissimè damna ipsa delectant*, & post enarratas huiusmodi delitias, qui finis vnus est expiscationis, margaritarum, ad captatores testamentorum, mira elegantia quorundam aliorum dexteram negotiationem, qua hæreditates expiscabātur ex captatione testamentorum describit idem Hieronym. *Audio præterea in senes, & anus absque liberis quorundam turpe seruitium. Ipsi apponunt matulam, obsident lectum, purulentiam stomachi, & phlegmata pulmonis manu propria suscipiunt. Pauent ad introitum medici, trementibusque labijs, an commodius habeant sciscitantur: & si paulum senex vegetior fuerit, periclitantur: simulantque lætitiam, mens intrinsecus auara torquetur. timent enim ne perdant ministerium: & viuacem senem, Mathusalem annis comparant. O quanta apud Deum merces, si in præsenti precium non sperarent.*

Honestiora obsequia alij impendunt laborantes in inueniendis sponsis, in pactis nuptialibus, & dotibus librandis, vt

plus

2. Pet. c.1.

Chrys. imperf. ho. 43 in cap. 23.

Marc. c.12

In Cate. in Matt. c.15.

Ep. ad Nepotianum.

Hier. loc. cit.

plus ponderent sponsalia ex authoritate & patrocinio paranymphi, quàm ex propria natura metallica. Alij discurrētes pro prouisionibus familiarum, ne quid in victu & vestitu desit, & tanquam villici prædia curant excoli, familiares, & domesticos in famulatus precio reformant, vt ex superfluo sua faciant, hi quando essent nunc talium imitatores, non essent ab Hieronymi temporibus dissimiles.

§. IV.

SECVNDVM ASSERTVM. Multo minus se ipsos debent ingerere Religiosi, & implicare in statibus & officijs, & suam negotiationē interponere v. g. togas procurando, præfecturas, vt emantur, suadendo, & ad hunc finem fumos vendere, se potentes ostendendo & Principum volūtatem captiuam tenere fingentes, eo fine vano, vt totus mūdus post eos abeat. Speciem id enim mali haberet, quando & hoc reprehensibile à Sanctis adiudicatum. Leo Bizantius contra Eutychetem & Nestorium, reprehendit quosdam sectarios Eutychianos, qui hæc negotia similia pertractabant: *multa alia munera, & auxilia pollicentur & primum gradum in magistratibus, & eruditorum quos habent conuictum (O malorum immensitatem) non prius discedunt, quam succumbant siue inscitia, siue indigentia, siue ostentationi, siue alijs quacunque illaqueare solent eos, qui non omni cura cor custodiunt. deinde postquam captum tenent, & obedientem in quibus volunt, habent* (quasi in obedientia cæca ad quodcumque iusserint) *si Monachus sit, hortantur ad legendos libros Gentilium, si tamen idoneum ad eos legendos videant, & postquam simplicitatem ordinis Monastici multum irriserunt, quod nihil sit ieiunium, vel vigiliæ, vel secessus (si quidem virtutis practica, id est, in actione posita obtrectant, neque nomen eius pati possunt) æquo animo ad mutandum habitum hortantur, quod sit ad studiū virtutis* POLITICAE, *id est, quæ in veritate versatur, impedimentum: promittunt se in ordinem Clericorum cooptaturos, aut alio modo auxiliaturos, modo fiat particeps impietatis eorum. Sin autem sit sæcularis, ea accommodata promittunt, non quidem verum dicentes, hoc enim est in eorum malis beatum, sed sic tamen eum fallaci spe seducentes, cogunt inhiare ipsis.* Horum imperfectorum vestigia quando deprehenderentur, potius cauenda quàm laudanda, ne Catholicorum, & Religiosorum nomen infametur. Certè grandem iacturam pateretur religio, si tales irreligiosè viuentes, sub religionis prætextu, per plateas vel domos discurrerent, vt in omnibus quæ ad profectum spiritualem non conferunt, viros atque mulieres vinctos, & quasi voto alligatos tenerent, vt nec manum vel pedem absque eorum imperio mouerent, & per hæc ad facultates hauriendas sterneretur via, alliciendo promissis, officijs, munusculis, ad nassam suam pertrahendo. His adaptatur id ex Gilbert. in Cant. serm. 47. *Candidiores Nazaræi eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphyro pulchriores. Denigrata est facies eorum super carbones, & non sunt agniti in plateis. Magna certe collaudatio, sed maior vituperatio. Silebo de alijs, Ordinis nostri* ait Gilb. *cernite viros; quam admirabile nomen eorum in vniuersa terra. In vicis quando vix erant visi in plateis, statim cogniti pro sanctitatis signo erant in eis. Nunc autem nullo religionis discrimine, nullo priuilegio conuersationis, aut nullo, aut pertenui distincti & signati sunt à cæteris; ideo non sunt cogniti, quasi Nazaræi in plateis. Frequentia platearum dedecorat Nazaræos, & peregrinam speciem inducit. Mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum ideo non sunt agniti in plateis. Nam agnoscitur in eis natiuus candor, non nitor, non pulchritudo &c.*] Solus Vindicianus medicamentum habet, vt discurrentes per plateas,

Leo Bizant. lib. contra Eutyc. c. 1. p. in aucta. Bibl. PP.

plateas, *circumeundo domos, negotiosè, pulchritudinem tamen seruet.*

§. V.

Tertium Assertum. Nec se debent pariter Christi militiæ addicti, negotijs illis sæcularibus implicare, quæ ad regimen ciuitatis, & tribunalia spectant, nec in ijs quæ rationem status concernunt, & aulam & domum Regiam, nisi consiliando quod rectum est, non alio sinistro fine, & intentione. *Sæcularia* (dicebat S. Paulus Apost. *iudicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia illos constituite ad iudicandum*; ij laici sunt ex interpretibus: similiter ad eadem tractanda ijdem eligendi, vt aptiores. Vnde quia iudicia sæcularia exercere volebat Robertus Cameracensis electus, sic perstringitur à Blesensi. *Non decet ordinem professionis tuæ in alea tanti discriminis ludere, & salute animæ spreta, te adeò damnabiliter sæcularibus inuoluere, Montemque Seir vertiginoso spiritu circuire.* Nec licere autem se immiscere, vel adire forensia tribunalia pro tractandis negotijs, nisi ex opere pietatis, & circumstantijs positis, idem docuit Blesensis & multo magis, de electione Magistratuum, Optimatum, se ingerere haud debent, ne Politia turbetur, & confundatur. vnde Bernardus. *quid sibi vult, quod Clerici, aliud esse, aliud videri volunt? nempè habitu milites dicamus,* Optimates togati, Magistratus &c. *quæstu cleros* (in salute animarum) *actu neutrum exhibent: nã neque vt milites pugnant* (vel ciuitatis regimini attendunt) *neque vt clerici Euangelizãt. Cuius ordinis sunt? Cum vtriusque esse cupiunt vtrumque confundunt. Vnusquisque in suo ordine resurget. Isti in quo? an qui sine ordine peccauerunt sine ordine peribunt? aut si summè sapiens Deus: veraciter creditur à summo vsque deorsum nihil inordinatum relinquere: verior non alibi ordinandos: quam vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* Hæc Bernard. in tepidos illos sortis diuinæ professores, actuosos, negotiatores.

ii. Cor. 6.

Bles. ep. 42.

Super Iob. loc. cit.

3. de Consid.

Aulas vero Principum vel Regum adire (nisi ex pietate) multò periculosius, maximè si in materia status velut Sarabaitæ gyrouagi religiosam vitam simulantes, se immiscerent tepidi, ex motiuo propriæ vtilitatis, cum regnorum detrimento. vnde Damianus. *Nolite quæso Monachi, nolite sub Ecclesiastica compassionis specie Regum aulas irrumpere: nolite aures Principum velut salutaria suggerendo fastidiosa importunitate pulsare &c.* sub hac enim specie compassionis (si non ex charitate, necessitate &c. procedat) facile diabolus ad superbiam posset instigare, vt etiam si fieri posset, ad totius orbis Monarchiam aspirandam inuitaret, maximè ingenia callida & feruentia plus pseudopolitiam quam Euangelium, plus Tacitanas callentes regulas, quam Apostolica documenta. Id fecit cum Iuliano apostata, qui Clericatu posthabito & religiosa vita, ad habenas imperij obtinendas, subtiles excogitauit artes. Quoties perfidus Satan his Machiauellica suggeret venena, vt iuxta Principum ingenia se transforment; vt potius vtilitatibus consulant, quàm publico bono? vt non amore amicitiæ, sed concupiscentiæ omnia ad se ipsos dirigant, & aulas & Principes in primis sibi subiectos reddant, per familiaritatem, ingenium, mores, inclinationes, & secreta per se ipsos, iuxta ambientium vota, in curiam introductos, explicando; vt hinc magnatum & potentum sequelam obtineant, & populorum auram ac reuerentiam, inde regnorum plenissimam dispositionem, ex existimatione gratiæ & familiaritatis vel beneficentiæ, subditos deuinctos habendo, principes ipsos ex secretorum penetratione, subiectos? Instillabit ijsdem, vt ob retinendam popularem au-

Opusc. de contemp. secu. c. 30.

ram, non curent quam bonus sit Princeps, sed quam suarum cupiditatum obsecundator, nec quam Reipublicæ, sed quam ipsis proficuus.

Quod si ad votum non succedant eorum consilia, sic Principi vni seruiant, vt alium pedem pro altero cothurno expeditum habeant. Et si nolint esse vnius sequelæ addicti, sint neutrales, *neque intus, neque foris*, sicque consilia temperent, vt de Apollinis tripode loqui videantur: & si cogantur laruam deponere, & quibus castris militent aperire cogantur, studiosè diuidantur, vt, à quacumque parte stet victoria, hic iacturam quis patiatur, cum victo Principe, ibi cum victore principe alter in eodem penè solio collocetur. Et pro prætensione assequenda, quæ non subministraret ambitio? quæ non huius sæculi leges? quæ non ambitiosorum princeps diabolus? Aulicos & Senatores suadebit ad sui votum institui, vt vicissim in Principis gratiam admitterentur, mutuamque operam sibi impendentes ipsum adstringerent, vt ab eorum consultationibus nec in tantillo deuiarent, siue in ijs quæ ad bellum, siue quæ ad administrationem statuum, siue quæ ad iustitiam, vel officia pertinerent; vt inter Principis nescientiam, & aulicorum & Politicorum nimiam sagacitatem, totam regiminis molē volui necesse foret. Cumque priuatas magis, quam publicas vtilitates Politici respiciant, illud nasceretur perniciosissimum, vt deprauato Principe, alieno ære fierent ditiores, nec munificus Princeps agnosceretur, nam ex aulicorum potentia & authoritate, Dynastæ, & Optimates, & Magistratus, essent ab eorum ore pendentes, & ad eosdem oculi eorum intenti, nam si quæ à Principe obtinere nequirent, ab aulicis obtinerent, eosque magis beneficos haberent, si per eos vellus aureum, vel Sancti Marci, vel Stephani, vel Sancti Ioannis crucem, & consimilia stemmata, obtinerent; & frequentissimè ex hac via essent officiorum nundinæ, tantaque esset reuerentia & existimatio, vt ad eorum nutum inclinandus orbis existimetur, tantus timor, vt in re illicita, vel praua consultatione nullus contraire præsumeret: exinde acceptatio personarum locum habens, non ex meritis sed fauore electis ministris, & magistratibus, iustitia per quam regna obfirmantur exularet, & veritas corrueret in plateis. Inde ciuilia bella, coniurationes, seditiones pullularent, quæ adeò crescere possent, vt nouam regiminis formam, abiecta prima, superinducere possent. *conturbata*, inquit Psaltes *sunt gentes, & inclinata sunt Regna.*

Si verò ijsdem præcluderetur aditus ne Palatia ingredi liceret, non deessent suggestiones ministratæ à spiritu ambiendi, nempe vt paulatim se insinuarent cū Principum familiaribus, oratores eorundem visitarent, vt veluti noui Athenienses vacantes ad noui aliquid venandum, præsentium temporum conditionem, statum & præsentanea negotia manifestarent, & vicissim ab ijsdem alia secreta expiscarentur, ad prætensionum suarum directionē, possentque sub prætextu boni publici Regnorum ea expedientia consulere, cum ipsis obstant, vel nō pandere si prosunt. Ex quibus procedendi modis infelices exitus, improuisa mala, mutationes statuum oriri possent.

Sed sint isti casus imaginarij sola sciētia media cognoscibiles. Non expedit dicam cum P. Damiano curias Principū religiosos adire se ingerēdo, & humanos fauores, vel temporalia quærēdo propter se, vt tradit S. Thom. nisi ex necessitate, & pietate, vt plures ad salutis viā trahere possint, aut *Tract. de perfecta Monachi informat.* *Opusc. 2.19*

ex obe-

ex obedientia propter eosdem fines, vt ex omnibus ordinibus boni religiosi faciunt, quæ vera non ficta esse debent. sunt enim multi ait idem Damia. qui *solent scutum excusationis opponere, qui sæculum perlustrantes, iactant se obedientiæ legibus deseruire. Non ignorent, quia & Esau venatum prodiens paternis iussionibus paruit, & tamen nec patri cibos offerre, nec optatæ benedictionis meruit primitias obtinere: quisquis enim rem quæ ad vitium pertinet, consuetudine ductus propriæ voluntatis instinctu libenter exequitur, peccat etiam si alienis imperijs specie tenus obtemperare videatur. Nam cum dicitur, quia Isaac amabat Esau, eo quod de venationibus illius vesceretur, constat nimirũ quia Esau, vt patri cibos studio venationis acquireret, non magis paternæ iussioni per obedientiam paruit, quam inolitæ consuetudini quodammodo tributa persona soluit. Qui ergo discurrendo per sæculum propriæ libinini satisfacit, & tamen se obedire maiorum iussionibus asserit, nouerit, Deum non tam coloratis verbositatibus credere, quam de occultis hominum iuxta conscientiam iudicare.*

Idē Dam. cap. 21.

Idem argumentum tractans Petrus Blesensis, in persona vagantium ait. *Quidam allegantes excusationem in peccatis, & veteris Adæ perizomata præferentes, interrogantibus, quare curiam sequantur, quam Deo, & saluti suæ non ambigunt esse contrariam: ad colorem, & tuitionem suæ ambitionis exempla antiqui temporis introducunt. ad correctionem, & eruditionem Regum, inquiunt, missi sunt Moyses ad Pharaonem, Ieremias ad Sedeciam, Helias ad Achab, Olda ad Iosiam. O Clerice curialis: numquid Dominus misit te ad Regem? in obsequium eius te misit, aut potius intrusit ambitio? Certe post signa in rubo, in serpente, in manu leprosa, ab iniuncta legatione Moyses se excusat. Si tibi legatio etiam impossibilis à Rege iniungitur, sponte te offers, magna dicis & maiora repromittis, cupienti animo ni, graue videtur, nihil ambitioso difficile &c.*

Ep. 14. ad Sacell. aulicos.

Errat Pater, errat (dicebat etiam Damianus ad Desiderium Abbatem Casinensem) *qui confidit se simul Monachum, & Curiæ deseruire. Quam male mercatur, qui Monachorũ præsumit claustra deserere, vt mundi valeat militiã baiulare. Vndis erutus sanus est piscis, non vt sibi viuat, sed vt alios pascat. Vocamur, attrahimur, sed vt viuamus alijs, moriamur nobis. Amat venator ceruum, sed vt sibi faciat cibum, per sequitur capras, lepusculos insectatur, sed vt ipsi bene sit, illa nihil sint. Amant, & homines nos, sed non nobis: sibimet diligunt, in suas nos vertere delicias concupiscunt, quos nimirum dum in exteriora prosequimur, quid aliud quam Monacho nostro qui latebat intrinsecus repudiamus?* & iterum sic exclamabat contra curiosos vagantes & negotiantes religiosos, & principum aulas frequentantes, sine causa pietatis, sed ex ambitione, & quæstu &c. *Quæ participatio iustitiæ cum iniquitate, aut quæ societas lucis ad tenebras? & re vera quid Monacho cum sæcularibus nandijs? Quid mihi perstrepentium iudiciorum fora, tribunalia iudicum, aulas Regum intra Monasteriorum septa pertrahere? Quid mortuo homini, narrare de prædijs, dotales tabulas inter tales diuortio interueniente rescissas: illos titulis efferre natalium, infamare alios nouitate cerdonum? &c. porrò, satis indecens est & inhonestum ac per omnia probatur absurdum, vt quod in tabernis consueuit quis eructare cauponum quod passim versatur gynacea textricum in Sanctorum choro locum inuenire valeat Monachorum, sanè vbi Prophetas & Apostolos alloqui me desiderantes aspicio, vbi Christum suum mihi pandentem* Euangelium *cerno; ego relictis illis inquiram, si nuper Adriam transfretantes adhuc applicuerunt naues? Quanti sal veneat. Vtrum annonæ modius taxema carius vendat? facessat igitur ab ore militis Christi omnis vani rumoris ineptia, & lingua quæ immaculati Agni, imò summi Verbi rubet sanguine, dedignentur ociosi sermonis sese fecibus inquinare, &c.*

Opusc. 36. c. 1.

De perfect. Monach. informat. c. 10.

voluntate conieci. Quis enim illo feruentior aliquando Monasterium petijt? quis vt videbatur animosiori constantia ad Christi militiam properauit? Nunc autem omnium, quæ promisit oblitus in terrenis se negotijs iugiter versat, sæculum tractat, sæculum spirat: & quem mihi mortificationis habitus dissimilem reddit, mecum mundo non dissimiliter viuit. Planè vt perspicuum est, mutare corpus exteriorem speciem potuit, sed mens in eo, qui fuerat statu malè fixa permansit. Quod mihi conuersionis eius incentores accusare? in rebus siquidem bellicis solummodo commilitionem perdidi sed in reliquis terrenis actibus socium non amisi. Mecum certè forenses lites agitat (quod nostrum propositum tangit) *mecum in Tribunalibus iudicium perorare non cessat, mecum importunus atria principum penetrat, mecum simul eorum auribus consilia terrenæ profunditatis instillat. Sed qua temeritate socium nuncupare præsumo, quem iam non consuetudinaliter socium, sed in cunctis tanquam pedissequa, vix præambulum sequor? Sanè tantam à populo gloriam de sua conuersione lucratur, vt superuenienti omnes assurgant, quicquid attulerit, velut Prophetiæ oraculum credant, & deuotionis illi obsequium, reuerenter exhibeant. Sed videlicet, quantum ad carnem, nequaquam infructuosa illius creditur fuisse conuersio; quia qui sæcularem vestem non cum mente deposuit, sæcularem pompam callidus permutator plenius acquisiuit, has itaque atque huiusmodi murmurationes, dum detractores effundunt, quantū sit occasio pereundi in sæculo peruagatio Monachorum, quis enumerare sufficiat? facilius enim in sæculari habitu etiam perire deliberant, quam perditorum exempla sequendo, vtrumque, vt aiunt, sæculum perdere.*] Vel saltem ex vno Petro disce tuam positionem corrigere Vindiciane, qui aliorum censor esse gloriaris, & scias multò plures esse sæcularium qui scandalizantur, & in desperationem adducuntur, si tribunalia, curias, aulas, religiosis inutilibus, & negotiatoribus, quam si popinas vel Gynæcea, illis opplеta intuerentur. Si hæc Vindicianum non conuincunt, id solum euincat, quod etiam Christiani à Gentilibus iniuriarum loco postularentur, quod *infructuosi essent, in negotijs* referente Tertull. de præs. ca. 42. cum hæc esset Christianorum gloria illicitis Gentilium negotijs, & conuersationibus renunciasse.

CAPITIS XIII.

ANIMADVERSIO.

Vbi falsa querela Vindiciani in Turturem expenditur, quod Turtur Societati imposuerit, se alijs ordinibus praeponere.

SVMMA CAP.

Querela calumniosa Turturi affigitur, quod Cardinalem sugillarit, & eius matrem impetiuerit, tanquam ab ipso cæteris Ordinibus prælatam, ob quod de superbia à Turture taxatam fingit; eidemq; tanquam morbosæ remedia euratiua, quæ tamen præseruatiua, præparata, nec enim commendationem Cardinalis de Societate respuit; admonente Turture, vt accipiatur cum cæteris, non odiosa comparatione præ cæteris. Nec superbia denotata Societas ob eius priuilegia, quum cæteris etiam Ordinibus sint communia. Ipse potius Anonymus reprehendendus, qui spiritum Marci Antonij de Dominis hausit, eadem attentando. Similiter nec de superbia redarguta, quod alias religiones reformare voluerit. Sed ipse Anonymus, qui dum spiritum humilitatis Societatis exaltare voluit, cæteros Ordines, ob dignitates, titulos, infulas, magisteria, vt inflatos flagellat.

§. I.

DE duobus erroribus hoc capitulo taxat Grauinam, primo *quod exprobrarit Cardinali, ob paucorum defectus, omnes condemnasse: secundò matrem impetendo Cardinalis, quod ab ipso cæteris ordinibus sit prælata, ipsaque super cæteros regulares se efferat, & dato,* VIND.

 ait

medicinæ nesciuit, & suæ artis propria, sic malè contra artes consequentiam intulit dicens. *Grauina admonuit Societatem, ne vanæ gloriæ tentationi cedat, ergo impetita est à Grauina: & velut pertentatis arterijs, in Societate elationis æstum deprehendit, alioquin (quæ est consequentia probatio) friuola fuisset ad Medicinas, & catapotia adhortatio.* Quis enim non negaret consequentiam? nam potest medicus pulsum obseruare, nec æstum deprehendere, antitoda, ne veniat, præparare. Nec funus sepulchri Societatis emit Grauina, velut (vt exemplificat) sandapilam, & omnem Libitinæ apparatum, cui mater ægrotante filio, tanquam iam desperato præparando, sed potius ne in sepulchrum corruerent, diuertendo, vel ipsum pedem superbiæ arcendo, vt dicebat Dauid: *non mihi veniat pes superbiæ, & manus peccatoris non comprehendat me*: quos cum comprehendit, cadere in puteum interitus, sacra Scriptura mox commemorat: *ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem*: nulla præcessit in Angelo febris, vt aliquid funestum, & quamuis esset vestitus decore, vt omnis lapis preciosus, ipsius esset operimentum, quia præseruatiua non attendit, illud intumescendo audiuit, *& eieci te de monte sancto meo.* Psal. 35.

P. 1. c. 7. Eodem modo processit Grauina ad præseruatiua præparanda cum dixit: *Cautus esto, & vigilans ad rimulas omnes praecludendas ne aqua te mergant in profundum: ante languorem adhibe medicinam: illudque argumentum velut dilemma confecit, vt si cognoscantur in aliquo sodali defectus, ad humilem confessionem properaretur, sin autem imperfectum aliquem à priorum sanctorum vestigijs declinare compertum fuerit, virgulam censoriam aduersus alios, cum de elatione Societas tentaretur ex laude, ne assumeret, & animaduersionem temperaret.*

VIND. Nihil aliud ad hæc Vindicianus, nisi quod Grauinam irridet, *cum Hieremia ollam succensam vidisse, virgam vigilantem, & rimas ad hauriendam superbia salsuginem, in Societate apertas vidisse.*

Duo tantum symbola vidit Hieremias, mi Vindiciane, ollam succensam, & Virgam vigilantem; per virgam vigilantem Hieronym. disciplinam intelligit, vt percutiat, & corripiat delinquentes; & per ollam succensam, ex Gregor. intelligitur, ait, *cor humanum secularium curarum ardoribus, desideriorumque anxietatibus feruens, quod à facie Aquilonis succenditur, id est, diaboli suggestionibus inflammatur.* & hæc virga dum adhibetur in exercitio actuales culpas emendat, dum ostenditur, ad præseruationem ordinatur, & in omni euentu verificatur, quod scriptũ est: *virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt* (vt exponit Hieron. dicẽs) *pulchè posuit, consolata sunt, ad hoc enim Dominus corripit, vt emendet.* Rimas quoque si deprehenderit Societas in sua naui, in aliquorum defectibus, candidè, & syncere Grauina obturandas admonuit, ne periclitetur, quod ante ipsum Gregor. idem cautelæ, & trepidationis argumentum tractans sic scripsit. *Sed sancti viri cum de quibusdam se vitijs ereptos hilarescunt, magno se metu etiam in ipsa exultatione concutiunt, quia & si, iam de cuiuslibet procella tempestatis erepti sunt, esse tamen se adhuc in incerti maris dubijs fluctibus sciunt, & sic spe exultant, vt pauore trepident, & sic pauore trepidant, vt spei fiducia exultent: vnde, & per eundem Psalmistam dicitur: seruite Domino in timore & exultate ei cum tremore. At contra qui de specie sanctitatis intumescunt, cum vnum quodlibet vitium superant, mox mentem in superbiam erigunt, & quasi de vita sua perfectione gloriantur: & pro eo quod fortasse semel à periculo tempestatis erepti sunt, iam quia in mari nauigant, obliuiscuntur: Magnos se in omnibus existimant, & vicisse antiquum hostem fundi-*

TVRT. 18. mor. c. 12. 5. mor. c. 17

funditus putant, infra se CVNCTOS *respiciunt, quia se per sapientiam transcendere omnes arbitrantur.* Ergo dum de cautione, & trepidatione Societatem admonuit, inter eos illam locauit, de quibus dictum: *seruite Domino in timore:*, & multò magis, vt dicis & probas ex intimis Societatis cognitoribus, *dum frequenti conscientiæ examinatione deprehendunt rimas, supercilium Pharisaicum vitantes, excessus quotidianos, & peccata, quæ plangat, meritò sentiens, cum Ambrosio, quem allegas, in vtroque errorem esse, qui iustum iudicet iniustum, & vice versa, vt vterque* (per extrema vagans) *sit execrabilis apud Deum.*

§. II.

VIND. Producis deinde cautionis Grauinianæ seriem à spiritu superbiæ ex 1. p. cap. 7. ex eiectione intimorum cubiculariorum ob elationem, eiectione tabernaculi, & templi repulsione, Nazaræorum denigratione; & quod pacem turbat, vnum ordinem alteri præferre: laborantem albugine, & trabem in oculo habentem, lippitudinem vel festucas inspicere, indecorum. Quid inde? *Hæc omnia, inquis, scite, & ex Ascetica arte promuntur, sed cui obsecro, nisi Societatis alumnis ingeruntur? & cur nisi quia Cardinalis Bellarm. Societatem à Columbinis perfectionibus prædicauit, nulla defectuum mentione facta? quasi vero laudatio, sine adiuncta reprehensione necessariò spiritũ inflaret, & odiosas gigneret comparationes, neque discipuli adhuc Salamandræ erant, vt ignes illæsi vorare possent, quãdo Dominus illos à constantia, dilectione, fide, & alijs virtutibus in vltima cœna commendauit: attamen nullum illic defectum illis exprobrauit: Mira de suo ordine Grauina prædicat, vt alias vidimus; post alia etiam ab Alex. Papa prolixè, graphiceque collaudatum fuisse, eiusdemque laudem constitutionum Prædicatorum prologo insertam esse. Quæso bone vir. Potuit S. Petri Sedes, potuistis ipsemet præclarissimo Ordini tuo coronas, torques, & armillas imponere sine superbiæ metu, & æmulationis periculo, & non potuit Cardinalis Societati aliquas de columbino habitu, plumulas offerre, sine fœda criminũ appendice,*

TVRT. Si hæc conformiter ad Asceticam artem deprompta sunt, cur Grauinam insimulas calamum strinxisse, quod Cardinalis Societatem à columbinis perfectionibus, nulla facta defectuum mentione prædicarit? doluit Grauina, quod existente necessitate, & præ alijs laudata sit, aliorum Ordinum recensitis defectibus. Non opus erat ex se laudabilem Societatem, tanto apparatu sine necessitate celebrare. Cuidam apud Lysandrum iactanti, quod ipsum laudibus eueheret, & aduersus obtrectatores tueretur. *Duo*, inquit, *mihi sunt boues ruri, iacentibus ambobus, tamen certò noui vter sit ignauus, vter ad laborẽ strenuus;* innuere volens, veram virtutem nõ egere laudibus humanis, quum secum ipsa suum deferat decus, & laudem. Cæterum eos, qui nihil gerunt præclari, præconibus opus habere. Ergo à perfectionibus columbinis laudari superfluum, cum re ipsa, magis eas ostẽderit factis, quàm quod Bellarminiano calamo describi poterant. Sed laudata, cum aliorum reprehensione sublimior apparere non debuit, nec nigros colores aliorum Ordinum supponere, vt candor, & pulchritudo Societatis super cæteros eminere: nam sicut dicit Bernardus; *sicut turpe est ei, qui se supra cæteros iactat, si non plus cæteris aliquid agat, per quod vltra cæteros appareat;* ita non satis iactabundis aliquem extollere supra cæteros, qui supprimuntur, nisi peculiarius supra cæteros aliquid effecisse, quam cæteros, demonstretur; alioquin sicuti iactantis se, & quæ singulariter, & inaniter agit (vt idem dicit Bernard.) *apud simpliciores eius opinio excrescit, qui profectò opera probant, quæ cernunt, sed vnde prodeunt, non discernunt, & dum miserum beatificant,* in

[Marginal notes: 2. li. Apot. — De grad. humil. in 5. gra.]

in errorem inducunt; sic excessus laudis supra cæteros, simplices mouere poterit, sapientes non poterit, importunè tamen laudatos lædere poterit, ex occasione huiusmodi laudum intumescentes (quibus propterea Grauina antitoda præparauit) & cæteros ex odiosa comparatione, recensitis prius eorum defectibus, non leuiter contristare.

Tu verò aquam sistere fluminis putas, dicendo quod vnius laudatio præ cæteris sine adiuncta reprehensione, nec elationis, nec offensionis materiam subministret, & vafrè imponis Grauinæ, *quod laudatio sine adiuncta reprehensione, necessariò spiritum inflet, & odiosas gignat comparationes.* Nam quantum ad elationem, non necessario, sed sæpè vt Gregor. loquitur *laus benè agentis auribus insolenter admota, dum foris sermonibus perstrepit, intus quandam menti tacitam elationis tempestatem gignit, fitq́; vt hoc quod animus de humanis fauoribus gaudet, non facilè exterius ostendat, sed tamen corruptionis vim, non tenuiter interius sentiat*, & ibidem idem S. docet, quod si vir perfectus, *iam valenti robore, iam ad alta se subleuat, valdè formidandum est, ne hunc admota laudis ventus grauior radicitus euellat.* Odij seminarium fuit laus illa adolescentularum, quæ Sauli dederũt mille, & Dauid decem millia, *etiam si super Solem* (ex verbis Chrysost.) *triumphis, & Dei beneuolentia coruscaret.* Quid autem est, quod dicta tua corroboras Vindiciane, *quod in Ioan. in vltima cœna, à constantia, fide, dilectione, à virtutibus alijs fuerint discipuli cõmendati, & nullatenus vllus defectus, sit eis exprobratus?* Contradicis Euangelio: in cœna enim facta est contentio inter eos, quis videretur esse maior, & ad humilitatem sunt prouocati: Petri plus quam par erat religio in pedum lotione refutata, obedientiæ repagulis constricta, eiusdem infirmitas detecta, quæ pro fortitudine venditabatur, dum dicebat, *animam meam pro te ponam*, & Iesus: *animam tuam pro me pones?* tarditas cognitionis reprehensa: *tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me &c.*

23. mor. c. 5.

Hom. 45. ad pop. Antioch.

Cap. 14. & seq.

Ioan. c. 13.

Et c. 14.

Quod vero sui Ordinis elogia protulerit Grauina in vitium, vt dicitur vitio coarctatus est alieno. Coactus est Paulus etiam in ijs, quæ ad carnem attinent gloriari, vnde dicebat. *quoniam multi gloriantur secundum carnem, & ego gloriabor.* quid est secundum carnem, ait Chrys. *ab externis, à nobilitate, à diuitijs, à sapientia, à progenitoribus &c.* & propterea in insipientia loqui se præmisit, non secundum Deum, id est, ex hypothesi supposita, quod pseudo-Apostoli commendabant semetipsos, quasi diceret Apostolus. *Ne putetis, quod quasi virtutem hæc ponam, sed quoniam illi gloriantur, cogor & ego hinc comparationem facere, quod scilicet, & alibi facit dicens: si quis videtur confidere in carne, ego magis, & illic propter eos, qui confidunt in hoc. Quemadmodum enim si quis clari generis Philosophicam vitam eligens, viderit sublime sentientes alios de generositate sua, volens etiam illorum fastum tollere, nonne cogitur propriam claritatem dicere, non gloriosos, sed alios humiles reddens? Hoc sane, & Paulus fecit.* Et Paulum imitatus Grauina, qui cum pessundatum videret inter cæteros suum quoque Ordinem, vbi præ cæteris Societatem extolli, cum aliorum depressione cerneret, & cum eis nominatim suam familiam, etiam in externis bonis, torquibus, armillis, exornauit. Vnde sanctis licere, ne dum in bonis spiritualibus, sed etiam temporalibus, se ipsos, & sua commendare, vel dũ opprimuntur, ne animo despondeant, in tribulationibus, & propter vtilitatem aliorum spiritualem, non semel Angelicus inculcauit, quem si Vindicianus legere voluisset, iam pridem à puerilibus nænijs suã mentem extricasset. Vere Vindiciane mi, *venter tuus quasi mustum absque spiraculo, quod nouas*

2. Cor. 11.

Chrys. ib.

Iob c. 32.

nouas

nouas laguntulas dirumpit. quorum vtrumq; necesse erat, vel loqui, aut rumpi. Plenus enim eras sermonibus, & coarctabaris spiritu vteri tui, & te continere non valens, quicquid sentieba s effudisti, vt qualis esses innotescceres, volarentq; sententiæ, & verba ampullosa resonarent.

§. III.

VIND. Quæ verò etiam ad carpendum effundis, examinanda sunt. *Grauina (ais) iubet, vt preces pro se ac suis alijs ordinibus postulet, pro cōseruatione seruoris primi sui instituti, vel remissū in aliquibus resuscitare, neue suos mediatores, & aduocatos, ne ex communi culpa exleges videantur, constituat: memorem profectò Grauina monuit, neque huius rei clariorem testem requiro, quam ipsum Grauinam, qui pro varietate ingenij sui crebro Societatem ab elationis suspicione absoluit.* & multa loca affers ex p. 1. c. 3. c. 6. c. 16. in quibus humilitatem, & modestiam Societatis extollit, & ab elatione demonstrat alienam.

Li. 8. Apo.

TVRT. Vere Vindiciano dici potest, quod olim ab Herode Sophista, Protheo Cynico sine fine ipsum conuicijs lacessenti, dictū est. *Cōscendimus*, inquit, *ambo, tu quidem malè loquens; Ego male audiens*, significare volens immedicabile malum esse cui ille tamdiu assueuerat, & se moderatius ferre, quod iā nouum non esset. Nulla est contradictio Grauinæ (quem de varietate, & instabilitate notasti) vt aliorum preces pro conseruatione Societatis, & intentione feruoris in aliquibus remisso, exquireret, hæc enim ad humilitatis gradus pertinent: in 6. enim gradu humilitatis est, credere, & pronunciare se omnibus viliorem, & in 7. ad omnia indignum, & inutilem reputare, inde illa vox, *sequor, si quomodo comprehendam: Ego autem puto me non comprehendisse.* Humilis Apostoli vox erat, superba illius, qui dicebat *diues sum, & nullius egeo*, vnde ex cognitione propriæ infirmitatis, remissionis in feruore, oritur, vt ad aliorum preces implorandas, quāuis sit quis sanctus, & perfectus, moueatur. Exemplis plena sunt omnia. Vbi vero ex hoc Societas offensa nō est, quia ipse impetitus fuerit Vindicianus, hanc admonitionem, iaculum vel sagittā infixam suo fœmori existimauit, eamdem mordens. & vere ex impatientia admonitionis, carrecto, vel scirpo comparari potest, qui ob acutos angulos carpi non potest, quia ait Greg. *in laude positus Hypocrita, nec hunc quisque corripere audet, asperitate sua protinus vitam corripientis secat. Sanctus nunquam esse non appetit, sed vocari: & cum fortasse corripitur, quasi in opinionis gloria detruncatur. Deprehensum se in prauitate irascitur, loqui sibi redarguētem prohibet, quia velut in occulto vulnere tactus dolet. Qualis imperitis innotuit, talis vult ab omnibus existimari, & paratior est mori, quam corripi. Redargutione deterior redditur, quia quasi diræ percussionis æstimat iaculum puritatis verbum. vnde exasperatus protinus in contumelias surgit, & quæ mala exaggeret, contra vitam correctoris, inquirit. Demonstrare longè incomparabiliter reum reprehensorem suum desiderat, vt innocentem se non suis actibus, sed alienis criminibus ostendat &c.* quod ad vnguem in toto hoc opere à Vindiciano præstitum est.

Ex S. Tho. 2. 2. q. 161. art. 6.

1. Cor. 9.

Apoc. 3.

8. mor. c. 34.

VIND. Frustratoria autem verba sunt, quæ superaddis dum dicis: quod *dum Grauina germanè, & serio vt religiosum decebat de Societate Iesu sensit, & scripsit, planè supersedere potuit elationis, & schismatis Corinthij metu (quæ nunquam oritura erant) vt & omni labore dehortandi à censoria virgula, lachrymarum, & precum neglectu, qui enim calcar ita iumento sponte currenti adhibet, celerius in præcipitia vrget.*

TVRT. Ex tua confessione habet Grauina, quod vt decebat, germane & serio de Societate scripsit, & sensit, & gaudet de tuo testimonio (nisi ironicè loquaris) vt suam innocentiam demonstret, quam hucusque

tui

tui oblitus impetisti. Excessiuum tamen timorem, & nimiam solicitationem cohibendam (in his quæ enumerasti) solum exoptasti. At hic nimius timor, non nimius, cum vita hæc varijs tentationum periculis exposita sit. vnde rationabiliter monuit, ne desides simus atque socordes, & ne vnquam obdormiamus in morte & locum diabolo demus, timoris stimulo opus sit, ne pereamus de via iusta: & tunc (de religiosis ait Petrus Damianus) *cum in agro Ecclesiæ quasi Dominici boues aramus, aculeo pungimur &c. dum diuini terroris aculeus stimulat, vt ceruix nostra iugo diuinæ legis astricta, in laboribus non lassescat.* Quem stimulum si vis abijcere Vindiciane, illud audies, quod adhuc superbienti Saulo dictum est: *durum est tibi contra stimulum calcitrare*, superbus enim vt ferox, ex eodem Damian. *tanquam taurus aream Domini, quæ est Ecclesia, superbiæ cornibus ventilabat, donec fidei colla subdens, aratrum trahere compulsus est.* è contra sicut vacca lasciuiens declinat, qui diuinæ legis repagulis se restringi non patitur, nec stimulis vrgeri patitur ab ijs, qui ad vitam dirigunt, & à propria concupiscentia, vel ambitione extimulatus in præceps ruit. Etiam si ad Montem Thabor conscendere tibi datum esset Vindiciane, superfluum non esset tibi adhuc timorem elationis inculcare. Vnde Gregor. dicit quod *timoris* MAGNITVDO *electæ menti aliquando post ostensionem suæ visionis incutitur, quod profectò dum fit, non fit vt mentem ad gloriæ visionem purificet, sed vt custodiat ab elatione. & Petrus, & Iacobus, & Ioannes prius transformati Domini gloriam viderunt, deinde incusso eis timore ceciderunt, ne elati perderent, quod humiliter assumpti videre meruissent.* Sola Vindiciani latera adeò delicata, vt de præcipitio dubitet, si calcaribus, timoris religiosi vrgeantur. Rectè Hieronymus. *Securius est perire non posse, quàm iuxtà periculum non perijsse, in altero tranquillitas est, in altero gubernatio, ibi gaudemus, hic euadimus:* at primum dum non datur, sed iuxta pericula iugiter versemur, *quis* (ait Hieronymus) *quiscumque mortalium iuxtà viperam securos somnos capiat? quæ & si non percutiat, certè solicitat.* vnde quotidie (ait idem) *necesse habes, aut perire, aut vincere.*

[Margin: 6. Epist. ad Hug. Abb. & Mon.]
[Margin: In p. c. l. 1. Reg]
[Margin: Ep. de vir. suspecto contuber.]

Laterem subinde lauas, dum Grauinam ad hæc asserenda, vel suspicanda *motum dicis, ex sinistris relationibus seductum, vt crederet. I. Cardinalem gentilitio næuo infectum ambitionis, plus Societati quàm alijs religionibus tribuisse. II. Societatem affectando singularia ab communem cæterorum ordinum sortem ægrè se demittere. III. Querelas exiesuitarum, non ab omni veritate abhorrere. IV. Societatis quosdam alumnos aliorum regularium, vel clericorum defectus laxiori lingua carpere, & omnia passim reformare velle.* concludens. *Potuit Grauina, possunt quilibet alij ad similes relationum scopulos allisi, bonæ affectionis in Societatem naufragium fecisse; vt mearum partium existimauerim collectis tabulis Nauem rursus compingere, & animos suspicionum tenebris oppressos, Veritatis luce recreare.* VIND.

TVRT. L. 2. Mor. c. 21.

Nihil ait Gregor. *simplici corde felicius, quia quo innocentiam erga alios exhibet, nihil est quod pati ab alijs reformidet. Habet enim quasi arcē quamdam fortitudinis simplicitatem suam, nec suspectus est pati, quod se fecisse, non meminit.* vnde non est cur timeat, ex Vindiciana traductione, quod credulus, vanus, & suspiciosus extimetur, cum nihil eorum, quæ assignat, neque cogitauerit, tantum abest, vt aures illis accommodans sinistris relationibus sit seductus. *E contra verò* (audi mi Vindiciane, *mens praua semper est in laboribus, quia aut molitur mala quæ inferat, aut metuit ne hæc sibi ab alijs inferantur. Et quicquid contra proximos excogitat, à proximis formidat. Fit vndique suspecta, vndique trepida, omnis qui ad memoriam venit, exquirere contraria creditur:* Greg. ibid.

Cui ergo tranquillitas securitatis deest, huic, procul dubio terroris sonitus semper in auribus est. Et sæpè contingit, vt illi quilibet proximus suus simpliciter loquatur, nil aduersum cogitet. Sed cum pax sit ille insidias suspicatur, quia qui semper dolosè agit, simpliciter erga se agi, non existimat. Hæc ad viuum antequam nasceteris de te Magnus expressit Gregorius. Vnde timorem depone, quod ad falsarum relationum scopulos allisa Societas bonæ affectionis naufragium faciat; nec enim faciet, nec procellas patietur, nisi quas ex adulatoria laude excitas, & ab onere nauem compingendi collectis tabulis, deposita tua insidiosa suspicione, liberaberis.

I. *Causa opinionis de Societatis superbia: immeritò à Vindiciano Turturi tributur.*

§.I.

HVmanitate falsè dicta temperate volens Vindicianus, rem agere prosequens in varios affectus se transformat, qui diuersis personis, & tépori congruunt. Hinc & sui similes tamquam Vertumnos in omnem habitum se vertentes omnibus assentantes, Polypos vocauit Antiquitas, eos colores assumentes, quibus scopuli ipsi quibus adhærent, affecti sunt. vnde Phocylides apud Athenæum sic quemdam eiusdem farinæ cum Vindiciane alloquitur,

Pectore neve aliud celes, aliudque loquare.
Proq́; loco variere petris vti Polypus hærens.

Scopulo igitur illi firmissimo inhærens Societatis, nigrum colorem (mortificationem designantem) assumens, in eum ordinem transformatus, dicit.

VIND. *Bellarminum non fecisse meliorem Societatem, quam in se ipsa sit. sicut, neque æmulorum inuidia deteriorem. Placuit illi, non omnia vitia Ecclesiæ, vel ordinum membra ad lachrymarum suarum conuiuium conuocare,* & mox alteri scopulo inhærens nigrum, & album, vel cinericium colorem assumpsisse videtur, subdens. *placuit autem Grauinæ omnium ordinum religiosos ad Turturis sui triumphos inuitare. & vt ambos sibi deuinciat. Neuter,* ait, *errauit, quia semper liberū scriptoribus fuit, vndecumque velint amicos patronos suæ lucubrationi allegare. Affectioni ergo suæ Cardinalis erga Societatem indulsit, vt in ea putaret, viuorum membrorum copiam, & piè lamentandi peritiam reperiri: Grauina affectionem suam in omnes ordines, & quam suo præposuit Cynosuram, iustis quoque causis effudit. Neutrobiq́; delictum, vel seuerissimus veteris Romæ censor dispungeret.*

TVRT. Acum, & filum sumens rupturam consuis. Vsque modo Grauiniani varijs locis, & argumentis velut gladijs vulnerasti, & à compage Societatis veluti disiunctum membrum (ac si non essent vnius corporis membra illustria religiosi) auulsisti, nunc tandem serò facti huius pœnitens, à te conscissa conglutinare conaris, & veluti disertus Sutor, & Sartor vulneratas facies consuere edoctus, vel vestimenta resarcire eundem impetis modum consuendi, vt ne cicatrix vel scissura appareat. Vtinam *talum deponeres*, hoc est, corrigeres non bene iactum: sed video, quod oratio à factis discordat; peiores enim scissuras meditaris, dum post Grauinæ probationem, eundem rursus incusare aggrederis perperam Cardinalem momordisse. Itaq; vt semel accipias, dicam, quod Lacheti Plato dixit. *Nequaquam iuxta sermonem tuū Dorica concinimus harmonia. Ego ac tu Laches* (Vindiciane) nam facta haud consonant verbis, subdis enim. *Plato in Lachete.*

VIND. *Proinde de Societate Cardinalis candidè scripsit quod sensit, qui autem vnum laudat; alios non vituperat.* Quod probas exemplo Tecuitis 2. Reg. 14. *quæ neminem dum peroraret, laudauit præter Absalonem & Regem. Hieronymus.*

mus multa opera scribit pijs fœminis, non sine earumdem enconijs, vnde non dicendus est insigniores viros spreuisse. Idem præstitit Bernardus, non absque elogijs scribens suis fratribus, alijs Religiosis, Pontifici Eugenio, absque reprehensione, quod præposuerit suam Claramuallem omnibus Ordinibus, vel quod soli Clareuallenses osculis sponsi, & alijs delitijs digni iudicati sunt à suo parente &c. liquidum esse oculum oportet, qui scriptoribus libertatem putei sui quocunque velint deriuandi succenseant.

TVRT. Sed tu Vindiciane, nec præcepta Ethica percalles: nam ad modestiam pertinet, & probam educationem, sic laudes temperare, vt nulla in sermone comparatio, vel superlatio vnius personæ cuiuslibet status appareat, quia ex Chrysostomo, vel quicunque sit auctor, *ex comparatione peioris oritur laus melioris.* & è contra ex sublimatione melioris, cæteri deteriores monstrãtur. Talis erat illa comparatio. *Non sum sicut cæteri hominum.* & passim pro inurbanitate habetur, existentibus multis mulieribus in aula nuptiali, vel scholaribus in domo, vel inter mulieres, hanc, vel illam laudare, vt pulchriorem, inter milites hunc fortiorem, inter scholares istum sapientiorem, cum sit odiosa ista comparatio, fastidium, & contemptum cæterorum pariens, & perturbationem: vnde decorum sermonis tradens Ambros. ait quod *disceptatio sit sine ira, suauitas sine amaritudine, monitio sine asperitate, hortatio sine offensione,* & postea *in sermone formulam eam tenere conuenit, ne aut ira excitetur, aut odium, aut cupiditatis nostræ aut ignauiæ aliqua exprimamus indicia.* Si ea quæ sunt allata in exemplis attendas Vindiciane, nullam comparatiuam, sed absolutam absque respectu ad alios laudẽ continent, vnde verum est, quod qui hoc modo laudat, non est consequens quod alios vituperet, sed tunc, cum antitheses efformantur, plangentium deploratorum, intercessorum pro relaxatis, & relaxatorũ etiam nominatione in particulari, *Benedicti, Dominici, Francisci,* nescio, an maior oppositio reperiri possit, vt comparatiuũ, & superlatiuum super id. quod deterius, per id quod melius est efformetur, nõ sine audientium stomacho, & eorum, qui sic in facie laudantur displicentia, nam vt dicit Chrysost. qui *gaudet lætatur in facie: vir autem sapiens, quando laudatur, in facie, flagellatur in corde.*

Hom. de Adam & Eua.

Luc. c. 18.

Amb. l. 1. off. c. 22.

In cap. 10. Matt. ho. 26.

§. II.

VIND. Falso quoque scribis, *cum ad fontem lachrymarum peruenit Cardinalis, quod nullo modo Societatem à reliquis Ordinibus secreuit, cum omnino istis verbis incluserit, videlicet etiam omnium aliorum sanctorum, qui religiosos ordines instituerunt filij, & nepotes: neque recentes ab antiquioribus separauit, neque discussit; An & quot in recentibus mortua membra latitarent, neque an hic vel alius ordo pluribus eiusmodi cadaueribus scateret, sed absque discrimine quicunque ordo multitudine deformatorum laboraret, plangendus Bellarmino videbatur; salua nihilominus dignitate, ac laude sanarum partium. Quicquid in contrarium alij Grauinæ auribus inspirarunt, vanitates, & insanias falsas narrauerunt, quas respicere, non oportebat.*

TVRT. Oportet certè Vindiciane *determinare fossam* (ex Prouerbio Tertullianico) hoc est, certum differendi spacium, vltra quod egredi nõ valeas. Dicis inclusum ordinem Cardinalis in deploratione sua, quia de omnibus ordinib. indifferẽter locutus est c. 6. lib. 2. sub illis clausulis, *& omniũ aliorũ SS. qui religiosos ordines instituerũt,* vbi & nouos, cum veteribus adiunxit, certe hoc est (ex altero Prouerbio) *mulũ de asino pingere,* quod quadrat in eos, qui aliter repræsentant, quã res se habeat, vel mendacia mendacijs adstruunt. totum Bellarminianum discursum repetamus. sic ergo habet loquendo de antiquis tantum ordinibus. *quæ autem*

2. de gem. col. c. 6.

autem SS.PP.Naz.Chry. Hieron.& August.de Monachis sui temporis dixerunt, possumus etiam nos dicere de primordijs omnium religiosorū. Nā & SS.Benedicti, Dominici, Francisci, & omniū aliorum Sanctorum, qui religiosos Ordines instituerunt Filij, & Nepotes per multos annos, ita sancte, pie, perfecteque vixerunt, vt vel omnes, vel maxima eorum pars insigni sanctitate floruerint. Postea tamen multiplicari cœperunt Regulares sine numero &c. inde nata sunt scandala grauia & multiplicia omnibus nota, quæ materiam vberem præbent columbæ gemendi, & plangendi relaxationem, ne dicam corruptionem Ordinum religiosorum. Hæc Bellarminiana verba. Siste Vindiciane, & vide quomodo apertissimè, ac satiatissimè tam insignis Doctor, tuo quoque ore laudatus apertè falsus est Sanctorum elogia de Monachis suorum temporum, ad primordia omnium religiosorum extensa, qui post ea tempora claruerunt, vnde subdit, & nominatim. *Nam SS. Benedicti, Dominici, & Francisci.* quę verba, sententiam truncando, omisisti, & solum, quæ sequuntur pauca verbula retulisti, *& omnium aliorum SS. qui religiosos Ordinos instituerunt, filij, & nepotes, per multos annos ita sancte, pie, perfecteq; vixerunt.* vbi nouos vnquam, cum veteribus Ordinibus coniunxit? nam de primis, & medijs locutus est apertissimè, & per multos annos (quod est vetustatis indicium) piè, sanctèque vixisse impudentissimum præbes patrocinium, dum eius, cui patrocinaris, fingis callidè sensus, & verba inuertis. & si ex antecedentibus te conuinci non pateris, ex aduersatiua ediscas pro illis supponere Ordinibus, de quibus ante mentio facta fuit; hi autem enarrantur, ergo qui quondam floruere, per multos annos de mente Bellarmini, hi postea procedente tempore relaxati sunt, vnde orta sunt scandala grauia &c. sed qui floruerunt per multos annos, & præcedente tempore laxati describuntur, veteres Ordines sunt, & in specie Benedicti, Dominici, & Francisci, & aliorum omnium Ordinum, nempè veterum, talis enim sensus esse debet, vt sit vniformis, & formalis, non ergo noui cum veteribus confusi sunt, vt essent obiectum columbinæ deplorationis. Quod si nouorum quoque, & Societatis in specie, etiam membra mortua, & cadauera deplorauit (vt fateris) & scandala similiter deplorauit (nam omnium Ordinum indifferenter, in primordijs florentissimus status asseritur, quia filij, nepotesque SS. per multos annos piè, sanctèque vixerunt, postea ex multiplicatione orta sunt scandala grauia, omnibus nota.) Iam à parte Grauinæ stat victoria, omnium enim ipse Ordinum fecit causam (nullo excepto) communem; vt in omni statu mali cum bonis sint admixti, deplorantes, & deplorati, in omni scandala nascantur, vel paleæ cum tritico admixta, nullam esse portionem, vel massam puram à fermento discretam, seuerissime admonens, ne vlla phantasia elationis, & superbiæ spiritus, vel fores religiosæ mentis pulsaret. Si malè locutus est, testimonium perhibe de malo, quod etiam in tuum redundat caput, qui indiscriminatim de nouis, & veteribus Ordinibus Bellarminum locutum esse defendis. Si autem bene, cur illum cædis, qui ne dum de scandalis, si quæ essent, sed nec de tentationibus ad scandala, & renouatione ad feruentissimum primitiuæ fundationis, pateris illam erudiri? Sed video versutiam tuam, & superbam tuam confessionem, nam dum scribis indiscriminatim planxisse deformatorum multitudinem, *salua* (subdis) *nihilominus dignitate, & laude sanarum partium.* Quarum? Ordinum ne omnium, an aliquorum? edissere. nam vt scripsit Augustinus *multa in alios, vel ob aliud dicta in quos volunt, & ad quos volunt maledici* *De vnit. Eccl. c. 5.*

ledici plerumq; conuertunt. Si omnium Ordinum, ergo dum in omnibus Ordinibus multitudo deformata deplorata est, salua dignitate sanarum partium, in quocunque Ordine infirmæ partes, cum sanis copulãtur, vt nullus ordo penitus relaxatus, vel corruptus dici possit. Si aliquorum, vel alicuius Ordinis, Non ergo à Cardinali rectè dictum est, omnes Ordines habere membra mortua, cum viuis latitantia, & nullum Ordinem in hoc à cæteris esse secretum. Nec dicere potes in solius Societatis sanarum partium dignitate, & laude versatum, nam paulo ante dixisti, quod *Bellarminus non dixit solam Societatem esse viuum in Ecclesia membrum, neque nullum in ea extare mortuum*. In tuo ergo discursu vbi putas impugnare Grauinam, te expugnas. Et qui extrito puluere anhelitum reassumens animosius in arenam descendisti, eodem in vanas auras sparso, & oculos tuos offandente, adeò cœcutisti, vt ne manifestissimas contradictiones aduerteres, & in propriam quam fodisti foueam, non à Grauina sed aliorum seductionibus fabrefactam, incidisti.

VIND. Insero adhuc alia verba tua, & cum aliud non habeas argumentum ad te defendendum, ex commendatione Ordinis Prædicatorum per Grauinam facta, exceptionem Bellarminianam te putas defendere. ais enim, *Apostolum ex commendatione Thessalonicensium, quòd fuerint facti forma credentibus in Macedonia, & Achaia, nihil Romanis, nec alijs Ecclesijs derogasse. non erat enim opportunum de alijs, nisi de pietate, & zelo, quæ se offerebant, Apostolum loqui.* ita (ais) *Grauina in suum Ordinẽ valdè propensus, quid non sanctitatis, quid non Victoriæ, & miraculorum vbique Gentium eidem attribuit? redeant modo insani suggestores, & occinant illi, sic tu alios Ordines abijcis? & aliorum manipulos tuum adorare iubes? cui obiectioni ex persona aliorum facta sic occurrendum putas.* Posse respondere Grauinam *patrem-familias, conuiuium instruẽs, modo his modo illis hospitibus pro arbitratu suo, sine cuiusque vicinorum iniuria apponere, quæ responsio pro Bellarmino deseruit, eo magis* (ais) *vt suum Ordinem commendandi concessum sit, & summi precij æstimandi, quod à S. Aegidio, S. Francisco, & alijs sine aliorum Religionum contemptu factum est. Hic autem sensus de sua Religione vniuscuiusque, ex vi vocationis cœlestis dimanat, illumq; infundit Deus, qui donum vocationis agnoscunt, acceptant, & pro viribus exequuntur. Nec illud solatium ex inspectione aliorum Ordinum capiunt, non quod illis quicquã desit, sed quia ad alios ordines vocati non sint, viresque ad eius regulam, & onera minime sufficientes in semetipsis experiantur.*

TVRT. Dixisse pro te aliquid putas, Apostolicũ locum adducendo Thessalonicenses commendantem, & nõ aduertis Apostolũ nullam inter Thessalonicenses, & alios fecisse cõparationem, quod & Grauina præstitit, etiam in Ordinem suũ propensus. Sed nõ propẽsior, cum omnium Religiosorũ florentissimum statum ostenderit, quod dum tu pro crimine toties obiecisti, satis probare voluisti (quod non effecisti, tuis criminationibus) ipsum potius assentatorem Ordinum, quam æquum censorem, vt ex hac tua iniusta reprehensione pro se colligat contra te, nullo modo fuisse in laudandis cæteris alijs Ordinibus partialem, nec vnquam aliorum manipulos suum adorare iussisse, vt false sed insulse iocaris, cum vberem messem in omnium Ordinum horreis, & aceruos, ne dum manipulos tritici vallatos lilijs, & rosis modo ostenderit, qui abundè, famis tempore, his orbis pastus, & quotidie pascitur. Nec solum conuiuium instruxit, vt pro arbitratu inuitatis fercula ministrarit (vt pro Grauina simulatè respondes) sed omnibus Religiosis Ordinib. varias dapes præparauit,

poma

poma vetera, & noua apposuit (vinũ melius dixisset ille architriclinus nouis Ordinibus) nihil in conuiuio præter decorũ gestum est. Solus Vindicianus sua sponte in conuiuio hoc, nõ vocatus, vellet locum, & si adesset Stratonicus, sic te impeteret (vt olim vltroneum illum conuiuam impetiuit) *Cape superbe*, & si commotior, vt ille, diceres: *Qui superbus?* in promptu respõderet, *Imo quis te superbior, qui nec vocatus venias*, vt anceps sentẽtia vtroque modo accepta feriaris, nam, nec vocatus venire dicitur, qui non vocatus venit, quod est impudentiæ, & nec vocatus venire dicitur, qui vocatus venire recusat, quod est superbiæ.

Lib. 6. Apoph.

Cuilibet vero Religioso concessum fateor suum Ordinem peculiari affectu diligere, efferre, vt in eo reperiat quæ faciunt ad sui cursus solatium, & virtutum progressum; id vetitum, si alijs præferat.

§. III.

VIND. Dulciter vero mordes, & adulando feris Grauinam dicentem. quod etiam si quis incautius suum Ordinem cæteris prætulerit, absolutè non censebitur prętulisse, quia respexit suæ conditioni, & vocationi suæ secundum regulam præclarissimè consultum esse, *quare qui secretum hoc non expenderint, mirabuntur Bellarminum, Grauinam, AEgidium, cæterosque de suis matribus adeò splendidè, & basilicè gloriari, vt videantur omnem cæterorum regularium fulgorem obscurare velle. Sed non errat Ethicorum Axioma. Laus vnius, non est alterius vituperatio. Vituperatio, & intentio laudatoris, si comparatio absit, & aliæ vanitates, neque à Grauina, neque ab alijs mortalibus iudicari potest, aut debet.*

TVRT. Si ergo incautius (dicis Vindiciane) quis prætulerit cæteris suum Ordinem, absolutè non præferret, quia vt optimũ sibi, præferret. Super hanc incautam prælationem cadit Grauiniana obiurgatio. Amplius si incautius, quomodo postea adularis Basilicè Bellarmino, & Grauinæ, qui hoc modo suos Ordines extulerunt, vt videantur cæteros obscurare? Nõne serpens es mordens occultè, vel scorpius blandiens, & feriens? Non est dubium absolutam laudationem licitam à sanctis cõmendatam, qua & frequentissimè in demonstratiuo genere perorando vsi sunt. Nec potest verti in dubium, absolutè, nec præponi vnum Ordinem alteri, cum respicitur ab vnoquoq; Asceta, vt optimus sibi, nec enim Helleborum absolutè melius est cæteris simplicibus, quia Turdis esca est, sed Turdo optimum, & benè dicis, nec dices intentionem laudatoris, si comparatio absit, reprehendẽdam, nec iudicandam si hoc modo fiat. Ergo non diffiteris, cum adest talis comparatio laudatoris factum, vel dictum non esse laudabile. Quis verò absoluta, quis comparatiua comparatione vsus sit, tacente gemitu Columbæ, & voce Turturis, mundus dijudicet.

II. Causa eiusdem opinionis de superbia Societatis similiter à Vindiciano Turturi imposita eliditur.

§. I.

Somniat Vindicianus, quod sit à Grauina *impetita Societas ex priuilegijs singularibus, quibus à Sede Apostolica condecorata est, tũ ex peculiaribus notis, & proprijs insignijs suæ vocationis, vt habetur ex Bulla Greg. XIII. Tũ præterea ex varijs, operosis & indesinẽtibus ministerijs ex animarum medela, quæ absque deductione ad lucem, & Tribunalia forensia dirigi non possunt, quæ si Apostolici Gregis Pastores ad aliam Gentem, subdit, vellent transferre, possent vti iure suo, sed vigilanter inspicere debent, an tam promptos, felices, peritos animarum medicos sint assignaturi. hactenus enim præpotentis Numinis Clementia, ciuitates, & Prouinciæ Societatis laboribus exculta floruerũt, & quorsum illi de alijs vineæ Ordinibus sibi prospiciunt, vbi præsentium integer adhuc viget sanguis, ardor, & pietas, quorũ studia,* VIND.

studia, & sudores in oculis sunt, & nemo facilè æquare potuit? Auxisse magis priuilegia oportuit, ne talium Ministeria retardarentur, vt ministrantium fidelitas & animus cresceret. Quis in omnibus seruis tuis, dicitur Regi, sicut Dauid fidelis, & pergens ad imperium tuum, & gloriosus in domo tua? 1. Reg. 22.

TVRT. Nullus hæc priuilegia Religiosorum adorsus est, nisi pertinens ad castra Philistijm. Ioannes de Poliaco, qui confitendi priuilegium collatum regularibus, impugnauit, à Summo Pontifice vt hæreticus damnatus est. M. Antonius de Dominis nouissimus Apostata tuus Symmista in eadem priuilegia arietare ausus est; vnde, & propter varia indulta & exemptiones regularibus factas in rabiem actus, sic in Cœnobitas inuehitur. *Hi sunt veri schismatici, vt supra innui. & lib. 9. & 10. demonstrabo dum altare erigunt contra altare, & proprias synaxes faciunt, plebem volunt, & pascere, & regere, & Ecclesiasticum regimen sibi vsurpare, plebesque à suis Episcopis diuellunt, vt Ecclesiasticam pacem turbent, & vnionem.* Impertinenter secundam hanc causam Societatis superbiæ connectis cum impugnatione existimata Grauiniana, verebaris enim in tuorum Mystagogorum classe tela contorquere: vnde de Bupalio, plusquam Vatiniano odio, denotari potes Vindiciane. non possunt tegi Vulpis reliquię, iam quod dictum est apud Homerum de quodam veteri impostore tibi competit, nam Lib. 2. de Rep. c. 12.

Texendisq; dolis natus manduco] detectus es. Illud displicet, quòd dum è superbia vindicas venerabiles Patres Societatis, toties supra à te confutata comparatione, superbiæ ligna subministras, & diffidij fomenta, *plus enim cæteris religionibus laborare adstruis Societatem: similiter, non adeo promptos, peritosque reperiri operarios in cæteris Ordinibus, vt sunt in Societate; non esse de alijs operarijs prouidendum à Pastoribus vbi Iesuitæ degunt.* Sunt istæ absolutæ locutiones, an odiosissimæ comparationes? & dum concludis, *augenda magis ipsius priuilegia*, cum ministrantium fidelitas, & animus crescat, eique adaptetur, *quis sicut Dauid fidelis, & pergens ad imperium tuum, & gloriosus in domo tua?* comparationem adeò auges, vt quo altius, & gloriosius attollatur non habeat. Tales pingis Vindiciane quales nolunt ipsi Patres modesti Societatis describi, nec existimari, & summopere detestantur, quod supra id quod sint, vel dicis, efferantur, vis enim eos esse Syrabaitas in plateis, hoc est, fastu præturgido super omnes se ostentare, & vt alio quoque Prouerbio dicitur *pennas nido maiores extendere*, cum tamen suo se pede metiantur, nec ambulent in mirabilibus super se. Illud terribile recolunt, quod Chore, & superbæ illi multitudini dictum est. *Quemcunque elegerit* (Dominus) *ipse erit sanctus: multum erigimini filij Leui.* Maior autem erectio (quod absit) esse nō posset, si ad inflationem tuarum tibiarum saltarent, vel viderent Solem cum fulgeret, & Lunam incedērem clarè, & in complacentiæ signum manus suas deoscularentur, quæ maxima esset iniquitas, Iob attestante, & ad inferna præcipitaret. 1. Reg. 22. Num. 16.

Sed in persona aliorum obijcit Vindicianus contra Iesuitas. *At illi Apostolica gratia abutuntur.* Quid ille? *sic quidem vereor, vt multi calumnientur; sed obsecro tempus, locum, & testes consignent, ne de conuitiandi prurigine prius ipsi rei agantur. Vniuersa Europa, Asia, Africa, & Noui orbis Regna Societatis operarios expetunt, & concessos auidè complectuntur. & sic fatui filij Israel, non iudicantes, neque quod verum est cognoscentes, indicta causa filiam Israel condemnabunt? Cum Alexander Seleucus de Ionatha fratribusq; Machabæis præclara cognouisset, amicitia sua dignum existimauit, nuptijs suis adhibuit, iniquos interpellatores repressit. Neque minus Alexandri successor Demetrius pri-* VIND. 1. Mac. 10.

 mitias

Cap. 11. *mitias Regni Ionathæ, fratrumque amicitia condecorauit, non absque insigni opera emolumento; sed vertentibus annis mutauit ingratus sententiã, & innocentes vexare enormiter cœpit. Vter ex his Regibus æquiora in Ionatham semper obsequijs fidelem decreuit? Etiam S. Gregorio graue nimis, & contra Sacerdotale propositum est visum, velle cuiusque Monasterij priuilegia olim indicta conuellere, & in irritum, quæ sunt pro quiete disposita, deducere.* Hæc ille.

7. Reg. ca. 33.

TVRT. Thales Milesius, cum interrogaretur. *quantum distaret veritas* à mendacio? Scitè respondit, *quantum oculi ab auribus*, sentiens ea esse indubitatæ fidei, quæ oculis cõtuemur, rumoribus, delationibus, ac hominũ fabulis haud tuto credi. eodem pertinet Homericum commentum, cum dicebat. *Eorum, quæ subuolãt per portam corneam* (oculos designans ob coloris similitudinẽ) *vera; quæ per eburneã os, ob candorem dentium, vana.* Si hanc instantiam audisti ab aliquo nostrum, sicut de ipsa calumnia optas, locũ, & testes consignari efflagitas, hos ipsos de authore huius calumniæ, quod Societas priuilegijs abutatur, designa, & nullum in Catholicis, sed in hæreticis folia, & loca denotabis, præsertim in M. Antonio de Dominis (Societatis prius commilitone, postea archiapostata) priuilegia, & institutum Societatis impetente. Hi de grege tuo sunt Vindiciane, qui de priuilegijs obloquuntur, qui proinde sunt fatui filij, non Israel sed Belial, neque quod verum est cognoscentes, & filiam Israel condemnantes. Putabas Grauinam perterrefacere, vel in odium adducere, obiectionem Anonymam proferendo, quæ numquam ab vllo pio, numquam à Grauiniano calamo est profecta.

§. II.

Aliam vocem hucusque edidisti, quasi ex aliorum persona nunc propriam edis, & priuilegia dum simulas defendere, priuilegiorum authores penè inuisibili vulnere cruentas, Demetrio assimilando, priuilegiorũ largitori (qui vertentibus annis mutauit sententiam, priuilegia concessa Ionathæ, & suæ genti, reuocando) Gregorij authoritate discursum firmas, videlicet *contra Sacerdotale propositum esse velle cuiusquã Monasterij priuilegia, olim indicta, conuellere, & in irritum, quæ sunt pro quiete disposita, deducere.* Non sunt alij priuilegiorum largitores (vt tuis verbis asseris) *nisi Apostolici gregis Pastores*, qui tot fauores Societati præstiterunt, an ne Demetrij erunt, si vertentibus annis auferendos iudicarent? Nec proposito cõduceret dictum Gregorij, nam quamuis priuilegium remuneratiuum, quod per viam contractus obtinetur, irreuocabile sit, priuilegia tamen omnino gratis concessa (exceptis, quæ fiunt per absolutam donationem, cum translatione Dominij) & quæ consistunt tantum in facultate, vel licentia operandi præter ius commune, & quæ remanent in pura ratione priuilegij, vt sunt religiosis multa concessa, omnino libere, & non existente causa, vel necessitate reuocari possunt. Possunt inquam, vt reuocatio valida fiat, licet vt decenter fiat, aliqua honesta causa requiratur c. decet de reg. iur. in 6. & cap. suggestum decim. Non ergo si vertentibus annis Apostolici Gregis Pastores mutarent sententiam ingrati essent, quos si Demetrio audeas comparare (qui concessas Iudæis remissiones decimarum, & tributorum postea abstulit) in Sanctos Domini blasphemas, qui nõ dum Apostolicis indultis, & gratijs abutentes priuilegiorum ablatione mulctare possẽt, sed, & blasphematores tantæ Maiestatis & temerarios huiusmodi assertores, vt Ethnicos, & publicanos Inquisitoria censura iustissimè pronunciarent feriendos.

III.

III. *Causa opinionis de Societatis superbia in Turturem obiecta, in Vindicianum authorem refunditur.*

VIND. TErtiam causam impositæ superbiæ Iesuitis ab ijs proficisci dicis, *qui Societatis disciplina pertæsi obloquuntur. & in hos cum S. Ambrosio 1. off. c. 31. inueheris, veluti ingratos, non reddentes quod acceperunt.* & subdis: *hos luculentum Societati testimonium prabere. cum vel inuiti limina eius attriuerint, vel litterarum dumtaxat, nullam autem virtutis culturam aucupati fuerint. Quis à talibus statuam, vel Panegyres expectet? S. Augustinum discipulorum improbitas non denigrauit; sed cautiorem reddidit; idem si Societas minus fœliciter consequatur, saltem à prudentibus, & cordatis viris eam beneuolẽtiam impetrabit, vt eiusmodi criminatoribus parem fidem, ac laudem attribuant, qualem ipsi moderatoribus suis, nempe Cretẽsem.*

TVRT. Qui eiusmodi sunt conuictores pro beneficentijs maledicentias rependentes, verè serpentes sunt. vnde Plutarchus *serpentem alit, qui apud ingratum beneficium collocat, neutri enim collata gratia beneuolentiam conciliat*: imo detractores sunt, Deo odibiles, eo quod mordent in silentio, imò vt Reguli pestifero halitu aciem inficiunt publicè criminatores eructando. Illud commodum reportatur (vt dicit Hieronymus) quod *falsus rumor citò opprimitur, & vita posterior indicat de priori. Fieri quidem non potest, vt absque morsu hominum vita huius curricula quis pertranseat, malorumque solatium est bonos carpere, dum peccantium multitudine putant culpam minui peccatorum. Sed tamen citò ignis stipula conquiescit; & exundans flamma deficientibus nutrimentis paulatim emoritur. Si anno præterito fama mentita est aut verum dixit, cesset vitium, cessabit rumor.* Frequenter cernimus, quod dum belluæ cicurantur, mansuescunt, propriæ feritatis oblitæ, at in libertate positæ eos quoque impetunt, à quibus alimoniam perceperunt. Sapienter Philippus, cum cuiusdam lingua maledica proscinderetur, & ab amicis vrgeretur, vt exilij pœna detractorem mulctaret; se id facturum negauit, *ne* inquit, *per mundum oberrans, inter plures malè de me loquatur*, quare adiudicatum est, quod illum non ageret in crucem, *clementiæ*; quod contempserit, *magnanimitatis*; quod non expulerit, *prudentiæ*, in exilium enim actus plus satis nocuisset. Quare bene Vindicianus admonet tales calumnias, non denigrare, sed reddere cautiores. nihil enim sapientem (dicebat Gregor. Nazianzenus) laudatores, vel conuitiatores immutabunt, *quorum lingua non magis circumfluunt, quam æquorea spuma scopulum circumluit, vel pinum, aut aliam quamuis arborem densam, & sublimem tenues auræ.* Et subdit præclaram praxim ab omnibus imitandam in simili euentu. *Sic mecum disputo, si me falsò crimine accusator incessit, non me magis, quam eum qui loquitur hac oratio perstringit, etiam si nominatim conuitijs petat. Sin autem verum crimen mihi impingit, quid est, cur eum potius quam me ipsum accusem? Quippe, qui ita de me loquendi ansam præbeam, non ille mihi ita videndi: vocesque prætereuectus, vt vanas, & inanes, mei ipsius ero, hoc tantum emolumenti ex ipsorum improbitate percipiens, vt cautius in posterum vitam instituam.* Prudentes, & cordati viri (vt petis Vindiciane) nõ facile aurem præbebunt eiusmodi criminatoribus, quos Cretenses, hoc est mẽdaces iudicabunt, in quibus, vt dicitur, *nõ Pœna, sed Græca fides.* Quid si incidant eiusmodi criminatores in subsellia leuissimorum hominum, quibus anima pro sale est? rumores turpissimos ferent, vt de quibusdam sui temporis scripsit Hieronym. *& quod ab ipsis egressum est, id ab alijs audisse simulabant, ijdem auctores, & exaggeratores famæ de mendacio exeuntis, quæ cum ad matronas peruenerit, & earum linguis fuerit ventilata,* pre-

In Moral. præcep.

Ep. ad Furiam.

Orat. 3. de pace.

Ep. ad Eur.

prouincias penetrat. Quibus si è mendacio processisse famam suadere velis, *Atticos* (vt dicitur) *vel è Iouis tabulis testes* authores famæ conclamabunt cordati, hoc est, probatissimos, incorruptissimos; & te ludere velle (Vindiciane) excipient, dum famam scandalorum regularium omnium à te diffamatorum eleuas, & confirmas; eorum vero, quorum patrocinium suscipere simulas, occultas, & infirmas, vt cui dicto à te prolato etiam inter duo iuramenta, credendum sit, nesciant: nam si famæ cæterorum regularium credendum esse pronunciabis, non poteris famam clientum tuorum excipere, & dum excipis, insimulatorum à te Ordinum de multiplicitate scandalorum à fama defluentium, criminationes tanquam iniustas, & iniquas saltem, si non posuisti in testamento, in codicillo retractare tanquam ad salutem necessarium opus est. *Sed nihil ad Andromacham.* Salua enim reuerentia est virtutum Societatis, præcipuè humilitatis, etiam si ab abortiuis filijs viperinos fœtus imitantibus iniustè laceretur, quæ vt nec lædatur ab iniquis criminatoribus, nec à Grauina, vt tu malè sentis, nec tantilla credulitate violatur. Displicet, quod criminatores vindicans, te ipsum eorum choro inuoluis, cum de Grauina suspiceris talium hominum Exiesuitarum sinistris rationibus deceptum, vt superbiæ spiritu laborare Societatem existimarit. *Non facilè* enim ait Nazian. temerè suspicatur, *qui non facile ad malum impellitur.* *Orat. ad Patrem.*

VI. Causa opinionis de Societatis superbia, qua Turtur infamatur, abstergitur.

§. I.

VIND. AD quartam tãdem existimatam causam opinionis de Societatis superbia properans subdis. *Si Grauina in Societate quendam reformationis spiritum suspicatur, vel vocis nuncupatione abutitur, vel toto cælo aberrat. Reformatio potestatem cõplectitur, qua quæ deprauata fuerint, cum authoritate, & imperio in pristinum decus restituantur. potestas autem nonnisi à fascibus, & Pedo manet. Quomodo ergo Societas reformationem spirabit, quæ nullibi vspiam extra Ordinis sui subditos, quemquam potest per leges suas in obedientiam admittere?*

Cum semel cœperis temerè de Grauina suspicari, tribus capitibus, iam confutatis, nullum finem dicendi facis, quartum, & superaddens inanis suspicionis, Grauinianum sanguinem sugens, vt in te illud Horatianum dictum quadret: TVRT.

Non missura cutem nisi plena cruoris hirundo

Vbi Grauina Societati affixit, illam carpẽdo, quod omnia velit reformare? & quasi irrupto muro hostes aggressi essent ad debellandam Societatem, vt dicitur, *cũ hasta, & scuto* occurris? sed neutro proficis, hasta dum sphinges somniatas adoriris, scuto dum nec imaginatum telum eludere nosti. & quantum attinet ad scutum: authoritatiua reformatio eorum est, qui iurisdictionis authoritatem habent, vt sunt Concil. & Pontifices. Vnde in Concil. Aquisgran. vt dicata Deo loca *iuxta possibilitatem, in antiquum statum reformentur, præcipitur, & de religios. Dom.* Concil. Trident. sæpissimè. At possunt esse reformationis cupidi, qui reformandas religiones suadeant, vt nõ desunt in ciuitatibus multi Catones optima præcepta pro ciuitatum reformatione tradẽtes, & si nulla sint præditi potestate, qui tamen tunc veri relatores habentur, cum Catonianam seueritatẽ imitantur, vt prius se ipsos, deinde reliquos ab ipsis, si quid reformatione dignum est, reforment. vnde idem Cato reformatoribus eiusmodi seipsum præbens exemplum, dicere solitus erat. *Se omnibus peccantibus ignoscere, præterquã sibi ipsi.* Multum dissimilis illi Næuio, qui car- *Cap. ... pud ... lib. ... Cap. ... quam ...*

carpens alios, sibi cōdonabat omnia, quales quoque multi sunt reformatores tertij generis, censorium (vt dicitur) supercilium habentes, tanquam legati sine mandatis, vt Homerus ex Aulo Gellio dicere solebat in Odissæa, taxans aliena curantes oculo censoriano, attendentes

Aedibus in nostris, quæ praua, aut recta geruntur.

Qui tamen à se ipsis prius incipere deberent, quam alios reprehendere, vnde Hor.

Multa quidem nobis facimus mala sæpe Poetæ
Vt vineta egomet cædam mea.

L.1. ep. 8. ad cler. Hi sunt de quibus Petrus Damianus scripsit, *qui sub Monachicæ professionis nomine, plebibus imperant, qui in angulus constituti, tamquam in tribunalibus siue prætorijs Pragmaticæ sanctionis iura promulgant, qui alios lacerando, & mordendo sibimet rigidæ iustitiæ priuilegium derogant, quid in humilitate crucis Christi inter Monachos agatur, ignorant: & hoc prodigium deputant, quod alij quotidiani vsus assiduitate frequentant.* Hi pariter sunt noui Pharisæi, qui minima aliorum, maxima, & eorum maxima peccata, minima arbitrantur, de quibus dixit Saluator: *liquantes culicem, de-* Math. 23. *glutientes Camelum*, & iterum. *decimatis anethum, & ciminum, & relinquitis, quæ grauiora sunt legis*, hoc est Sanct. Gregor. interprete, *minima mala discernitis, maiora deuora-* 3. p. cur. past. c. 34. *tis*, & de minimis inter olera exemplificauit, *quæ bene olentia memorantur* (ait idem) *vt profectò ostenderet, quia simulatores, cum parua custodiunt, odorem de se ostendere sanctæ opinionis quærunt: & quamuis implere maxima prætermittant, ea tamen minima obseruant, quæ humano iudicio longe lateq; redoleant.* Hinc perfectorum rigidissimi censores, si in minimis delinquant; sibi ipsis palpones, si maxima perpetrantur. Hanc praxim aduersus collegium Apostolicum exercuerunt ijdem Pharisæi, dicente Euangelista, Mat. c. 15. *Tunc accesserunt ad Iesum ab Hierosolymis Scribæ, & Pharisæi dicentes: Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum, non enim lauant manus cum panem mãducant?* In quem locum aduertit Chrysostomus, ab Hierosolymis illos Scribas, & Pharisæos venisse, quoniam & si per omnes tribus in duodecim partes erant disseminati, *nequiores, ait,* Hom. 52. *alijs Hierosolymitanos fuisse, non est dubitandum, quia cum maiores honores consequerentur, plurimum sibi arrogabant.* & diligenter pensanda est particula *Tunc*, quæ ponderata est ab Euangelista, ex eodem Chrysostomo, *vt magnam eorum malitiam ostenderet.* ac si diceret, *tunc*, cum comederant domos viduarum, cum circuierant mare & aridam &c. primas cathedras ambissent, tunc veluti legumlatores accesserunt maioribus irretiti culpis, de minimis Apostolos censurantes; & quod peius est, de ijsdem minimis criminibus falsò eosdem inculpantes. nam nec adeo erant inurbanè discipuli educati in domo optima, vt aduertit Chrysologus *incultis, & lutulentis ma-* Chrysol. *nibus edere, quando istud, neque natura patitur,* ser. 71. *neque hospitalitatis admittit affectio, &c. sed superstitionis suæ baptismata perquirebant.* nam Cap. 7. (vt dicit S. Marcus) *Pharisæi, & omnes Iudæi nisi crebrò lauerunt manus, non manducant: seruantes baptisma calicum, & vrceorum* &c. aduersus quos reformatores tertiæ classis sic idem Chrysol. declamauit. *Pharisæe, quid te mundum credis, cum omnia tua, tuo sint polluta conuiuio? in foro tu de innocentis sanguine disputasti, de rapienda pauperis substantia perquisisti, perscrutatus es qualiter libertatem adduceres seruituti, & cum interiora tua tanto sint confecta crimine, quomodo exterior lauare, & mundare sufficiet aqua?* pluribus tu indigebas baptismatibus inter conuiuandum, cum manus tuæ ex adipe agnorum, & pinguium perungerentur, vnica lotio discipulis sufficiebat, quibus siccorum vsus erat familiaris, & vel solæ spicæ manibus attritę sum-

summas in refectione delicias ministrabant. Sed si aqua frequenti manus non madebant, rotantes semper erant oculi eorum, exitus aquarum deducentes: oculi vero tui in terram declinati, siccissimi, vt nec rore cœli, lachrymarum dono humectarentur, manus vero, affluenti viduarũ, & pupillorum substantia velut aqua abluerentur. *Quid igitur Christus?* ait Chrysostomus. *Non restitit eis, neque causam discipulorum dixit, sed statim recriminatus est: Quare, & vos transgredimini mandatum Dei propter traditiones vestras? vt audaciam eorum reprimeret, atque ostenderet, non oportere illos, qui delinquunt in maximis, pro paruis aliorum criminibus adeò moueri, vt diligentiores eorum trutinæ subycere velint. Non enim accusari debet, qui accusandus non est &c.* propterea, vt idem mox aduertit, maiora in caput illorum crimina ingessit.

VIND. Sequeris Vindiciane. *maiori autem grauißimi nominis ab vsu vulgus imperitorum reformationem vocat, quicquid ad emendationem vitiorum consilij, vel hortatus attuleris; quo pacto si Societas superbiæ famam, & odium incurrit, viderit Grauina, quomodo suam matrem ab eiusdem criminis suspicione liberare velit. De illa enim ingenuè fatetur, quod disputando, scribendo, concionando, publicis priuatisq; congreßibus se velut ciuitatem, & murum aneum hæreticis furoribus opponat. Etiam hodie,* inquit, *huius vineæ palmites, id est præclarißimi sanctitate Viri occurrent, quos orbis imitetur. quorum sentiat virtutum fragrantiam, quibus mirificè oblectetur, currat in odorem vnguentorum sponsi pulchritudinem inspiciens, sentiat ex eorum vultu virtutis desiderium, sentiat doctrinæ eorum influxu plures in suo animo, quàm cœli rore in Conchilijs margaritas generari, sentiat eorum luce desideria ad cœlum assurgere, non secus, ac stirpes, & germina Solis exortu, sursum eriguntur.*

TVRT. Tu Vindiciane reformationis vocabulo abuteris, nolens illud nomen ad consilia, & multò magis ad exempla extendi, & quando Turt. reformationis genus Societati tribuisset, vt suæ attribuit, à scopo non aberrasset, non enim ex attributo hoc reformationis genere Societati, aliquod præiudicium generatur, nec enim tantum consilia, & hortatus, sed bonorum exempla mũdo immutationem, renouationem (dicas, reformationem, & perfectionem) suadent, dicit namque Gregor. *Plerumq; ad exercenda bona opera aliena nos exempla persuadent. & cum mente humili opinionis alienæ bona suscipimus, nostra, vel melius bona producimus, vel ad bonum mala permutamus. Cumque nos de vita proximi famæ splendor irradiat, mens nostra, vt prædiximus quæ ad obtinendum virtutis iter se dirigit, quasi in Lunæ lumine gressus ponit.* Propterea, quæ ad reformationẽ multum faciũt, de verbo, doctrina, litteris, virtutum exemplis suam Religionem Dominicanam Turtur commendauit p. 1. ca. 25. vt nec Societatem celebrare omisit. Interim meminit cum Aug. à te citato, quod non solum Societas, sed & omnis cœtus religiosorum, *qui laudari vult ab hominibus vituperante te [Deo] non defenditur ab hominibus iudicante te, nec eripitur damnante te,* quod tunc fit, cum in nostrorum institutorum laudatione sistimus ad Deum non referẽdo, & nos ipsos inspiciendo, dũ enim hortationibus, consilijs, exemplis mundum reformari existimamus, interius tunc deformamur. nam vt dicit idem Gregor. supra, *sicut ex aliena opinione proficimus, ita plerumque si famæ nostræ laudibus inhiamus, à virtute vacuamur: quia cũ delectatur animus in hoc, quod de se extrinsecus haberi considerat, illud obliuiscitur, ad quod introrsus anhelabat.*

§. II.

Ad religionis quoque Societatis Iesu virtutem humilitatis penetrandam. *Inde* (ais) *Grauinam ad quodcumque malueris Societatis*

cietatis domicilium. illic instar S. Ieremiæ nouis istis Rechabitis crateres, & vina præstantißima apponemus, videlicet gemmatas mitras, & auro rigentes fibulas, purpuram cum aurora certantem, & quicquid in Ecclesia Dei splendidius fulget. Videbis, & audies, qualia, nec ipse, neque Zenone, aut Seneca rigidior arbiter capere animo poßit. Miratus. sum quando in dedicat. Tui turis legi Cynosuram tui opusculi S.R.E. Cardinalem delegi, & quidem illum quia in minoribus, in S. Dominici familia ita floruit, vt è Prædicatoria toga immediatè, ob egregias animi dotes ad pallium cardineum totius orbis admiratione, & plausu transierit. Tales ergo ad Cynosuras Societas non conuertitur, ad eiusmodi pallia flores suos non educat, neque ad plausum orbis familiariũ suorum dotes extollit, & tamen humilis est Prædicatorum Ordo, & superba Societas.

TVRT. Et hic Vindicianus antequam vt crateres, & vina præstantissima apponat nouis Rechabitis, ipsemet ostenditur Κράτηρ κακῶν *crater malorum*, seu, vt de litium authore quodam scripsit Aristophanes *crater malorum, sator litium*, per quem calumniatorem designatur, in quo vinum propinet, non generans virgines, sed animas apostatas. Si mitras, & purpuras in tanta multitudine in Societate nõ reperiẽt, vt in alijs religionibus in immensum numerantur, non propterea ex sola carentia humilitas argui potest, vt nec ex earundem dignitatum possessione superbia, vt ironica illa conclusio tua digna sit censura, *& tamẽ humilis est Prædicatorum ordo, & superba Societas.* plerumque enim accidit, quod de graphio, vel calamo quis magis reclusus eremicola complacere sibi possit, quam venerabiles multi Pontifices de gemmatis thiaris. Ordinaria hæc sunt scommata Vindiciane tuorum Symmistarum, quæ in Ecclesiam Romanam, his dignitatibus ornatam iaciuntur, & venerabilem eius maiestatem blasphemant, tanquam fastu, & ambitione sæculi turgidam, & typho superbiæ inflatam, vt & passim audeant Protestantes, eandem blasphemo ore, vocare Romam purpuratam meretricem, & Babylonem aureum calicem habentem, vinumque erroris, & deliciarum huius seculi mortalib. propinantem. Quomodo aduersus Cardinalitiam dignitatem, sub humilitatis cõmendandæ zelo, tuus pugnet contubernalis M. Antonius de Dominis (ne latum vnguem discedens à Protestantibus) eiusdem ornatum, *ad Apocalypticum scortum* deferat aduersarius, audiamus, num. 55. sic obmurmurantem. *Proh dolor, vile palliolum, flagrante iam clericali iniuria, adhuc tamen erat proprium clericorum, hoc est, Ecclesiasticorum virorum indumentum: nunc vero tandem ad purpuram deuentum est, quæ Regij decoris insigne est.* n. 41. *coccinatos, & trabeatos rursus Cardinales appellat, vt Sicula dapes, & Attalica ornamenta, & vasa Corinthia, si hæc inspicias nullius precij dici poßint, vt maxima iniuria fiat Hieronymo, dum Cardinalis depingitur, dum vili palliolo fuit semper contentus, & vestimentorum fastum in Clericis tantopere reprehendit: & noluit in vlla Ecclesia incardinari, Monachali profeßione, hoc est, à clericali remotißima contentus.* 4. de R[illegible]. c. 4.

Non in illa purpurata meretrice Apocalyptica Ecclesia descripta, sed in muliere forti in Prouerbijs designata, quam Ecclesiæ typum gessisse, demonstrat non semel Augustinus. Inter cætera eius ornamẽta *byssus, & purpura indumentum eius.* Vnde, & quæcunque de futuræ Ecclesiæ gloria, & splendore vaticinati sunt Prophetæ, ne dum spiritualiter, sed & carnaliter, vt ille loquitur, id est, corporaliter, adimpleta fuisse, non semel in suis cõmentarijs demõstrat, vt cum dicitur: *ponã te in superbiam seculorum: mamilla regum lactaberis:* & Ezech. *vestiui te discoloribus, calceaui te Hiacyntho, & cinxi te bysso &c. & dedi coronam decoris in capite* Prou. c. 3[illegible] Es. 49. Ezech. 16.

pite tuo, & ornata es auro, & argento &c. ad dignitatem enim Prælatorum Ecclesiæ, & florentissimi Cardinalium consessus, super quos posuit Deus orbem, hæc ornamenta conducebant, vt multò precio sior à carnalium oculis haberetur dignitas, quam quod exteriori ornatu exprimeretur: intelligerentque Præpositi Ecclesiatū, per hæc signa extimulari in Regio isto apparatu Apostolicum splendorem, habere debere, & magis cœlestibus micare radijs, ac proinde cœlestibus coruscare fulgoribus inuigilandum, superaddito nitore virtutum. Quare sicut nec loca sacra auro, speciosa supellectili expolianda sunt, cum hæc conferant ad decorem domus Dei, nec eadem à Prælatis abdicanda, cum sint instituta ad ornamentum, & decorem ministrorum Dei. Neque enim protinus ad superbiam inducit nobilior; & preciosior amictus; notum illud Esther Reginæ:

Cap. 14. *Tu scis, quod abominer signum superbiæ & gloriæ meæ, quod est super caput meum in diebus ostentationis meæ, & detester illud quasi pannum menstruatæ mulieris*, nam sub ijs ornamentis tot sanctissimi proceres prodierunt, vt stellas, & arenā numerare q̃ eos recensere, facilius sit. Verum est, quod perituri huius seculi luxus sub auro designatur, in quo ait Gregor. loco cit. lib. 33. ca. 13. nitor gloriæ temporalis exprimitur, sicut per Prophetam dicitur: *Calix aureus Babylon, qui propterea aureus dicitur*, quia dum pulchra esse temporalia ostentat, stultas mentes in sua conscientia inebriat (non Rechabitas) vt speciosa temporalia appetant, & inuisibilia pulchra contemnant, sapientes vero non, propter hæc quæ cernunt temporalia, in ijs defigunt obtutus, sed propter aliud, vt amentur, & honorentur, non in se sed propter Deum, cuius sunt ministri, & cum præsule Augustino sub infulis positi

10. cōf. 36. quotidie clamāt: *Deus qui superbis resistis, humilibus autem das gratiam, & intonas super ambitiones seculi, & contremiscunt fundamenta montium, quoniam nobis propter quadam humanæ Societatis officia necessarium est amari, & timeri ab hominibus, instat aduersarius veræ beatitudinis nostræ vbique spargens in laqueis, vt à veritate tua gaudium nostrum deponamus, atque in hominum fallacia ponamus, libetque nos amari, & timeri non propter te, sed propter se: tu nos posside, prætende alas tuas, & fugiamus eas: gloria nostra tu esto, propter te amemur, & verbum tuum timeatur à nobis.* Hæc humilis vox eorum qui sub mitris, & purpureis vestimentis magis onerati, quam ab hominibus honorati, vt si conferantur, cū religiosis domibus, multo perfectiores sint sanctissimorum Prælatorum laquearia, casellis vimineis scirpis contextis Ægypti Eremicolarum, & sub senatoria veste cilitio induti, de se humiliter sentientes præcelsiores, ijs qui sub humili palliolo alta sapiunt, & ambiunt, & ambulant in mirabilibus super se.

Hos mirandos, quos & commemorandos, Summos Pontifices, Cardinales, Episcopos, omnium Ordinum, & suæ religionis exhibuit Turtur, non vt fastum, & exteriorem pompam spectandā, & ambiendam proponeret, sed vt eleuaret diuinissimi Ordinis Prælatorum maiestatem, & religiosorum familiarum splendorem ex mitratis, & purpuratis (vt fecit Platus de bono Religiosorum statu) demonstraret, vt si ex his elogijs sacrorum Ordines, ambitione, & fastu seculari inflatos criminetis, scias non tam te illos lædere, quam Apostolicam Sedē cum suo Purpurato Collegio, vniuersalemq; Ecclesiam vt ornatā sponsam paratam viro suo lacessere superba humilitate, quæ si non sapias, non solū tibi taciturnitatem imperabit, sed rogu impositos libros, & si non resipiscas, te quoque ob pertinaciam concremabit.

§. III.

§. III.

VIND. Prosequeris Rechabitarum officiosam receptionem ad cellaria sponsi inuitando, vtinam ordinata charitate, quam qua polles garrula & indiscreta loquacitate. *Deinde ais. offeremus ei magnorum officiorum nomina quibus Grauina Turtur gaudet, Doctorum S. Theologiæ, regularium Professorum, Archiepiscopalium adde, electorum Imperij consiliariorum, S. officij inquisitionis assessorum, Regum, & Induperatoris confessariorum, & quicquid sublimius mundi fastus spumare possit. Quid nobis respondebunt? Quid in patentibus, & omnium literarum fronte emicat, Societatis Iesu Sacerdos, vel religiosus? & adhuc Societas superba.*

TVRT. Et hi omnes tituli, si secundum se spectentur, & ambiantur ad inanem fastum pertinent, sed si in ordine ad decorem domus Dei habeantur, & ad Dei gloriam ordinentur, magnum meritum subministrant. Varios titulos, & munera in Ecclesia, tanquam Ecclesiæ ornamenta tradidit Apostolus, & *quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos, secũdo prophetas, tertio Doctores.* Nescio, dum ad spumam huius mundi pertinere dicis eiusmodi nomina, si odorem Wiclephicum, vel Guillelmicum spires, qui sub humilitatis prætextu hæc nomina ableganda dogmatizarunt, ne vocarentur religiosi *Rabbi*, hoc est *Ecclesiarum magistri*, quos vterque Thomas vnus Angelicus, Vvaldensis alter abundè confutarunt. Verum est ex Aristhene, quod vulgus hominum è structuris, statuis, trophæis, ac libris sibi promittit immortalitatem, & ij sunt de quibus scriptum est *vocauerunt nomina sua in terris suis*, cum magis ex Aristhene appetendi immortalitatem, vnica via illa eligenda sit, iustè, pieque viuere, & curare, ex Saluatoris doctrina, gaudere quod *nomina nostra in cœlis descripta sint*, *Titulos Saræ, Rachelis, & huiusmodi* (ait Blesensis) *quandoque vaga, & vulgaris opinio præscribit, & abolet nequitia in moribus, seruitus in peccatis: tamen ad designanda munera, & officia* ad Eccles. & ordinum decorem meritò hic nominũ vsus laudabilis atque spectãdus, & vt qui eis decorãtur suæ obligationis memores, ad ea ipsa obeũda munera exequenda feruentius accendantur, cœlestem Hierarchiã imitantes, secũdum, quod sortem suæ vocationis acceperunt, vt latè prosequitur Gregor. ostendens in his muneribus, cum eorundem nominum distinctione in Ecclesiæ Hierarchia cœlestem exemplatam. Et sicut in terrena Republica ex diuersorum officiorum, & statuum distinctione, terrena seruatur Respublica (ait S. Thom.) & ita in Ecclesiastica Hierarchia, & in particularibus Religiosorum cœtibus, vbi, qui eiusmodi muneribus præditi sunt, alios qui hos titulos à se abdicarunt, inani elatione se ipsos non præferant, *qui vero*, ait Gregor. *in se minora cognoscit, alijs maiora non inuideat, quia & superna illa distinctiones beatorum spirituum, ita sunt condita, vt alia alijs sint prælata*: & dum titulis istis onusti, nulla elatione intumescunt, qui illis sunt denudati, nequaquam præpostero affectu concupiscant. *Vt enim* (ait Dorotheus) *indutus, qui purpura & serico, si ei iniciatur lacerna immunda, declinat illam, & fugit, ne indumentum preciosum contemnat*; sic sancti viri virtutes (adde & officia, & alias gratias gratis datas) *induti, humanam gloriam deuitant, ne ab ea dehonestentur. Qui autem gloria cupidi sunt, hi mihi similes modò videntur, qui vsquequaque circuit, vt lacernam inueniat, vel aliud quidpiam quo possit nuditatem suam tegere*: ita virtute (vel his titulis, & prærogatiuis) spoliatus, humanam gloriam qua se obumbret, sectatur.

1. Cor. 10. — *7. Apoph.* — *Psal. 48.* — *Luc. 10.* — *Ep. 3.* — *Hom. 34. in Euang.* — *S. Th. 2. 2. q. 182. art. 2. ad 2.* — *Doct. 2. de Humilit.*

§. IV.

VIND. Ad alia fercula vrbanus conuiua Re-

Ee cha-

chabitas inuitat, dicens: *iam illorum etiam frontem, ac supercilia considerabimus, qui paulò ante Rectorum, Præpositorum, Prouincialium, Visitatorum, ac Professorum in Vniuersitate, inclyta munera, non sine multorum satisfactione gesserunt, nunc autem depositi inter reliquos Societatis filios priuatim degunt. Quot inuenies exemptiones, præscriptiones, prærogatiuas & indulgentias, præteritis laboribus & in omnes beneficijs collectas? neque micam præ cæteris sacerdotibus reperies. Abi Grauina, si audes, florentissimorum Ordinum tuorum Prælatos redige in ordinem, & iube proximum Nouitijs locum recipere, vti superba facit Societas.*

TVRT. Deuicto Perseo, cum epulum exhiberet conuiuiale, P. Licinius dicebatur eiusdem esse artis, & aciem benè instruere, & conuiuium exhibere: illam vt hostibus sit quàm maximè formidabilis, hoc vt amicis sit iucundissimum. *5. Apoph.* Neutrum præstat Vindicianus, qui nec acies dirigere potuit, nec conuiuia exhibere. Quid ergo post crateres alia fercula ponit? Nouissimum locum Rectorum, Prouincialium, Visitatorum expletis officijs, sine vlla prærogatiua, exemptione, priuilegio &c. Sanctum, & laudabile institutum est, *3. mor. c. 13* *quando*, vt inquit Gregor. *humilitas locus bonorum est, de quo per Salomonem dicitur, Eccles. 10. [Si spiritus potestatem habentis* (nempe tentationis) ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris] laudabilia quoque illa instituta, vbi ordo in sessionibus, & publicis actibus obseruatur secundum gradationem, vel professionis Ordinem, quem cernimus multo magis eximia maiestate seruari in Concilijs, in Consistorijs secundum consecrationis tempus, & huiusmodi: vnde ad decorem Ecclesiæ ea pertinent, dicente Dauid. *Deus in domibus* *In psal. 47* *eius cognoscitur [vbi alia littera habet] in gradibus eius cognoscetur.* Quare, vt honor est præmium virtutis, & ad Dei honorem, & pulchritudinem religionum ordinatur, sic potest esse Christianæ magnanimitatis obiectum absque vllo humilitatis præiudicio, & circa idem obiectum materiale honoris versantur humilitas, & magnanimitas ex S. Tho. *vbi enim humilitas reprimit* *2. 2. q. 161. ar. 1. ad 3.* *appetitum ne tendat, in magna secundum rectam rationem, magnanimitas ad magna impellit secundum rectā rationem* Quare qui honore afficiuntur eis secūdum virtutem exhibito, reprimendo se ab elatione, laudabiles sunt: similiter ex eodem S. Thom. *qui contemnunt honores, hoc modo, quod pro eis adipiscendis nihil inconueniens faciunt, nec eos nimis appreciantur, laudabiles sunt. Si quis autem hoc modo contemneret honores, quod non curaret facere, quæ honore sunt digna, hoc modo vituperabile esset.* Sic faciunt magnanimi ex eodem S. Thom. ibidem, facientes, quæ honore digna sunt, non tamen pro magno existimantes humanum honorem. Qui verò humilitatem prætexentes abdicationem honorum, ad humilitatem pertinere, ad superbiam verò eorundem inuestituram pronunciant, multiplici pœna digni, quod virtutem sua corona priuant (honor enim est præmium virtutis) & de virtute benemeritos irremuneratos relinquunt, quoad fieri potest, cum tamen Apostolus absque humilitatis præiudicio protulerit. *Qui benè præsunt presbyteri, duplici ho-* *1. Tim. 5.* *nore digni* habeantur: duplici, ait Theodor. id est, ampliori, vnde non tantum exteriorem reuerentiam, ex S. Hieronym. denotari dicunt interpretes, sed officium significari, quod præstari debet alicui, ob ætatem, aut dignitatem, aut meritum, quo venerabilior reddatur, vt debeatur ijs, qui maximè laborant in verbo, & doctrina, dummodo hæc, iuxta constitutiones sacras eorundem Ordinum, regulentur: nam vt Arist. dixit in Politicis, vt præseruetur Respublica ab indebita distributione

tione honorum, ac dignitatum, oportet obseruare, quid circa eorundem distributionem est lege dispositum, maximè ne dentur excedentibus suam proportionem, vt si dentur immeritis &c. Cum ergo & præcedentiæ, & exemptiones benemeritis statutæ ex legibus religiosorum, summa prudentia, & consilio ad eorum decorem, & conseruationem, longo iam tempore, & experientia, deprehendantur, nonnisi summæ dementiæ, & malitiæ est, eadem statuta, vt humilitati contraria, tentare conuellere, & vbi introductum id non est, ordinationes vetustas immutando, introducendum tanquam melius cogitare bonum non est. Vnaquæque religio in suo sensu abundet. Scimus Atheniensibus demandatum, non licere magistratui legem facere de viro, nisi eadem ad omnes Athenienses pertineret; cæterum quæ Monarchiam, imò Ecclesiasticam Hierarchiam imitantur, sua habent distincta loca, & subsellia, prærogatiuas, & priuilegia, vt sint velut castrorum acies ordinata. Nec illæ exemptiones, nisi quis malè abutatur, superbiam arguunt; & vt in gradu suo staret Daniel, hoc est, in Ordine prophetarum, voluit Angelus, sic eum alloquens. *Surge, & sta in gradu tuo:* de ijs quoque qui benè ministrauerunt ait Apostolus, quod *gradum bonum sibi acquirent*, hoc est, S. Thom. interprete, *promoueri merentur ad altiorem gradum*, vnde scriptum est: *Quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituã, licet non est in hoc eorũ finis* (ait S Tho.) *sed cum hoc remunerationem habent à Deo:* & Iob dicit. *Per singulos gradus meos pronunciabo illum:* de quibus gradibus ait Gregor. scriptum esse: *Deus in gradibus cognoscetur cum susceperit eam:* vbi & si sermo sit de gradibus meritorum, etiam locus ille pertinet ad officia, quibus Deus quoque glorificatur in Ecclesia, per Magisterium, & sapientiam; vnde subdit Gregor. *vt enim prima elementa virtutum fidem scilicet, & sapientiam loquar, obtineri singula perfectè nequeunt, nisi ad hæc distinctis, ordinatisque modis, quasi quibusdam gradibus ascendamus.* Vnde in Academijs ad obtinendam sapientiam Theologicam varij gradus, & aureolæ pro Lectoribus, Baccalaureis, Magistris, qui multum prosunt Ecclesiæ, cum eorundem prærogatiuis, institutæ, vt de graduationibus, & huiusmodi murmurare, VVicleph hæresim sapiat, obmurmurantis: *graduationes vana Gentilitate introductas, & tantum prodesse Ecclesiæ sicut prodest diabolus*, & priuilegia eis præscripta denegare sit boui triturantis os alligare. Alexander Magnus (vt dicebat Plutarchus) Bucephalum iam senem ab alijs equis gestandum curare solitum, donec ad hostem ventum esset, vt integer ad pugnam veniret. Ita senum Magistratu est vtendum opera, vt eis adimatur quantum potest laboris, & ad necessitatem vsus illorum reseruetur. Qui ergo gradus cum exemptionibus habent, non habentes nequaquam spernant, ne in superbiam incidant, & in laqueum diaboli; qui verò non habent, habentes cum eorundem statu non sugillent, ne ex superba adiudicatione in erroris Wiclephiani paulatim incidant inextricabilem labyrinthum.

Demost. ora. contra Arist. — *Dan. 10.* — *1. Tim. 3.* — *Matt. 15.* — *Cap. 31.* — *22. mor. c. 14.* — *Ex Conc. Constant. sess. 8. art. 29.*

§. V.

VIND. Seruat bonum vinum pro vltima conuiuij periodo Vindicianus pro Rechabitis. *Adhuc spectabimus illos* (nempe Patres Societatis) *qui in medio suorum Ministeriorum cursu, magnificè sæcularibus suspiciuntur, ob rem ex fida arte congeri solitam, domum enim regressi planè, vt S. Anselmus de se suisque iucundè gloriabatur, Noctua nocte sunt, nullius commodi gratia supra infimum eminent, de quolibet*

errato, vti quisque alius inferioris notæ, publicè corriguntur. Tu mihi istam Societatis superbiam peritus Aruspex exentera, & inspice an B. Chatherinæ Bononiensis doctrinæ consentis, quæ cum de charitatis neglectu quereretur, nonnisi in libris scriptam, & in parietibus depictam cerni, & quos ea fulgure oporteret, oculos auertere, plus timere iudicia humana, quam diuina, aucupari proprium honorem, & famam, nec imitari, vitam Saluatoris, hanc ipsam mox liberatoris nostri vitam tali Epitome contraxit, qui negligi, sperni, &c. falsoque accusari voluit, omniaque ob animarum salutem tolerauit.

TVRT. Intra tuam pelliculam (elephantino corio circumtectus, vt Plautinus ille, & iactabundus miles) te contine Vindiciane, tibi dicit Martialis

Lusisti, satis est, sed te mihi crede memento
Intra pelliculam cerdo tenere tuam.

Potest enim fieri, si cum Apolline audes certare immemor conditionis tuæ cum Marsya excoriatus, tua pelle exuaris. Credo eos, qui magnificè à sæcularibus suscipiuntur, & honorantur, domi regressos velut Noctuas inter Noctuas esse, hoc est, omnes æquales, vt non vnius super alium sit eminentia ex reportato commodo, & emolumento. Non puto (nisi ad mordendum omnes promptum, his etiā volueris detrahere) te voluisse cliētes tuos Noctuis Laurioticis assimilari. De quibus Aristophanes in auibus.

Noctuæ vos non relinquent Lauriotica, sed hæ
Aedibus aderunt, in ipsis inque loculis nidulos
Sibi parabunt.

Erat Laurios Attica regio venis auri frequens, propter quod numismatibus aureis noctuarum figura insculpebatur. Non harum noctuarum symbolo (si id intendebas) spectabiles noctuæ, sed quia illæ noctuæ sunt de quibus dicitur: *factus sum sicut* Psal. 101. *Nicticorax in domicilio [vel vt alij vertunt] Nicticorax ruinarum*, super peccata populi, & (ex tua attestatione) defectus Religiosorum lugubres eiulatus emittētes. At nimis à te restrictum, hos esse solos Hieremias, cum & alij sint, imò omnes consurgentes in principio vigiliarum suarum, canentes, & plorantes in valle plorationis canticum graduum, qui & Odæa statutis horis replent, & capitula, id est, loca (vbi culpas confitentur) ad disciplinas, & flagella parati Non opus est, vt Grauina Societatem exenteret, vt peritus Aruspex, cum crucis, & Saluatoris mortificationem, vt & cæteræ, in suo corpore pro Iesu nomine portent. Iuliani superstitio fuit, cum suis Aruspicibus, exta animaliū (ex Nazianz.) Orat. 1. in Iul. obseruare, de quo ferunt, quod cum ipse sacris operam daret, exta animalium coronatam crucem edidisse Verbo Dei hoc seruatum est, de quo Paulus: *viuus est sermo Dei, penetrabilior omni gladio, pertingens ad diuisionem animæ, & Spiritus, compagum quoque & medullarum cordis*, subtili anatome, veras Heb. c. 4. virtutes à simulatis distinguens, vt non sit nostrum diuinam artem præuenire, qui & consilia cordium manifestabit suo tempore, & tunc vnicuique laus erit ex Deo, vnicuique tribuente iuxta opera sua.

VIND. Postremò humilitatem Societatis ex ipsomet Grauina probas ex par. 2. c. 30. dicens. *Sed iam Societati æquior Grauina elegans ē vaticinijs S. Vincentij Ferrerij pro Societatis humilitate testimonium producit, quin syncerè nolim dubitare, ita enim illic in eiusdem laudes effunditur, vt attentus Lector iuraret, Grauinam neque hactenus relata, neque quæ inferius sequētur contra Societatem vnquam in pectus admisisse. Viderit ipse, quo colore illam in mente sua depinxerit, simul, vt ater & albus sit, credi non debet. Quicquid tamen. S. Ferrerius olim de Societatis Ordine prædixerit, negare nobis Grauina nequit, cum ad illa se maximè, & gratis demittere quæ cæteri in Clero, & regularium Ordinibus, vt plurimum refugiunt, quod quidē,*

in quo humilitatis gradu Grauina collocare velit, non moror. Prudens Lector nullum in tali subiectione superbiæ vestigium inueniet, nihil quod homines ambitiosè quærant, vel suadeant. Qui stultitiam arte simularunt, quorum egregia facinora Climacus. & Raderus prolixè memorant, altius non descenderunt, si maniam excludas, quam in Societatis familia vsitatam reperias. Illi viam se omnibus subijciendi, per similitudinē insaniæ quæsierunt, Societas prudentiori consilio cumulatè inuenit, meminit cognominis in cunis accepti scilicet minima: ideoque supra Libani Cedros exaltari nescit.

TVRT. Syncerum testimoniū Grauinæ, quod te fatente tale esse à Lectoribus iuraretur, & si verbis fatearis, suspectum reddis, nec illi credendum, *quia albus, & ater sit*, hoc est Dominicanus nigro, & albo vestimento indutus. Scitè tibi adaptatur, quod Seneca pronunciauit. *Quomodo stomachus morbo vitiatus & colligens bilem, quoscumque accipit cibos mutat, & omne alimentum in causam doloris trahit: ita animus cæcus, quidquid illi commiseris ad onus suum, & perniciem, & occasionem miseriæ facit.* Quare non mirum si synceritatem Grauinæ suspectam velis reddere, & prouerbio (ad contemptum indicandum) Catullo in Cæsarem Ciceroni, & alijs vsitato, mordeas, & in albedine probitatem, in nigredine improbitatem designare studeas, vnde & Chusi vocatus est filius Iemini Dauidem persequens; Chus autem nigrum, & Æthiopicum (vnde Chussia Æthiopum Regio appellatur) colorem, vel improborum mores protendit. Melius dixisses. Si in eo habitum laudasset Dominicanum cum D. Catherina Senensi, quod nigredo austeritatem, & mortificationem significat, vt albedo puritatem, ac proinde eundem habitum induto, ex ordinis reuerentia, credi quam maximè debere. Sed non id cogitauit Vindicianus, nam cum veste nigra inconfidentiæ (inconfidentes enim nigri dicebantur ex Cic. & Horatio) alba habet præcordia λευκας φρενας, quod ad stolidos transfertur. & insulsos, & emotæ mentis homines, album enim maximè emouet visus organum vt concinnè denotabat antiquitas.

5. de benefic ys.

Gen in psal. 8.

Serm. I.

Sancti Vincentij testimonium per accommodationem, si non ad litteram, quid prohibet Venerabilibus Patribus Societatis adaptari? quos in eo, quem cupiunt, & volunt, humilitatis gradu collocat sine vllo vestigio superbiæ, quale tu fingis à Grauina esse deprehensum, quod etiam si deprehendisset, obliterasset. Quod addis [multos stultitiam arte simulasse, viam inquirendo per simulationē insaniæ omnibus se subijciendo, è contra Societatem cumulatè inuenisse, quippe qui meminit cognominis in cunis accepti, scilicet *minima*, ac proinde nescientem se exaltari super Cedros Libani.] optima antithesis est, & commendabilis Societatis hûmilitas, & detestabilis conditio humilitatem fingentium, qui si vel minimum tangantur, velut montes fumigant, & cum illo deliro sene, de quo fit apud Cassianum mentio, tanta tristitia absorbentur, vt amaritudinem corde conceptam, ne vultu quidem dissimulare possunt, propter quod concludit Cassianus. *Vera est cordis humilitas retinenda, quæ non de affectata corporis atque verborum, sed de intima humiliatione descendit. Quæ tunc demum euidentissimis patientiæ suæ patebit indicijs, cum quis non ipse de se crimina ab alijs non credenda iactauerit* (v. g. vocando se superbum) *sed ab aliis arroganter ingesta contempserit, & irrogatas iniurias mansueta cordis æquanimitate tolerarit.*

Coll. 18. c. 19.

CAPITIS XIV. ANIMADVERSIO.

Vbi Societatis posteritati Grauinam malè ominatum, falsò Vindicianus confingit.

SVMMA CAP.

Nullum malum omnem imprecatus est Turtur Societati, si non omnes sodales, nec semper dixerit fuisse, vel fore disciplina regularis amãtes. Nulla enim religiosa familia id assecuta vt, omnes etiam cum initio ferueret, essent, vel futuri sint sine macula, & ruga. Frustraque laborat Anonymus distinguendo in religionibus tres classes, Perfectorum, mediorum, infimorũ, vt saluet discretionem puræ massæ ab impura, cum etiam inter perfectos loliũ admisceri possit, & huius vitæ instabilitas, vetustas huiusmodi, non repromittant nisi ex speciali priuilegio, id doceatur, floridum, & perennem, in omnibus cuiuscumque communitatis statum. experientia id docuit in vetustis Ordinibus, variis etiam calamitatibus, & persecutionibus subiectis, quas in tanto excessu, iuuencula Societas experta non est.

PRæceptum olim à Domino: *Non induas vestem ex lana linoque contextam.* Tunc autem *quis*, ait Gregor. eam induit, *cum intus subtilitatem malitia operit, & simplicitatem foris innocentia ostendit. Quia enim sub puritatis imagine deprehendi calliditas non valet, quasi sub lana grossitudine linum latet.* *Deut. 22.* *8. mor c. 31*

Hoc facit Vindicianus simulans innocentiam clientum offensam, vt sub hac suã calliditatem maledicẽdi Ordinibus velet, ait ergo. *Quoties Grauina in Societatis laudes incurrit, intimum diceret familiarem, os de ossibus, & carnem de carne illius; mox vbi quidquam in ea displicuerit, extorrem se prodit, & ab vltimis AEthiopum Regnis aduenam: amicum dicam Societatis, an aduersarium? Sed præstat Lectori iudicium relinquere. Circa finem operis Grauina Societatem vsque ad gloriam Libani extollit, & occasione Prædictionis Ferrerianæ enixius precatur, vt eiusdem posteritas in eam perfectionẽ succrescat, quam S. vir delineauit, vt sublimitas sit virtutis Dei, & quisquis gloriatur in Domino glorietur. Interim, vt ostendat nihil omnino ex parte perfectum in terris, duo è triuio diuerbia obiicit. Non omnes: non semper. non omnes in Societate sunt viua membra, neque semper erunt: Non omnes Columbino habitu lucent, neque cum semper retinebunt; non omnes religiosæ disciplinæ amantes sunt, neque semper vocationis spiritum sequentur.*

Vtrum tandem huiusmodi Vindiciana dicacitas laudem an verò reprehensionem afferre debeat, incertũ: si omnes tales Grauinam esse putarent, qualem Vindicianus affectus existimat, tunc eodem modo tecũ verbis Nazianzeni discurrerem. *vir optime, si naui tempestate iactata, & periclitanti manum porrexissemus, aut vrbi obsidione cinctæ, aut ædibus flammæ ardore conflagrantibus, partim scaphis, partim exercitatione, partim instrumentis extinguendæ flammæ accommodis opem ferentes; proculdubio nos, aut prædones, aut vrbis, vel domus amatores vocasses, non autem patronos, & defensores.* TVRT. [illegible]

Porrigit manum Grauina, auxiliares suppetias affert pro omnibus Ordinibus, & Societate tuenda, & adhuc sub dubio relinquis, *an Grauina amicus, an aduersarius sit Societatis? Atqui multis secus videtur inquies? Quid verò mea interest. qui rei veritatem magis curo, imò solum curo. hoc enim vel me condemnauerit, vel absoluerit. hoc miserum vel beatum reddiderit. At quid aliis videatur nihil ad nos. quemadmodum nec alienum somnium. Non ita aliis videtur, ais. Quid vero? An iis, qui vertigine correpti sunt, terra fixa, & stabilis esse videtur, an ebriis, qui sobrij sunt integra mente esse. ac non potius in caput incedere, ac sursum deorsumque moueri? An non quibusdam interdum hominibus mel amarum est, nempè morbo laborãtibus. maleque affectis? at non propterea res ita se habet. vt qui in hoc statu sunt arbitrantur. Quocirca fac prius fidem sanos eos esse, qui de nobis ita sentiunt, tunc nos admone, vt meliorẽ mentem induamus,* [illegible] [illegible]

aut condemna, nisi consilio tuo pareamus, sed in eadem sententia persistemus. Non secus Vindiciano accidit, vertigine enim laborare videtur, & ebrietate sopitus: malo etiam gustu affectus, qui non solum defensores, inimicos, & hostes putat, sed quod peius est circa duo, non de triuio accepta axiomata, sed de S. Augustini, imò totius orthodoxiæ schola, à Grauina desumpta, vacillat: *Axiomata sunt. In Societate non omnes esse viua membra: &. Non semper omnes viua membra fore, & disciplinæ religiosæ amantes,* quæ secundum suam partitionem confutanda aggreditur, non tam Turturem, quam Augustinum, & PP. oppugnans.

EXAMINATIO. §. *Non omnes.*

§. I.

PRimum hoc axioma, vt carpis est, *neminem præter Grauinam contendisse, vllum regularium Ordinem posse totum censeri viuum* (ac proinde ad alios lugendos induci) *eo quod non omnes, & singuli collegæ illam perfectionem contineant,* & ex p. p. c. 6. 16. & c. 11. *eiusdem verba refers: pertinere non ad azyma, sed fermentum malitiæ, dicere, in quauis congregatione, non esse cum tritico infelix lolium, & auenas; & efficere, vt vnicolores oues in vno grege appareant, in cæteris gregibus esse maculosas, cum sit tamen vnus grex tonsarum de lauacro lachrymarum descendens, saltem habens venialia, quæ plangant,* & in cap. 15. Grauinæ verba refers. *sin factiosi contendant quod vndique à quibuscumque plangentium fluant aromata à corruptione præseruantia, impetrate (ait) nobis quæso, quæ supersunt, vt putridorum corpora piè vngantur in sepulturam. sin autem, cum odoribus, & aromatibus Myrrhæ, Thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij, etiam pix, & sulphur in aliquo lugentium admisceatur, si inter immarcescibilia corpora, cadauera quoque visuntur, benignè illis de myrrha probatissima, & vestimentis nostris à domibus eburneis elargimur, vt in eis corrigatis, quod in nobis corrigi tam anxiè exoptatis.* Recitatis verbis Grauinæ stabilientis primum, & verissimum dogma, *Non omnes,* subdis [*Hac Grauina contra Bellarmini matrem obscuris quidem allegorijs, sed ad id vnum intentus, ne Lector credat omnes de Societatis familia eiusdem esse coloris.* Sed videamus, quomodo in suum campum se effundat. *Mihi autem rem altius perpendenti prorsus absonum, & paradoxum videtur, quod Grauina, non sine sarcasmis perurget, nullum Ordinem ex merè viuis membris constare posse, necessarium vbique esse quorundam relaxationem, nunquam triticum cum lolio reperiri.* VIND.

Vera mi homo dicas, & orthodoxa, nam non paradoxa, sed quę ad pietatis doctrinam faciunt Grauina probauit; non in intelligibilibus, sed vsitatissimis allegorijs, quib. tractatus suos dispersit cõtra Donatistas disputans August. cos euincens non omnia in Ecclesia esse viua membra, an tu clarioribus, sed æque obscurioribus, si tamen verioribus allegorijs sanæ doctrinæ fundamenta conuelles? audiamus si fortè vincendo vsque ad Britannos tua victricia signa transmittantur. TVRT.

Quid enim, ais, viuentibus Ordinum fundatoribus vidit Antiquitas? Totus ne nouorum regularium manipulus ab Ægypti porris, & peponibus liber fuit? & à Babyloniorum poculis immunis, an secus? VIND.

Vidit, & cognouit, & prædicauit antiquitas in omni congregatione malos admixtos bonis, vt hæc professio, nec luscos effugiat, nisi solos illos qui cæci sunt, & duces cæcorũ, & idipsum fatetur manipulus nouorũ regularium, vt humillimè fateatur porros, & pepones, imò & peponib. insulsiores habere secũ, & qui de calice Babyloniorũ bibãt, nec enim adhuc fex est exinanita, quã bibãt omnes peccatores terrę. Multi sunt in veteribus, & nouis religionib. qui TVRT

nume-

numerantur inter militum cuneos, sed insignia non curant habere virtutum, ad hominum oculos prætendūt honestatis imaginem, sed in conspectu, & occulti iudicis habere negligunt veritatem, Nonnulli (ex Damiano) *sic ad nouæ religionis transeunt Ordinem, vt tamen præterita vitæ nunquam deserant vetustatem, hi nimirum Gabaonitæ sunt non Israelitæ &c. ad Israelitas mortis formidine transeunt, non perfectionis amore, sed tremefacti scelerum suorum immanitate confugiunt? sed nonnulli eorum veste non mente mutati, saccos panis ad esum portant, quia azyma adhuc synceritatis, & veritatis ignorant. Vetustis vestibus conteguntur, &c. qui ad nouitatem superficie tenus venientes, re ipsa in vetustate persistunt &c. nec ad sortiendam cum Israelitis hæreditatem aliquatenus admittuntur, ligna cadere & aquas vectare iubentur, quia gustus intelligentiæ spiritualis ignari, duris atque insensibilibus exterioris exercitij negotijs occupantur. Sic igitur aliquam quidem in exterioribus videntur vtilitatem Ecclesiæ seruiendo conferre, sed quia seruiliter viuunt, hæreditatem inter Israelitas nequeunt possidere* Planissimè, vt & plenissimè ad nouæ religionis institutum transeuntes Gabaonitæ (qui Italice, Gabba mundo) cum veris Israelitis miscentur, vt nec initia quātumuis perfectissimorum, nunc iam vetustiorum Ordinum, Gabaonitis caruerint, nec peponibus agri fertilissimi, quorum multi maturi videntur, at flaccidi, & inutiles deprehenduntur, quibus illud Homericum in Iliade.

De perfect. Mon. c. 4.

O pepones, mala probra, Achiui, non enim Achiui

Israelitæ, non Israelitæ, sed Gabaonitæ.

VIND. Sed musto tempus dandum est, vt despumet, & Vindiciano similiter, ne tanquam laguncula disrumpatur. *Cum S. Dominicus, ludis, Dæmonem adiurasset, vt de suis, & S. Francisci discipulis quid præda caperet, se surus fateretur; respondit, cum eiulatu, nunc quidem sibi nihil ex illis obuenire: futura autem infinita spolia vbi deuotio refrixerit, & statutorum vigor pessum iuerit: neque aliter de quibuslibet sacrorum Ordinum initijs suspicari licet, cum nullibi bona arbor malos fructus producat, & Chronographi de singulis prorsus admiranda collegerint. Potuerunt ergo singuli Regularium Ordines aliquando sic effloruisse, vt toti essent absque ruga, & macula, toti ex meris viuis membris constarent.*

TVRT. Ex respectiua locutione Dæmonis, absolutam formas, vt quia parum pro nihilo reputatur, parua noxa affectos Dominicanos in sui initio, sine exceptione asseras, & adulatoriè, nam & initio Ordinis referente Bellouac. omnes qui cum Sancto Dominico sodales erant, sicut per visum prius ostensum fuerat (exceptis tribus) à Sancto parente discesserunt, quos ad se orationibus reuocauit. De relinquendis possessionibus statuto facto in capitulo Generali Bononiæ insuper, de deponendo Canonicorum regularium indumento (& per manus Virginis cælitus demisso nouo indumento induendo) audacter quidam restiterunt (ex Castillo) fratrum lapsus S. Dominicus cognoscebat diuinitus, & occultantem pecuniam deprehendit, atque acriter reprehendit. Quod & in omnibus Ordinibus ex chronologijs inspicere licet. nec erubescunt veri Chronographi lapsus imperfectorum denotare, vt demonstrarent, nec initio omnes sine macula, & ruga extitisse. Tu vero velut nouus Donatistarum ramusculus, *potuerunt* inquis, quod Ecclesiæ datum non est, *singulos Ordines regulariū sic effloruisse, vt toti essent, absque ruga, & macula, toti ex meris viuis membris constarent.* Sed respondetur cum Hieronymo, hunc locum, *sine macula & ruga* pro futuro, & in cælestibus implendum. & mox *audis angulos, audis scabies, audis ruinas, & cineres, & de tua virtute, & impeccantia gloriaris.* nec iuuat

3. spec. hist. cap. 77.

Ferdin. Castill lib. 1. c. 51. Humb. l. 4. c. 2.

Tom. 4. in c. 31. Hier.

iuuat te, quod dicis. *Neque aliter de quibuslibet Ordinum initiis suspicari licet, cum nullibi bona arbor malos fructus protrudat,* id enim è Ioniniani schola desumptum ostendit S. Hieronymus, qui ad sua paradoxa suadenda illud obijciebat: *Arbor mala fructus bonos non facit, nec bona malos.* Cui Hieronym. *si hoc ita est, responde mihi quomodo Paulus, cum esset arbor mala persequens Ecclesiam Christi, fecit postea fructus bonos, & Iudas, cum esset arbor bona signa faciens cum Apostolis, postea versus in proditorem fecerit fructus malos?* & vt tuo iuguleris gladio, quomodo quod initio effloruit potuit in auenis producendis degenerasse? quid tu ploras? aures erige loquente, & prosequente Hieronymo, non Grauina. *Tamdiu ergo nec arbor bona malos fructus facit, nec mala bonos quamdiu vel in bonitate sua, vel in malitia perseuerant.* Centones videris assuere malè feriatorum Hæreticorum, vt induaris diploide confusione tua. *Si purissimum triticum* (ait idem) *habuit mixtas paleas, quid de nobis dici potest, de quibus illud scriptum est, quid paleis ad frumentum?* Et S. Augustinus vbi in veteri testamento eiusmodi commixtionem palearum, cum tritico demonstrasset, ad nouum deueniens in suæ nascentis religionis exordio: *tolerat* (ait) *ipse Dominus Iudam, diabolum, furem, & venditorem suum, sinit accipere inter innocentes discipulos, quod fideles norunt, precium nostrum. Tolerant Apostoli Pseudoapostolos, & inter sua quærentes, non quæ Iesu Christi, Paulus non sua quærens, sed quæ Iesu Christi, cum gloriosissima tolerantia conuersatur &c. Laudatur sub Angeli nomine* (in Apocalyp.) *Præpositus Ecclesiæ, quod cum odisset malos, eos tamen tentatos, & viuentes pro nomine Domini tolerauit.* ex quibus locis cōfutat Donatistas volentes Ecclesiam ex pura portione, hoc est, viuis solis membris constare, ac proinde malos non esse tolerandos, sed ab illis discedendum.

2. c. Ioui. c. 34. · *Epist. 46. ad Rust.* · *Epist. 162.* · *Apoc. c. 2.*

Quos etiam ad hominem confutauit dicens *ad summam se ipsos interrogent. Nonne tolerantur ab eis cædes, & incendia Circumcellionum* (erant hi rami Donatistarum, qui solos se puros iactabant) *veneratores præcipitatorum vltro cadauerum: &c. Parco iam dicere singulorum per Africam regionem, & ciuitatum, & fundorum tyrannicas potestates, & publica latrocinia. Melius enim vobis hæc vos ipsi dicitis, siuè in aurem, siuè palam, sicut libitum fuerit. Quocumque enim oculos vertitis, occurret, quod dico, vel potius, quod taceo &c.* Egregiè ergo ad hominem contra Donatistas, malos Circumcelliones demonstrabat, quos tanquam eidem Donatistarum Choro adglutinatos, putantes se triticum, velut paleam admixtam tolerabant. Et tandem si hæc non sufficiunt, silentium imponat Vindiciano alias repetita fidei confessio S. Aug. siue Fulgentij de fide ad Petrum. *Firmissime tene, & nullatenus dubites aream Dei esse Eccles. Catholicam, & intra eam vsque ad finem sæculi frumento mixtas paleas contineri, hoc est, bonis malos Sacramentorum communione misceri, & in omni professione, siuè Clericorum, siue Monachorum, siue Laicorum, bonos simul esse & malos, nec pro malis bonos esse deserendos &c.* Ab initio ergo vsque in finem in Ecclesia, & in omni congregatione, quæ sub cœlo est, bonos malos admixtos fideli professione credendum discas. Non est opus tuis flabellis Vindiciane, vt in sopitam flammam Donatistarum exuffles.

Cap. 93.

§. II.

Sed video duplicitatem tuam Vindiciane, quod non dixisti aperte, *sunt ergo singuli, vel fuerunt in initiis Ordinum, vt toti essent absque ruga, & macula, vt ex meris viuis membris constarent, sed dixisti: potuerunt ergo singuli Regularium Ordines &c.* vt cum aliud sit esse, aliud posse ingrediens terram

duabus vijs te insectantem eludas. At satis antiquata astutia fuit Pelagianorum, qui te præcesserunt, dicebant enim, hominem si vellet posse esse sine peccato, cumque vrgeretur Pelagianismus sub nomine Critobuli à Sancto Hieronymo, sic respõdebat, vt eluderet. *Neque enim cum dico hominem posse esse sine peccato si velit, aliquos fuisse contendo, sed simpliciter posse esse si velit, aliud enim est esse posse, quod Græcè dicitur δύναμις, aliud est esse, quod ipsi appellant ἐνέργειαν. possum esse medicus, sed interim non sum &c. quicquid igitur possum, licet necdum sim, tamen ero si voluero.* Sed quid Hieronymus sub Attici nomine? *aliud sunt artes, aliud id quod super artes est. Medicina, & fabrica, & artes omnes inueniuntur in plurimis, sine peccato autem esse perpetuò diuinæ solius potestatis est: aut si dare non potes, confitere imbecillitatem tuam, & noli ponere in cœlum os tuum, vt per esse, & esse posse stultorum illudas auribus. quis enim tibi vnquam concedat posse hominem facere, quod nullus hominum potuerit?* &c. Simili ergo discursu euinceris, cum Critobulo, ab Attico. Possunt ergo esse singuli initio sitorum Ordinum viua membra, vt de facto sint per energiam, quod in hominum non est potestate, sed in Dei voluntate, qui sicut non omnes confirmauit in gratia, nec homines impeccabiles fecit, & si aliquos in gratia confirmauit, ita nec Ecclesiæ membra omnia viua constituit, sed voluit, vt in Ecclesia, cum electis miscerentur reprobi, & bonis mali, quod potuisset ab æternitate ad palmam præordinasse, & in tempore gratiam eis præparasse &c. vnde pariter in suo Collegio (ait August.) *elegit Apostolos, &c. vt quicquid magnum esset, & facerent, ipse in eis esset, & faceret. Statuit inter eos vnum quo malo vtens benè, sua passionis dispositum impleret, & Ecclesiæ sua tolerandorum malorum præberet exemplum.* quod si puram Ecclesiam, purum Collegium, absque alia permixtione disposuisset, ad instar cœlestis Hierusalem, nouo priuilegio decorasset, quod cum necdũ datum sit Ecclesiæ, Apostolorum Collegio, primis religiosorum cœtibus, non poterunt singuli, sic effloruisse, vel efflorere, si communis cursus attendatur, & nullus vnquam concedet, quod tot communitates recensitæ prę̄stare potuerunt.

L. c. Pelagia.

Lib. 18. de ciuit. c. 49

VIND. Verum vltra vires se extendens Vindicianus, qui si vellet, quod posse, & quod possit velit, in id quod non potest intendit, nam omnes neruos, & conatus apponit, vt vocati ad religionem adiungant ad staturam suam cubitum vnum, ad propriam in lustriam confugiendo. ait enim. *Quid impedit, quo minus iterum, ac sæpius solerti Præsidum industria, & subditorum vnanimi consensu in pristinum decus respirent?*

TVRT. Putabas hic te subtiliter argutari, sed priusquam morsum infigeres dentem fregisti. Facit multum ad virtutum acquisitionem atque custodiam industria superiorum, & subditorũ concordia: sed quantum attinet ad Prælatos, audi Psalmographum: *Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam.* vbi Augustin. *Ipse ædificat, ipse monet, ipse terret, ipse intellectum aperit &c. & tamen laboramus Prælati, & nos tanquam operarij: sed nisi Dominus ædificauerit, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam.* &: *nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat, qui custodit eam.* vbi August. *Quomodo custodimus? quomodo homines: quantum possumus: quantum accipimus: & quia nos sicut homines custodimus, & perfectè custodire non possumus &c. vanus est labor noster, nisi ipse custodiat.* quasi dicat: Bonæ sunt industriæ superiorum, sed opus est Dei adiutorio, & propterea mox subdis, & rectè (prima facie) at diminutè.

Psal. 126.

Aug. in eundem Psal.

VIND. *Auctor vocationis, non elanguit: quin vt optimè superius laudata Virgo Catharina disseruit, si hodie*

hodie matrona existeret, qua Christum feruentius Euangelica Magdalena amaret, supra eandem vicissim à Domino diligeretur, & excellentioribus donis ornaretur, & si quisquam plura, & acerbiora Christi amore pateretur, quàm olim S. Franciscus Minorum fundator, absque dubio, illi quoque Dominus illustriora dona conferret.

TVRT. Præsto Dei gratia est Vindiciane, non à te vocata, sed præueniens. *Misericordia eius preueniet me*, ait Dauid. nam vt ibi notat August. *Omnia bona quacumque habere possumus, siuè in natura, siuè in instituto siuè in ipsa conuersatione in fide, spe, charitate, in bonis moribus, in iustitia, in timore Dei totum non esse, nisi ex Dei donis*, ita conclusit; *Deus meus misericordia mea &c. totum quicquid sum de misericordia tua est, sed promerui te, inuocando te, vt essem quid feci vt essem qui te inuocarem. quid egi? si enim egi aliquid vt essem, iam eram antequam essem, porrò si omnino nihil eram antequam essem, nihil te promerui, vt essem. Fecisti vt essem, non tu fecisti, vt bonus essem? Dedisti mihi vt sim, & potuit mihi alius dare vt bonus essem? si tu mihi dedisti, vt sim, & alius mihi dedit, vt bonus sim, melior est ille qui mihi dedit, vt bonus sim, quam ille qui mihi dedit, vt sim. Porrò quia te nemo melior, nemo te potentior, nemo te in misericordia largior; à quo accepi esse, vt ab illo accepi vt bonus essem*, multo magis vt optimus essem, vt in tali gratiæ gradu sim; dicit enim Angelicus noster. *vniuscuiusque rei quantitas dependet ex propria causa &c. & ideo quantitas charitatis, non dependet ex conditione natura, vel ex capacitate naturalis virtutis, sed solum ex voluntate Spiritus sancti distribuentis sua dona, prout vult: vnde & Apostolus dicit: Vnicuique nostrum, data est gratia secundum mensuram donationis Christi.* & in Responsione ad primum ait: *dispositionem vel conatum* (hominis præparantis se ad gratiam) *preuenit Spiritus sanctus mentem mouens hominis, vel plus vel minus, secundum suam voluntatem &c.* iuxta quem, doctrina exponenda est laudatæ Virginis Catharinæ [si esset aliqua quæ feruentius amaret Christum, super eandem diligeretur, *& excellentioribus donis ornaretur &c.*] Vt enim feruentius quis amet, & ad illustriora dona se aptet, ad primam causam supernaturalem mouentem, eiusque voluntatem recurrendum, ex doctrinis allatis. Quare in omnibus institutis, Collegijs, Monasterijs, siue initio, siue in medio, siue in perseuerantiæ fine, eandem causam te respicere opus est & vt proportionem mouentis causæ attendas, ne illam ad tuum nutum tibi subijcias, vt dispositione tua ad optima dona, & primitias etiam spiritus, quas receperunt Apostoli, te putes peruenire posse absque mensura donationis Christi; si enim id attentares, non te, sed nominetenus à populis, & à te appellari posses, non virtutibus Apostolicis, sed spiritu repletus apostatico Luciferi, qui sibi innitens, & proprio conatui secundum suas vires, non secundum Dei largitatem, cœlestia dona indebita, velut sibi debita & connaturalia deputabat, quod erat diuinum solium ne dum affectare, sed euertere, primæ causæ naturam (se primum faciendo in donis Dei) auferens & pessundans. Propter quod specialiter hæresis Pelagianorum diabolum habet auctorem (vt dixit Ambrosius.) *Hæc superbia* (ait) *à diabolo sumpsit exordium, qui quoniam sua, quam à creatore acceperat potentia, & dignitate, sibi placuit, seque authoris sui gloria comparauit, cum ijs angelis quos in consensum impietatis sua traxerat à cœlesti sublimitate deiectus est &c.* vt si cæteræ hæreses, vel Deum habere filium, vt Arius, vel alia attributa negent, vt alij impij putant, in solio regni eius vult sedere sola hæresis Pelagiana eum è throno deturbans, *tanquam habeat* (ait idem

Psalm. 58.

Aug. ibid.

2.2. q. 24. a. 5.

Ep. 3. ad Demetriad.

Ambrof.) *hoc ſimile Deo, vt bonorum ſuorum ipſe ſit fons, ipſe ſibi ſit copia*, vt vel totum regnum affectet, vel dimidij Regni partem, cum nec in regnis terrenis capiat fortuna duos.

§. III.

Quæ deinde ſubdis à propoſito aliena ſunt. nam vbi Grauina ad probandum aſſumpſiſſet, non omnes eſſe in Religione vnicolores oues, ſed eſſe etiam maculatas immixtas in grege, vnde aſſimilatur gregi aſcendenti de lauacro lacrymarum habēti ſaltem venialia, quæ plangat; tu ad repellendam hanc doctrinam dicis: *Neque proclinitas in venialia peccata obſiſtit* (ad perfectionem cōſequendam, vt toti ſint abſque ruga & macula) *quia etiam qui nouos ordines erexerunt, eoſdemque fortiter adiuuerunt, de peccatis confeſſi fuerunt, & nullibi S. Spiritus Ordinem inſtituit, qui faceret homines impeccabiles.*

VIND.

TVRT. Semper diſparata congeris. Quis hæc neget? Nota, nota Vindiciane, non ad hoc propoſitum mentionem fictam de venialibus, ſed ad illud oſtendendum totum gregem conſtantem ex bonis, & malis, lauacro indigere, ſaltem ad abſtergenda venialia, vt hæc ſuppoſitio ad bonos, & ſanctos, qui non impeccabiles facti ſint referatur. Quæ illatio fieri poteſt ex diuerſis? Et quod ſubdis ſatis impertinentiſſimum eſt dicens.

VIND. *Neque vnitas gregis tonſuram impedit, quin eò felicius eniteſcit, quò ardentius Regulares in ſui Ordinis rigorem, & perfectionem flagrant.*

TVRT: Deficiente oleo, lychnus tibi lumen nō miniſtrauit, vt pro tonſarum, legeres *tonſuram*, & quid colligas ex tua lectura, difficile eſt percipere, quod tonſura *eo felicius eniteſcit quò ardentius regulares in ſui Ordinis rigorem, & perfectionem flagrant.* Quis dubitat de eo quod certum eſt, magis expeditas attonſas oues felicius eniteſcere, & ad Ordinis rigorem flagrant? Sed non ſolum attonſas, ſed de lauacro aſcendentes quoque ſacra Scriptura commemorat, vt etiam ſi attonſæ ſint lauacro indigeant ſaltem pro venialibus, ſupponendo pro viuis membris, pro mortalibus, quantum attinet ad malos, & ex ambobus conflatus vnus grex in quacumque congregatione, etiam ſi attōſus appareat, nec vnicolor grex eſt, nam attonſi mali nec ſua maculoſa pelle nudantur, nunquid Æthiops poteſt mutare pellem ſuam? vt quouſque pænitentiæ aquis non ſe abluant, ſemper ſint maculoſæ oues, quare quocumque te vertas, Vindiciane, omnē congregationem dicere neceſſe eſt diuerſicolorem eſſe, gregem de lauacro aſcendentem, malos, & bonos cōtinentem, quæ tibi non intelligibilis, ſed obſcura allegoria videbatur, nō quia erat, ſed quia nō tibi arridebat, ſunt enim & tui ſimiles, qui nolūt intelligere, vt benè agāt.

VIND. Sed ſemper tui ſimilis, incogitans, intentus, paratus inferre ictum, non vitare, adijcis. *Neque hic* (vt omnes ſint viua mēbra) *ſingulari priuilegio opus eſt, cum ad perfectionis ſtudium, quilibet Ordo ex primaua inſtitutione obligetur: nemo autem obligatur ad id quod adynaton eſt, & ordinarium gratia cæleſtis ſuccurſum tranſcendit.*

TVRT. Nihil certius. Et propterea ab omnibus Religioſis exigitur, non vt perfecti eſſe cogantur, ſed vt ad perfectionem tendant: ſuppeditantur dona & media quibus tendant, vt qui non tendant, illi ſint aſſimiles, qui ſocordiam ſuam excuſabant, falsò, & impio dicto, *timui enim te quia homo durus es, tollis, quod non poſuiſti, metis quod non ſeminaſti*, crudelitatem diuinæ naturæ affigentes, quæ dat omnibus affluenter, & non improperat, vt in religione *perſeuerandi*, & proficiendi, ſicut in mandatorū obſeruatione, omnibus (vt dicit Aug. de corrept. *Luc. c. 19*

& gra-

& gratia.) *possibilitas, & voluntas diuina gratiæ largitate donetur.* Sed aliud est, ex eodem
Cap. 6. & 7. August. donum quo proficere, & perseuerare homines possunt, & aliud, quo de facto perseuerant; vt qui deficiunt ex infir-
Cap. 12. mitate deficiant, qui proficiũt diuinæ gratiæ proficiant largitate. Sicut autem extraordinarium cursum gratiæ excedit donum perseuerantiæ, vel priuilegiatum aliud diuinum munus, vitandi omnia peccata venialia collectiuè; ita etiam quod vni communitati datum sit (quod nec Ecclesiæ cõcessum) vt membra omnia viua sint, sine extraordinario gratiæ cursu esse nequit;
Ep. 84. nam quæuis religio sicut, & Ecclesia, vt dicit Ambrosius *multimoda varietate contexta, vt in vnum decorem, etiam, quæ sunt ad paria concurrunt, & de omni genere hominum, & de omni gradu officiorum, de omni mensura operũ, de omni qualitate virtutum fiat totius ædificationis inseparabilis connexio, & indifferens pulchritudo, nec desit soliditati, quod non defuerit portioni: tantaque ibi sit pax, tantaque concordia, vt non possit esse nisi omnium, quod est etiam singulorum: indubitanter apparet copulatricem quandam esse virtutem, qua sibi confœderatur, & concinit multiplex Sanctorum vnitas & speciosa diuersitas,* & nihilominus hæc virtus copulatrix ordinaria est, quæ si animorum concordiam illam efficeret, vt omnia membra essent viua, & vnus in Domino spiritus, extraordinarium esset donum cœlestis gratiæ, cursum ordinarium transcendens, quod pro voluntate largitum est in primo ortu Ecclesiæ, quando erat illis *cor vnum, & anima vna in Domino,* licet negotiatores peruersi non defuerint in sancta illa societate
Act. c. 2. primitiua, Ananias, & Sapphira diuinitus quoque mulctati.

VIND. Periodum concludis. *Si Grauina ad fatalem quandam deficiendi necessitatem recurrat, iam omnis Dialecticorum schola explodet, quia per maximum absurdum leuiora probat.*

TVRT. Non fatalis necessitas inducitur, nec ex parte primæ causæ mouentis, nec voluntatis humanæ, quæ ad profectum mouetur, nec ex parte eiusdem, si efficaciter non moueatur. Nam si quod absit ex efficaci primæ causæ motione fatalis necessitas introduci asseratur, iam vetus querela Pelagianica introducitur, de qua scripsit Augustinus. De his, dicebat, has contra Catholicos strophas cõminisci: *sub nomine* inquiebant *gratiæ, ita fatum asserunt, vt dicant, quasi nisi Deus inuito, & reluctanti homini inspirauerit boni, & ipsius imperfecti cupiditatem, nec à malo declinare, nec bonum posset arripere:* & iterum ex epistola Prosp. ad August. remoueri dicebant ex efficacitate gratiæ, & prædestinatione ante omnia merita præuisa, [illegible] *omnem industriam, tollique virtutes, si Dei constitutio præueniat voluntates, & sub hoc prædestinationis nomine, fatalem quandam induci necessitatem.* Quæ dicta tam in citata epistola Tom. 7. contra Pelag. egregiè confutat S. August. & lib. de prædest. SS. ostendens etiam boni imperfecti cupiditatem absque læsione liberi arbitrij, ex ineffabili prædestinationis decreto diuina gratia inspirari, & nonnisi volentibus hominibus fieri, quæ decreuit ab æterno, vt fierent in hominum iustificatione: *eo* (ait) *inclinante, qui in nobis mirabili modo, & ineffabili operatur, & velle &c.*

Quod si non moueatur, nec fatum in- Cont. 2. ep. cap. 6. troducitur. *Fati enim assertores* (ait August.) *bona & mala fato tribuunt: Deus autem in malis hominum merita eorum debita retributione persequitur, bona verò per indebitam gratiam misericordi voluntate largitur; vtrumq; faciens, non per stellarum temporale consortium, sed per suæ seueritatis, & bonitatis æternum altumque consilium.* Ergo quod deficiat creatura, vel non proficiat, non ex ineuitabili, & ineluctabili necessitate causatur, sed deficientis creaturæ libera potestate, sicut & profectus Deo in liberum arbitrium agenti, vt

pia infallibiliter operetur. Ea est Vindiciani vafricies, qui vt proprium defectum tegat, alienum crimen impingit.

§. IV.

VIND. Diuertis iterum Vindiciane, & vt asperrima illa verba assertorum scandalorum temperes, tripartitas classes (vt feceras cap. 9.) constituis, videlicet *infimam, mediam, supremam. infimam ijs assignas, qui post peractum Tyrocinium, cum authoritate Dorothæi serm. 11. pristinorum remanent serui vitiorum, & de his dicis, quacunque hora inimicus velit ex alto deijci progressu temporis, & annorum, eorundem scandala augeri, disciplinam Ordinis per eos labefactari, & infirmitas eorum in Tyrocinio, in malitiam, consuetudinem, & necessitatem vertitur, quibus nisi à Præsidibus occurratur, validius illud* (ait) *experiuntur: nolite proijcere margaritas ante porcos, ne conuersi eas disrumpant. Qui autem* (subdis) *sit defectus abusus istorum, ad moderatorum iudicium* transfers Vindiciane, dicens. *Bona, & experientijs comprobata doctrina, in omnibus Cœnobijs, vt dicam cum Cassiano, ita plerosque abrenunciasse conspicimus, vt nihil amplius immutasse de anterioribus vitijs, ac moribus comprobentur, nisi Ordinem tantummodo, & habitum sæcularem, qui si in veritate viam perfectionis inquirerēt hoc potius tota virtute perficere tenerentur, vt scilicet exuti non solum pecunijs, sed etiam affectionibus pristinis, ac dissentionibus vniuersis, seipsos singulares, & nudos sub seniorum imperio collocarent.* Col. 4. c. 2.

In media classe eos collocas, *qui mediocritate contenti, velut in medio quodam libra harent, vt ad eximias perfectiones Ordinis non assurgant, grauia peccata vitantes, & regulam, statuta, & ritus Ordinis seruantes, sic tamen, vt excusso grauioris metu reatus, facilius officium negligant, ad quos etiam describendos adducis locum Petri Cluniacensis lib. 1. Hist. cap. 10.* & ais *de his scripsit Ecclesiast. cap. 19. est iustus qui inclinat faciem suam, & fingit se non videre, quod ignoratum est, & si ab imbecillitate virium vetetur peccare, si inuenerit tempus male faciendi malefacient.*

TVRT. Multis eiusmodi Asceteria oppleta sunt de quibus iam pridem in Apocalypsi sermo dirigitur. [Vtinam calidus esses aut frigidus, nunc autem quia tepidus, incipiam te emouere ex ore meo.] Nec immerito dicitur (eadem collatione) quicquid enim frigidum est, etiā ore nostro susceptū vertitur in calorem, & salutifera suauitate percipitur, quod autem semel vitio perniciosi teporis abiectum est, non dicam labijs admouere, sed etiam eminus intueri, sine ingenti horrore non possumus. Rectissimè ergo pronunciatur esse deterior, quia facilius ad salutarem conuersationem, ac perfectionis fastigium carnalis quis, id est, sæcularis, vel Gentilis accedit, quam is qui professus monachum, nec tamen viam perfectionis arripiens secundum regulam disciplinæ, ab illo semel spiritualis feruoris igne discessit. Ille namque corporalibus saltem vitijs humiliatus, atque immundū se sentiens contagione carnali, ad fontem veræ purificationis, ac perfectionis culmen, quandoque compunctus accurrit, & horrescens illum, in quo est, infidelitatis gelidissimum statum, spiritus ardore succensus ad perfectionem facilius conuolabit] de tepido autem subdit [qui tepidò exorsus initio, Monachi cœpit abuti vocabulo, nec tamen humilitate, & feruore quo debuit, iter huius professionis arripuit, infectus semel hac miserabili lue, & in ea quodammodo resolutus, nec ex sese vlterius perfecta sapere, nec alterius poterit monitis erudiri &c.] quod vbi altero testimonio scripturę probasset, cōcludit [frequenter enim vidimus de frigidis, atque carnalibus, id est, de sæcularibus, ac Paganis ad spiritualem peruenisse feruorem, de tepidis atque animalibus omnino Cap. 3. Col. 4. c. 19

non

non vidimus.] Hæc verba de se præsumentes diligenter attendere debēt, qui de propria virtute confidunt.

VIND. In supreina classe eos locas Vindiciane, *qui semetipsos ad meliora sui Ordinis dona, & virtutes sibi in eo propositas excitant, nec veluti pictores integritate operis acquiescūt, sed emblematis & parergis venustatem, & gratiam adijciunt, hoc est votis, regulis; selectiores actiones, ac perfectiones sunt, ais, qui Præsidibus suis solatio, cæteris exemplo, & vocationis apud sæculares dignitatem sustinent, & ansam præbent, vt Deus glorificetur.*

TVRT. Optime, & eruditè, & his quoque omnium Cœnobia exornantur. Placet hæc certè distinctio nō nuper in tua domo nata Vindiciane, sed ab initio nascentis Ecclesiæ tradita: vnde & veterum Patrum Eremicolarum, de triplici animarum statu in Cœnobijs viuentium facta est. Sic legimus in Cassiano loc. cit. [Secundum definitionem scripturæ tres sunt animarum status. Primus carnalis. Secundus animalium. Tertius spiritualis. De primo scriptum est, cum sit zelus, & contentio inter vos nonne carnales estis? & sunt illi recensiti in prima classe. De secundo scriptum est: animalis autem homo non percipit, quæ Dei sunt (& tales sunt tepidi ex eodem Cassiano) & hi pertinent ad secundam classem. De tertio scriptum est: Spiritualis autem omnia dijudicat, & ipse à nemine iudicatur] & in hoc statu illi qui sunt in tertia classe repositi meritò collocantur.

In coll. 19.

VIND. Sed quorsum hæc à tam longo repetita principio? vt ostenderes inquis, & doceres, *qui & quando regulares reformatione egeant, qui enim (ais) in suprema classe sunt, & si à venialibus exempti non sint, deploranda tamen nō committunt & in virtutum exercitatione, & spirituali profectu inardescunt.* In media classe *recensiti egent Prælatis, qui illorum tepiditatem arguant, occasiones nocituras subtrahant, ne in infimam classem decidant; & quando id præstant superiores & subditi Superioribus beneuolè consentiunt, nullo modo dici potest ordo à primæuo spiritu desloruisse quod si id non præstetur, iam necessario* ait, Vindicianus, *disciplina Regularis languescet, ac veluti febri lenta contabescet; & sic fit in classem infimam relapsus, & incipit Monasterium manifesta defectionis signa prodere, & si talium alibi quoque numerus inualescat, de Ordinis fama, & dignitate agetur,* vt ostendit S. Bonauentura. *sic Domini sponsa denigratur, non à Sole, vt Grauina visum est, sed ex carbonibus desolatorijs, quos Satanas dormitantibus infundit; sic fiunt statuæ salis. Omnibus dixit* (ait S. Augu. *In ps. 75.* gust.) *mementote vxoris Loth. Quid enim fecit vxor Loth? liberata est à Sodomis, & in via posita retrorsum respexit, vbi respexit ibi remansit. Facta est autem statua salis, vt illius contemplatione condiantur homines, ne vt ipsi fatui sint, ne retro respiciant, ne malum exemplum dantes, ipsi remaneant, & alios condiant.*

TVRT. Hæc Vindicianus, & hæc quoq; admittimus. *Verum tamen*, vt verbis vtar Hierony- *Ep. 16.* mi: *omissis super quibus pugna est, de scammate, & loco certaminis egrediens, in peregrinis, & longe alienis disputationibus immoraris.* Vindiciane iterum ad scamma te reuoco, vt puluerem excipias, & ostendam te singularitatis vitio tuos fictitios clientes tentare voluisse, etiam in ijs, quæ communia sunt, nihil de illa charitate participare eos volēs, propriam fingens eorum iustitiam, & inde mutabilitatem, vt, quos defendis, ij sint, quos nec aduret Sol per diem, neque Luna per noctem: cæteri non tantum Sol, sed & carbones iuniperorum ita adurāt, vt denigretur eorum facies super carbones. Sic enim post recensitas classes profitentium, & assignata lapsus & defectionis causa, solos Patres Societatis (quos fingis tuos esse clientes, fidei tamen acerrimos tui, & cæterorum hęreticorū hostes, & inuictos pugiles) excipere gradu cōcito præcucurris, dicens.

§. V. Vt

§. V.

VIND. *Vt ergo ad Societatem recurrat oratio, non video quid illi, vel cuiquã Regularium Ordini illa Grauinæ obiectio, Non omnes in laude Vitalium membrorum nocere posset. Non omnes sunt probatissimi religiosi. Esto: debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere;* addit S. Bonauent. *qui à puero labores viri exigit, & infirmo vires robusti & à scholari vnius anni doctrinam magistri sui imprudens est. Neque omnes in media classe regularium incedunt. Quia Grauina Aquilina oculorum acie cadauera, picem, & sulphur in Societate reperit.* Vereor *autem, vt in alieno seruo dijudicando praeceps fuerit.*

Quæst. 16. in reg.

TVRT. Ergo hucusque Grauinæ discursus firmiter perseuerat, *non omnes* saltem infimæ classis esse vitalia membra; &, *non omnes* in media classe ambulare, & meritò etiam in Societate fateri oportere, nedum thura olere, sed imperfectorum picem, & sulphur nares offendere: nec omnes viuos à diluuio superstites, sed & cadauera quoque super vndas enatare. Aquilinus intuitus requirebatur, ad discernẽdum viuos à mortuis, quando Vindicianus, vt prætexat excusationes in peccatis, cadauera adulatoriè pro viuis venditat, vt in odium Societatem adduceret: & si hoc est alienum seruum iudicare, iudicetur Augustin. *medici suscitabunt, & confitebuntur tibi?* Si hæc non mouent explodatur Aug. iudicetur Fulgẽtius, chorus SS. PP. arguatur, qui in omni congregatione, quæ sub cœlo est viuos cũ mortuis misceri secundum orthodoxas regulas fidei pronunciarunt. Et quemadmodum Ecclesia ex Augustin. ita & quælibet congregatio *habet secum connexos communione, nec secum futuros in æterna sorte sanctorum: qui partim in occulto, partim in aperto sunt:* & eademque Ecclesia adhuc portat infensos multos, sanctos futuros, & in regnum peruenturos, vnde subdit; non est desperandũ, si *apud apertissimos aduersarios prædestinati amici latitãt, adhuc ignoti etiam sibi latitant:* ita & in portiunculis tepidorum, & mediæ classis modo multi apparẽt infensi, qui ad perfectionis apicem peruenient, qui finali dilectione decedent, & contra, multi sunt qui iustitiam, & feruorem seruant, qui foras mittentur. Quo fit vt hic bonorum, & malorum societates, id est, in hoc sæculo inuicem permixtæ decurrant, donec vltimo iudicio discernantur, ab oculis illis, qui luce Solis clariores sunt, qui & scrutabitur Hierusalẽ in laternis, & super eos qui sunt induti veste peregrina, qui modo iustitia induti videntur. An iudicium Dei culpabis si infidos seruos iudicabit? an oculos maiestatis eius subsannabis, quia oculis Aquilinis Grauinæ insultasti, & de temerario iudicio damnasti? Tuam exemptionem à corruptione, & fœtore (quam humiles PP. Societatis abhorrent & execrantur) audiamus.

D. ciuit. Dei c. 35.

VIND. *Præsidum vigilantia, subditorum in propriam conscientiam assidua inquisitio, quotidianis experimentis testus proficiendi affectus, neminem sinunt in cadauer degenerare: qui labitur celerius, & fortius resurgit, & proprio lapsu fit cautior. Aromata putredine præseruãtia inferius monstrabo. Interea veni & vide geminata in die examina conscientiæ, meditandi laborem multiplicem, frequentissimum Pænitentiæ, & Sanctissimæ Eucharistiæ vsum, tentatorum curationes, excessum æquè leuiculorum correctionem, mutuam apud superiores manifestationem, officialium in singulos inquisitionem, & alia sexcenta; atque vbi ista probè expenderis, renuncia quis adhuc putrefactioni modus superfit?*

TVRT. Deo gratias, quod ex tuis verbis condemnaris, & ijsdem Grauinæ causa, imò omnium religiosorum, iustificatur, nimirum ostendendo te Philautum, singularẽ aptum, qui religiones vastas, singularitatis spiritu inflatus, super cæteros tentans, sed frustra,

frustra, Societatem inflare; imò te Apathiæ Stoicæ defensorem, intuetur quasi indefectibilitatem, & impeccabilitatem asserens in eisdem, quos adulatoriè laudas.

Fateor Vindiciane multum prodesse, & necessariam Præsidum vigilantiam, inquisitionem officialium, hortationes, correctiones &c. at non inferri potest, hæc omnia neminem sinere in cadauer degenerare. Diminuta tua gratiæ diuinæ confessio fuit. Quanto sapientius Augustinus scripsit: omnes (nempe Prælati, & ministri Dei) *currimus, omnes laboramus, omnes ædificamus modo, & ante nos alij cucurrerunt, laborauerunt, ædificauerunt. Sed nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt ædificantes eam, ideo quosdam videntes ruere Apostoli, præcipuè Paulus, ait, dies obseruatis &c. timeo vos ne fortè sine causa laborauerim in vobis. quia nouerat se intus à Domino ædificari: plangebat istos, quia sine causa laborauerat in eis. Nos ergo loquimur foris, ille ædificat intus &c. ipse ædificat intus, ipse ædificat, ipse mouet. ipse terret ipse intellectum aperit, ipse ad fidem applicat sensum vestrum, & tamen laboramus, & nos tanquam operarij: sed, nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt ædificantes eam*: & infra, *quomodo habet ciuitas ædificantes, laborantes, vt ædificetur, sic habet, & custodientes: nam ad custodiam pertinet quod dicit Apostolus: Timeo ne sicut serpens Euam seduxit astutia sua, sic & vestræ mentes corrumpantur à castitate, quæ est in Christum. Custodiebat, cautus erat, vigilabat quantum poterat super eos quibus præerat: & Episcopi hoc faciunt. Nam ideo altior locus positus est Episcopis, vt ipsi superintendant, tanquam custodiant populum. Quomodo ergo custodimus? quomodo homines, quantum possumus, quantum accipimus.* Non præseruationem cadauerum, & quod in cadauera degenerare non possent, qui custodiebantur, Augustinus exẽplo Pauli sibi promittebat, quod certe promisisset, si apothecas Vindicianus aperuisset, vbi cum aromatibus Indicis spiritualia aromata, & Bezoar mysticum cæteraque antitoda, emere sibi potuissent insignes animarum custodes Apostoli, & Apostolici successores. Quod autem præter custodiam, solertiam eorum, qui custodiuntur pro antidotis, & præseruantibus addidisti, non abnuo, *Mineruæ*, dicit ille, *adhibe manum*: & Christianè Apostolus Ioannes admonet, *vt simus cooperatores veritatis*. Nec frustra inuitasti Grauinam ad inuisenda Societatis exercitia, examina conscientiæ, meditandi laborem, vsum sacramentorum &c. nec frustra tu inuitaris, vt ad hæc adijcias aliorum Ordinum vigilias, ieiunia frequentiora, nuditatem, vestium asperitatem, disciplinas, psalmodiam diurnam atque nocturnam, protractas meditationes, & orationes, & mille nedum sexcenta eiusmodi; & vbi Grauina, & tu hæc expenderitis, non renunciandum, vt nec enunciandum nullum adhuc putrefactioni modum superesse. Præclarè Augustin. qui ait *sub isto, nomine intelliguntur superbi, pollicentes salutem hominibus cum Domini sit salus*. Potest Vindicianus medicus, si tamen potest, in curandis ægrotorum corporibus, non tamen potest id præstare in animabus curandis, nisi per modum ministerij, cum sit Dei hæc proprietas, *qui sanat omnes infirmitates tuas*. Iactet se Vindicianus, quod præter artem medicam aromata Indica habeat, nam vt medelam, & negotiationem eiusmodi Dauid impugnauit in spirituali curatione, nam ex Augustin. *quomodo contra medicos, id est, superbos salutis pollicitatores vigilat, hoc quod dictum est: os meum annunciabit iustitiam tuam, tota die laudem tuam*, (vt ipse legit salutem tuam) *sic pronunciauit: quoniam non cognoui negotiationes, introibo in potentias Domini*, aduersus medicos, & negotiatores salutem sua industria promittentes. qui tantò longius à gra-

In ps. 126.

3. Ioann.

Psal. 102.

Aug. in eundē locū.

gratia desiliunt, quantò magis de sua industria gloriantur, eoque celerius in corruptioné descendunt, quo sua virtute à corruptione præseruare se putant, vel proprijs actibus, vel ab extrinseco à solis superiorum industrijs. Detestandam certè pariter negotiationem, quam (ait Augustinus) denotauit Apostolus dicens: *Ignorantes enim Dei iustitiam, & suam volentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti.* Contra quam dicit idem Apostol. *Non ex operibus, ne fortè quis extollatur. Quomodo ergo non operabimur bonum? operabimur, sed ipso in nobis operante, ipsius enim sumus figmentum creati in Christo Iesu in operibus bonis. Quomodo hoc ergo inuenimus contra negotiatores, id est, de actu gloriantes, de negotio, quod negat otium, se extollentes, inquietos potius quam bonos operatores, quia boni operatores illi sunt, in quibus Deus operatur:* sic subdit August. *Iudaeorum quoque reperiri quandam negotiationem* (seu literaturam) *præsumentium tanquam de viribus suis, & de iustitia operum suorum: gloriabantur de lege, quod ipsi legem accepeint, aliæ Gentes non acceperint, in qua lege non de gratia gloriabantur, sed de littera: & hi* (subdit Augustinus) *velut agri in porticibus Probaticæ piscinæ iacebant, amantes literam sine gratia, agri erant iacentes, non conualescentes, de litera præsumentes* [*seu negotiatione, vel antitodis præseruatiuis.*]

§. VI.

Pressus veritate, & impotentia fragilitatis humanæ, Vindicianus, vafrè quoque, & mutilè subdit.

VIND. *Nihilominus pro Societatis modestia concedam, singulos posse etiam plures, etiamsi importunè instet Grauina, omnes in classem infimam recidere, sed in ea diutius subsistere posse nego. Satis laxæ fores, quibus cadauerosi efferuntur, ne tetro odore saniores inficiant.*

TVRT. Velis nolis hanc defectionem à media ad infimam cogeris fateri Vindiciane. Homo enim corpus habet, *non est idipsum,* ait Augustin. *quia non in se stat: mutatur per ætates, mutatur per mutationes, locorum, & temporum, mutatur per morbos, & defectus carnales, non ergo in se stat:* & tu Vindiciane tua arte medica experiris, *Corpora cœlestia, non in se stant, habent quasdam mutationes suas, & si occultas; certè de locis in loca mutantur: ascendunt ab Oriente in Occidentem, & rursus circumeunt ad Orientem. Non ergo stant non sunt idipsum. Anima humana nec ipsa stat. Quantis enim mutationibus, & cogitationibus variatur, quantis voluptatibus immutatur, quantis cupiditatibus diuerberatur, atque discinditur? mens ipsa hominis, quæ dicitur rationalis, mutabilis est, nō est idipsum; modo vult modo non vult, modo scit, modo non scit, modo meminit, modo obliuiscitur. Ergo idipsum nemo habet ex se: Qui voluit ex se habere idipsum, vt quasi ipse sibi esset idipsum, lapsus est. Cecidit Angelus, & factus est diabolus: propinauit homini superbiam, deiecit inuidentia eum, qui stabat. Isti sibi voluerunt idipsum esse, sibi principari, sibi dominari voluerunt. Noluerunt habere Dominum, qui verè est idipsum.* Imò & tales qui hos imitari vellent, vel Vindiciano, per cuius os diabolus loquitur, aures præbere vellent, de infectibilitate præsumentes, vel de subita emersione ab illo cœno in quem ceciderunt in solum, vt in infimam classem, sed in profundum abyssi recidere mererentur: *ibi ceciderunt*, ait Dauid, *operantes iniquitatem, expulsi sunt nec potuerunt stare.* Et licet laxæ satis sint fores, quibus cadauerosi iam efferuntur, ne tetro odore saniores inficiant; non ab intrinseco mutabilitas humanæ naturæ tollitur, quin quotidie è media classe innumeri in infimam recidant, vt si fieret collatio numeri ad numerum, eiectorum à cœnobijs, & toleratorum impiorum, non video de laxis foribus posse Vindicianum gloriari se proponere prudentibus, vt glorientur

Aug. in Ps. 121.

Psal. 35

de-

de huiusmodi antitodo, nisi ad futuram præseruationem: extrinsecum hominis adiutorium, quando hæc eiectio nec pharmacum præstet immortalitatis vel indefectibilitatis, vt minus culpabiles faciat delinquentes, qui possunt etiam esse culpabiliores ex superbia, si suæ id tribueretur industriæ; eoque nocentiores essent, quo occultiores, & oculis hominum modestiores.

VIND. Lassus ex vberiori oratione vela tandem contrahis, & excusationem Bellarminianam paras. *Vnica (dicis) illa probrosa & maledictioni proxima infima classis, si quisquam in ea pertinax immoretur, religiosum Ordinem dedecorat. Hic locus etiam dubito integrus, & complures religiones extare, quæ neminem sustineant eiusmodi obstinatione corruptum; adeoque non tam Societatis, quam præclarissimorum quoque Ordinum insignem esse hanc gloriam, quod consistent ex pure vitalibus membris, si quidem Præsides ac subditi modo iam declarato insigniter conspirent. Quos autem Illustrissimus Cardin. deplorauit, & Societati deplorandos commendauit, longe deterioris conditionis fuerunt, quam Grau. concepit. Nimirum, qui per contumaciam Domini iugum excusserunt, ac propterea multis, grauibus, orbi notis scandalis, Ordines suos contaminarunt, & in ima classe velut in sentina sui nauigij, ne quicquam obnitentibus, perennarunt. Tales neque Grauina, si matris suæ cultor, & amator est, non abhorrere poterit, neque in conscientia sua necessarios inuenire.*

ZVRT. Et hic iterum illudis, & in verbulo argutaris, & mortua membra illa vocas tantum, quæ omnimodè corrupta in infima classe manent; quibus è regione opponis tanquam vitalia membra, quæ subdita parent Regentium imperio. Qua si in secũda classe tepidorum absq; eo quod quis pertinax sit, & defigatur in sordibus suis, & auertatur contentiosa contentione, graui peccato, peccare non possint, vel non peccare contingat, quo, etiam si incorrigibiles non sint, pusillos non scandalizet, & nomen religionis, imò sui infament: imò & absque intermedio, & summa arce perfectionis primitus peccent scãdaloso peccato, absque eo quod per mediam classem in infimam corruant, ibique locum sibi aptent. Ergo ne etiam si Societas, & complures (cum omnes dicere debuisses) Religiones, si corruptissimos obstinatione non ferent, ex purè vitalibus membris coalescet, cum in prima, & secũda classe bonis admisceri mali possint, & sine obstinatione, & auersione contentiosa taliter primo peccato peccare possunt, vt toti Ordini mœror inferatur, ex grauitate, & notorietate delicti. Si hos dicis Bellarminum collachrymasse, nedum vitalia, sed & mortua membra in Societate, & alijs religionibus deplorauit, tam qui repentino casu è primo vel medio ad infimum statum descenderunt, quam qui in illum reciderunt, etiam si quantocyus ex illo emerserunt quod satis est ad euincendum, Societatem non debere dici viuum membrum Ecclesiæ. Si verò in hoc discrimen assignas, quod in Societate non persistunt, vnde corrumpantur cæteri, per eiectionem, alij verò, vt apertè dicis sedes fixerunt in sentina sui nauigij, nequaquam obnitentibus alijs collegis, qui propterea orbem scandalis commacularunt orbi notis. Hæc differentia erit inter societatem, & reliquos ordines à Vindiciano assignata (quod Societas ex purè vitalibus membris constat, raris mortuis, cadauerosis nullis, aliæ verò religiones cadauera contineant, quæ per contumaciam iugum Domini excusserunt; & hos morbosos Bellarminum deplorasse, & Societati deplorandos commendasse, quos, ait, Grauinam quoque abhorrere opus est, nec in conscientia sua necessarios inuenire. Qui si

gratia desiliunt, quantò magis de sua industria gloriantur, eoque celerius in corruptionē descendunt, quo sua virtute à corruptione præseruare se putant, vel proprijs actibus, vel ab extrinseco à solis superiorum industrijs. Detestandam certè pariter negotiationem, quam (ait Augustinus) denotauit Apostolus dicens: *Ignorantes enim Dei iustitiam, & suam volentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti.* Contra quam dicit idem Apostol. *Non ex operibus, ne fortè quis extollatur. Quomodo ergo non operabimur bonum? operabimur, sed ipso in nobis operante, ipsius enim sumus figmentum creati in Christo Iesu in operibus bonis. Quomodo hoc ergo inueniemus contra negotiatores, id est, de actu gloriantes, de negotio, quod negat otium, se extollentes, inquietos potius quam bonos operatores, quia boni operatores illi sunt, in quibus Deus operatur:* sic subdit August. *Iudæorum quoque reperiri quandam negotiationem* (seu literaturam) *præsumentium tanquam de viribus suis, & de iustitia operum suorum: gloriabantur de lege, quod ipsi legem accepeiint, aliæ Gentes non acceperint, in qua lege non de gratia gloriabantur, sed de littera: & hi* (subdit Augustinus) *velut ægri in porticibus Probaticæ piscinæ iacebant, amantes literam sine gratia, ægri erant iacentes, non conualescentes, de litera præsumentes* [*seu negotiatione, vel antitodis præseruatiuis.*]

§. VI.

Pressus veritate, & impotentia fragilitatis humanæ, Vindicianus, vafrè quoque, & mutilè subdit,

VIND. *Nihilominus pro Societatis modestia concedam, singulos posse etiam plures, etiamsi importunè instet Grauina, omnes in classem infimam recidere, sed in ea diutius subsistere posse nego. Satis laxæ fores, quibus cadauerosi efferuntur, ne tetro odore saniores inficiant.*

TVRT. Velis nolis hanc defectionem à media ad infimam cogeris fateri Vindiciane. Homo enim corpus habet, *non est idipsum,* ait Augustin. *quia non in se stat: mutatur per ætates, mutatur per mutationes, locorum, & temporum, mutatur per morbos, & defectus carnales, non ergo in se stat:* & tu Vindiciane tua arte medica experiris, *Corpora cœlestia, non in se stant, habent quasdam mutationes suas, & si occultas; certè de locis in loca mutantur: ascendunt ab Oriente in Occidentem, & rursus circumeunt ad Orientem. Non ergo stant non sunt idipsum. Anima humana nec ipsa stat. Quantis enim mutationibus, & cogitationibus variatur, quantis voluptatibus immutatur, quantis cupiditatibus diuerberatur, atque discinditur? mens ipsa hominis, quæ dicitur rationalis, mutabilis est, nō est idipsum; modo vult, modo non vult, modo scit, modo non scit, modo meminit, modo obliuiscitur. Ergo idipsum nemo habet ex se: Qui voluit ex se habere idipsum, vt quasi ipse sibi esset idipsum, lapsus est. Cecidit Angelus, & factus est diabolus: propinauit homini superbiam, deiecit inuidentia eum, qui stabat. Isti sibi voluerunt idipsum esse, sibi principari sibi dominari voluerunt. Noluerunt habere Dominum, qui verè est idipsum.* Imò & tales qui hos imitari vellent, vel Vindiciano, per cuius os diabolus loquitur, aures præbere vellent, de infectibilitate præsumentes, vel de subita emersione ab illo cœno in quem ceciderunt in solum, vt in infimam classem, sed in profundum abyssi recidere mererentur: *ibi ceciderunt,* ait David, *operantes iniquitatem, expulsi sunt nec potuerunt stare.* Et licet laxæ satis sint fores, quibus cadauerosi iam efferuntur, ne tetro odore saniores inficiant; non ab intrinseco mutabilitas humanæ naturæ tollitur, quin quotidie è media classe innumeri in intimam recidant, vt si fieret collatio numeri ad numerum, eiectorum à cœnobijs, & toleratorum impiorum, non video de laxis foribus posse Vindicianum gloriari se proponere prudentibus, vt glorientur de

Aug. in ps. 121.

Psal. 35.

de huiusmodi antidoto, nisi ad futuram præseruationem: extrinsecum hominis adiutorium, quando hæc eiectio nec pharmacum præstet immortalitatis vel indefectibilitatis, vt minus culpabiles faciat delinquentes, qui possunt etiam esse culpabiliores ex superbia, si suæ id tribueretur industriæ; eoque nocentiores essent, quo occultiores, & oculis hominum modestiores.

VIND. Lassus ex vberiori oratione vela tandem contrahis, & excusationem Bellarminianam paras. *Vnica (dicis) illa probrosa & maledictioni proxima infima classis, si quisquam in ea pertinax immoretur, religiosum Ordinem dedecorat. Huius etiam dubito integras, & complures religiones extare, quæ neminem sustineant eiusmodi obstinatione corruptum; adeoque non tam Societatis, quam præclarissimorum quoque Ordinum insignem esse hanc gloriam. quod constent ex pure vitalibus membris, si quidem Præsides ac subditi modo iam declarato insigniter conspirent. Quos autem Illustrissimus Cardin. deplorauit, & Societati deplorandos commendauit, longe deterioris conditionis fuerunt, quam Grau. concepit. Nimirum, qui per contumaciam Domini iugum excusserunt, ac propterea multis, grauibus, orbi notis scandalis, Ordines suos contaminarunt, & in ima classe velut in sentina sui nauigij, ne quicquam obnitentibus, perennarunt. Tales neque Grauina, si matris suæ cultor, & amator est, non abhorrere poterit, neque in conscientia sua necessarios inuenire.*

ZVRT. Et hic iterum illudis, & in verbulo argutaris, & mortua membra illa vocas tantum, quæ omnimodè corrupta in infima classe manent; quibus è regione opponis tanquam vitalia membra, quæ subdita parent Regentium imperio. Quasi in secũda classe tepidorum absq; eo quod quis pertinax sit, & defigatur in sordibus suis, & auertatur contentiosa contentione, graui peccato, peccare non possint, vel non peccare contingat, quo, etiam si incorrigibiles non sint, pusillos non scandalizet, & nomen religionis, imò sui infament: imò & absque intermedio, & summa arce perfectionis primitus peccent scãdaloso peccato, absque eo quod per mediam classem in infimam corruant, ibique locum sibi aptent. Ergo ne etiam si Societas, & complures (cum omnes dicere debuisses) Religiones, si corruptissimos obstinatione non ferent, ex purè vitalibus membris coalescet, cum in prima, & secũda classe bonis admisceri mali possint, & sine obstinatione, & auersione contentiosa taliter primo peccato peccare possunt, vt toti Ordini mœror inferatur, ex grauitate, & notorietate delicti? Si hos dicis Bellarminum collachrymasse, nedum vitalia, sed & mortua membra in Societate, & alijs religionibus deplorauit, tam qui repentino casu è primo vel medio ad infimum statum descenderunt, quam qui in illum reciderunt, etiam si quantocyus ex illo emerserunt quod satis est ad euincendum, Societatem non debere dici viuum membrum Ecclesiæ. Si verò in hoc discrimen assignas, quod in Societate non persistunt, vnde consumpantur cæteri, per eiectionem, alij verò, vt apertè dicis sedes fixerunt in sentina sui nauigij, nequaquam obnitentibus alijs collegis, qui propterea orbem scandalis commacularunt orbi notis. Hæc differentia erit inter societatem, & reliquos ordines à Vindiciano assignata (quod Societas ex purè vitalibus membris constat, raris mortuis, cadauerosis nullis, aliæ verò religiones cadauera contineant, quæ per contumaciam iugum Domini excusserunt; & hos morbosos Bellarminum deplorasse, & Societati deplorandos commendasse, quos, ait, Grauinam quoque abhorrere opus est, nec in conscientia sua necessarios inuenire. Qui si

inter hos morbosos Vindicianus nullum ex Societate recenseat, maiori morbo, & graui iniuria Societatem afficit, affigens ei delictum maximum pestiferæ superbiæ. si numeret, & ei quoquomodo affecti, deplorandi à Societate committendi sunt, & nulla est, sed falsa, incauta, odiosa, tumidaque discretio, & inanis esset gloriola super cæteros se extollendo, vt singulares, vt soli laudeque digni habeantur. Absit autem hæc pestis à Religiosorum domibus, quam suggerit Vindicianus Dei seruis: nam qui tales sunt, sacrilegi sunt, ait Basilius, *dona Dei sibi appropriantes, & Deo debitam gloriam ad se ipsos rapientes*. In reg. cōtr. ad. q.

Examinatur §. Non semper.

§. I.

VIND. VEllicat adhuc Grauinam Vindicianus, quod circa vniuersalitatem temporis, non fecit Societatem exemptam à communi lapsu cæterarum, & primo verba recenset Turturis. *Nihil mirandum fore Grauina scribit, quod tam breui tempore sodales sponsi non asserantur obfuscati, cum non nisi octaginta circumuolutiones solares aspexerint: debilitatem membrorum tam sancta sodalitas non dum potuit experiri, quæ adhuc in adolescentiæ flore succrescit. Sed si senectam exoptet, & vsque ad senium perduci, similes, aut fortè maiores pati poterit ærumnas, non est æqua comparatio iuuenculæ cum ea, quæ viuidis annis iam consolidata in maturam processit ætatem. Timeant alieno casu tam primi quam nouissimi vineæ cultores; quia & si diuinis quoque donis eorum portio mirificè dotata fuerit, non tamen ampliori, præ nostra, decorata priuilegio cognoscitur. Denique Grauina existimat nouum fore, adhuc inauditam, priuilegiatam, Ecclesiæ inconcessam ætatem si in nullo ordinis membro calliget oculus, vacillet gressus, si sepulchrum in abundantia ingrediatur, sicut infertur aceruus tritici in tēpore suo, & in nidulo suo moriatur, & tanquam Phœnix dies multiplicet, vt sola præ cæteris benedicta spinas & tribulos nequaquam germinet, vt ex hominibus sine scandalorum macula constet.* 1. p. Turt. c. 5. & seq.

Tu verò Vindiciane quid hic culpas? TVRT. *Quicquid Grauina scripsit à Patribus sumpsit*, qui de omni congregatione loquentes bonos cum malis admixtos docent, & res omnes ob sui mutabilitatem nullo modo in sui summo, & primæua perfectione perseuerare, & ex mutabilitate liberi arbitrij, exterioris hominis corruptione, corpus enim quod corrumpitur aggrauat animā, & à pristino feruore desistit. Vnde vt aduertit Cassianus Νοῦς id est, mēs ἀεικίνητος καὶ πολυκίνητος, id est, *semper mobilis, & multū mobilis desinitur, quod & in Sapientia quæ dicitur Salomonis cap. 9 alijs verbis ita describitur, vt habetur ex textu Græco: terrenum habitaculum aggrauat mentem multa cogitantem.* Sap. c. 9 Coll. 7. de mobilit. animæ c. 4

Quid tu promis Vindiciane? *Sic Turtur Grauinæ in bubonem versus funebria occinit Societati.* VIND.

Bubo ergo S. Paulus, cum Ecclesiam, quod maius est, adhuc non plenè innouatam, & si sanctificatam pronunciat, eam non dum accepisse, vel comprehendisse, & plenitudinem iustitiæ adeptam; quantumuis enim iustos, & perfectos habeat innumeros, adhuc filij sæculi sunt, per hoc autem ait August. quod *adhuc Filij Dei sumus, per hoc & peccare adhuc possumus*, & consequenter contenescere, propter quod auxilium in quocumque statu meritò imploramus; *ne derelinquas me in tempore senectutis, cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me Domine.* Ex vetustate (ait idem Aug.) *non incongruè senectus vocatur, vt ait Apostolus; vetus homo noster simul crucifixus est cum eo. Si ibi erat homo vetus noster, senectus ibi erat, quia vetus senectus*, & ibidem dicit Augustin. *in resurrectione id refertur, quod scriptum est: renouabitur, vt Aquilæ iuuentus tua.* Citra resur- TVRT. 2. de pecca merit. & remiss. c. 8. Psal. 70. Aug. in Ps. 70.

resurrectionem ergo peregrinans Ecclesia, vt & omnis eius status, mutationi, & corruptioni, & infirmitati obnoxius. Idem exponens illa verba, vbi dicebat Dominus: *Ecce eijcio dæmonia & sanitates perficio, & tertia die consummor,* ait, *expulsio dæmonũ est remißio peccatorum &c. perfectio sanitatum, dum de die in diẽ proficit Ecclesia, & corruptionis cuius reatus ablatus est, paßio quotidiana renouatione minuitur. Tertio consummatur, dum resurrectionẽ in se ipso initiandam monstrauit Ecclesiæ, quæ ad incorruptionis consummationem, summamque perueniat sanitatem.* Interim, vt dicit Greg. *quantum attinet ad corpus, humana mortalitas dolores tolerat, febribus anhelat, sua quadam ægritudine constringitur. Ipsa quoque nostri corporis, quæ salus vocatur, ægritudo est nam otio tabescit, opere deficit &c.* [& postea,] *quia elatum, ait, sumpsimus spiritum ecce defluens quotidie portamus lutum: ipsa quoque mens nostra à secreti interioris securo gaudio exclusa modo spe decipitur, modo pauore vexatur dolore deijcitur, modo falsa hilaritate releuatur, transitoria pertinaciter diligit, eorumque amißione incessanter atteritur, quia & incessanter cursu rapiente permutatur rebus autem mutabilibus subdita & à semetipsa variatur.* Quin vt idem dicit. *Ipso quoque quotidie vsu humana vita veterascimus: & exterioris hominis impulsu cogitatione lubrica ab interioribus eximus, & nisi nos superna visitatio, vel ad amorem compungendo viuificet, vel ad timorem flagellando restauret, repentino lapsu mens funditus tota destruitur, quæ longo virtutum studio innouata videbatur.* Ergo ne bubo S. Gregorius, qui etiã perfectorum vitam veterascere, deficere, mutabilitati obnoxiam prædicat? cum hoc illius sit proprium, de quo scriptum est: *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* Hunc discursum S. Thom. authoritate cõcludo. Sunt (ait S. Thomas) *quibus bonum publicum permanere non sinitur, quorum quidem vnum est à natura proueniens, homines enim cum sint mortales in perpetuum manere non possunt, nec dum viuunt semper sunt in eodem vigore, quia multis variationibus humana vita subijcitur, & sic non sunt homines ad eadem officia peragenda, æqualiter per totam vitam idonei. Aliud autem impedimentum boni publici conseruandi ab interiori proueniens, in peruersitate voluntatum consistit dum vel sunt desides ad ea peragenda, quæ requirit Respublica, vel insuper sunt pacis multitudinis noxij, dum transgrediendo iustitiam, aliorum pacem perturbant. Tertium autem impedimentum Reipublicæ conseruandæ ab exteriori causatur, dum per incursum hostium pax dissoluitur, & interdum Regnum, aut ciuitas funditus dissipatur.* Ergo ne bubo S. Thomas eandem doctrinam Grauinianam cõfirmans? tuam cantillationem Aquinati è regione oppone.

Luc. 13. v. c. Iul. c. 8

8. mor. c. 20

11. mor. cap. 29.

Lib. 1. de regim. Princ. c. 15.

Rationabiliter ergo, ex tribus istis capitibus S. Thomæ Grauina defectionem aliquorum scribit, & alicubi assignauit laxorum religiosorum statum suprà, nempè vitæ instabilitate, ex pestilentia, nõ perfecta adimpletione iustitiæ, & ex incursu Barbarorum, & hostium Christi, Cœnobia funditus euertentium, & ex præteritis futura prudentialiter coniectans, non malo omine, sed ex pietate ad vigilãtiam exhortatus, tria hæc capita etiam Religionem Societatis lædere posse ex communi rerũ cursu docent, nisi priuilegio, quod ostendi debet, exemptam Vindicianus adulator prætendat, in præiudicium humilium, & timoratorum Patrum Societatis, non alta sapientium, sed humilibus consentientiũ.

§. II.

Rursus conquereris, quod Turtur *iuuẽculam vocauerit octuagenariam virginem, quam S. Paulus maluisset superadultam appellare. Fortaßis nouißimam indigitare voluit. qualem ipsa quoque in Concilio Tridentino professa est, & per Iacobum Lainium nouißimo loco sententiam dixit.* VIND.

dixit. Crescat in mille millia, & semen eius portas inimicorum suorum possideat.

TVRT. O exactum annorum calculatorē, quasi nunquam legerit, primam Ecclesiæ ætatem comparatam infantiæ, secundam adolescentiæ, &c. & ne dum octuagenariam, sed iuuenculam, & virginem à DD. appellatā. Ex vtroque ergo capite, & nouissimæ sessionis in ferendis suffragijs, & annorum periodo, respectiuè ad trecentenarias, quadringentenarias, & supra Societas iuuencula meritò dici potest, vt & vetustior respectu aliarum religionum, quę postmodum institutæ vel confirmatæ sunt ab Eccl. sia. Relatiuorum naturam, vel respectiuorum quidditatem hac vice ignorasse simulat Vindicianus, ipse bubo à passerculis de luscitate ista irridendus. Sed quid se quatur in Vindiciano, proferamus.

VIND. *Sed cur ei Grauina obijcit, quod adhuc expers fuerit calamitatum quæ vires debilitare solent. aut enim loquitur de intrinseca viscerum conuulsione, aut de forinsecus ingruente persecutorum tempestate. de priore non exilia refert Pius V. in diplomate contra Apostatas, repertos esse, qui animi leuitate, quietem labori priuatum com modum publicæ vtilitati indiscretè prætulissent, qui fucatis coloribus melioris vitæ, aut strictioris obseruantiæ versuram moliti essent; & quod turpius erat, qui ambitiosa cupiditate, postquam Deo se dedicassent. sæculi libertatem requisiuissent. Hac autem ausos fuisse. quod sibi persuaderent Societatis vota religiosam obligationem non inducere. Ecce intestinorum dolores, quibus iuuēcula Societas discruciabatur. Greg. XIV. noua bulla confirmans Societatem, memorat Sixto V. libellos fuisse oblatos, variosque modos excogitatos, vt traducerent, calumniarentur, infringerent, quæ in Societate Iesu consultissimè sancita fuissent.* Vides Grauina *Societatem à propria sobole impugnatam & exagitatam. Neque soci fuerunt, qui sub regimine Iacobi Lainij partim Romæ, partim in Hispania interni concitati motus narrantur. Tandem contra domesticos turbatores quinta, & sexta Congregatio Generalis grauissimè decreuit; neque seueritas ista, nisi vehementem intimorum vermium corrosionem significare potuit.*

TVRT. Quis hæc neget, dum tot testimonijs, & rerum experimento peruersorum filiorum materna viscera quatientium. sole clariora exempla producis? Benè admoneres, & quæ diceres tuo proposito conuenirent, si ista negaret Grauina, nunc vero quia sub Clemente, sub Paulo V. produci possunt (& modesto dissimulata silentio) inquietorum, & malorum filiorum exempla in matrem conspirantium, frustra Grauinam imperis, quod intestina bella, aut nesciat, aut nolit aduertere. & nescio qua ratione, vt aduertat extimulas, qui si aliqua in suo Turture posuisset ad tuam inductionem vberrime probādam, maiori censuræ (qua Vindicianus vapulat) se ipsum exposuisset. nunc de bono opere, & charitate, quæ operit multitudinem peccatorum atque peccantium, ex pia dissimulatione taxatur vt bubo, & inscius irridetur, ipse centies irridendus, qui neminem Societatis indiscretè vult reprehendi, & procacium, & non exiguæ multitudinis ingratorum filiorum culpas voluit euulgare, vt defatigatam probet Societatem. Noluit hæc Grauina producere, sed maluit, cum iniuria sui, ne silentio inuoluenda exempla recensendo, in vitium illud incideret detractionis, quod reprehendit: noluit defatigari ad quod Vindicianus impellit, vt multæ dilectionis creditor, nec minimæ ratractandæ detractionis debitor reperiretur; hinc Vindicianus maiorem amoris causam concipere debebat, quod extenuans excusationes in peccatis in imperfectis filijs Societatis, nec de publicis, & manifestis rebellibus fecerit mentionem, indeque Vindicianus

cianus ingratitudinis materiam erga Grauinam assumpsisse videtur, vnde dilectionis argumentum ministrabatur. Hoc tamen prodest Grauinæ causæ, ex tuis verbis, quod dum seditiones excitatas, & intestina bella contra matrem probas, immerito dici posse totam Societatem membrum viuum etiam contendas, cum filij rebelles, à te non pauci contra propriam matrem recenseantur matricidæ: nec imperfecti desunt, qui cum non foris, sed intus sint, & plerumque homines non vulgares in sapientia, & bonitate, non infimæ classis legionarij, sed docti viri, & graues, mouent controuersias quas acuti ingenij excitare solent, vel qui velut gigantes sub aquis mortificationum gemere solent, & grauati iugo disciplinæ illud à se excutere satagunt, refugientes etiam angariati crucem Christi portare, & zelo moti non secundum scientiam superiorum leges dijudicare præsumunt vel onera grauia, & importabilia si inferantur, sustinere nequeũt, vt si exigua charitas aliquos imperfectos superiores accuset, immortificatos subditos impatientia damnet. Id satis Grauinæ non solum eiectos, sed tanquam malos humores adhuc retentos in corpore Societatis, euidenter arguere, non esse firmam assertionem illam à Vindiciano defensam, *non esse in Societate, qui plangantur, vel esse Societatem totam viuum membrum Ecclesiæ*, cum eiusdem Vindiciani testimonio, sint turbulenti & inquieti, in matrem iniurij, vt rabidum (cum interdum nec eijci possint) corpus efficere possint, & senectutem, vel mortem accelerare, si diuina gratia opem non ferret. Non ergo Grauina, vt bubo malũ pronunciauit, sed potius Turturis munere fungens, nec ciuilia ista bella voluit nominare. Potius ipse Vindicianus Bubo lusciniæ canens:

Buboque montanus Philomelis occinat ipsi.

Ad alterum membrum enarrandum festinans Vindicianus producit exteriores insultus ex Grauina part. 2. cap. 30. nempe *persecutionem Gentilium, & Hæreticorum, quam tanti, inquit, fecit Grauina, vt ei potissimam defectionis Oratium causam ascripserit, ergo neque iuuencula Societas expers calamitatum fuit. Quasi hoc argumento velut missili telo Grauinam vulneret: Societas easdem persecutiones passa est, quas veteres Ordines quæ sunt defectionis causa, ergo vel iuuencula non est Societas, vel non causa, vt causa assignata.* Malus calculator deprehenderis Vindiciane, nam si persecutio externa causa est defectionis, vbi intensior & grandior fuit & diuturnior persecutio, ibi maior defectio facta est, magisque inueterauit, & consenuit religio. Certè veterum Ordinum grauiores, acerbiores, diuturniores persecutiones, quam iuuenculæ; propterea, vna ex causis relaxationis, persecutionis immanitas assignata est. Ex quibus persecutionibus quasi vetustate attenuata, illud proferre potest, quæcumque vetus religio, *rugæ meæ dant testimonium contra me.* rugæ autem sunt, ait Greg. *persecutores quos tempore persecutionis patitur* Ecclesia, *quos prædicationis verbis ante alere videbatur, qui fidem prius fatebantur, deinde orta persecutione ostendunt quid in perfida mente condebatur.* quo ergo plures, eo magis multiplicatæ rugæ ex pressura quam patitur, quæ senectutem attestantur, ostenditur.

VIND.

TVRT.

Iob. c. 16.

13. mor. c. 4.

Adhęc post externas Societatis persecutiones illatas à Gentilibus, & hæreticis, alias domesticorum ponit, *ex selecta*, inquit, *portione Ecclesiæ.* ad quod adducit Gregor. XIII. decretum, qui de his hominibus loquens ait, *quod religionis prætextu, transfigurante se in Angelum lucis Satana, pacem, & vocationem eorum qui de Societate sunt disturbare, eosque in fraudem, & defectionem inducere conati essent. Quin imo temerario*

VIND.

ausu

ausu multa ad Societatis institutum, ac viuendi formam spectantia labefactare, atque ipsa Apostolica decreta, ac præcepta publicè & ex cathedra impugnare, & mentem Summi Pontificis peruersè interpetrari non erubuerint.

TVRT. At leuior hæc persecutio, ea quam passi sunt Prædicatores & Minores, à Guilielmo de Sancto Amore, & Desiderio Longobardo, quæ authoritate Alex. IV. sedata est, & strenuè à B. Alberto Magno, S. Thoma Aquinate, S. Bonauentura confutata, reiecta: & facilè fuit posterioribus Doctoribus posteriorum calumniantium temeritatem propulsare. Impetus prælij in primarios duces irruit, illi totum pondus portarunt, & posterioribus impugnationibus arma, & clypeos se tuendi ministrarunt, quare maiorem puluerem Olympicum collegerunt, qui in turbulentiori lucta se exercuerunt, magis obfuscari potuerunt, qui inter ignes, & flammas discurrebant, quam qui postea veluti è Mecœnatica Turri eos certantes, vel prospectāt, vel lectitant decertasse.

VIND. Non desinit seminiuerbius adhuc ita exempla efferre. *Similiter Paulus V. in suo pro Societate diplomate fatetur: Humani generis hostem quotidie adniti, vt Societatem diuersimodè perturbet, & malis artibus ab incœpto retardet, qui proinde homines inquieti spiritus incitet ad Vnitatem Societatis scindendam, nationum collectionem (quæ ingens dicta Societatis gloria sit) dissoluendam, atque in partes miserè dissecandam. Nec vnam sed multas Societates statuere, & multa alia noua quietem & trāquillitatem ipsius Ordinis, regularem disciplinā, obedientiam, & illius statuta labefactant, attentare ausint.*

TVRT. Quis hæc neget? nodum Gordianū putas tuum hoc argumentum, cum infers.

VIND. *Hæc si pueriles ludi videntur, profectò Sedi Apostolicæ ludicra non sunt visa, sed instar ahaneorum tormentorum, quibus valla ac Mœnia Societatis quaterentur, ac funditus euerterentur.*

Non ludi, sed res magni momenti hæc toti orbi visa sunt, vt tantum potuerit ambitio, & amor principandi in quibusdam ambitionis filijs, non electis, nec de infima classe, sed mediæ, & supremæ classis ordine, qui, vnius perpetui Generalis principatu Monarchico (Romæ perpetuo residentis, nunquam Ordinem per se visitantis, nec de facie vultum pecoris sui agnoscentis, ob grauiores occupationes) pertæsi, friuolè prouincias diuersorum regnorum, & Ordinem diuidere Societatis attentarunt, & ex tædio ambitioni viam fecerunt, vt Monarchæ sibi diuiderent, non secus ac filij Alexandri, *sibi regnum diuiserunt, vt ex hoc nata sint mala multa in terra, ex quibus etiam radix peccati Antiochus ortus est*, vt dicitur in lib. Machab. sed quid mirum quando etiam de principatu inter Apostolos facta contentio est, de quibus Chrysologus scripsit. *Quos nulla potuit submouere auaritia, &c. sola ambitio fecit criminosos, habet enim in se domesticum scelus, vt alius dominetur prius seruit.* Siuè ergo ex impatientia suauis iugi religionis sacræ, siuè ardore principandi, diutius attentata fuerit, hoc totum Grauintanum laborem comprobat, quod in omni Societate, quæ sub cœlo est, boni cum malis, mortua membra cum viuis coniuncta sint, vnde meritò in foueam quam Grauinæ parasti, incidisti. Ad hæc alias addis persecutiones. TVRT. 1. Mach. c. 1.

§. III.

VIND. *Præter hæc meminisse Grauinam, credo, quot exilijs iuuencula Societas fuerit mulctata. Gallia post aliquot annos in gratiam honorificè recepit, nondum autem post tantam lustrorum periodum, Veneta Respublica, neque Transsyluania, Bohemia turbines Societatem longè lateque disiecerunt, Deus autem glorioso compendio restituit.*

restituit. Quod Polonia Prouinciæ immota perseuerent, Societas post Dei singularem clementiam, Serenissimi Regis Sigismundi sapientiæ, & protectioni transcribitur. Quantos interea plausus tot exiliorum, & minæ, & vicissitudines, hæreticis contra Ecclesiam Dei triumphos pepererunt?

TVRT. Meritò honorifica ista omnia, cum religionis, & fidei intuitu exhibita, nec enim ait August. *ex passione certa iustitia, sed ex iustitia passio est gloriosa*, & alibi. *Nemo dicat quia patior iustus sum, quia ipse qui primo passus est, ideo magnam exceptionem addidit: Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Nam multi habentes bonam causam faciunt persecutionem, & habentes malam causam patiuntur persecutionem. Pœna* [*ait idem*] *similis est bonis & malis, vnde martyres, non facit pœna, sed causa. Rursum non dixit Dauid in martyrum persona: discerne pœnam meam, sed discerne causam meam*, quæ titulus, & iniustæ persecutionis, & martyrij. *Nemo ergo* dicat (ait idem) *persecutionem patior, non ventilet pœnam, sed probet causam, ne si causam non probauerit, numeretur cum iniquis, vnde* (*subdit*) *dixit Propheta, intende iudicio meo, non pœnis meis, Deus meus, & Dominus meus in causam meam.* Propter quod ne vnusquisque martyria absque Ecclesiæ probatione venditaret, & persecutiones propter iustitiam, sapientissimè Vrbanus VIII. id suo decreto vetuit, ne euulgarentur martyris tituli absque Sedis Apostolicæ probatione, ne pictoribus atque Poetis daretur licentia fingendi, vel pingendi passos in America, qui viui sunt in Europa: propterea Deo, & eius in terris Vicario competit ista discretio. Comperta vero causa martyrij, & passionis, & persecutionis iniustæ pro Christo, piaculũ est alias causas comminisci; nam Iulianica vafricies fuit ex Naz. dicere, quod qui Christi causa excruciabãtur, nõ vt Christiani, sed vt facinorosi supplicio afficerentur, ne martyres à Christianis debitis honoribus celebraretur: Quãdo vero alia deprehẽditur causa martyrij, vel persecutionis, superstitiosum, & impiũ comminisci pro pietate certamen assumptum fuisse, quod pro caducis, & terrenis bonis, nec veritatis studio, & amore, sed gloriolæ intuitu initum est, alioquin (vt discurrit Nazianz.) Empedocles, Aristaus Empedotimus, ac Triphonius, & alij eiusdem chori, vt pietatis cultores celebrandi essent, quorum deprehensa fraude, nõ plus honoris acceperunt (subdit Grego.) quam contumeliæ, ob cognitam eorũ imposturam. Fatetur & recordatur ipse Grauina illustrium certaminum Societatis pro pietate susceptorum, quæ illi, & suo, & cæterorum ordinum cętui, fuerunt communis causa pro iustitia patiendi eiectiones, exilia & mortes, sed ex hoc arguatur, protelata, & diuturna fuisse veterum Ordinũ martyria, quando ab ipsorum exordio, numquam exilijs, carceribus, tormẽtis pro Ecclesia, pro Christo, pro Deo susceptis, vacua eorum portio fuit, vt personis absumptis, Cœnobijs solo æquatis, maiores calamitates, & defectiones senserint, quam iuuencula, quæ post illos nata Societas hucusque pertulerit.

P.c.Par.c. 7. in ps. 24.

Epist. 50. ad Bonif.

In ps. 30.

Orat. in laud. Cæsarij.

Orat. 1. c. Iul.

§. IV.

Non dum defatigatus in probationibus, adhuc progreditur Vindicianus, in probanda externa persecutione, vt iuuencula Societas propterea dicenda non sit.

VIND. *Si neque ista generosum Grauinæ spiritum exsatiant, dicat amabo, quorsum regente Clemente VIII. acerrimæ illæ disputationes super Ludouici Molinæ sentẽtijs in alma Vrbe inualuerũt? Quorsum penè omnes Galliarum, Hispaniarum, Belgij, & Italiæ vniuersitates contra Societatis publicè dicendi iura, & priuilegia insurrexerunt?*

TVRT. Non ob persecutiones ciendas contra Societatẽ, sed aduersus priuatas sententias quas Molina defendit, totius ferè orbis

Hh Vni-

Vniuersitates etiam illustriores, & vetustiores Patres Societatis, vt Pereria, Henriquez, Colonienses (apud Andradam) & alij pro auita S. Augustini doctrina defendenda, omnes neruos intenderunt; donec tandem ad Ecclesiæ tribunal causa delata est, cuius determinatio, & definitio Apostolicæ Sedi reseruata est, suo tēpore publicanda, cum Spiritui sancto, & Pontifici visum fuerit. vnde nescio qua audacia P. Baeza pronūciauit, quod IVDICANTE PONTIFICE MAX. inuulnerabilis apparuit, cum nullum decretum pro Molina à Sede Apostolica emanauerit. Ergo ne persecutores Societatis vocabis, tot DD. insignes (etiam Societatis) proceres, custodientes Ecclesiā, non tacentes, sed clamantes, cum omni reuerentia iudicium Sedis Apostolicæ præstolantes? Si qui velut reus adductus fuit, innoxius iam declaratus esset, & absolutus, auctoribus non probantibus, & iustificatus abscederet Molina: nunc autem cum pendeat declaratio, & publicatio definitionis, & determinationis, tam actores, quam prætensum reum sententiæ publicationem expectare necesse est, non iudiciū Ecclesiæ præuenire. Nec illos vnquam vocare potes persecutores, cum vim passum fuisse Molinam probare non possis. Vnde immeritò Delrius auctor disquisitionum magicarum in Dominicanos inuectus est in Epistola Dedicatoria (quæ expungi mandata est) & ab eo expostulatum à fidei Quæsitoribus (cum in libris aliquorum Societatis multa animaduertenda annotarent, & expungi procurarēt, vt in Molina laboratū & procuratum) vt hi nec vt iudices, nec vt actores, nec vt testes in fidei, & materia doctrinarum reciperentur (tātæ ne animis cęlestibus irę?) cum hac via sublata, animaduertēdi in nouitias propositiones, easque annotando, liber esset cāpus effræni ingenio, quæcumque placita orbi instillare. Si id nō factum esset, iam Sa, Sanchez, Poza, Gambacurta Maiorum authoritate in multis expuncti, per Academias legerentur, & ex multitudine scholariū, eò esset vetita in expunctis doctrina plausibilior, quò vniuersalior. Si persecutio est ꝓpositiones huiusmodi deprehensas ad Quæsitorum tribunalia deferre, vt Ecclesiæ iudicio iudicentur, & an admitti debeant, videat Anonymus, quem locū sibi parauit, illū certè, vt cum Donatistis sedeat, nam sicut illi persecutionem vocabant, hæreticorum animaduersionē, sic & iste Doctorum vigilantiam, qui Tribunal Ecclesiæ adeunt, indicando propositiones, vt iudicentur, vel probentur, persecutionem pariter insolentissimè ex facto Molinæ non verentur appellare. Nulla ergo in Societatem persecutio, ex particularis impugnatione, quem in multis, & illustres Patres Societatis quoq; impugnarūt.

Baez. li. 15. c. 2. to. 3.

Quod vero subdis: *omnes Academias in iura docendi, & priuilegia Societatis insurrexisse*, Negant tot illustres Vniuersitates quas tā turpiter infamas, & iam ex publicis actibus constat, non de iure docendi, & priuilegijs quibusdam Collegijs nō toti Societati indictas contradictiones, sed in vnius vel alterius (quod nec in totam Societatem redundat) Rectoris animositatem, qui multa præter priuilegia sibi vsurpare volebant (cōtra Soc. voluntatem) vnde & cōtrouersiæ inter scholares Collegiorum, & Vniuersitates (vt inter Iagellonicā Academiā in Polonia, & in Germania inter Vniuersitatem Pragensem, & Collegia contigit, ne alia memorentur) non leues excitatæ sunt, quæ maxima incendia, ni sopita parere potuissent. Quid excitationem Academiarū prodis, & iustam causam commotionis reticces Vindiciane? vis ne esse homines truncos, & stipites, vt quæ pro laudibus mendacia colorata affers, ad tuā pronunciationem

nem Pythagoricam, vt vera & indubitata accipiantur?

VIND. Pergis, & ad famosos libellos inuisendos inuitas, vt finiatur persecutionis inductio. *Prodijt nuper bene palmaris liber Gallicè de hoc argumēto auctore in Societatem parum æquo, docet tamen prolixè, quantis æmulationibus multi contra Societatem incendi se sinant. Quantis huc-usque viribus hæretici cum suis fautoribus in Societatis famam, mores, & leges debacchati sint, penè innumeræ omnibus Europæ linguis Apologiæ publicatæ certificantur.*

TVRT. Pessimè Societatem tot titulis illustrem perditissimi homines impetierūt, institutū, leges, mores, traducēdo, & particularium defectus, quæ personarum vitia sunt non communitatis, diuulgando, quos tu Vindiciane imitari nō debuisses in ista dicacissima tua cauea, non vnam, vel alteram, sed omniū Ordinum cōmunitatem offendēs, & sic triumphare te existimas, quasi equis albis veharis, & cæteros ante tuam rhedā à te confictā, velut moderator orbis ducas, & omnium religionū (odiosa, & modestis PP. Societ. displicenti æquiparatione) illustres etiam veluti captiuos præeūtes, vel sequētes loces viros Religiosos, iam pridē satis ex priscis Ecclesiæ hostibus superimpositis plagis exulceratos, ijsdē modo à te refricatis, & sale multo cōspersis. Sed si nō iuuenculā hæ quas adducis persecutiones, Societatem demonstrant, multò vetustiores, ob maiores, ob diuturniores, quę de die in diem innouantur, afflictiones, quas patiuntur Ordines antiqui demonstrātur, vt casibus vetustiorum magis compatiendū; scilicet nullum tam firmum, & robustum corpus esse; quin tandem febribus, & subsequentibus se inuicem ægritudinibus affligatur, & tandē consummatur, ex Chrys. *Hom. 7. ad Heb.* *Meliora*, scripsit Seneca, *prætereuolant* (ex diuturnitate tēporis) *deteriora sequūtur*. Quemadmodum ex *amphora primum quod est syncerissimum effluit, prauissimum, quod turbidū subsidet. Sic in ætate nostra, quod est optimum primum est &c.* Sed bene Plut. in Moral. *Nouella vitis copiosius gignit vinum, sed vetustior melius*; sed in hoc non est alligata manus Domini. *Ep. 108.* *Plut. in mor.*

VIND. *Taceo* (subdis) *operosos labores quibus vbiuis gentiū Societas oneratur, ac tantū nō præfocatur, vt nemo prudens non alta cōsideratione mirari cogatur, vsq; adeò indefessam eius in oēs mortalium promptitudinē & hilaritatem. Dic age Grauina potest tam effusa charitas à molli, & delitijs assueta iuuencula expectari, ne dum perennari?*

TVRT. *Quemadmodum* (scripsit Seneca) *sapiēti incessus modestior conuenit, ita oratio pressa, non audax.* *In epist.* Apage linguaces istos quibus *loquentia multum, sapiētia parum*, dicebat Salust. Scitè illud assertum in Curtio. *Canē timidū latrare vehementius, quā mordere.* *In Catili.* Quis pia opera & sanctas exercitationes Societatis, & charitatis actus neget à Societate præstari? præstantur vtique, & feruentes (vt arguebat Grauina) quia in flore est respectu præcedentiū, & in primo feruore, quæ velut Abigail adolescētula virgo, senilia membra, hoc est tepidorū, ex vegeto corpore, & feruenti sanguine calefacere potest: non mollem, vel delicatā, vt falso imponis Societatem Grauina appellauit, quādo vnq̄ dixit: *quousq; dissolueris delicijs filia vaga?* quādo hāc quam tu somnias consequentiā formauit [ex vegeto sanguine, & iuuenili tempore Societas commendabilis est, calamitatum veterum Ordinū expers, ergo Societas est mollis, & delicata?] cur Grauinā accusas, & incusas? *Quis innocens* (dicebatur apud Marcell.) *esse poterit si accusasse sufficiet?* Nihil certè est, dixit Seneca, *quod non vellicare malignitas possit.* tua ergo in Grauinam vindicatio, tuæ iniustæ vindiciæ Vindiciane ipsa censura tua sint?

§. V.

VIND. Ad extremū subdis Vindiciane. *ingenuè nollē illa, auribus nimiū horrēda religiosis Graui-*

na excidisse:nouam, inauditā, priuilegiatam, Ecclesiæ inconcessam ætatem (qua oculus nusquam caliget, gressus non vacillet, senectutis languores non sentiantur,&c. Societati sperandam non esse. &cum declamatione pro rostris exclamas. *O Deum immortalem tam debilē Redemptor hominum è cœlis Paracletum misit, vt nullum religiosum Ordinem in vigore, & integritate disciplinæ firmare,& in posteritatē prorogare possit? adeò ne manca, & imbellis est ad religiosum statum vocatio,vt ad implendum non sufficiat, quæ syncero, & feruido animo supremo Numini vouerit? Quod si aliquam multi potuerunt, quorum Grauina insigniores recolit,cur non omnes perinde potuerunt? Dominus idem omnium est, & diues in omnes qui illum inuocant. An quæ in malè partis regnat maledictio, vt ad tertium non transeant,etiam in Regularium Ordines irrepsit? sed quanto Modestius Io. Nider propter vitatam superfluitatem, cum secularibus consuetudinem, docet PP. Carthusiensium, & Cælestinorum Ordines ab initio vsque nunc sine lapsu perstitisse, alioquin quomodo Grauina demonstrare audet, quam florentissimum etiamnum esse omnium Ordinum statum, si neque iuuenculæ Societati conceditur floridam sperare senectutem, quomodo enim cæteri Ordines veris sui amœnitatem hucusque conseruarunt?*

TVRT. Quis tu es, *qui tantos spiritus tibi sumis? vtrum eques? An sagittarius? an veles? an legionarius?* dictum olim Iphicrati apud Plutarchum in apoph.cum ille elatus respondit: *nihil horum*, inquit, *sed qui his omnibus noui imperare*, talis est fastuosus tuus spiritus, qui inaudita priuilegia cæteris superemi- nentia sine fundamento de societate adulando fingis, videlicet eam, quasi manipulum super cæteros eleuatam, adorandam,spectandam, illique fasces ab omnibus (quod ipsa recusat) submittendum proponis. Quid dico? si tali vt fingis passione affecta esset Societas, vt hoc sentiret quod defendis, vt super cæteros assurgeret & eleuaretur, insigni, & perenni passione vreretur:nam etiam (vt scripsit Chrysost.) *si Regem ante se procumbere, ac procidere videret superbus,non satiatur,sed magis incenditur. Quemadmodum enim auari quanto plura acceperint, tanto pluribus egent,ita & arrogantes,quāto magis honore fruuntur, tāto magis cupiunt honorari*, quod de tam insigni Societate,nec licitum, imò impiū est suspicari. Audi Vindiciane, diuersa sunt hæc. *Societati desperandam perseuerantiam in bono, vel in posteritatem integritatem disciplinæ nullum Ordinem transmittere posse:Et priuilegium perseuerandi tanta securitate alicui repromittere*, vt cæteris ruētibus, à lapsu præseruetur] Primum absurdum est sentire. Secundum nullus debet præsumere. A Deo datur perseuerādi possibilitas, & voluntas secundum Orthodoxam fidem. at num hi vel illi actualem perseuerantiam habituri sint, in arcano Dei reclusum est mysterio. Ex quo decreto (ait August.) videmus, *quosdam filios perditionis, non accepto dono perseuerandi vsque in finem in fide, quæ per dilectionem operatur, incipere viuere, & aliquandiu fideliter ac iustè viuere, & postea cadere, neque de hac vita priusquam hoc eis contingat, auferri.*& idem ait. *Nouimus aliquos etiā perfectos, ex labore multorum annorum prolapsos in vltimo vitæ sua, & perijsse,&c.* Non id ex defectu Redemptionis, vel curationis, sed ex humana infirmitate prouenit, vt Deū primo deserat homo quā deseratur, vt denegetur facere cui datum est posse, *sciatque omnis, inchoandi, & vsque in finem perseuerandi gratiam*,vt dicit August. *non secundum merita nostra dari,sed donari secundū ipsius secretissimā, eandem iustissimam,beneficentissimam,sapientissimam voluntatē.*ex quo fit,ait idem S.quod *non perseueraturi perseueraturis prouidentissima Dei volūtate miscētur,vt esse discamus nō alta sapiētes,sed humilib.consentiētes,& cum timore,& tremore nostrā ipsorū salutē operemur, Deus enim est qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona volun-*

Hom. 1. in 1. ad Thes.

De corrp. grat. c. 13.

Hypog. lib. 6. in fine.

De boni perse. c. 2.

Cap. 13.

voluntate. &c. hoc nobis expedit, & credere, & dicere: hoc est pium, hoc verum, vt sit humilis, & submissa confessio, & detur totum Deo. Huius contrarium asserens nouum Paracletum, nouum Christum, nouamque eius Oeconomiam expectare debet, vt & præter id quod reuelatũ est, nouos Apostolos creãdo, fidei veritatem denunciet. Non puto hanc doctrinam negaturum Vindicianũ, ne omnes Societatis Patres finaliter perseueraturos, nunquam lapsuros (eorumdem PP. displicentia, & malo suo) adstringatur admittere. Dixit autem Grauina, *nullo modo ob innatam modestiam & humilitatem Societatis, prætendere posse, nouam, inauditam, priuilegiatam, Ecclesiæ inconcessam ætatem, vt in nullo suorum caliget oculus, eius membra non vacillent, ingrediaturq; in abundantia sepulchrum, vt infertur aceruus tritici in tempore suo &c.* vt ostenderet Orthodoxè non esse Societatem in omnibus membrum viuum, nullum suorum cęcutire, nullum membrum vacillare, purum triticum absque palea in aceruum immitti; qui si in hoc culpandus est, culpetur & August. cum enim propter Circumcelliones, hoc est, quosdam vagos Donatistas hæreticos, infamaretur Monachorum nomen, dixit. *Verumtamen charissimi, sunt qui & Monachi falsi sunt, & nos nouimus tales, sed non pereũt fraternitas pia propter eos, qui profitentur quod non sunt. Tam enim sunt Monachi falsi, quam & Clerici falsi, & fideles falsi. Omnia ista tria genera fratres mei, quæ aliquando vobis commendauimus, & vt puto non semel, habent bonos suos, habent malos suos.* Et ex diuturnitate temporis refrixisse multorum charitatem, & à primæuo feruore fassus est Grauina, è diametro positioni illi se opponens, [Societatem solam esse membrum viuum: in alijs religionibus esse scandala grauia, multiplicia, omnibus nota, & propterea enunciauit, *omnem congregationem malos, & bonos continere:* à suo primæuo

In Ps. 132.

feruore, ex varijs casibus, & processu temporis veteres Ordines refrixisse, ita tamen (quod erat prodigium) vt senes cum iunioribus in viuacitate contenderint. Subinde, nec à temporis rabie, & varijs accidentibus exemptam fecit Societatem, vt prorsus in nullo suo membro, progressu temporis, nutaret. Quid Vindicianus: statum quæstionis immutans, imponit Grauinæ quod non somniauit: *totam religionem Societ. non posse integritatem disciplinæ ad posteros transmittere diuino dono, & desperandam proinde Societati, illam inauditam, & priuilegiatam ætatem*; diuersa enim sunt; *omnia membra fore semper, vt viua, viuida* & immarcescibilia, &: *religionem semper floridam futuram in genere*, quod & veteribus, & lassis non laxis ordinibus hucusque concessit. Non abneganda sunt florentissima religionum principia semper extitisse, quæ subsequentibus ætatibus, in quibus vel ex maioribus calamitatibus, ingenti numero, & huiusmodi, quadam (ob tepidos) reformatione, & arctiori obseruantia opus fuerit, respectiuè, vnde & quæ ex Nidero obijcis, cum alijs patrijs tuis cantillationibus ad propositum non faciunt.

§. VI.

VIND. Coronidem imponis tuo discursui Vindiciane dicendo. *Frustra Lectoris aures huius absurdi refutatione obtundo, satis pro omnibus argumẽtis constabit, si protester me animũ meũ inducere non posse, vt credam hæc Grauinam scripsisse, illum cœlestis sponsæ sodalem, illum magni Dominici discipulum, illum S. Theologiæ professorem, illum S. inquisitionis consiliarium.*

TVRT. Imò Vindiciane, ille cœlestis sponsę minimus, & indignus Dominici expugnatoris hæresum, & primi Inquisitoris subditus, ille Sac. Theolog. professor hæresum confutator, ille S. Inquisitionis consiliarius, qui tot propositiones tuas in tuo Anonymo opere hic censurandas indigitauit,

nit, & monstrauit, & quotidie tuorum Symmistarum dicta, auribus horrida, nedum religiosorum, sed laicorum, inuestigat. Ille auctor est eius opusculi, ad imitationem S. Thomæ omnes Ordines, & Societatem innumeris titulis, & donis illustrem, etiam defendens. Si laudes eiusdem Societatis exprimens suscipitur Grauina grato animo, cur iactantias, & insanias falsas à te confictas retundens, nec nomine agnoscitur? Scis optime retusam illius impudentiam à Zenone, qui cum dixisset, *in multis sibi displicere Aristhenem*, rogatus tamen, *an haberet Aristhenes, quæ placerēt?* & respondens, *se nescire*, argutè à Zenone perstrictus, *& non te pudet*, inquit, *si quid ab Aristhene perperam dictum est excerpere, ac meminisse, si quid autem à te id ne animaduertere quidem ac tenere?* Sed Vindicianus laudes suscipit, & vt aduletur, admonitiones tanquam perperam dictas carpit, in ijs authorem operis agnoscit, in illis alium authorē Turturis esse fingit. facilè est Mimis mutare personas. Sed impertinentia loquenti benè respondit Gorgias: *aduersus huiusmodi homines terram producere ferulas.*

7. Apoph. in Zeno. — *Li. 8. Apo. in Gorgia.*

Subdit Vindicianus, *aliud in gratiam curiosi Lectoris molior, cum alios non deesse intelligam, qui similiter Societatem angustiori pede metiantur, ac metuant ne post aliquot annorum centurias sibi multum dissimilis appareat, multo in posteritatem ardentiori spe, & affectu motus, in medium conferam ea, quæ monstrare possint, Societatis nepotes maioribus suis, neque in pietate, neque in disciplina constantia, neque in doctrina, neque in Monasterijs, vel latum vnguem, vnquam cessuros esse, ac in multis etiam superaturos; quod superi de cœlis benignissimè annuant.*

TVRT. *Conticuere omnes, intentique ora tenebant;* dum Vindicianus, hæc de Tripode Apollinis futura diuinabat, & cum Trophonio è subterraneis specubus obmurmurans, opinionem magnam sibi conciliare putabat, dubijs incertisque oraculis. Hæc enim omnia vnum vaticinari poterunt, vana esse oracula quæ non è diuina reuelatione descendunt, sed potius Ὀφίσματα fallentia, & eludentia responsa. Sperari hæc omnia (vt ego spero de tam insigni familia) à potenti largitore possunt, mi Vindiciane; seclusa verò reuelatione, certò, infallibiliter (vt facis) enunciari non possunt.

Expenduntur media à Vindiciano proposita, vt omnes, & semper in Societate maneant, quod esse cœperunt.

§. I.

VIND. Relicto habitu Vatis in scena medicæ tuæ professionis togam assumis, media namque apponis, *vt omnes & semper in Societate maneant, quod esse cœperunt*, audiamus, & expendamus hæc pharmaca, tam veteris orbis Europæi quam noui Americani. Mala ergo primo numeras quibus defectus Ordinum causantur; mox paras vetera antidota apponenda, quæ ex S. Bonauentura, Nidero, Vmberto in hæc capita contrahis; inter mala, ponis

Primum, Præsides alicuius religiosi cœtus, sine manifesta necessitate à communi regula non eximantur; sic enim subditi sibi suadebunt, ea exemptione indigere, viam ad officia huiusmodi emergendi quærent, & facilis dispensatio cum subditis, causat æmulationes, suspiciones, labores &c. Exemptio vnius aut certorū à communi lege valdè clarus, & iustas causas requirit. &c.

TVRT. Propterea Præsides instituuntur, vt sint dispensatores mysteriorum Dei, sed hoc quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur. vnde Bern. ait, *eadem fidelitas à subditis nihilominus exigitur in obtemperando, quæ à Præpositis in dispensando.* Quia ergo Regularium constitutiones ad lucrum, & custodiam sunt charitatis, pro causis, locis, temporibus, personis, vt etiam Eccle-

L. de disp. & præcep.

stastica instituta, ex eodem, Bern. dispensentur, & merito, *vt quæ,* ait Sanctus, *pro charitate inuenta fuerunt, pro charitate quoque vbi expedire videtur, vel omittantur, vel intermittantur, vel in aliud fortè commodius demutentur: sicut è regione iniquum procul foret, si statuta pro sola charitate contra charitatem teneantur.* Hinc in Prædicatoria religione cautum est, *vt Priores dispensationibus vtantur, sicut, & cæteri fratres.* Quando vero necessitas non est, dissipatio potius est, & ea inconuenientia sequuntur, quæ Vindicianus (solitus quærere nodum in scirpo) ad carpendum recensuit, si his Præsidibus ducibus, si facilis dispensatio ieiuniorũ, chori, austeritatum: & malè ominatur haruspex, quod ijs timendum, qui his exempti moribus, faciliora fastidiunt constituta. alterum apponis malum

VIND. *II. Si subditi à Præsidibus timeantur, nulla enim ferocior bellua est, quam quæ terrere nouit, ferè autem contumaces timeri contingit; aut qui fauoribus æqualium, vel externorum pollent, aut qui conscij secretorum moliri etiam depositionem ab officio possunt. Vicissim si Præsides à subditis timeri debeant, ob asperitatem regulæ minimè conuenientem, verbi gratia in victu, vestitu, libris, & alijs sustentationi, vel officio necessarijs, in directionis vel correctionis modo, qui despoticum aliquid iracundum sapit, aut contemptum præ se fert, hæc fortiores frangunt, imbecilles suffocant.*

TVRT. Vtrumque ad defectionem parat latam viam, subditorum in Prælatos terror, vt hi Syllani, & Catilinarij potius quam Religiosi dici debeant, & vicissim subditorum de Prælatis timor. Postremum horum funestius, & Neopoliticæ, vel pseudopoliticæ basis, & fundamentum. Hoc erat præceptum Atheopoliticum Gentilitium, quod in arenas Machiauellianas prorupit, relatum, cum cæteris ab August. *Reges non curent, quàm bonis, sed quam multis subditis regnent. Prouinciæ Regibus, non tanquã rectoribus morũ sed tanquã rerũ dominatoribus, & deliciarum suarũ prouisoribus seruiant, eosq; non sinceriter honorent, sed nequiter ac seruiliter timeant.* [1. de ciu. c. 20.]

Prius est certè quod formido, & pauor irruat in subditos, cum non patrem, & Rectorem eum qui præest, sed dominantem, & principantem experiuntur, quàm quod subditi Præsidenti sint terrori. Cum enim paterno amore subditi diliguntur, paternoque affectu emendantur, non despoticè & Tyrannicè, in vinculis Adam trahuntur, in vinculis charitatis; hæc enim sunt Regnorum retinacula: *misericordia & veritas custodiunt Regem, & roboratur clementia thronus eius;* [Prou. 20.] vt subditorum beneuolentia ex amore parta, sit eiusdem munitissimum castrum, & legio, vt alijs Prætorianis militibus opus non sit, vt de Tito, Nerua, Traiano, Adriano, Antonino, subditorum amore custoditis, legimus. Contra Neroni, Caligulæ, Vitellio qui terrore dominabantur, nec Orientales exercitus, subditos formidantibus satis erant. Seruilis ciuium timor cum odio nectitur, filialis cum charitate: odium suas habet scaturigines, ex iniustitia, iracundia, iniurijs, & contemptu subditis à Principantibus illatis: ex iniuria, & contemptu extimulati nobiles, in rabiem versi æqualium, & externorum, quibus pollent fauoribus, adiuti, per eos gradus incedunt (ex Seneca) vt è querelis ad maledicta, ab his ad insidias, coniurationes, & ad excutiendum iugum prorumpant. [Sen. 1. de Clem.] In has angustias ij Principantes incidunt, qui mero, & mixto Imperio inflati, absque sapientum consilio, sed paucorum confidentium numero iuxta eorundem interdum priuatos affectus, vel officia dispensantur, vel gradus in Rep. tribuũtur, vel pœnæ remittuntur, vel præmia cõceduntur: & ad inuicẽ sibi Monarchiæ regimen patientes gratiã supremi

Prin-

Principantis aucupantur, vt & ſi ille ab omnibus ſit independens, pro libito ad decreta efformanda Philautica impellant, & viciſſim talis imperans efficitur, quales cõſiliatores. Certè tolerabilius eſſet Principem ipſum impium, & iniuſtum eſſe, & habere probos, & bonos ſibi aſſiſtentes conſiliarios, quam bonum eſſe & pſeudopoliticos habere conſultores, de quibus
Pſal. 47. hominibus ait Auguſt. *ſolemus ita loqui. Bonus homo eſt, ſed mala latera habet, id eſt, ipſe quidem probitate præſtat, ſed maligni ſunt, qui ei coniuncti ſunt*: & maiora inconuenientia ſequuntur, ſi eamdem formam imitari ſtudeant, qui officia, & Præfecturas minores obtinent ſupremorum cõſiliariorum ſtudio, ad regendum à Principante præpoſiti, & ab illo ad præſidendum aſſumpti; hi enim ab ilo & conſiliarijs illis dependentes, independenter in ſuis locis gubernant, pro libito etiam proponunt, pro libito obtinent, vt pro libito amandant, vel remittunt. Quo fit, vt reclamationibus interdum locus non detur, qui nec de facie noti, nec de moribus ſyncerè informati, vt rectum iudicium locum habere non poſſit; interim opprimuntur innoxij, releuantur noxij: hi, ne diſpliceant, incipit illis innocentia diſplicere, & noxia, & indigna incipiunt patrare, vt placeant, ſicut & noxij quia placent in criminibus non plectũtur, & quia innocentiam inſectantur, maiora audent, vt magis placeant, & ſi boni vel oppreſſi reclamare ſtudeant, malo ſuo reclamant, nam ſi ſiniſtrè de eo viuendi modo vel mutire audeant, à delatoribus inquiruntur, deferuntur, exterminantur,
2. de ciu. c. 20. quaſi illud Gentilitiũ locum habeat, quod ſcripſit Auguſt. *ille ſit publicus inimicus, cui hæc felicitas* (forma regiminis) *diſplicet. Quiſquis eam mutare vel auferre tentauerit, eum libera multitudo auertat ab auribus, euertat à ſedibus, auferat à viuentibus.* Hæc terreni principatus forma, cum Pſeudopoliticè regit, quam diabolus in pectoribus tantum ambitioſorum degentium in Chriſti caſtris vellet introducere, vel ſuggeſtam firmare.

Illi autem cœtus magis ſeruili timori obnoxij ſunt, qui abſolutos Principantes habent interdum, independentię fidentes, illud habentes in ore. *ſic volo, ſic iubeo. ſat eſt pro ratione voluntas*, tunc enim plus timent de Præfectis quam eos ament, vt ad illa inconuenientia, quæ doctè Vindiciane memoras prorumpant, vt tandem depoſitionem Præſidum machinentur, vel Reipublicæ diuiſionem, & temporalitatem regentium exoptent.

§. II.

Tertium malum conſequenter apponis. VIND
Si Præſides plus fauere extraneis, quam domeſticis putentur, vt ſubditi rebus commiſſis parum fideliter incumbant, ac nulla melioris ſpiritus prole fœcundentur, vt Syncletia monebat. Signa maioris, vt dixi fauoris ſunt. Extraneos ſplendide excipere, ſumptuoſis donarijs ornare, plurimũ temporis illorum conuerſationi impendere; contra domeſticorum cellas, infirmariam, officinas incultas relinquere, deteriora in victu, & potu, & alijs ingerere &c. eadem conditio ſubditorum erit, ſi ſuperfluis extra Cœnobium commorationibus detinentur, quorumcunque tandem negotiorum cauſa, & multa hic ex Nider. l. 2. c. 17. radice 7. & 2. cap. 20. conglomeras.

Hoc verè ingens, & magnum malum, TVRT.
vnde ſubditi quoque exaſperantur, ſi de neceſſarijs, non prouideantur. *Si quis* (*ſcripſit Apoſtol.*) *ſuorum maximè domeſticorum curam non habet, eſt infidelis, & infideli deterior*, 1. Tim. 5.
per hyperbolem, nam etiam Ethnici homines, & mutæ pecudes, ne dum cicures, fœtus ſuos amant, & protegunt. vnde veterum fidelium in regenda familia, ſic laudat Aug. [Solicitudinem, & charitatem.
Habuerunt ergo ſeruos iuſti parentes noſtri; ſic 19. de ciu. c. 16.
ad-

administrabant domesticam pacem, vt secundum hæc temporalia bona filiorum sortem à conditione seruorum distinguerent, ad Deum autem colendum in quo æterna bona speranda sunt, omnibus domus suæ membris pari dilectione consulerent. Quod naturalis ordo ita præscribit, vt nomen patris-familias hinc exortum sit, & tam latè vulgatum, vt iniquè dominantes hoc se gaudeāt appellari. Multò magis, qui non seruorum, sed spiritualium filiorum curam habet, non tantum pater familias, sed & pater est, eorum debet curam gerere, in ijs, quæ ad corpus, & animum pertinent. Turpe enim (ait Chrysost.) *extraneos docere, & tuos in errore relinquere.* turpe, vt fontes temporalium bonorum foras effluant, & domestici fluentis priuentur. Eiusmodi radix ex principatu dominandi, ad perpetuandum regimen, oritur frequenter, vt subiectos magis opprimat. *Tantum* (dicebant Gentiles, & August.) *Respublica floreat copijs referta, victorijs gloriosa, vel quod est facilius, pace secura sit. Et quid ad nos? Imò id ad nos magis pertinet, si diuitias quisque semper augeat, quæ quotidianis effusionibus suppetant, per quas sibi etiam infirmiores subdat quisque potentior.* Horum exemplo bene subdit Vindicianus, quod, nec subditi sibi commissis parum fideliter incumbent. Sed illi magis maiora damna sæpè certè patiuntur, qui opulentiora habent bona, & prædia, quibus præsunt potius laici, quàm diuino ministerio mancipati. *Vbi multæ opes, ibi & multi qui comedunt eas*, magis enim tentari possunt qui loculos habent, & omnia administrant, quam ij, quibus eorum dispendio, ministratur, & à metallorum visu arcentur, si sine ratiocinijs; diligenti inspectione, & diligēti cura committeretur villicatio, imò vt eorum arbitrio tota disponatur temporalis Oeconomia, certè quot villicos sic instituet homo, totidem ad fraudem aptabit dæmon, si in tanta libertate relinquentur; famosi enim illius villici exempla sequentur, qui de mammona iniquitatis multos sibi amicos effecerat. *Est autem* dicebat Chrysol. *humani moris, vt debitor compendia fraudulenta, & villicus sibi consulat sic furando.* Addis, & aliud malum egens antitodo.

Hom 14. in eum loc. Apo.

Sup. 2. de ciu. c. 20.

Eccl. c. 5.

Ser. 126. de villico.

VIND. *Quartum si ambitioni digniorum in Cœnobio officiorum, vel extra vllibi pateant fores, nihil enim hoc vitio prophanius, inquietius, impudentius. Cætera hominem rubore, scandalis, ac pœnis deijciunt, ac domant. Ambitio pleraque impunè molitur, gloriam Ordinis fructum in proximo obtendit, meram autem sui ipsius obliuionem, vel superbam de se extimationem conciliat.* & subdit. *superiorum est vel rimas huius insolentiæ obturare, quod fiet si in officio suo non delectationem, sed ægrimoniam, sine fuco exhibeant &c. Item si subditis suis pericula monstrent, quibus inuolui etiam illos necesse est, qui inuiti ad officia trahuntur. Rursum quam cæcum oportea esse eum, qui sibimet vires ad talia onera pollicetur, propter aliquem fortassis doctrinæ, experientiæ, fauoris, ac bonæ voluntatis apparatū &c.*

TVRT. Insigne certè malum ambitio, quæ velut aper singularis vniuersa deuastat. *Dignitatis* (dicebat P. Blesensis) *quidem appetitus, natione cœlestis est: in cœlo concepit & peperit iniquitatem.* Nobiliora ingenia, vt rubigo ferrum inuadit, & præsertim eos qui diuitijs, corporeis delectationibus, propria libertate sponte sunt priuati, tentat, vt alijs principentur, & in hoc oblectentur saltem, quos nec auaritia, nec libido, vel libertas inescare valet, vt si concupiscentia oculorum; non alligentur, superbia tamen vitæ superentur. Hæc etiam primos parentes deiecit eos fallendo tenebrosa Dei omnipotentis similitudine, principatum suggerendo. Illi tamen principari potissimè ambirent, si vnius principatum maximè independentis, perennis, despotici regiminis formam veluti Monar-

Ep. 23. ad O. S. R. E. Card.

chiam, vel terrenæ Reipublicæ gubernationum introducentis (quod absit) experirentur: his intollerabile parere esset, quia durius sibi imperaretur, & potius regere ambirent quam regi paterentur, *nam plerumque* (ait Petrus Damia.) *qui nunquam ad perfectam scientiam, vt perfectè Monachus videretur voluit peruenire. nunc, ait, ipso die quo in prælatione constituitur ita Præsidētis inducit speciem, ita dominantis exprimit maiestatem, vt nō nuper electum sed natum dicas Abbatem. Fit repente seuerus in vultu, imperiosus in voce, ad corripiendum promptus. Ipse si offenderit iam omnino satisfactionis ignarus, dedignatur accumbere nisi in octogona sella, ita præparata, ac si senatoria curulis in Curia. Pro suæ voluntatis arbitrio, hæc præcipit fieri, illa contestatoriè interdicit, ligat, soluit, admonet, remouet, & in his omnibus nequaquam à nobis senioribus* (vide dominiū despoticum) *consilium quærit; sed sibi ipsi sufficiens, velut propriæ potestatis iura disponit. Deuotis quidem, & subditis pollicetur gratiam, repugnantibus autem Phalarica spirat animaduersione vindictam, vt potius videatur in præfectorijs fascibus agere, quam Ecclesiasticæ humilitatis officio deseruire.* & post multa. *In his itaq. & alijs pluribus, quæ persequi longum est, ita subito magister efficitur, vt in tota præsidendi regula, velut antiquus quidam pater nihil offendere videatur. Quàm doctè, quàm imperiosè nouit cuncta velut quadam maiestatis auctoritate præcipere, qui diutissime subditus, nunquam sapuit suis præceptoribus obedire &c.* Quam esset (si cōtingeret) durum tale regimen, & exasperans, quando nimium mulgentes, sanguinem elicerent, vt tentarentur subditi disrumpere vincula eorum, & proijcere iugum ipsorum, & ad virgam principatus aspirare. Inde omnia turbarentur, ima summis miscerentur, vt tota Respublica corruere videretur. Vnde Chrysostomus. *sicut si ex choro ipsum principem auferas, nequaquam modulatus chorus, vel ornatus existit: & phalanx militum si ducem non habeat, nullo modo numerose acies illa, vel ordinate procedit, & nauis si gubernatore priuetur pessū eat necesse est, & gregi si pastorem abstuleris cunctus dispergetur, & peribit; ita & malum, & multarum cladium est, & occasio confusionis: & turbationum principium, vbi nullus Principatus, & est subuersionis argumētum. Verum si Princeps malus existat* (vel Tyrannus) *peius malum est, quam sine Principe conuersari, melius est à nullo, quàm à pessimo regi: ille quidem saluatur aliquando, ac si in periculum dedat: Iste autem omnibus modis pericula subiturus est, dum ad foueas, & minas impellitur.* & sibi subiectos populos ad ambitionem, scandala, communitatis demolitionem impellit. Quare si ob eruendam à subditis ambitionem, optimis rationibus idem Vindicianus, Choragi, & Rectoris populi necessitatem ostendit, meritò eiusdem Rectoris probitatem inculcauit maxima asseueratione, ne ex sæua Principandi libidine, filios Gehennæ pareret duplo nequiores, & ex Principatu despotico, ambitionem pectoribus subditorū instillaret Pergis adhuc ad aliud malū ostendendū.

De fug. dignit. Eccl. c. 2.

Hom. 34. ep. ad Heb.

VIND. *V. Si ocium ac segnitiem longè à subditis arcere nesciunt. Magnam sine dubio diei partem Chorus aufert, reliquum fere honestæ respirationi debetur; sic tamen vt fouendo spiritui salutaria media non desint. Opus est spiritualium librorum copia, iuniorum frequenti in sacris rebus institutione, seniorum quoque opera ad confirmandum debiliores in mentis ad Deum eleuatione, in ordine progrediendi ad quæsitam in religione perfectionem in arte sibi ipsi fructuosè vacandi, sine similibus auxilijs nugacia inuenta curiosi, & fastiosi mærores, sicut vrtica & spina hominis pigri agrum implebunt.*

TVRT. Hoc fit Dei gratia regulariter in omni ferè Ordine, vbi vix respirandi datur tempus: ex choro ad studia, ex studijs ad chorum, præter capitula culparum exhortationes, instructiones spiritales, vt (sicut

Ep. 5 ad Monac. cæl. Cluniac.

scripsit quondam Damianus) *etiam num vix per totum diem, vnius saltem vacet horæ dimidium, quo fratribus in claustro licuisset miscere colloquium*, & subdit ad segnitiem & pigritiam arcendam. *tàm continui laboris exercitium ad hoc est, vt reor, solerti satis, ac prouida magisterij arte prouisum, vt leuium atque infirmorum fratrum fragilitatem reprimat, & delinquendi propemodum occasionem tollat, quatenus etiam si velint, præter cogitationem, peccare vix possint. Fragilium igitur imbecillitati consulitur, dum in persoluendo continui ordinis penso, totum, non modo diurni, sed & nocturni temporis spacium profligatur. Nam & ipse omnipotens Deus, hoc humanæ salutis vti dignatus est argumento, cum populo per deserta gradienti, tot mandata proposuit: operosum videlicet, atque inexplicabile tabernaculum fabricari, diuersa sibi sacrificia per tot caremonias, ac ritus offerri, ipsum castrorum ordinem, siue residentium, siue comeantium tam artificiosa, quam mystica varietate distingui; quatenus, dum sese his iugiter exerceret, resolui carnalis plebs ad idola colenda, non posset. Sanè dum populus ille, non operibus textrinis insisteret, non contrariæ arti operam daret, non denique studium agriculturæ deperderet, non vllis prospicienda necessitatis laboribus insudaret, multiplicibus occupandus erat, Deo legem promulgante, mandatis, vt dum hæc cum labore persolueret, nequaquam otio resolutus in sacrilegium declinaret.* Videant qui contempto, vel abiecto, & irriso Religiosorum choro, & alijs exercitationibus spiritualibus, plus seculi rebus incumbunt, quam sibi ipsis, & proprio profectui, sub specie alienæ miseriæ releuandæ, se miseros facientes. *talis*, inquit religiosus ille est, solo nomine, exemplificat Damianus, *quem videmus velut Aethnais eructantem flammis, auaritiæ facibus inardescere, prædiorum confinia dilatare, pecunias hinc inde cum tanta auiditate colligere, ad aliena conquirenda totis desiderijs anhelare?*

Opusc. 21. de fug. dign. c. 1.

Cui quidquid est, nihil est, nisi & hoc studuerit inuenire, quod deest. Cui Monasterium sit hospitium, equinum vero dorsum quotidianum est habitaculum, chirotheca, calcaria, scutica, pidriligula, & si qua alia equitandi sunt vtensilia, numquam otioso situ neglecta marcescunt, cum sacerdotalia ornamenta, quibus sacris altaribus deseruitur sæpè à tineis comesta reperiantur. Quæ enim fora, quæ tribunalia inueniri possunt Abbatibus (& huiusmodi tepidis personis) *vacua? quæ curia, quæ cubilia Principum ferratis Abbatũ virgis nõ aspiciuntur effossa? aulicũ limen iugiter Abbatũ* (vt illorũ aliorũ) *vestigijs teritur, & eorum querelæ, vel iurgia importune Regum auribus ingeruntur. Non eos effugiunt castra bellantium, sed sub sequestræ pacis specie, inter ipsos galeatorum cuneos discerpi & comprimi sæpe videas cucullatos* (vt illos alios huiusmodi) *Quid vult nosse, quid actum, sit apud forense negotium, non prætoria iudicum, sed diuersoria potius perquirat Abbatum*, & illorum negotiosorum tepidorum religiosorum: *quicquid in seculo agitur, ab eis velut à Magistris negotiorum secularium requiratur*, ab illis curiosissimis (qui procurant scire, quicquid in exercitibus, in aulis, in nuptijs, connubijs fieri contingit, procurantes, vt ad ipsos magno sumptu primò tabellarij dirigantur, quibus, vel minutissima publica, & priuata veluti sub eorum pugno conclusa significentur) addisci curetur. Horum certe negotiosorum (ex doctrina Damiani) conditio, tamquam ociosa Christo, pro mundo negotiosa reprehendenda, ne Religionibus officiat. *Quisquis enim tot terrenis actionibus plenum Monasterij regimen vltroneus appetit, quid aliud creditur agere, nisi quod velut iam lassus, Christi militiam execratur vlterius laborare?* vnde fit vt respiciens retro velut vxor Loth ad aliorum condimentum, & exemplar in statuam salis conuertatur. Adhuc Vindiciani concio, nõ est absoluta, sic enim pergit. Ex eo. Dã.

§. III.

VIND. *VI. Si nouas consuetudines accrescere sinant, quibus communiter tenacius adhæretur, quam propriæ ordinis regulæ, quia carni, & sensibus magis fauent, imò frequenter abusus irrepunt, qui regularem disciplinam planè dissoluunt. Tot speciosi tituli gratia, salutis, dispensationis titulo excogitantur, qui recurrentibus annis audacius repetuntur. ac tandem violenter extorquentur, & probat authoritate Nider lib. 2. cap. 5. & August. in Enchir cap. 50.* & addit. *Accedit eorum intemperies, quò magis alicui personæ vel integro Conuentui fauere volunt, eo instantius laxationem ab aliqua regula, vel statuto maiorum sollicitent, quasi vero disciplinæ, Votorum, constitutionum dissolutio, ab amico animo profisci possit, & gratiæ inclytum nomen mereri. Consultius omni ex parte erit, vt quicquid relaxationis Præsides sanis ac valentibus indulgere voluerint, pro temporis & causæ variatione mutetur, ne subditis in Calendariũ trãsferatur, sicut vera dispẽsãdi causa nullo certo Ordine currũt.*

TVRT. Nouæ consuetudines officiunt adeo Reipublicæ, vt non dubitarit Plato lib. de legibus pronunciare, meritò id sancitum à legislatoribus [neque mutãdos rhythmos in cantionibus cultuque deorum, ne cum mutatione rhythmorum Religio quoque innouaretur] vtrumque tam ex parte subditorum, quam principantium expediens, vt firma sit, si enim subditi eas introducunt, tamquam improbatæ ex priuata auctoritate, leues, temeratiæ, & inconstantes, singularitatem, & animorum discordiam parient. *Quid facit quod nemo mirantur omnes,* dicebat Bern. si à superioribus introducantur, subditi præfocantur. *Prælati iussio* dicebat S. Bernard. *non prætereat terminos professionis. Nec vltra extendi potest, nec contra- hi citra. Nihil me Prælatus prohibeat horum, quæ promisi: nec plus exigat, quam promisi. Vota mea, nec augeat sine mea voluntate, nec minuat sine certa necessitate.* Experimento compertum est, quãta perturbatio in illis cœtibus orta, cum grauia onera, quæ nec sancti institutores præscripserunt, addere voluerũt, & seruare coegerunt, quę nunquam vouerunt, nec secundum regulam, quam professi sunt præscripta, vt ex iniustitia sibi illata, nec mussitare, liceret. Nam docet cõtra hanc nouitatem Bernard. *ex pacto professionis, subditum, & Prælatum necessitate vtrumque teneri: fieriq; duos per vnius sponsionem alterutrum debitores, fidelis cura vnum, alterum humilis obedientiæ. Quid nam igitur iam voluntati relinquitur, vbi & Prælatus debiti necessitate tenetur? Sed & de hoc item non parum Prælati præscribitur voluntati: quod is qui profitetur spondet quidem obedientiam, non tamen omnimodam sed determinatè secundum regulam, nec aliam quam Sancti Benedicti, vt oporteat eum qui præest non frena sua laxari voluntati super subditos, sed præfixam ex regula sibi scire mensuram, & sic demum sua imperia moderari, circa id solum quod rectum esse constiterit, nec quodlibet rectum, sed hoc tantum quod prædictus Pater instituit. Sic se quippe habet professio. Promitto non quidem Regulam, sed obedientiam secundum regulam S. Benedicti, nõ ergo secundum voluntatem Propositi. proinde si professo secundum regulam Abbas meus mihi aliud fortè imponere tentauerit, quod non sit secundum regulam, aut etiam quod non sit secundum instituta V. C. Basilij, August. Pacomij, quæ nam mihi quæso in hac re necessitas imminet obsequendi? Solum quippe id à me posse exigi arbitror, quod promisi. Si modus est obeditionis tenor professionis, nec se valeat extendere potestas imperantis, nisi quatenus attigerit votum profitentis, profectò citra, & vltra, nec non etiam contra quid aliud, quam obedientiæ limites quosdam censuerim, & his suis terminis virtutem eandem circumcludit. Quamobrem quisque professus in quouis genere salutiferæ vitæ, nec vltra obedientiæ legem cogendus, nec citra est inhibendus, quam sui ipsius videtur complecti professio &c.* Vtrumque extre-

L. de disp. & præcep.

L. 1. ca. 9. extremum vitiosum, *nimia indulgentia*, vel
1402. facultas quibus imperantur concessa (vt
1403. scripsit Petrus Greg. Tholos. de Repub.)
1404. *& nimia restrictio, vel aggrauatio.* Nec plusquam par est equo habenæ laxantur, nec nimium restringuntur, vt possit decenter incedere: æque malum est inconcessa concedere, & concessa denegare. Ex in concessione sensim Respublica subuertitur, eius quod debitum est, abnegatione, veluti ex turbine collabitur violenter, magis enim tunc incitantur ex præconcepto dolore etiam in terrena Republ. ciues in Principes, vel administros illius doloris, cum putant se opprimi iniustitia, partialitate, angarijs, & eorum quæ sibi debentur denegatione, quam indebitæ rei ampla concessione: procliuior enim est natura ad tuendum se ab ijs, quæ veluti nostra sunt, cum illis priuamur (ob quod irascibilis feruet quæ seditionis mater est) quàm cum priuilegiorum & gratiarum ad quæ ius non habuimus, vel diplomatibus expoliamur, & calendaria effici possint numerosa deperditarum Rerumpublicarum ex propriorum ablatione, quàm concessarum reacceptione. Pergit Vindicianus recensitis malis, quibus medendum est, dicens.

VIND. *Hæc & similia vigilantissimi Pastores, & Societas à suis quoque subditis auerruncauerint, sicut facili negotio, & successu fiet si principijs sensim subnascentibus maturius occurrant, non restabit, quod Grauinæ Turtur posteritati minetur. Vt enim S. Chrysostom. omnem populi profectum à Sacerdotum industria, & custodia pendere scribit, ac veluti ex filiorum squalore arboris vitium deprehendi; ita Præsidum in Ordine exempla, institutio, & correctio subditos præstat indemnes, præsertim à relapsu in infimam contumacium classem, quam supra descripsimus.*

TVRT. Facit multum Præpositorum diligen-
Cor. 3. tia, & labor, sed *neque, qui plantat, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*, qui, & primo omnis virtutis supernaturalis semina fecit, vnde nō sibi, & eorum industriæ adscribebant culturā boni illi serui, sed Deo. *Domine nonne bonum semē seminasti in agro tuo?* id est, *exponente* Chrysol. *seminasti non semi-* Serm. 96.
nauimus; nos quod per te facimus tibi semper nostro assignamus authori, & tu in ijs, quæ in nobis facienda præcipis, ipse operator assistis, non assistentium aliorum opus hoc & cultura; sed tuum, qui assistis, qui de alijs assistentibus, & quasi adiutoribus prouides: qui possunt quidem auerruncare & cooperari, vt vltrò spinas non producat. Quis autem assistentibus, vel Præpositis, vel Rectoribus atq; vinearum Domini cultoribus quocumque titulo nominentur, indefectibilitaté, promisit de fidelitate in ministerio, labore in cultura, & indefessa vigilantia in sentibus eradicandis? Ad continendum vero in officio subditos authoritate, & maiestate opus est, quæ cum datur, diuinitus datur, quosdam enim & Deus verè armat (non sicut Gorgone armata Pallas fingitur) in alios verò, *Principes* (ex Dauid) *contemptum* Psal. 106.
effundit. In tribus autem Maiestas cōsistit virtute, prudētia, inclinatione animorum subditorum, quam diuinitus factam in populo, erga Dauidem, & Saul legimus, qui- 1 Reg. 11.
bus si gubernator careat, infirmum erit re- 12. 16.
gimen, & subsistere non diu possit. Sit quātumuis quis virtute, & sapientia præditus, habeat quoque populos ad nutū, sine Deo totum hoc languidum est & infirmum, facilè mutatur in contrarium quæuis virtus, vel perfectio, vt facilè quæcunq; ordinata Respublica ex sapientia, prudentia principantis, & populi obsequentis obedientia constans, naufragium sæpè pati possit, ni Deus semper in omni momento clauum teneat, etiam si more remigū manus summo conatu, indefesso labore mare sulcent. Et si tenentes clauum loco Dei plusquam

pareſt, nauem ad extraordinaria impellant littora, hoc eſt, inſolita temeritate, non audenda audeant Iaſoni aſſimilantur, qui ea naui qua aureum vellus aſportauit, ruina maris perijt, vnde Pindarus. *Qui vult progredi vltra columnas Herculus* (dicebant veteres) *ſtultè facit*, ſicut quis ab oppoſito ex diffidentia multa irregularia efficit. Sapienter Simonides Pauſaniæ illi iuueni inſolenti propter res geſtas, qui Philoſophos, vt fatuos, & mitiones habebat dixit: *μέμνησο ἄνθρωπος ὤν*, *memento, quod ſis homo*, quaſi diceret, *tu iam es inſolens*, inſolentes enim multa tentant, multa faciunt non facienda, multa aggrediuntur ſuis cupiditatibus impellentibus, maximè ambitione, & gloria, & in præcipitium tendunt. Quamdiu donis diuinis Perſeus benè vtebatur Orci galea, & Clypeo (vt finxit Gentilitas) tamdiu maieſtate pollebat, & virtute, vbi inſolens factus præter mandatum Palladis inſpexit Ægida in lapidem mutatus fingitur. Nullius quoque eſt tanta virtus maximè principantis, quæ interdum non impingat, propterea magnæ ſunt infirmitates, & multa errata omnium gubernatorum etiam optimorum, & vigilantiſſimorum. Exempla ſunt in Dauide, Saule, Salomone, Ioſia. Et in exteris, in Pauſania Principe Spartanorum, Alexand. Magno, Artaxerxe ſeptimo Perſarum Rege, Cyro in Iulio Cæſare, in quo multæ virtutes eximiæ celebrantur à ſcriptoribus: ſed mutato conſilio, cupiditate regnandi poſuerunt maculam in ſuo principatu. Theognis meritò dixit. *Nemo hominum ſemper, & vbique eſt ſapiens. & : Peccat etiam ſapiente ſapientior*. per ſe enim imbecillitas humana infirma eſt, facile ſuis erroribus, & cupiditatibus credit, & cedit cogitans vnde moueat res iniuſtas, & Harmoniam Reipublicæ interturbet. Sit quantumuis felix, & prudens gubernatio, multa accidunt, vel improuiſa ſapientiæ humanæ, aut humanis conſilijs inextricabilia, vt in hoc mari gubernationis expoſiti: fluctibus varijs diuerſorum caſuum, & accidentium, aſcendant ad cęlos vi tempeſtatum acti, & deſcendāt vſque ad abyſſos, & omnis ſapientia eorum deuorata ſit, maximè cum motis, & perturbatis ſtatibus efferunt ſe ſe, & multitudinis plauſu creſcit inſolentia deteriorum aduerſus meliores. Abſorbetur ait Auguſt. in pſal. 106. *eorum ſapientia quando deficiunt omnia humana conſilia, quocumque ſe quiſquis conuerterit fluctus fremunt, tempeſtas ſæuit, brachia deficiunt, quo prora impingatur, cui fluctui latus nudentur, quæ nauis impulſa demittetur à quibus ſaxis ne pereat refrænetur, omnino à Rectoribus non videtur.* Putare ergo poſſe omnia auertuncari ſuperiorum induſtrijs, abſque Dei ope peculiari, eſt conari cum Syſipho ſaxum voluere, & cum Phaetonte ſolis aurigas moderari velle.

§. IV.

Sed quid ſi in vanæ gloriæ cupidos Prelatos fiat incurſus? tunc de Republica actū eſt. Vnde Cic. *maximè adducuntur pleriq;, vt eos iuſtitiæ capiat obliuio, cum in imperiorum honorum gloriave cupiditatem inciderint. Declarauit id modo temeritas C. Caſaris, qui omnia iura diuina atque humana peruertit, propter eum, quē ipſe ſibi opinionis errore finxerat principatum.* *1. de off.* Quare nec ſuis nec extraneis, ſiue iure, ſiue iniuria ad principatum adducti, ijſdem medijs pro conſeruatione principatus vtuntur, & quos ſibi obſtituros implendæ ambitioni exiſtimauerint, quamuis bonos, & optimos, eos omni ſtudio tollere ſatagunt: deterioribus autem Reſpublicas implent ad fouendam tyrannidem, & probos exterrendos nolunt repagulis legum aſtringi. *Quod libet* (aiunt) *licet*: vel quærunt prætextum, quibus laxetur legum authoritas, ſi non violentia, Sophiſticis tamen inter-

interpretationibus, vt earundem vis eneruetur, eas inflectendo ad suas cupiditates, & commoda, vel si non fiat legum extorsio, fiat eorumdem immutatio, vt eædem nunc legantur, & refingantur, & puerorum more, quæ ædificata destruantur, & destructa iterum reædificentur, vt nec inconuenientia reparentur, & ex inconstantia, maiora detrimenta sequantur. Et illi Præsidentes in illud malum incurrere possent, qui formam Monarchicam habent, sicut enim cum virtutibus vallatū est Monarchico regimine nil melius, ita cū destituitur nil peius, cum enim nullius iudicium metuat, si prudentia, & iustitia non frænetur, infinitam sibi licentiam sumit, & in tam sublimi potestate, cum possit, ni sapientibus instruatur, vastam regere multitudinem sua sola sapientia, & modum in omnibus seruare difficilè sit. Et si passiones refrænatas non habent, multis vitijs subiacere necesse est, in tam enim insigni Præfectura, partim Præsidentes Monarchici superbia inflati, partim inuidia ardentes, & extendendi, & dilatandi, & conseruandi Præfecturam desiderio tabescentes, multa tetra, & impia machinarentur, quę communitatis harmoniam dissoluerent. At detur quod sit virtute præditus Præsidens, dicebat Otanes. *Nemo est præditus tanta sapientia, vt possit in summa omnium rerum potestate modum tenere, luxuriant enim animi rebus plerumque secundis.* Communiter Politicas his vitijs principātium mutari communitates tradit, & interitum Principatus oriri; vel propter insolentiam, violentiam, & asperitatem, vel nimiam licentiam, & libertatem & indulgentiam quibusdam concessam, vel improportionatam regiminis formam, obedientes rigorosè, rebelles blandè tractando; vel si ad insolita, natura feruidos extimulet, vel repentina mutatione, ad arctiores leges seruandas compellat, eos non dum iugo assuetos; vel si patientia subditorum eos progressus fecerit, vt desperationi semitam fecerit; vel si alijs legibus in quibus diutius vixit, & fundata est communitas imperetur; vel si feruentia, & turbida ingenia, nouitatem amantia non refrænent vel si ex malo regimine potentiorum, vel sapientiorum animos exulcerent, aut si ijsdem occupationes licitas, & iustas inhibeant, vel nō concedant quibus à machinandis insidijs auerti possunt, vel alterius sublimitatem curēt, cæteris despectis, aut totam regiminis molem ad illum finem inducant, vt tota suo, & suorum fœderatorum, commodo, & vtilitati deseruiat, & quod peius est, si omnia munia cōmunitatis, vel reperta officia dentur, iustitiæ distributiuę nulla habita ratione: His enim modis principandi, primò tamquam stillis, deinde alluuionibus Principatus absumitur. Læsa autem iustitia quid sunt Respublicæ, & communitates, nisi factiosorum conuenticula? Rectè referente S. Augustino ex Cicerone. *Respublica cithara assimilata est, vt enim in fidibus, ac tibijs atque cantu ipso ac vocibus concentus quidam est tenendus ex distinctu sonis, quem immutatum aut discrepantem aures erudita ferre non possunt, isque concentus ex dissimillimarum vocum moderatione concors tamen efficitur, ac congruēs: sic ex summis, & medijs, & infimis interiectis ordinibus, vt sonis, moderatam ratione ciuitatem consensu dissimillimorum concinere; & quæ harmonia à musicis dicitur in cantu, eam esse in ciuitate concordiā, arctissimum atq; optimum, in omni Republica vinculum incolumitatis, eamq; sine iustitia nullo pacto esse posse.* Vnde quamdiu iustitia apud Romanos Præsidentes viguit, per quam non Tyrannicè ciuitas regebatur, eratque non quiuis cœtus multitudinis, sed vt Phil. definierat, *cœtus iuris consensu & vtilitatis cōmunione sociatus,* nec iniusti erant optimates,

Arist. in polit. lib. 3. & 5.

Apud Herod. l. 3.

Plut. in vita Pub-

licol. Tacit. in vita Agricol. Poly. 10. hist. idem annal. 4.

Arist. 5. Pol. c. 11.

Li. 2. c. 21. de ciui.

tes, non erat (ait August.) flagitiosa Respublica, verum tunc locum habebat illud Ennij Poëtæ.

Moribus antiquis res stat Romana virisq;, vnde (subdit Augustin.) talem versum velut Oraculum ex breuitate, vel veritate Ciceronem, qui hæc disputat, & enarrat, recepisse *nam* ait, *neque viri, nisi ita morata ciuitas fuisset, neque mores, nisi hi viri præfuissent, aut fundare, aut tamdiu tenere potuissent, tantam, & tam iustè lateq; imperantem Rempublicam. Itaq; ante nostram memoriam, & mos ipse patrius præstantes viros adhibebat, & veterum morũ & maiorum instituta retinebant excellẽtes viri. Nostra vero ætas quum Rempublicam sicut picturam accepisset egregiam, sed euanescentem vetustate, non modo eam coloribus ijsdem, quibus fuerat renouare neglexit, sed ne id quidem curauit, vt formam saltem eius, & extrema tamquã lineamenta seruaret. Quid enim manet ex antiquis moribus, quibus ille dixit rem stare Romanam, quos ita obliuione obsoletos vidimus, vt non colantur, sed etiam ignorentur. nam de viris quid dicam* (Rectoribus, & Optimatibus) *mores enim ipsi interierunt virorum penuria, cuius tanti mali non modo reddenda ratio nobis, sed etiam tamquam reis capitis quodammodo causa dicenda est. Nostris enim vitijs, non casu aliquo Rempublicam verbo retinemus, re ipsa verò iam pridem amisimus.* Per hæc Cicero (ait August.) amissam Rempublicam. Quamquam nec sic laudatam veras habuisse virtutes Augustinus pronunciet, dicens. *Viderint laudatores eius, etiam illis antiquis viris, & moribus, qualis fuerit vtrum in ea viguerit vera iustitia, an fortè nec tunc fuerit vita moribus, sed picta colorib.* Asserantur ergo Rectores quicumque, & Pręsides quorumcumq; cętuũ, ex priuilegio numquam defecturi, semper iustitiam seruaturi, vitia tamquam vepres auerruncaturi, & tutò pronũciabitur, indemnes fore à lapsu subditos, præsertim à zelapsu in infimam contumacium classem. Quod si de tali priuilegio non doceatur; sic esse potest populus vt & sacerdos, imò dũ dormitabunt, qui ascenderunt equos dignitatum, vel pastores vinearum Domini, hostis superueniet, & zizaniorum sator, qui castra Domini turbabit, & tritico zizania supermiscet: imò, vt eiusdem moris in domo Dei manentes ciuili discordia dissipet, præsto erit inuidus Satan in Prælatos despotice dominantes, concitando subditos, & Prælatos aduersus subditos insectandos extimulando. Vnde dissidijs superinductis (quod absit) seditiones illicò sequentur, & in quibus sunt diuersæ factiones, diuersi quærentur duces, & domesticis certaminibus vtrinque incipient conquassari vires, absque externis hostibus communitas labefactari potest. Scitè à quodam pronunciatum est: Rempublicam *esse diuturnum atque immortale animal, quod numquam occidit, nisi ipsi vim afferat, mortemque sibi consciscat.* Multa etiam fuerunt imperia, quæ amplitudine sua fulta ac maiestate solius potentiæ nixu, & prudentia regiminis sese munierunt, & omnem vim externam propulsarunt; attamen intestinis simultatibus conuulsa, tandem corruerunt: sub Græcorum Monarchia multæ ciuitates domesticis bellis euersæ, moto bello Peloponnesiaco, & Sacro, post Xerxis fugatum exercitum. Non semel in Republica Rom. mutationes exortæ ob bella ciuilia Marij, & Syllæ, Iulij, & Pompeij. Sed esto sit summa pax atque tranquillitas, vt etiam ab extraneis insultibus sit secura communitas, adhuc nec de seditionibus secura, quando in culmine huius felicitatis posita ad lapsum potest esse procliuior. Ad hanc ruinam cauendam Scipio Nasica ex August. *nolebat æmulã tũc Imperij Rom. Carthaginem dirui, & decernẽti vt dirueretur, cõtradicebat Catoni, timens infirmis animis hostẽ securitatem,*

Franc. Patrit. 5. de Repu. tom. 2.

L. 1. ciu. c. 3.

ritatem, & tanquam pupillis ciuibus idoneum tutorem necessarium videns esse terrorem. Nec eum sententia fefellit (subdit August.) *reipsa probatum est quam verum diceret: deleta quippe* Carthagine magno scilicet terrore Roman. Reipub. depulso, & extincto *tanta de rebus prosperis orta mala continuò secuta sunt, vt corrupta, diruptaque concordia; prius sæuis, cruentisque seditionibus, deinde mox malorum connexione causarum, bellis etiam ciuilibus tantæ strages ederentur, tantus sanguis effunderetur, tanta cupiditate proscriptionum, ac rapinarum ferueret immanitas, vt Romani illi, qui vita integriore mala metuebant ab hostibus, perdita integritate vitæ crudeliora paterentur, eaque quia libido dominandi, quæ inter alia vitia generis humani immoderatior inerat, vniuerso populo Romano, posteaquam in paucis potentioribus vicit, obtritos fatigatosque cæteros etiam iugo seruitutis oppressit.* Ex pacifico ergo statu, veluti tinea libido dominandi creuit (subdit idem Augustinus cap. sequenti) donec ad Monarchiam perueniret: inde ad honorum continuationem, ambitione prævalente, mox malorum in populis conniuentia, hinc secundis rebus populus auarus, & libidinosus effectus est, & in primis dominandi libidine, quæ ad paucos redacta, oppressum populum captiuarat, inde sociale bellum funestius quã quod ab exteris vnquam inferretur & quæ nunquam defectura videbatur esse Respublica, sola ambitione regnandi, quæ cætera mala peperit, vt adinuicem ciues pugnarent, arma & furorem ministrauit, paulatim destructa, vt picturæ obliteratæ vix comparari potuerit, & titulum Reipublicæ, rem verò amplius, vt supra dictum est non teneret. hæc ex August. Inaniter ergo de industria auerruncatorum cõfidit Vindicianus, nulla diuini auxilij facta mentione, cum omnipotentis Dei dispositioni primum, & gratiæ, Regnorum status, & consistentia firmentur. Audi Vindiciane quid tibi intimet Ecclesiasticus, qui in hominum industrijs securitatem ponis, Dei iudicia nõ reuerẽdo. *Si non in timore Domini tenueris te, cito subuertetur domus tua.* vel si tota nõ corruat, dispositiones saltem ad casum parat. Alia fulcra & maiora apponit Vindicianus, quibus in suo feruore possit religio Societatis à superioribus conseruari dicens. Eccl. c. 27.

§. V.

VIND. *Habent insuper superiores in Societate specialia, & potentia media ad frequentandam in subditis, spiritus, & interiorum instaurationem, quæ statutu anni temporibus grauiter admonent. Neque eos pigrescere sinunt arctißima 1. inter se inuicem dependentia, eiusque 2 de statione, & officio facilis remotio, 3. onerum & consiliorum perpetua communicatio, 4. subditorum ad altiores superiores liberrimus recursus & confidentia, 5. quæ in alijs Ordinibus reformationis gratia excogitantur Societas in Apothecis suis veluti quotidiana pharmaca semper in promptu habet. Cum vno vel altero, simul omnes domesticos reformat, idem vni & omnibus commune alimentum est, eadem aduersus omnium morbos sanandi ratio, idem aduersus hostiles impetus tectum, & propugnaculum, tentoria dicas quæ Dominus fixit à nemine vnquam refigenda.*

TVRT. Mira sunt assignata remedia quibus tã illustris Religio in suo feruore, etiam in posterum ne effluat, seruari possit. Sed non ita propria Societatis illa sunt remedia, vt solam illam visitet Dominus rore cœli & pluuijs gratiarum, cæteras verò transeat. Hæc item remedia tam prompta, etiam sunt in vasis fictilibus conseruata, quæ temporum rabie, & diuturnitate absque Dei speciali concursu marcescere possunt. Etiam *Muscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti,* hoc est, passiones animam pungen- Eccl. c. 10.

pungentes, quibus viatores etiam Sanctissimi extimulantur. Sunt quoque optima emplastra, quæ in promptu habentur, sed eorundem vsus & applicatio, medica, & discreta manu indigent. Nec omnes matriculati medici, vt scis Vindiciane, boni medici sunt, quia ad medendum assumpti. Illud est autem insigne paradoxum, quod omnes eiusdem Sancti instituti (per irrisionem credo id dicis) *eodem sanantur antitodo, & sanandi ratione.* Non vna dicebat S. Gregorius ex doctrina magni Gregor. Nazianz. *eademque cunctis exhortatio congruit, quia non cunctos par morum qualitas astringit. Sæpe namque alijs officiunt, quæ alijs prosunt, quia & plerumque herbæ, quæ hæc animalia enutriunt, alia occidunt, & lenis sibilus equos mitigat, catulos instigat, & medicamentum, quod hunc morbum imminuit, alteri vires iungit &c.* Sit, vt dicit Vindicianus, in Apothecis istis tanta perfectio; an adhuc deerunt aliqui, quibus medicamenta prosunt, & corpus tabe inficere possunt? & vnde hoc oritur malum, quod cum sint tot antitoda, & vnum instar omnium, non curantur vlcerosi, & saniosi, qui demum eijciuntur, & velut leprosi extra castra locantur? Plorabat & dicebat Ierem. *super contritione filiæ populi mei, contritus sum, & contristatus, stupor obtinuit me.* nunquid *resina non est in Galaad, aut medicus non est ibi? Quare igitur non est obducta cicatrix populi mei?* vbi Hieronymus per resinam pœnitentiam intelligit, *mirari* (ait) *nunc Deum, quare vulnera Hierusalem, neque curata sunt, & necdum cicatrices obduxerint cutem, eò quod nō sint prophetæ, nec sacerdotes quorum debeant curari medicamine.* Erant certe Sacerdotes & medici; Sed (vt dicit paulo ante Hieronymus) *aliena vulnera verbis sanare cupiebant, qui ipsi erant omnium flagitiorum confossi vulneribus,* & vt dicit Hierem. *sanabant contritionem filiæ populi mei ad ignominiam dicentes: Pax, pax, cum non esset pax,* id est, exponente Hieronym. *qui ad ignominiam eorum, qui decipiuntur, vel eorum, qui alios decipiunt, vt dicunt omni facinori coopertis, pax, pax, & bellum eis immineat peccatorum.* & subdit Propheta, *confusi sunt quia abominationem fecerunt?* nequaquam, exponit Hieronymus interrogatiuè legens, *quinimò confusione non sunt confusi, & erubescere nescierunt,* ait Propheta id est, exponente Hieronym. *nequaquam, sed in tantam erumpere amentiam, vt nec confessione cuperent emendare vitia, nec spe veniæ sua scelera confiteri. Quid inde?* (*vide ruinam*) *idcirco cadent inter ruentes, quasi præmia eorundem demeritorum* (ait Hieronym. subdens) *vt quorum dignitas erat excelsior populis, ruinis populi miscerentur.* Vide in Hierusalem, non defuisse resinam, & medicamentum, tamen propter malos medicos, sanantes ad ignominiam, dulcibus verbis pacem promittentibus, & ad pœnitentiam non dirigensibus populos, non esse sanatos, & demum corruisse; vt disceres Vindiciane non esse vllum in hac vita statum, vbi eorum, qui regi debent infirmitate, & malitia, & regentium, vel Rectorum incuria, etiāsi preciosissimis antitodis præcæteris pollerent, quin vlcerosus fieri possit, & inter ruentes, qui celsior præsumitur, ipse quoque corruere. Sit vnum, & idem tectum, & propugnaculum, quæ fixit Dominus, non idcirco ad talem statum peruenit Societas nec vlla ipsa arctior religio vt rursus refigi nō possit. Etiam dictum est Iudææ: *Habitabo vobiscum in isto loco, in terra quam dedi Patribus vestris, à seculo, vsque in sæculum.* & gloriantibus Iudæis atque dicentibus: Templum Domini, templum Domini, templum Domini est, illud audierunt. *Ite ad locum meum in Silo, vbi habitauit nomen meum, à principio, & videte quæ fecerim ei, propter malitiam populi mei Israel,* vbi Hieronymus, *ex præteritis docet præsentia,*

In prolo. 3. p. cura past.

Ierem. c. 8.

Cap. 7.

Hier. in eū locum.

sentia, & dicentibus : templum Domini, templum Domini, templum Domini est. & preciosa domus fulgore gaudentibus, exemplum Silo proposuit, de quo dictum: *Et repulit tabernaculum Silo. Vt quomodo ille locus in ruinas cineresque collapsus est : ita & templum corruat, cum similium habitatio fuerit peccatorum.* non ergo à timore tuta quæuis perfecta religio esse debet, & in eo confidere, quod tabernaculum sit quod fixit Dominus, nam si quod absit, à iustitia exorbitauerit, Silo exitum experiri posset vt corruat, vel vt noua reformatione indigeat, si penitus non corruat. Quid Vindicianus? eo dono sunt præditi Societatis Patres vt nunquam à Deo deseri possint. Fallor an somnio dum hæc dico? audiamus ipsum loquentem, & perorantem, & in finem velociorem motum superbæ vocis humillimis Patribus suggerentem, & has adulationes repellentibus, & execrantibus.

Psal. 77.

§. VI.

VIND. Adhæc. *Societatis erga proximum ministeria sic instituuntur vt, quæ Corinthiis promissa sunt incrementa frugum iustitiæ, abundantes ad Deum preces, affectiones animorum, & Dei ipsius super inenarrabili dono glorificatio, à Societatis meritis aberrare non possint; quanto enim potentiora sunt animarum lucra, quàm corporum eleemosynæ. Considera mihi Grauina vbi vnquam hucusque in Societatis domiciliis defuerit spiritualis commeatus, doctrina, potentia, & feruor exequendi quicquid Dei nomine & ex norma vocationis suæ iniunctum fuit? Quis locus, quæ tempora incidere possunt, quibus gens ista non in procinctu, & ad omnem euocationem expedita inueniatur? quæ barbaries hominum, aut truculentia absterrebit? & tales milites supremus Ecclesiæ dux, & sponsus deseret, eorumque Ordinem collabascere sinet?*

Iisdem Corinthiis quos non solum ab eleemosynis, sed ab aliis virtutibus commendauit Apostolus sicut in omnibus abundatis fide & sermone & scientia, & omni solicitudine insuper, & charitate vestra in nos, vt & in hac gratia abundetis.

TVRT. *Iisdem etiam timorem de perseuerantia incussit dicens* 1. Corinth. 10. *qui se existimat stare*, videat ne cadat. & : *bene dixit* (ait Chrysostomus *qui se existimat stare, non enim stare est vt stare oportet, quando quis suis viribus confidit, si quidem quam primum huiusmodi homo cadit &c. Noli igitur si stas, nimium tibi confidere, sed caue ne cadas, nam si Paulus qui omnium firmissimus erat formidauit, longè magis formidandum est &c.* ad hoc notat August. id dictum esse ab Apostolo *omnibus, vel penè omnibus, propter humilitatem saluberrimam, vt quales futuri sint, scire non possint.*

In eum locũ ho. 23.

De bono persen. c. 8.

Etiam experti scissuras, & æmulationes Corinthij, ab Apostolico calamo adeò commendati, per quas à pristino feruore recedentes reformatione, & ferula Apostolica indiguerunt. Confidere quidem, & sperare quæuis Religio potest de sui instituti perseuerantia, & feruore, & precibus id impetrare potest, at sub merito (vt nec donum perseuerantiæ, vt in dilatatione, & feruoris dilectione sui permaneant, & in ea consummentur) nequaquam cadere potest, cum id ex Dei beneplacito pendeat, cuius contrarium (quasi stipulatio inter Deum, & Patres Societatis intercesserit, vt nunquam deserantur) Vindicianus contẽdit: quod si repromissio facta sit, non suo id merito, sed Dei misericordiæ conseruanti tribuendum.

Quid quasi meritum allegando, subiungis, *& tales milites supremus Ecclesiæ dux & sponsus deseret: eorumque ordinem collabascere sinet?* Milites Christi re & nomine Templi milites (alias Templarij dicti) extiterũt, qui

Ex Hist. Concil. Vien. præfixa eidem Concil. Romæ edit. t.4. qui in Hierosolymitana Vrbe degentes, peregrinos ad loca sancta accedentes defendebant : *Ex quibus militibus multi olim Christi causa,& sanguinem profuderunt,& frequenter vitæ discrimen adierunt.* & vt dicit Gulielmus Tyrius ex superbia orta est paulatim eorum defectio. nam primo ex Alex.3.indulta sibi ab Apostolica Sede priuilegia excedentes , contra Episcopalem dignitatem multa præsumebant , scandalum generantes in populo , in graue periculum animarum. ex eodem Tyrio legatum Assisinorum contra ius gentium occiderunt. Solos esse cupientes in aucupanda præda Ascalonis, ne Ciuitas Hierosolymitana tūc caperetur à Christianis, procurarunt,ex eodem Tyrio. In hæresim, apostasiam, aliaque nefanda vitia esse prolapsos habetur ex Historia Concil. Vienn. præfixa. Hi ergo qui spiritu cœperunt, carne consummati, tandem indicto Concilio Viennensi à Clem. V. (etiam si toto iam ferè orbe Christiano proseminata atque dispersa esset eorum Religio) tandem extincti,& eorum bona Hospitalarijs militibus concessa sunt. De accusationibus quibus ijdem expostulati sunt, diffusè tractat P. Mariana nunquam satis laudatus scriptor, suæ Religionis Societatis zelantissimus,& pristini feruoris retinendi cupidissimus,in lib.15. de rebus Hispaniæ cap.10. & Pater Maturus ad 3. p. S. Antonini. Quis ergo cœtus securitatem vt deficere non possit , hoc solo exemplo sibi repromittet?

Lib.2.c.7. In Conc. Lat. c.9. L.10.c.32. L.17.c.21. In hist.p.2 4.12.c.1.§.3.

Præoccupatione vtens, ab his instantijs se extricans Vindicianus,scribit.

VIND. *Scilicet vbi posteri ab antecessoribus degenerauerint, locum habere, quæ dicta sunt. Quid ille? Leonum catuli bone vir , egrè à sua stirpe deficiunt , quia maturè ad prædam exercentur , eiusque gustu auidius in venationem pruriunt. numquid præcurrentium sudores, & merita,& quotidiana subsequentium fidelissima instructio, apud clementissimum Imperatorem efficere non potuerūt, vt posteri in maiorum vestigijs perseuerent? ac potius animi generositate aliquò vsque transilire gestiant.*

TVRT. Nō à sua prosapia ergo degenerare poterant Iudæi,quia patrem Abraham se habere gloriabantur, cum tamen reprehensi legantur, & si de Abrahæ essent semine; nec enim vt in plantarum , & animalium generatione fœtus à bonitate stirpis , vel seminis dependet,vt plerumque illis, quādo virtus fortior est,etiam accidentia quędam imprimantur à stipite, nedum speciei natura communicetur : at hic in virtutum imitatione,ait Chrysostomus, *non à natura cognatio , sed à voluntate* (diuina gratia) *& propterea Iudæi reprehensi , quod solam prosapiam ad salutem sufficere existimabant.* Nō ex sanguinibus,neq; ex voluntate carnis,neq; ex voluntate viri filiatio per adoptionem oritur,nec ex Patribus quantumuis sanctis sancti filij virtute seminis nascuntur, sed gratiæ semine , & diuinæ misericordię largitate,vnde degeneres virtutum paternarum multos legimus in scripturis, & contra impietatis paternæ alios non fuisse cum parentum sanguine hæredes: nec præcedentium meritorum parentum habita est ratio, vt sancti essent filij , vbi diuina misericordia quos voluit adoptauit. *Iste quoque infans de fidelibus coniugatis*(ait August.)*ortus lætitia parentum susceptus, matris vel nutricis somnolentia suffocatus, fit exors , & expers suorum fidei ; ille infans de sacrilego stupro nascitur , crudeli timore matris exponitur , alienarum misericordi pietate colligitur, eorum Christiana solicitudine baptizatur , fit consors , vel particeps Regni.* & vt ibidem dicit Sanctus. *paruuli repentinis , innumerabilibus mortibus multoties religiosorum Christianorum praueniunt, & baptismo praripiuntur infantes; cum è contrario*

Ioan.c.8. Hom in eū locum. Aug. epist. 105. ad Sixt.

sacrilegorum, & inimicorum Christi aliquo modo in Christianorum manus venientes ex hac vita non sine sacramento regenerationis emigrent? & concludit August. *Ista cogitent, ista considerent, hinc audiant dicere: Deum vel acceptatorem in sua gratia personarum, vel remuneratorem praecedentium meritorum.* Et mox: *nimiae vanitatis, & caecitatis sunt si eam his consideratis non dum dignantur exclamare nobiscum. O altitudo diuitiarum sapientiae, & scientiae Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viae eius!* Frustra ergo quiuis cœtus nititur antecedentium Patrum merito, vt progressus in virtute faciat, nisi Deo innitatur, cuius dono, potens est in terra semen timentis Deum, vt sint gloria, & diuitiae in domo eius, & iustitia eius manet in sæculum sæculi. Supplicare potest, vt posteritas conseruetur, & congruitatem alicuius meriti præcedentium repræsentare potest, infallibilem euentum promittere non potest, vt spiritus feruoris pertranseat à generatione in generationem; vt non sibi sed Deo totum tribuatur, & confiteantur Domino, *non merita nostra, non vires nostræ, sed miserationes eius*: alioquin sicut Genti, & arroganti populo Iudaico extollenti se de genere Abrahæ, & indeficientiam sibi promittenti, & quod essent illi credita eloquia Dei (quia hoc ad tumorem, & exaltationem, non sanitatem & emendationem valebant) Deus restitit, naturalibus, ramis non parcens, oleastrum infimum, & despectum inserens; eodem prorsus modo, quasi de connaturalitate donorum iactantibus ramis de perpetuitate propaginis, non parcet Deus amputando, & humiles & despectos illorum inseret loco, nam & scriptum est: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* In hoc ergo tuo discursu, dum Patres Societatis palpas, non leuiter eos offendis, cum non de se, sed in Domino glorientur.

Aug. in Ps. 106.

Iacob c. 4.

CAPITIS XV.

ANIMADVERSIO.

Vbi Vindicianica calumnia refutatur, quod Turturi mos dimittendi reos ab ordine, minus probatus sit.

SVMMA CAP.

Falso similiter Turtur accusatur, quasi ipse mos Societatis expellendi ab Ordine minus probatus visus sit. Solum enim docuit iuxta doctrinam SS. Thomæ, Bonauenturæ, & S. August. imo & doctrinam sacrorum canonum, non esse eam expulsionem temerè, & sine causa faciendam. Tantum abest, vt ex hoc impunitas peccandi attributa sit, vt potius doceat expulsionem, quando delicta atrocissima sunt, non esse absque alijs corporalibus pœnis iuxta Pontificias constitutiones sufficientem amandationẽ. Media autem ab Anonymo assignata pro præseruatione à lapsibus, & perseuerantia, vt non respuenda, ita non totaliter illis innitendum, quantumcunque propria, & appropriata vni Societati ab Anonymo iactentur, quauis enim communitas, cum à multis corruptiuis tabe inifici possit, inaniter industriæ Rectorum fidit, nisi Deo præcipuè innitatur.

CVm longam epistolam Lacedæmones à Philippo Macedonum Rege accepissent, vnica syllaba responderunt, quã vncialibus litteris pinxerant, vt expleret iustum epistolæ spacium, gentilitiæ breuiloquentiæ memores, & solius fortitudinis. Syllaba erat, *Non*, negatiuam continens eius, quod longo verborum apparatu Philippus in epistola scripserat. *2. Apoph.* TVRT.

Sic satis esset pro Grauina respondere circuitu verborum longo Vindiciani, dum vult ostẽdere Grauinæ minus probari morem dimittẽdi ab Ordine, Religiosos videlicet. Non dixit enim hoc Grauina, non improbauit talem morem, & vt negationis huius proteruæ rationẽ afferamus, videamus Grauinę intentionẽ. Contentiosè egit semper cum proteruis, nolentibus scandalosos fratres portari, ac proinde (quę reperiri

citi non potest) eam esse portionem in qua scandala non oriuntur iactantibus, vel vbi medela affertur ne oriantur, expellendo è contubernio fontem, de castris Dei omnipotentis resecando putridas carnes &c. & tu hic fateris Vindiciane, *Grauinam eidem expulsioni adsauisse dicendo: At inquies melius tandem agitur abscindendo malos, qui nos conturbant. & resecando putridas carnes, ne corpus inficiant, & absumant, & animaduersione punire seueriori delicta minima, ne crimina pariant, oua ipsa assiduum initio comprimere, ne erumpant in regulum. Optima, & necessaria cautela* quod & ibidem tusius probat Grauina, Augustini anthoritate, præsertim in regula Et tu Grauinam probas, quod Domini mandatum perpenderit, quod antiquo mori Religiosorum dimittendi malos ex ordine, consentanea duxerit. Sed sub dolis malè ad sugillandum Grauinam.

1.p.cap.12.

VIND. *Maluissem, vt Grauina S. Augustini verba integrè recitasset, quia insignem eius facti rationem continent. Si quis inquit emendationem ferre recusauerit, etiam si ipse non abscesserit de vestra Societate proijciatur, non enim hoc fit crudeliter, sed misericorditer, ne contagione pestifera plurimos perdat.*

TVRT. At non posuit Grauina textum, sed sensum, eumque integrum, videlicet, *dimitti quoque oportere sontes, ex correctione quam assignat Augustin in regula, vt tandem discolus. & indisciplinatus de nostra Societate proijciatur,* non ergo quemcumque dimittendum voluit Grauina, sed discolum, & indisciplinatum, & hæc est mens Augustini, quam dolosè, allegando etiam verba formalia, suppressit Vindicianus, antecedentia omittens, ne sensus Augustini deprehenderetur.

Ait ergo Augustin. *vbi nihil delinquens ex secreta correctione profecit, quod tunc [negantis adhibendi sunt alij, vt iam coram possit non ab vno teste argui, sed à duobus, vel tribus conuinci: conuictus verò secundum Præpositi vel etiam presbyteri, ad cuius dispensationem pertinet arbitrium, debet emendatoriam subire vindictam, quam si ferre recusauerit, etiam si ipse non abscesserit de vestra Societate proijciatur, non enim & hoc fit crudeliter, sed misericorditer, ne contagione pestifera plurimos perdat.*] Vide gradus vt secreta correctio, conuictionem præcedat, hæc amandationem, quæ si contemnatur tandem ad expulsionem deuenitur: & hoc ex Authoritate Humberti (quem etiam allegat Vindicianus) comprobatur, expulsionem intelligendo, non tantum sequestrationem à choro, à mensa & huiusmodi, vel sequestrationem per reclusionem in carcerem, sed de eiectione ab Ordine subdendo, *quod secundum diuersas personæ circumstantias, & culpas, quandoque est primum faciendum, quandoque secundum, quandoque tertium; ita vt semper mitior pœna præligatur, dummodo putetur illa esse æque medicinalis, neque scandalum aliorum, aut conseruatio iustitiæ ad aliud inducat:* nunquam tamen hæc eiectio pro libito facienda est, & ad quamcumque delationem, sed maturè, præcedente correctione, Ordine iudiciario, vel quasi iudiciario, vt nō ad quamcumque relationem, vel minimum defectum, nulla præmissa correctione, diligenti examine, quis ad sæculum transmittatur.

Malè ergo imponis Vindiciane Grauinæ, quod *nulli affixa polo cymba repentino procella impetu in contrarium æstum abripitur,* quasi modo probet, modo eiectionem improbet Grauina; nam vt ordinatam, maturam, per suos gradus incedentem, Augustiniano polo innixus, mirificè laudat, atque commendat; ita illam leuem superiorum illorum (si quod absit occurreret) inconstantem, temerariam, omnis commiserationis expertem, belli more procedentem, ad solam delationem, formatam, ad beneplacitum, & passionem expellentis

us, ad modum proiectorum motus, hominis velut lapides impellentis fabrefactam, nullo modo probare posset, si fieret, & tantum abest, vt ex hac distinctione inconstans deprehendatur, vt constantissima sit eius doctrina, vt pote polo Patrum, & Christianæ charitati, & iustitiæ, & rationi naturali consentanea, vnde frustra per sequentes lectiones, quasi contraria iustitiæ docuerit Grauina, insimulare studet.

Confutatio responsionis ad primam obiectionem Grauinianam, euincitur.

§. I.

AD primam obiectionem Grauinianam dissoluendam se accingens, primo eam sic recenset.

TVRT. *Quid si hoc pacto,* inquit *Grauina calamum quassatum non conterere, neque lignum fumigans extinguere superior cogatur? Nonne hoc erit Christi Domini mansuetudinem imitari? grande certè opus charitatis est, arctissimo dilectionis vinculo, mortuo corpus viuum cadaueri alligari, si correctionis sit spes, vt charitatis calore viuificetur. Auget dicto Basilij, qui in constitutionibus suis negat morbidum digitum esse abscindendum, ne manus proprio, & natiuo suo decore priuetur:* hæc obiectio Grauinæ.

VIND. Quid Vindicianus? *Hæc blandè auribus imbibuntur, sed cum SS. doctrina non consentiunt: negabat ille talem indulgentiam à charitate proficisci, quia hæc publico communitatis bono aduigilare debet, ne alij morbido contagio afflentur. Negat idem S. Bernardus. Melius ait esse, vt pereat vnus, quàm vnitas: soletur te illa sententia Saluatoris: omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus, eradicabitur. Hæc Bernard planè ad amussim Patriarchæ sui, qui in Reg. 28. pro extremo correctionis remedio ferrum porrigit, ne vna ouis morbida, omnem gregem contaminet: quo loco Antonius Perez benignè commentatur. Post omnes correctiones gradus adhibitos, & vltimum orationis ad Deum remedium, olim sanctißimè seruos inutiles in tenebras exteriores eijci solitos;* quæstionem mouens, quid iuris hoc tempore Monasteria habeant in incorrigibiles & cum S. Thom. affirmat idem adhuc vigere.] Hæc solutio Vindiciana.

Epist. 12. & ser. de S. Michaelis.

Sed satis solida est obiectio Grauiniana, non pro quamcunque, nisi cognita grauique causa religiosum eijciendum, nec festinanter, sed seruatis quæ ex iure naturali, vel constitutionibus seruanda sunt: & desumpta ex Christi D. mansuetudine, qua Esaias pronunciauit: *calamum quassatum non conteret, & lignum fumigans non extinguet.* Quibus verbis ex Hieronym. in hunc locum significatur *mititas,* & mansuetudo Saluatoris, non independenter vel separata à iustitia, sed cum illa coniuncta: & propterea, dum dicitur: *calamum quassatum non conteret, significatur, quod cunctis placabilis erit, & veniam dabit peccatoribus, &c. & lignum fumigans (seu, vt cæteri transtulerunt) obscurum atque tenebrosum non extinguet, qui vicini erant extinctioni, Domini clementia seruabuntur.* Sed ne impunita quis putet delicta ex mansuetudine Domini, subditur, *in veritate educet iudicium, quia ait Hieronym. nequaquam metuebat Scribas, & Pharisæos, quos confidenter hypocritas appellabat:* & quod maius est, de templo flagello eiecit vendentes & ementes. Et insuper (ait Esaias) *non erit tristis, neque turbulentus, donec ponat in terra iudicium,* hoc est Hieron. interprete, *æqualitatē vultus omni tempore conseruabit:* & si ex Aquila etiam, & Theodotione vertamus [*non obscurabit, & non curret, donec ponat in terra iudicium*] *sensus est. Nullum vultus tristitia deterrebit, nec festinabit ad pœnam &c.* Clementia ergo cum iustitia iuncta, & hæc non concito gradu saltans nec festinans ad pœnam, vt hæc forma à Prælatis imitanda, videlicet, vt clementia correctionis fra-

TVRT.

Es. c. 50.

fraternæ peccans admoneatur, si neget cōuincatur, si conuincatur plectatur, si pœniteat retineatur, si incorrigibilis expellatur; alioquin, si ad vocē delatoris, his omnibus prætermissis, vel ad passionem Præpositi, vel Prælati concito gradu ad vltimam expulsionis pœnam deueniatur, calamus quassatus conteretur, & lignum fumigans extinguetur. Et cum necessarium est lignum fumens extingui (cum incorrigibilitas, ingens, publicum, & notorium scandalum cognitum, vel probatum expulsionem postulant) expulsio, non differenda ne cōtagione pestifera plurimi per-
In ep. 102. dantur, & hoc quoque Bernardus voluit, cuius verba extrema posuit, & antecedentia prætermisit studiosus Vidicianus. Si autem eam epistolam consulas, loquitur Bernadus, non de fratre quocumque peccante, sed *turbante fratres, & contemnente Magistrum*, de quo inquit Bernardus, omnino curandum, ne diabolus de manu Abbatis & Religionis illum præripiat, propterea subdit; *itaque aggredere fratrem omni officio charitatis, videlicet beneficijs, salutaribus monitis, secretis increpationibus, publicis exhortationibus, duris etiam & verborum, & verberum correptionibus, quodque efficacius esse solet, tuis ad Deum pro eo fratrumq; pijs orationibus, quod si iam hæc omnia fecisti, nec profecisti, ad Apostoli consilium confugiendum est dicentis. Auferte malum ex vobis. Auferatur ergo malus, ne malos generet: neque enim potest arbor mala fructus nisi malos facere: auferatur autem dico, non QVOMODO IPSE VVLT, vt videlicet tanquam ex tua licentia, cum mala secura conscientia extra congregationem, contra professionem deuitans subiectionem, sui iuris esse, sua permittatur viuere lege; sed abscindatur, vt ouis morbida à grege, vt putridum membrum à corpore, qui iam exinde se pro certo nouerit à te haberi tanquam Ethnicum, & publicanum &c.* & ne videatur hæc abscissio crudelitas, sententiam subiungit Bern. à Vindiciano allatam, *melius est vnum perire, quam vnitatem*. Et vt dicit idem: *expe-* Serm. de S. Michaele.
dit ei, vt pro suaui iugo, & leni onere Saluatoris, graui mole terrenæ cupiditatis humeris eius imposita, demergatur in profundum maris huius magni, & spaciosi manibus, quod est sine dubio sæculum nequam, minus enim damnabile erit ei in sæculo magis perire, quam in Monasterio, &c. Hæc autem doctrina Bernardi conformis est, cum sui Patris Benedicti doctrina, quā etiam S. Thom. hausit è disciplina Cassinensium vnde hæc scripsit. *Respondeo dicen-* S. Thom.
dum quod Apostolus dicit: auferte malum ex vo- quodl. 12.
bis &c. aufertur autem aliquis, aut per pœnam a. vlt.
corporalem, & per hoc manifestum est quod aufertur ille qui vellet pœnitere quantumcumque, sicut homicida suspenditur quantumcumque pœniteat: vel per pœnam spiritualem, & hoc Ecclesia non facit, nisi quis esset contumax: & ratio huius est, quia per pœnam corporalem aufertur aliquod temporale, quod potest recompensari per aliquod maius bonum. Sed bonum spirituale quod amittitur non potest recompensari, & ideo non debet religio infligere talem pœnam, quamdiu vult corrigi, quoniam sicut est excommunicatio in Ecclesia ita est expulsio à religione. Et ideo dicendum, quod nullus est nisi propter contumaciam expellendus, sed est sequestrandus in carcere, vel alio
modo. Et Ioa. de Neapoli in M. S. C. qui Quods. 5.
seruatur in Bibl oth. S. Dominici Neap sic art. 20.
habet. Respondeo dicendum quod, *aut est* M. S.
spes de correctione mali religiosi, aut non: spes autem de correctione probabilis est, quando est paratus subire pœnam secundum statutum religionis, & arbitrium Prælati pro culpa commissa, quia cum pœnæ sint quædam medicinæ, vt patet per Philosophum 10. Ethic. paratus subire pœnam, videtur velle recipere medicinam, & per consequens spiritualiter sanari &c. & per oppositum, si culpas non curat committere, & recusat ferre pœnas, videtur nolle spiritualiter sanari, nec per consequens corrigi. In primo (subdit) casu non debet, nec potest expelli (quod triplici ratio-

ratione elegantissimè ibidem probat) in secundo verò casu ait, *expelli debet de religione, quia, inquit, bonum commune est preferendum bono priuato &c.* & exemplificat de mẽbro putrido, quod posset totum corpus inficere. *Si autem* (subdit) *non est spes de eius sanatione, etiam si viuat in Congregatione, postquam præsumitur incorrigibilis, debet præsumi probabiliter, quod posset alios saltem imperfectos inficere suo malo exemplo, & persuasione: ergo in tali casu debet expelli de religione, & hac est sententia Augustini in regula. Conuictus verò (scilicet malus) secundum arbitrium Presbyteri, vel Præpositi ad cuius dispensationem pertinet arbitrium, debet emendatoriam subire vindictam, quam si ferre recusauerit, etiam si ipse non abscesserit, de vestra Societate proijciatur &c.* Aliam causam addit Lessius esse in Societate Iesu videlicet, si *deprehendatur aliquis progressu temporis, quod sit illi ordini minimè conducens, ne grauetur religio Societatis inhabilibus personis, ex vi admissionis, & contractus religiosi, is posset dimitti; secus autem, ait, ex vi Constitutionum Societatis, nisi ob graues causas ibidem expressas;* & hoc prouisum est, ait idem, ne qui renunciauerunt bonis per professionem per simplicia illa tria vota, quæ faciunt quemlibet religiosum, eijciantur extra religionem, & cogantur sibi quærere victum, & propterea, ait, prouisum esse Constitutionbus, vt non dimittantur sine graui causa, & rarissimè (subdit) vt quis post renunciationem dictam dimittatur, vt ad aliquod tempus differatur. In omni ergo sententia Thomistarum, & Iesuitarum grauis saltem requiritur causa ad hanc eiectionem. Non ergo culpandus Grauina, qui nunquam eiectionem inhibuit, sed temerariam, imprudentem, nec iustitię accommodam, nec charitati cõgruentem, vt & Thomistæ etiam, atque Iesuitæ fatentur. Et propter hoc dixit Grauina: quando videlicet *est spes emendationis, esse signum grandis charitatis, veluti cadaueribus alligari viuum, vt vita illi restituatur.*

Less. lib. 2. c. 41. dub. 13.

§. II.

Quid garrulus Vindicianus, de hoc exemplo mussitat? *Simul autem religiosas aures acerbè ferit allegoria, è Diocletiani laniena adducta, nam secundum consuetam in humanis legem nunquam homo cadaueri vitam inspirabit, certè autem contrarium experietur, quod olim SS. Martyres in hoc supplicij genere, vt è cadaueribus pœdore pestem lethumque celerius attrahit. Sancti Eliæ atque discipuli incadauer incubatio imitationem non permittit, quia nulli Deum timenti miracula affectare licet.* VIND.

Quam crassæ imaginationis es Vindiciane, qui non distinguens vitam & mortem spiritualem à temporali, tam pueriliter deceptus es, vtrum Grauina dixerit *alligandum corpori mortuo viuum,* Diocletianam, & ea antiquiorem Mezentianam feritatem imitatum existimans. Audi Augustinum te docentem, & arguentem in ea verba, *& vsque nunc annunciabo mirabilia tua. Quid mirabilius inter Dei mirabilia, quam mortuos suscitare? nunquid nam ego mortuus sum inquis: Si mortuus non esses, non diceretur tibi: Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Mortui sunt omnes infideles, omnes iniqui corpore viuunt, corde extincti sunt* &c. & postea, *cum ergo animam suscitat Deus, nisi adsit qui suscitauit, suscitata non viuit, non enim suscitat, & dimittit vt viuat sibi &c. suscitat illam Deus; moritur si discesserit Deus, quomodo si anima deseratur moritur corpus, sic anima moritur si deserat Deus: ipsa est enim gratia [illegible], vt resuscitet, & sit nobiscum.* Hæc ex A[illegible]no accipiat Vindicianus, & addiscet co[illegible]pori mortuo non carnaliter, sed spiritualiter à Deo præsente, & assistente, per gratiam vitam infundi, tamdiu durantem quousque per culpam hominis *Psal. 70.*

 spiritua-

spiritualiter resuscitati, Deus non discedat. Quia tamen admonitionibus, terroribus, & alijs fomentis possunt cooperari homines ad dispositionem spiritualis exuscitationis, diuina semper præeunte gratia, non fuit inconcinna allegoria, viuum corpus, hoc est, spiritualem virum, corpore quidem viuentibus, sed corde extinctis etiam cadaueribus conglutinari, vt calore compassionis, & feruentis orationis spiritualis resuscitatio impetretur ab eo qui viuificat mortuos. Nec est inconcinnum Elisæi factum, nam mysticè Bernardus
4. Reg. c. 4 (ait) *quotidie id experimur, quando mortuo Deus inclinare se iacenti contrahi, & coæquari*
Bern. ser. 16 in Cant. *puero non dedignatur, cæco partiri lumen oculorum suorum, & os mutum oris proprij osculo soluere, debilesque manus suarum roborare contactu*: & multa alia deuotissimè prosequitur: ex quo facto oscitauit puer in signum vitæ *septies*, inquam mysticè, *quia* (ait Bernardus) *Ecclesia à Christo viuificata septem horas canonicas psallit, septies oscitabit spiritualiter mortuus, si quinque sensus, binario subijcitur, & iungitur charitatis dilectionis Dei & proximi: vel septies, si quadruplici prius compunctione pungatur, pudore, & gemino metu tribus ad confessionem pertinentibus adiectis humiliter, purè & fideliter confitendo.* His motibus viuere deprehenditur, cum à Deo præstantur, vt fiant. Hoc quoque modo tanquam Dei cooperator, & minister, potest religiosus imitari, iacenti mortuo se attemperare, & calore amoris, & orationis, vitam impetrare, quæ ex dictis septem oscitantijs deprehendetur. Quæ ergo Diocletiana laniena? quæ Dei tentatio in imitatione prophetæ? ac si miracula affectentur; cum quotidie ex spirituali huiusmodi super mortuos incubatione, mortui spiritualiter resurgant. Subdis, deinde ad discussionem, non tam Grauinianæ quam S. Thomæ doctrinæ. Quod *id, quod*

de spe curationis apponit Grauina: solerti opus VIND.
habet discussione. Si enim illa remetior sit, qualem de omnibus Christi fidelibus alere oportet & quod aliquando à peccatis resurgent, & in æternam salutem respirabunt, nihil ad præsentem facit disputationem, quia hoc modo dissoluti fœda ludificatione tota vita sua superiorum expectationem suspendent. Sin propinqua spes conuersionis affulgeat, tum is neque contumax, neque incorrigibilis censeri poterit, ac proinde ad exclusionis remedium descendere, nihil magnopere impellet. Vnum tamen Grauina perperam dissimulat, quod enormes excessus, pro fundatoris, & Prælatorum prudentia, ad exclusionem ab Ordine sufficiant, tametsi reus omnem emendationem polliceatur: Extant in Regula S. Francisci similia decreta, contra lapsum in hæresim, aut carnis vitium, contra habitus depositionem, cum affectu apostasiæ contra alia in declaratione Alexand. VI. expressa. Petrus Cluniac. homicidam toto ordine, & vniuerso Galliæ Regno proscripsit. S. Basilius in quolibet vitij genere incorrigibilem foras eiecit. Neque Grauina bene obseruauit locum ex Constitut. eiusdem Doctoris, tantum enim illic agit de eo qui per apostasiam se ipsum ab ordine segregat, & de Præsidibus ordinis, qui conniuentia sua tentationes sinunt vsque in Apostasiam inualescere. Haud dubiè enim istud criminis immensum dedecus Ordini inurit, idemque putauit eiusmodi desertorem nullibi in gratiam esse recipiendum, vt sic in pristinum Cœnobium redire cogatur, vel exemplum sit eius abominationis, quam Apostolus Corinthijs monstrauit. Per exclusionem autem tantum abest, vt irrogetur aliqua labes Monasterio, vel Ordini, vt etiam innocentium famæ, & quieti, & incolumitati præclarè consulatur.

Quando nulla est spes Vindiciane, & TVRT.
illud præstandum non diffitetur Grauina, quod Angelorum synodo constitutum; *curauimus Babylonem, & non est sanata,* Ierem. c. 51
derelinquamus eam: cæterum cum spes est emen-

emendationis, & melioris frugis, fouendus magis quam abscindendus: licet enim vt dicit Basilius idem videatur esse contemptoris, & Religiosi peccatum, tamen *religiosus cum sit timens Dei, & certet, & luctetur pro beneplacito Dei obtinendo, casu fit, & ferè contra animi sententiam, vt impingat, & labatur. Contemptor verò ille nullam habens, nec sui ipsius, nec Dei rationem, nec quicquam discernens inter peccatum, & rectè factum. sicut indicat ipsum nomen ἀδιάφορος primarijs, ac magnis malis laborat, aut contemptu scilicet Dei, vel quod non credit esse Deum*: propterea subdit modum increpationis, & castigationis diuersum esse debere, *nam religiosus quidem modico quodam in loco, ac præsentaneo auxilio opus habet, & ea in causa ad quam per errorē delapsus est, increpationem sufferre debet; contemptor vero ἀδιάφορος ille, in quo totum animæ bonum corruptum, & deprauatum est. & qui capitalibus malis laborat, debet vt contemptor, sicut dixi, vel vt incredulus contristari, & admoneri, & increpari*: vide differentiam increpationis. Similiter duriori increpatione præmiserat castigandos inobedientes, & inobedientiam docentes, *vt è fratrum contubernio eijcerentur. Nam eijce pestem, inquit, ex consessu. & simul cum illa egredietur rixa.* Et iterum: *tollite eum qui malus est, è medio vestri: nam modicum fermentum totam massam corrumpit.* Semper ergo de contemptore, & contumace loquitur Basilius, quod duriori increpatione feriendus, etiam per expulsionem, tunc enim omnis remedij spes sublata videtur, & in numero incorrigibilium collocatur. Et in non quomodocumque peccantem, sed stupidum & insensatum factum ad obiurgationes, tanquam aridum membrum à corpore separandum, vult ibidem Basilius. Quanquam ille locus non de eiectione ab Ordine, sed separatione à fratribus ab eodem Cœnobio ad aliud destinando commodam possit habere intelligentiam: loquitur enim de dormitantibus in officio, quos primo vult corrigi inedia, & separatione, deinde tanquam marcidum membrum amputari, rigorosa enim pœna fuisset in defectu non scandaloso, & pernicioso, oscitantem, & dormientem fratrem in officio diuino exoluendum tam durè mulctare, quod dormitantius Vindicianus annotare debuisset ad suum rigorem temperandum, & non ad Basilium extorquendum, & vitio vertere Grauinæ quod Basilij mentem non penetrarit, cum optimè penetrarit.

In reg. cōtract. q. 81

Regul. 47.

§. III.

Illud verò quod addit ex Religione S. Francisci, etiam si reus emendationem polliceatur adhuc esse expellendum, propter excessus enormes; falsum est nudè acceptum Vindicianum assertum, & qui melius noscunt, quæ sunt Religionis S. Francisci quam eius professores? audiatur S. Bonauentura tria notans, vt etiam ponderauit Rodriguez. primo vt sint delicta notoria Fratribus, & sæcularibus: secundo quod suo malo exemplo corrumpant alios fratres: tertio quod probentur incorrigibiles. Nec obstat (ait) quod Alexand. IV. absolutè concesserit incorrigibiles posse ab ordine expelli, nullam mentionem faciens de notorietate suorum delictorum, & de corruptione aliorum fratrum suo malo exemplo, nam (ait) & *si id in foro conscientiæ possunt Prælati supra dicta facere, id minimè esset tutum &c. eijciendo enim tales absolutè extra Ordinem, vltra scandalum quod in animis sæcularium potest generari, est exponere illos periculo damnationis æternæ &c.* Sed tales debent perpetuis *carceribus mancipari, ac secundum exigentiam delictorum puniri etiam vltimo supplicio, prout puniri*

In Reg. FF. Min. q. 19. 1. q. Reg. q. 20. ar. 14.

solent Clerici, sæculares secundum iura canonica, quibus subijciuntur Religiosi, sicut reliquæ personæ Ecclesiasticæ. Sed vt admonet idem Rodriguez, cum expellere aliquem à Religione sit res grauissima, in clementiam Seraphici Doctoris propendendum esse significat; & ad notorietatem, & grauitatem delicti, incorrigibilitatem quoque addit de mente S. Bonauent. aliud requisitum, vt quis è Religione expelli possit. Incorrigibilitas autem, subdit, ex Constitutionibus ordinis S. Dominici, vt ab ordine quis sit reijciendus, est, *quando quis culpas non timet committere, & pœnas recusat ferre, vel ex earum sæpius repetita inflictione, iudicio discretorum cognoscitur non proficere*: & in Constitut. S. Francisci, qui ter fuit iuridicè conuictus, & punitus de eodem graui crimine, & non non fuit correctus. Notanter autem in Constitut. Prædicat. addita est illa distinctio, *vel ex earum sæpius repetita inflictione, iudicio discretorum cognoscitur non proficere*, nam etiam si velit se corrigere reiterando delicta, & impœnitens, & inemendabilis præsumitur & incorrigibilis habetur: propter quod (quicquid dicant Sylu. & Armill.) de iudicio discretorum expelli possunt à Magistro Ordinis, & Capitulo Prouinciali. Incorrigibilitas autem, vt colligitur ex Sylu. v. Abbas n. 6. non solum de iure est, cum quis est iudicialiter pluries condemnatus, & conuictus, sed etiam cum deprehenditur ex facto, propter conditiones viri sæpè delinquentis, cuius delicta, vel sæpius dissimulata, vel condonata, & nunquam ad cor est reuersus, & hanc de facto sufficere Rodriguez art. 14. loc. cit. docet eruditè. Verum est, quod prima facie videtur innuere idem Rodriguez, sufficere grauia delicta, etiam incorrigibilitate exclusa, ad priuationem habitus, ex diplomate Pij V. ad Hieronymianos, vbi cum dixisset in casibus, in quibus quis de iure communi ad mortem damnari potest, delinquentes perpetuo deberi carceri mancipari &c. subdit, *& in alijs delictis grauioribus, aut grauissimis, velut inobedientia, contumacia seu incorrigibilitatis, eos etiam vsque ad priuationem habitus inclusiuè punire & castigare.* Sed cum tam de delictis grauioribus quàm grauissimis ibidem mox facta sit specificatio à Pontifice, velut inobedientiæ, contumaciæ, seu incorrigibilitatis, grauiora sunt certè inobedientia, contumacia, incorrigibilitas verò grauissima. Nihilominus (ibidem subdit Rodriguez) per illam particulam, *aut grauissimis*, non solum procedi posse vsque ad priuationem habitus inclusiuè, sed etiam ad grauiora, etiam si incorrigibilitatis qualitate affecta non sint, quæ sunt delictum inobedientiæ, & contumacia. Vbi, vt ex eodem colligi potest, & si non sit incorrigibilitas grauissimum delictum, propter quod de iure expelli potest, nihilominus sunt grauiora quoque delicta, inobedientia, vel contumacia, quæ est (ex doctrina Syluestri) incorrigibilitas de facto, seu virtualis, & præsumptiua, propter quod, sicut in incorrigibilitate formali quis expelli potest, ita (vt explicat Pius V.) propter contumaciam, & inobedientiam, quæ sunt radicalis, & virtualis incorrigibilitas, expelli potest.

Dist. c. 16

C 5. tit. de incorrig.

Verbo religio 6. §. 17. Armill. relig. vlt.

Quare cum Syluestri verbis concludo. TVRT. *Abbas vel Prælatus non potest expellere Monachum à Religione. Hoc tamen potest facere regula, vel Constitutio priuata probata per Papam, & etiam ius commune, aut ipse Prælatus iuribus regulatus: vnde in C. cum ad monast. de statu Monachi. Monachus deprehensus in vitio proprietatis mandatur expelli. Dicit tamen D. Thom. in quodlib. 12. quod expelli non potest, quamdiu vult corrigi, sed solum propter contumaciã, quod intelligo nisi incorrigibilitas præsumatur de facto propter cõditiones iuris, vel de iure, propter*

propter regulam ita mandantẽ. vbi nota quod decretalis C. cum ad Monasterium hæc verba habet. *Si vero post hoc, proprietatem aliquam fuerit deprehensus habere, regulari monitione præmissa, de Monasterio expellatur.* vbi contumacia præcedit expulsionem, ex decretali, ob non auditam Regularem monitionem præmissam. Vbi cum doctrina SS. Thomæ, & Bonauenturæ vides omnia consonare; illudque nudum assertum, ex Suarez desumptum, *etiam si reus omnem emendationem polliceatur, propter solos excessus enormes eijciendum: solam fundatoris, Prælatorũ prudentiam sufficere ad sontes eijciendos*, nullo modo habere locum, nisi in præsumpto, seu (vt dicit Syluester) in incorrigibili de facto, vel in contumaci, & inobedienti, qui incorrigibilis quoque præsumitur. At circa hanc materiam cõsulendæ sunt Sacr. Congreg. ordinationes & Pontificia decreta per S.D.N. Vrbanum promulgata, & alia quæcumque emanata ab Apostolico Throno.

Quod si tu pro tuo placito ad simplices excessus velis extendere, exclusa contumacia, tibi tuas, vt dicitur canito Vindiciane paternas cantillationes, & tibi consule, si maiori contumacia redargutus ab ouili Christi sis separatus.

Confutatio responsionis secundæ ad secundam obiectionem Grauinianam.

§. I.

TVRT. REfers deinde secundam obiectionem Grauinæ, *& si, inquit, præstabilius esset, proteruitatem à Pædotriba plecti, quam sontem extra diatribam missum impune vagari, totumque orbem ei pro carcere assignari. Contere brachium peccatoris, & iniqui, mox additur opere fructus. Quæretur peccatum illius, & non inuenietur, disciplina enim virga illud fugauit. Hoc æquius est, quàm vt neque peccator quæratur, neque peccatum eius conteratur.*

VIND. Quid respondes Vindiciane? *nisi autem fallor, Grauina hoc suo discursu impunitatem arguit, quæ proculdubio flabellum est licentiæ, & impœnitentiæ. Sed quis credidisset tot in scientiarum palæstris exercitatum, & annosum militem ignorare quo pœnarũ loco ab ordine exclusio existimanda sit. Grandẽ Apostolus peccatorem tradidit Satanæ in carnis interitum, indeque sperauit animæ eiusdem lucellum, & quid erat hominis in potestatem Satanæ traditio, nisi excommunicationis à cœtu fidelium censura? Et Grauina audet vocare impunitatem, vasto orbi pro carcere tradi; peccatorem non requirere. Atque S. Thomas eiectionem ab ordine excommunicationi Ecclesiasticæ assimilat, tanquam summa in Ecclesiæ pœna, quàm Suarez multis declarat. Credo tamen Grauinæ errorem inde ortum esse, quod solam respexit corporis libertatem, quam ex tali abiectione sequi necesse est; sed oportebat pariter meminisse professionis, cuius vota modo non soluuntur, sed duplo magis ac triplo aggrauantur, debet enim ab vno Ordine dimissus, ab eodẽ Prælato, qui dimisit regi, teste S. Bonauentura, vsquequò in alterius Ordinis, vel Monasterij obedientiam recipiatur. Nihil ergo licentiæ superest, vbi extra Cœnobij septa debent vota & relicti Ordinis præcepta illæsa custodiri, & nihilominus carere benedictione, tutela, alloquio, solatio & succursu reliquorum. Quid desperationi, & Tartaro propinquius? eiectum à S. Benedicto draco excepit, & ad pœnitentiam adegit, quis alius mitiora peruicacia polliceatur?*

TVRT. Nulla pœna excommunicatione terribilior, *nihil enim magis timere debet Christianus homo* (dicebat Augustinus) *quàm ab Ecclesiæ corpore separari.* Nihil religio terribilius infligere potest, quam quod de Dei domo eijciatur, qui etiã eiectus, votis adstrictus, procurare debet, vt vel iterum admittatur, vel in altero Cœnobio recipiatur, vt oneribus adhuc religionis grauetur, & tamen subsidijs spiritualibus Religionis nõ recreetur. Nec erat adeò incõsideratus

Grauina, vt impunitatem negaret non habere, cum quis dimittitur ab ordine, hac dimissione satis punitus. Non vno modo in Religionibus fit delictorum punitio: Quædam enim delicta sunt, quæ fieri possunt à Religiosis, vt si in sæculo existerent punirentur pœna mortis, & huius loco, aliæ pœnæ statutæ sunt à Pio V. vt dictum est, perpetui carceris, &c. & etiam si canonica seueritate plecti debeant sontes, sicut & illi clerici, qui degradandi curiæ relinquuntur sæculari. Quædam vero quæ sola expulsione plectuntur, vt cōtumaces, inobedientes, incorrigibiles, vt dictum est. Malè Reipublicæ consultum esset Christianæ, si quia excommunicatio maior pœna est, venefici, adulteri, sepulchrorum effractores, sicarius, manticularius, hac sola plecterentur pœna, nec vltimo supplicio afficerentur. Malè Religionibus præiudicatum esset, si ijsdem obnoxij criminibus sola eiectione mulctarentur, nam cum magis moueant, & deterreant seruili timore peccare desinentes, sensibiles pœnæ, quā spiritualia supplicia, ad perpetrāda eadem vel similia, ipsi, alijque eorundem exemplo mouerentur, nisi etiam sensibiliter plecterentur. Magna contristabilia, quia præsentia, & visibilia sunt, & sensui ingrata (dicebat Aristoteles in Ethicis) à magnis delectabilibus (veluti contingit in bestijs) euocant homines carni addictos, & sanguini, quos nec pœna Gehennæ, vel excommunicatio, quia inuisibiles sunt, parumque mouentes homines, non transcendentes sensum, & imaginationem, à peccando retrahunt. De his ergo iura naturalia etiam violantibus, furto, homicidio, & irretitos alijs operibus carnis, dicit Grauina, melius esse eos etiam plecti corporaliter, quam sola dimissione puniri. Qui enim in legem peccauerunt, per pœnas legis canonicè puniri quoque debent, Quomodo autem punientur, nisi sontes pronuncientur? quomodo pronunciari possunt, nisi inquirantur? nulla ex hoc Ordini iniuria irrogatur, quod processus formentur, carceres obfirmentur, cum iustitiæ actus exerceatur; sicut idem, ex Bonauentura supra docuit Vindicianus, non irrogari per exclusionem sontium iniuriam Ordini, quin innocentium famæ, & Religioso instituto præclarè consulitur. Malus ergo medicus Vindicianus, qui vno eodemque remedio, omnes curari vult, quos Pontifices, canones diuersimodè curandos sanxerunt, & voluerunt, vt ex Pio V. nuper vidimus, quod etiam omnibus Religionibus competit, ex participatione priuilegiorum, etiam si rescriptum illud ad solos Hieronymianos sit directum. Credat vel saltem Gentilibus Vindicianus, si gubernatorum seueritas non coerceat etiam sensibilibus pœnis lapsos puniri dignos, ex huiusmodi impunitate ad eum gradum deueniri posse, vt licentiam peccandi ea sola dimissio confirmaret; & petulantia virtus existimari posset processu temporis, & licitū quod impune, maximè si publica amandatio nō fieret, vt illæsa, & impeccabilis communitas putetur, vel si ad aliquod temporale cōmodum intentio gubernatorum inflecteretur. Exemplum est de Phæbida Lacedæmoniorum Duce qui cum Cadmæam arcem proditam à Leontiade Thebano, contra iuratam à Græcis formulam pacis, occupasset, non modo punitus non est, sed ab Ægesilao defensus est, illudque Pseudopoliticum axioma pronunciatum: *Honestum habendum esse, quicquid Spartæ vtile esset*; quod fuit Reipub. euersio. Vtilius certè fuisset, puniri proditorem, & periurum ad exemplum orbis, quàm priuatam vtilitatem ex impunitate aucupari, tanto Reip. dāno.

§. II.

Demum cuncta voluens sermonibus VIND. imperi-

peritis in iniuriam prorumpit Vindicianus dicens: *Fortassis autem Grauina Societatem specialiùs voluit sugillare, quòd eos quod nullam adhuc professionem admiserunt à vinculis ordinis, & Votorum liberos pronunciat, cum dimittit. Abunde huic scrupulo Suarez satisfacit & Gregor XIII. Bulla tam sæpius adducta. Quid tuat in dubium vocare quod à Christi Vic. vt sacrum sanctumque vniuersa Ecclesia fidelium commendatum fuit?*

TVRT. Furis hic & insanis, dum taxas Grauinam veluti contradictorem sermonibus Sanctissimi, Dei in terris Vicarij, cum tamen sacros canones & Patrum doctrinam defendat quibus Gregor. XIII. in illa Bulla contradixisse, nefas est existimare, cum verum vero non contradicat. Aliud est aliquem Vindic. posse dimitti à Societate, & non eijci posse à Societate. Et iterum. Aliud est contumacem expulsione sola puniri; aliud etiam peccatores violantes naturæ leges, solum sola plectendos esse expulsionis pœna & non alijs pœnis canonicis. Vnum probat Grauina cum DD. citatis, alterum improbat. probat contumaces sola eiectione plectendos: improbat homicidas, sicarios (quando deprehenderentur) sola expulsione castigandos: probat discolos, immorigeros, vel aliquo defectu ob quem expulsio apposita est, denotatos à vinculis absolui: improbat (si quod absit contingeret, & iubet etiam Societas, & seruari curat) leuem, temerariam, & contra charitatem eiectionem, admonetque, eam non esse passim faciendam, ne expulsi sint amplius religiosi, nec sæculares, ex infamia contracta ob expulsionem; ne iterum mundus impleatur Clericis mendicantibus, eosque alere cogantur Prælati, vel beneficijs, vel Parochijs honorare, quos satis expulsio onerauit, ne hac via latum ostium aperiatur vt impleantur Collegia dolosis hominibus vt alantur & educentur, & disciplinis imbuantur, donec captata leui occasione, vt Prælatis non placeant & abscedant, in ore prouerbium illud reuoluentes adagium: *raia lo seruido por lo comido.* Ipsi prudentes Patres prouidebunt, ne acceptioni personarum locus detur, vt Dynastarum filijs professio acceleretur, verendo, si ostium apertum relinquatur, ne bona cum Dynastis perdantur, indeque professorum, & interdum, nec de litteris, nec de religione benemeritis sacræ domus impleantur, subsequentibus meritissimis, & doctissimis viris, vacuis tamen fortunæ bonis, & ad longa tempora professione dilatata. Quid contra Societatem Grauina, qui easdem admonitiones suas seruandas inculcat?

VIND. Subdit demum erga eos, qui nulla professione ligati tenentur, maioris mansuetudinis causas demonstrari. *dicendo* [*cur enim cogantur ad alium Ordinem transire, aut in pristinum recipi?* & subdit. *satis puniri, quod sua culpa excid(e)rint ab Ordine, quod stimulis conscientiæ vrgeantur, quod bibant vsque ad fundum calicis calamitatum humanarum, quod nulla pace fruantur* (concludens) *esse plenas chronicas variorum ordinum de huiusmodi desertorum successibus.*

Quid infert ex discursu Vindicianus? *nec esse indemnes eiusmodi non professos, dimissos à Societate, cùm priuatione bonorum cœlestium, calamitatum incursu, infelici exitu, non careant.*

TVRT. Sed idem discursus recurrit qui de solemnibus professis efformatus est, vt hæ spirituales pœnæ non satis ad Reipublicæ profectum, & aliorum exemplum, si corporalibus etiam indigeant. Quia citò *contra impios*, ait Spiritus sanctus, *non profertur* sententia, idcircò filij hominum perpetrant mala.] Eccl. 8.

CAP.

CAPITIS XVI. ANIMADVERSIO.

In quo quærit Vindicianus, Vtrum Societas IESV alienis spoliis victitet.

SVMMA CAP.

Ostenditur, quod nulla iniuria illata sit Societati, si dictum sit, non cumulatius eam accepisse diuina dona quàm reliqui ordines acceperint. Insuper nullo modo conquestus Turtur, quod Monasteria sint iniuste vsurpata à Societate, sed causa reprehensæ translationis Monasteriorum à veteribus ad Collegia, Scholas, Seminaria, nimirum ob defectionẽ à fide, improbitatem morum, ineptitudinem ad docendum in scholis, regendum in Collegijs &c. & propter æqualia, vel meliora exercitia quæ à Societate præstantur, vt in toto discursu Anonymus Vindicianus, cum alijs fictis Anonymis, & in ficto Layman in libro iustæ defensionis ostẽditur. Doctrina similiter Societatis nullo quoque pacto sugillata, & laudabiles viri eiusdem commendati. Indisciplinata ingenia nouitatum amantia, quomodo cum nouitatibus reprimi possint, ex ijsdem constitutionibus Societatis coerceri suasit, quod PP. præstiterunt S. Ignatij Fundatoris intentionem sequendo, dum doctrinæ S. Thomæ (quibusdam exceptis) repagulis concludi voluit, à quibus (non parendo sapientissimis Patribus) Poza auersus est, & auersione contentiosa à Sede Apostolica, qui & in Indice suspensus est. Falso similiter Turturi impositum, quod spiritualibus suis bonis expoliata sit, cum ea antiquis Ordinibus contesseratam, inuicemque sibi communicare sua bona demõstret, etiam in ijs, quæ vt peculiaria Societati attribuuntur. Lateque cõmunicatio demonstratur, contradicente Anonymo, & fabellas, quæ dicit Turtur gratis existimante. Ex qua etiam communicatione Turturem Columbæ adiungi procuratum est, vt inuicem loquantur, quæ ad pacem sunt, vt fratres odiosa comparatione (quod absit) efferre caueant.

7. Apoph. SApienter pronunciauit Theophrastus Eresius potius esse fidendum effræni equo, quã verbo incõposito. Malũ est insidere equo infręni, at plus periculi à lingua effræna. audiamus effrænem linguã Vind.

VIND. *Grauina passim Turturi suo inspersit exiguũ esse quicquid Societas ex propria vocationis dono possit. multa vero & insignia esse, quæ ex aliarum fauorib. & liberalitate collegerit. si hæc eo solũ fine occinat, vt scilicet quod è cælestib. promptuariis velit bona quæque in terrigenas defluere, nemo aduersabitur &c. nihil tamen cauet æquè suis atque omnibus mortali aura vescentibus cõmune. Valdè autem vereor, vt æmulorum suggestione admisceat quæ vias Domini rectas subuertant, omnes quidem viæ Domini veritas, & æquitas, sed quid promptius quam easdem pulurulenta nube obscurare? Societati imponit Grauina, quæ ad eius forum nunquam pertinuerunt, aliqua seligam, penes lectorem iudicium esto.*

TVRT. Quæ iniuria est Societatis, quod exiguũ acceperit ex propriæ vocationis dono præ cæteris, quæ multa suscepit ex multis, & pauca comparatione multorum? nisi velit, vt illas diuitias ei adaptemus (quod cupit Vindicianus) *multæ filiæ congregauerunt sibi diuitias, tu vero supergressa es vniuersas*, quod totius caueæ argumentum est.

Non poterit Vindicianus negare multa esse Dei dona, quæ non æquè omnib. vitali aura spirantib. communia sunt, etiã sistendo in lege naturę. in lege vero gratię id maximè inspicitur, quæ cũ indebita sit in substantia, nõ potest in modo, vel mẽsura, vel astringi, vel laxari, vel communis fieri, quæ paucis concessa est. *Non omne donũ*, dicebat Bern. *quãuis spirituale prodire dixerim de cella vinaria, cũ sint & alia penes sponsum cellæ, vel apothecæ diuersa in se recondita habentes dona, atque charismata secundum diuitias gloriæ eius &c. Nõne hæc cõdita sunt, & signata in thesauris meis? ergo pro diuersitate cellarum diuisiones gratiarũ sunt, & vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatem: & quamuis alij quidẽ detur sermo sapientiæ alij autem sermo scientiæ &c. nõ tamen quisquis horum pro huiusmodi dicere poterit, quod introductus sit in cellam vinariam: ex alijs quippe cellis, siue thesauris ista sumuntur,* Ser. 49. in Cant. nempe charitatis, atque iustitiæ, vbi & inæqualiter dona Dei dispensentur iuxta mẽsuram

turam donationis Christi: in quam cellam inquam ille potissimum ingreditur, qui charitate flagrans æstuat, iustitiæ zelo, cum discretione coniunctoeiusdem charitatis ordinem seruans, vt ad illud, quod *maius est*, ait Bernardus, *maiorem affectum exhibeat.* vnde infert, quod, *si propriæ perfectionis, & obligationis intendo cura, non autem magis ad maiora gaudeo Dei lucra, quæ per alterum fieri forte compere(r)o, patet me ordinem charitatis ex parte tenere, ex parte nequaquam, &c. si autem dicas difficile quemquam plus alieno gaudere magno bono, quam proprio paruo, aduertes certè, vel ex hoc excellentiam gratiæ apud sponsam, & quoniam non cuilibet animæ dicere fit: ordinauit in me charitatem.* indeque colligitur ex eodem, *quam rara virtus sit alienæ non inuidere virtuti, ne dum gaudere ad illam, nedum etiam tanto plus, quam ad propriam quemquam gratulari, quanto se perpenderit in virtute superari.* E contrario vero pertineret ad ingratitudinem (ait magnus Aquinas) si bona quæ quis à Deo possidet, contemneret, *sic enim necesse est* ait: *aliquis aliorum bona extollat, quod tamen bona sibi diuinitus prouisa non contemnat.* Est ne Vindicianæ hæc doctrina de æmulorum suggestione descendens? est ne hoc puluerulenta nube solem obfuscare? Si non omnia Dei dona æqualiter omnibus tribuuntur; Si insignioribus fauoribus antiquiores, & augustiores ordines insigniti suis bonis ditarunt Societatem, & veluti in concham gratiarum affluentiam instillarunt (nec vllam stillam è cœlo lapsam sibi seruantes fluenta charismatum communicarunt abundè: nam etiam ros Hermon descēdit in montem Sion.) Cur æmulationi, aut peruersioni tribuis apertam Grauinæ de gratia confessionem, quod inæqualiter distribuantur, quod cumulatius in pluribus quam in vna effusa sint, & vna sit, quæ plurium bona participat? an oculus Vindiciani nequam est,

2.2.q.35. ar. 1. ad 3.

quia Deus bonus est? si pro sola Societate promptuaria plena volebas, in magnis ambulasses, & in mirabilibus super te. Si vero de aliorum repletione tristabaris, inordinatam monstrasses habere charitatem, imò & nullum vestigium charitatis, quæ vt non inflatur, sic non æmulatur, & de bonis suis paruis gratanter lætatur, vt magis de aliorum, & maiori affectu prosequitur, quæ in alijs potiora, quam quæ in proprijs etiam exiguis donis deprehendit: & non Christum, sed se diligere præsumitur, qui sublimiora elargientem sequitur, humiliora autem exhibentem non gratanter excepit, qui maiorem in donis requisiuit humilitatem de paruulis, humilitatis exempla contexens, vt reprimeret Dei muneribus, humanam superbiam, sanans inflatum tumorem, & nutriens humilem dilectionem, & gratum amorem.

Animaduersio conquestus, & calumnia.

Quod dictum sit Monasteria à Societate occupata.

§. I.

HVcusque Vindicianus antiquorum ordinum Regulares traducere veritus non est, vt immorigeros, exleges, conuersationem, cum hæreticis habere, esseque eorumdem sobolem, vt Monasteria ab illis relicta, & ab hæreticis occupata fingeret hoc titulo (vel saltem nonnulla) tradita Collegijs Societatis, Seminarijs, &c. additis in hoc paragrapho rationibus alijs, quarum summa est [qui Patres, ait, Societatis maiorem, & vberiorem fructum reportant, quam veteres ordines, vt postea examinabitur, proinde ad eos antiqua aliquot Cœnobia tradita.]

Sed quo tempore præcedentia dictabat in Britannia Vindicianus anno 1631. eodem prorsus P. Paulus Layman Societatis Iesu in Dilingana Academia Decretista, & nouissimus Summista, satis grande

volumen edidit, quod Vindicianus contendebat, extendens, circa translationem Monasteriorum ab Acatholicis recuperandorum, & transferendorum ad supra dicta Collegia, & Seminaria, sub moderatoribus Societatis, tamquam (dicebat) præ cæteris religiosis præcelsioribus & eminentioribus, cuius intentum in hoc §. discutiendum.

Digressio vbi P. Pauli Layman positio discutitur.

Laym. in annot. c. 3. refut. c. 3. p. 81. & seq. ISte ergo author Paulus Layman vel alius sub ipsius nomine (vt credibile est & cuperem) vt suum propositū obtruderet, titulum apposuit [iustæ defensionis Rom. Pontificis, Augult. Cæsaris, S.R.E. Cardinalium, Episcoporum, Principum, & aliorum, demum minimæ, ait, Societatis Iesu] sub quo ea occultaret in veteres ordines acerbiora dicta, quæ non leuiter Summo Pontifici, religionum confirmatori, & probatori, Cæsari, Cardinalibus, Principibus, ipsæque inclytæ Societati summopere displicent. Rectè dixit Laertius. *nullas esse occultiores insidias, quàm quæ latent in simulatione officij, aut in aliquo necessitudinis nomine.* *In vitis Philosoph.* nempè quod, authore Cicerone, *apertè odisse magis ingenuum sit, quam fronte occultare sententiam.* Nam is, qui palam est aduersarius, facilè cauendo vitari potest Troianus equus idcirco fefellit, quia formam Mineruæ mentitus est. Eleazarus etiam vt dicitur in lib. Machabæorum misere deceptus est, quia *vidit vnam de bestijs* (elephanti erant omnes) *loricatam loricis Regis, & erat eminens super cæteras bestias, & visum est ei quod in ea esset Rex,* quod ei fuit occasio, vt elephanto se supponeret, & occideret, occisus sui quoque detrimento. *1. Mach. 6.* Grande volumen velut munitissimum elephātum construxit prę fatus (vel quicumque sit) author, vt cæteris elephantis cæterorum ordinum super-eminere videatur, & Regalibus, & Pontificijs insignibus ornauit, dum simulat se eorum causam agere, sed dum pro motiuo (inter cętera ad suadendam translationem Cœnobiorum recuperandorum ad Seminaria, Collegia, &c.) assumit (vt ostendetur) quia, *per antiquos* Ordines (qui veluti elephantes fortissimi præliantur bella Domini) *vniuersalis Ecclesia bonis omnibus spoliata est, & à nullo genere hominum maius damnum Cath. Ecclesiæ in Germania, & reliquis hæresi infectis prouincijs illatum esse, quam ab antiquis ordinibus,* in eosdem arietat, & Societatem, Principes, Cæsarem, Cardinales, Pontificem, & Christum Dominum. *Pag. 325.*

Authoritatē Pontificis Maximi, agnoscimus, & reueremur Catholici, eumq; fatemur, cum religiosissimo, & inuictissimo pugile Pontificiæ potestatis, & maiestatis S. Thoma Aquinate prudentissimum *Ecclesiasticorum beneficiorum dispensatorē, & quod: res Ecclesiæ sunt eius, vt principalis dispensatoris.* *2. 2. q. 100. art. ad 7.* vnde potest circa ea præscribere, quæ ad necessitatem, & vtilitatem Ecclesiæ conducunt, & de hoc nulla quæstio, nulla lis, vnde in Clem. tit. vt *lite pendente* c. 1. *dicitur.* [*Ad Rom. Pontificem, Ecclesiarum, dignitatum, aliorumque beneficiorum Ecclesiasticorum, plena, & libera dispositio, ex sua potestatis plenitudine noscitur pertinere.* vide cap. *licet* de præb. 6. vnde nullo iure canonico arctatur disponendi circa eadem, cum sit supra ius canonicum: solum iure naturali, & diuino, quæ iustam exposcunt causam, astringitur (vt fidelis inueniatur dispēsator) quæ cum pietate, æquitate, priuilegiorum concessione, præteritorum seruitiorum memoria, erga testatorum voluntates propensione, & huiusmodi alijs munificentia, & magnificentia Pontificia dignis, solet esse coniuncta. Quæ dispositio, vt nec latet Decretistam, vt valida sit, obreptione-subreptione carere debet, vt habetur in Decretal. tit. de

de rescriptis, alias fraude, dolo, mendacijs obtenta potius subripiuntur, quam obtineantur.

Ergo tota lis in modo est, quo obtinentur, & an causa assignata à Layman, satis sit, ad suum propositum concludendum & obtinendum, ad extincta Cœnobia procuranda pro Collegijs, &c.

Triplex ergo assignatur causa prætensionis Laymanicæ. prima est titulus fidei, secunda morum, tertia melius bonum per erectionē Seminariorum, Collegiorū, Academiarū, quæ à nullis moderatoribus (ait) quam à Iesuitis melius regi possunt.

Prima causa.

§. I.

Circa primam causam de mente, & verbis Theologi Anonymi (quem dicit non fuisse Iesuitam, sed benè alterum, qui cum illo scripsit iudicium illud de transferendis Monasterijs, &c. nihilominus Theologum Clarissimum, vt eum multoties nuncupat) hæc adstruit, & probat in refut. cap. 8. annot. in memb. 4. *Non tam ipsi ordines Monasterijs, ac bonis suis per alios spoliati, quam ipsa Ecclesia vniuersalis ChristiDomini sponsa, ac nostrûm omnium mater dulcissima templis, ornamentis, iuribus ac bonis suis tam spiritualibus quam temporalibus, imò tot millibus filiorum suorum per ipsos ordines spoliata dici debet. Reuera enim fateri candidè oportet, A NVLLO GENERE HOMINVM maius Ecclesiæ Catholicæ in Germania, & reliquis hæresi infectis Prouincijs, illatum esse damnum, quam ab ANTIQVIS ORDINIBVS, qui quidem per se sancti sunt, & fuerunt aliquando Ecclesiæ ac Religionis Catholicæ propugnatores, & propugnatores acerrimi, vitio tamen hominum partim ex abundantia, & panis & ocij & diuturna Prælatorum neglige̅tia, & ignauia, in eam corruptelā, non dico in vna alterave persona, vel in vno alterove conuentu, sed in vniuersa ferè Germania sub initium seculi præcedentis deuenerant, vt ex ijs minima oblata occasione CATERVATIM pestilentes HAERESIARCHAE prodierint qui totam fermè secum Europā in hæresim, & schismа, quasi coniuratione facta, pertraxerint, & vineam Domini Sabaoth ad quā tutandam, & excolendā à Domino Deo conducti, & constituti fuerant, vastarint ipsimet, atque destruxerint, quantū in ipsis erat funditus. Quid ergo mirum si Dominus vinea ijs, qui vineam Domini sibi commissam non tantum ab extermināte eam apro fero de sylua, non custodierint, sed ipsi pro viribus exterminare conati sunt; si ijs in quam AMOTIS, vineā suam iuxta Euangelium Mat. 21. Marci 12. Luc. 10. elocet alijs agricolis, qui reddāt ei fructum temporibus suis.* Hæc verba tui celebrati Theologi, si non Iesuitæ re, voto Iesuitæ affectu, & desiderio.

Pag. 323.

Quid ad hæc optime Decretista? sic effers hunc discursum vt dicas, quod *meritò reprehēdi non potest*: ac proinde opponēs cōtra tale dictū, subdis: *Caueat itaq; scriptor iste, ne ad S. Inquisitionis tribunal suo periculo prouocet*, & vt ne solum Decretorū Lectorem te monstrares, sed etiam casuum conscientiæ Magistrum, Addis secundo: *nihil*, in tali dicto, *contra charitatis leges peccasse Theologum, quādo vitia, & lapsus Monachorū seculi præteriti narrauit. Cū enim Apastata isti, quorū plurimos fuisse ex historijs, & Chronicis constat famā suam dudū amiserint, neq; honore aliquo digni sint, sed execratione, ideo nihil ipsis detractum*. & mox, vt volumē excresceret, totius Lutheranæ tragœdię, cū sequacibus, ex scriptoribus transcribis, vt præsentes religiosos Monachos facias terriculamēta puerorum. Hæc ergo prima causa auferendi, & dandi alijs agricolis, amotis etiam præsentibus (sic enim verba sonant supra citata) non vnum vel alterum extinctū Cœnobium, aut aliqua, vt fingebas, sed omnia (cum indefinitè loquaris) vel magnam saltem partem aut plurima vt dicis expresse.

Pag. 324. loco cit.

Pag. 278. & pag. 61.

§. II.

Et vt ad singula tua dicta occurram⁹, certum

tum est Lutheranam tragœdiam incepisse anno 1516. sed ante hoc tempus perseuerabant in Regno Bohemiæ, Prouincijs Morouiæ, Silesiæ hæretici principatum R. E. abnegantes hi erant Vvaldenses, qui suæ perfidiæ confessionẽ Matthiæ Regi Hungariæ obtulerunt. Eodem anno in Vniuersitate Erffordiensi Sebastianus Brand Doctor Theol. Eccles. Cathedralis Concionator in indulgentias Romanas publicè inuectus. Piccardi in Bohemia anno 1500 in suffragia Sanctorum iniurij. Contra Ecclesiæ infallibilitatem, indulgentias, confessionem, ieiunia, dies festos, &c. Ioannes è Vvestphalia concionator 1479. insurrexit. Eodem tempore, & ante, Hussitarum secta diuisa in Taboritas, Orebitas, &c. in Bohemia grassabatur, quot vero incommoda Regno Bohemico attulerit, Æneas Syluius descripsit, nam præter peruersionem animarum, Zischa illorum duce triginta millium ductore, à famosissimo nostro Prædicatorum templo incipientes, templa reliqua funditus euerterunt. Adamitæ quoque, quorum caput fuit (Piccardus quidam) Bohemiam quoque, renouata Nicolaitarum obscœnitate, infestabãt, hi pariter copiosa sectariorũ collecta multitudine insulam Lusnik occuparunt, inde grassatores ad vicina loca deuastanda destinabantur, qui tandem ab ipso Zischa expugnata Insula, gladio occisi sunt. Adhuc Lutherus ortus non erat (nam ortus est anno 1483. ipsa die Ferdinandus Cortesius nascitur, vt apostatæ opponeretur, qui Euangelium ad Americam sua nauigatione introducturus erat 1518. quo prius nauigauerat Christophorus Columbus cum Patribus Benedictinis) & tamẽ Germaniam fermentare, & corrumpere cœperant enarrati hæresiarchæ, qui non Monachi, nec ex veteribus ordinibus fuere, & tamen innumeri decepti prius, & Ecclesiæ bonis expoliatæ. Quomodo ergo à NVLLO hominum genere maius damnum illatum est Germaniæ, quam ab antiquis Ordinibus? nec enim soli apostatæ Monachi & exclericati clerici, sed alij ante Lutheranam apostasiam viã strauerunt, tanquam Prodromi, vt per eãdem postea incederent posteriores, & licet ipsi semitas fecerint, at posteriores semitas dilatarunt maiori damno. Non fuerunt antiqui ordines omnes, imo nullus ordo, nisi ex vno inclyto ordine Lutherus deficiens, qui tantum excitarunt incendium. Quid veteres ordines dicis, quid Augustinianum Monachum, & Monachos apostatas nominas? Non ordines malum intulerunt, nec enim ab ordine deordinatio, sed nolentes ordinibus esse subiecti inordinati, & irregulati esse voluerunt, ab ordine, & regula fidei, & Monachatus deuiantes. Ordines remanserunt, etiam si illi abscesserint, qui alios regulabant, non secus ac Angelici chori remanserunt ordinati, & sacrum Apostolorum Collegium ordinatissimum, etiam si Lucifer maiori numero, quàm Luther cum sequacibus è cœlo cecidisset, & Iudas ab Apostolico choro. *Non erant ex nobis*, dicebat Ioannes de discipulis deficientibus, *qui si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum.* quando ergo deficere cœperunt Catholicam formam perdiderunt, hæreticam induerunt; & cum nullum agens agat nisi per formam, non secundum formam Catholicam docuerunt, sed secundum hæreticam populos dementarunt: non ergo vt Monachi, sed vt exmonachi damnum illud intulerunt quotquot ex Monachis defecerũt: multo minus ordines damnum præstare potuerunt, qui in alijs permanserũt, & si omnes apostatassent, adhuc Ordines ad futuros nascituros secundũ eãdem canonicam regulam permanserunt.

Valdè

Apud Coquet. c. Mor. pag. 335. in 2. p.

Apud eũdem pag. 322.

Cocc. t. 2. l. 5. art. 4.

In chron. Sphat.

In Bohem. hist. c. 36.

Bzouius in hoc anno 1.18.

1. Io. c. 2.

Valdè ergo scandalose, ne dicam amplius, ab Ordinibus antiquis tot mala prodijsse describit Theologus, & tu Layman confirmas. Vidisti improprietatem illius propositionis tam acris, tam impiæ, & resarcire mox voluisti moderationem illam Theologi à te defensi, videlicet, *qui quidem per se sancti sunt, & fuerunt aliquando Ecclesiæ propugnatores acerrimi.* Et hic astus occulitur. Aliquando enim fuisse antiquos ordines fidei propugnatores illaudabili verborum restrictione, & auaritia concedis, insinuans tacite modo non esse fidei propugnatores. Quare? *quia, ais, sub initium præcedentis seculi, cateruatim pestilentes Hæresiarchæ prodierunt &c.* E culice elephantum: videlicet ob vnum Lutherum, cateruæ ex Ordinibus antiquis Hæresiarcharum prodierũt. Certè magna differentia est inter hæreticum, & hæresiarcham, vnde non rectè dicitur tot hæresiarchas continuisse, quot ab Ecclesia discesserunt; sic enim ad hominem argui posset: Reingh, Franchē Marseglia, Exiesuitas, à fide extorres, hæresiarchas extitisse. Quid tu ad hanc obiectionem? nullum fuisse Exiesuitam, *qui in aliquam Ecclesiam, ciuitatem, aut congregationem, aut prima eius semina iecerit: præterquam quod subdis superiores Societatis, quando tale aliquid accidit non solum authores non fouerunt, sed quibuscunque potuerunt modis remedium adhibuere, hominemque lapsum, ad veritatis viam, quatenus id possibile esse videbatur, reuocare studuerunt:* at cæteri (ais) *non tamen minus improprie*, imò *non incongrue* à Theologo, inquis, dici possunt *hæresiarchæ*, quia vel in *congregationem, ciuitatem*, *vel Ecclesiam* primæ hæresi. Lutheranæ *semina* detulerunt, vt fuerunt Ecclesiastæ Luthericolæ, *& Monasteriorum Abbates, qui hæresim eamdem amplectentes, missam aboleuerunt in suis Ecclesijs, & nuptias Monachis suis permiserunt.* Sed nec Theologus, nec Decretista propriè (bona venia) loquuntur. Saltem Dilinganus Lector id debebat cauere, non confirmando, & excusando, & glossando illum Theologum, nam ex canonibus habemus, non esse regulariter à propria verborum significatione recedendum C. *cum delicta de rescrip. cap. ad audientiam*, de decimis, C. porro de priuilegijs. Turpe esset dicere id in lectura Decretalium te non aduertisse. Et licet Iason l. non dubium num. 41. & alij Iurisperiti ponant septem exceptiones vel fallentias, nulla fuit necessitas recedendi à verborum propria significatione, nisi vt ad tot hæresiarcharum numerum, quorum vno excepto, simplices hæretici extiterunt, aduersus antiquos Ordines maius odium concitaretur, & iustus titulus assignaretur, vt alijs eorum Cœnobia, ne dum extincta, sed omnia (cum indefinite de antiquis ordinibus loquatur à te defensus Anonymus) alijs traderentur agricolis. Et non vides quod quos excusas, in hæresiarcharum numero inuoluas, & negatiuæ, quod illi à te excepti, *non iecerint semina, sed cum dexteritate reducti à suis superioribus*, ad faciendam fidem id neganti, tibi incumberet probatio. At quid de M. Antonio de Dominis dices, qui non concionando tantum, sed etiam scribendo hæresiarcha, non vt Archiepiscopus scripsit, sed potius vt Archiapostcopus, & Antiiesuita, imo vt & cæteri hæresiarchæ, Antichristus, cuius impietas si non in multitudine dogmatum cum Luthero æquetur, veneno æqualis, integro absoluto lustro hæresiarcha hæresiarchæ succedens vt Turtur ostēdit. An quia hic quoque sua impia doctrina dementauit populos, & principatus gratia nouas, vel priscas hæreses adinuenit, vel secutus est, inter hæreticorum Principes adnumerãdus, in tantillo, tam illustrem, tam celebrem Iesuitarum religionem offendit, vt propterea alijs colonis tam fœcunda vinea

Marginal notes: *Laym. in c. 8. refut. memb. 6. p. 338.* — *Ibi. p. 338.* — *In int. ci & non alter ad leg. 3. si quis stipulat. ff. de verb. obligat. l. diligenter* — *p. 324. ope.* — *Tom. 1. cath. prescrip. p. ul.*

vinea tradi debeat & alijs agricolis? nunquam id dicet Grauina, qui eius vineæ laudes non aspiciendo ad vrticas, adeo ex præcordijs decantauit, vt in tuo hoc eodem opere eius testimonio desumpto ex lib. vox Turturis, vti voluisti, si egressio M. Antonij de Dominis non præiudicat Sanctæ Societati, nec caterua illorum, antiquis ordinibus etiam si omnes hæresiarchæ propriè concederentur vllo modo præiudicare potest. Nō personæ fidei præiudicant, sed ex fide personæ iudicantur. Nunquam Episcopales Throni, à malis sessoribus nota infamiæ asperguntur. vnde obijcienti Petiliano mores malos sedentium in Cathedris, sic respondebat Augustinus. *Si omnes* Præsules per totum *orbem tales essent, quales vanissime criminaris, cathedra tibi quid fecit Ecclesiæ Romanæ, in qua Petrus sedet, & in qua hodie Anastasius sedet,* & hodie Vrbanus Octauus: *vel Ecclesiæ Hierosolymitanæ in qua Iacobus sedit, & in qua hodie Ioannes sedet, quibus nos in Catholica vnitate connectimur, & a quibus vos nefario furore separastis?* sint omnes egressi *ab ordinibus antiquis* hæresiarchæ, qui tunc in diro Luthetico schismate defecerunt, & in pari hæresiarchatus gradu cum M. Antonio de Dominis sedeat, at post Lutherum hæresiarcham hæresiarchæ sibi vendicat locum, quid tibi fecerunt sacri ordines in quibus præfuerunt. *Sancti Basilius, Benedictus, Augustinus, Dominicus, Franciscus, Ignatius,* & religiosi alij sub illis Ordinibus hodie Deo seruientes, à quibus filij illi Belial tam nefario furore se separarunt? male consultum esset innocētibus, si propter alienas culpas innoxij puniri deberent, videlicet, vt amotis ijs, alij agricolæ subregentur ijs nempe ordinibus, vel ijs nempe Pastoribus desidibus, vel illis iniquis operarijs, exteri agricolæ præficiantur, cum vt ipse fateris, obseruantibus Ordinibus Mendicantibus &c. deberi tradi recuperata Cœnobia ab æquitate victus fatearis. Forte vindicabis M. Antonium de Dominis. quod cum Exiesuita factus est, desertor fidei Catholicæ, post apostasiam illi sint missæ litteræ patentes expulsionis à Societate. Id ipsum de cæteris hæresiarchis dicendum est, siue Episcopi, siue Clerici, siue Monachi fuerint, vt prius desinere esse inciperent quod retro erant, vt fierent, quod non erant, & assumerent formam per quam hæretici vel hæresiarchæ dicerentur, & essent. Ipse M. Antonius de Dominis dum esset sub prælectoribus sui instituti, in sua mente reconditos errores, non obscuris verbis insinuat, habuisse, doctrinam orthodoxam, quæ legebatur à præceptoribus nolens attendere. Accepi ego ex A.R.P.F. Cornelio Mauritio Priuernate Camalduensi Visitatore, Consobrino meo, quod (antequam dictus Pater transiret profectus spiritualis gratia ad S. Ordinem S. Romualdi, quem mirificè in Polonia propagauit; sub instituto Societatis tamquam in leuiori palæstra exercitatus) cum idem P. in Germania Philosophiam legeret, M. Antonium de Dominis agnouit (ea occasione quando Gretz contenderat, & à Seren. Archiduce Episcopatum procuraret Signiensem) & obseruauit hominem illum capitosum, naturæ turbulentæ, vt sicut dicebat Nazianzenus de Iuliano Apostata, talis fuit postea in re, qualis ex huiusmodi signis deprehendebatur. An ista præcipitationis præludia è Societate hausit? minimè, sed ex sua praua voluntate & malitia concepit, intus existens iniustitiam, foris deinde peperit iniquitatem, quod & aliorum ordinum apostatæ & hęretici fecerunt. Maiora effecisset, vel citius, ni repagulis S. Societatis repressus esset, vt illi similiter recensiti hæresiarchæ effecissent, qui postea, oblata sibi occasione,

In resp. c. 11. p. 437. 848

L. 2. cōtra Petil. c. 51.

Pag. 458.

In Cōf. professionis fcta, vide depositum Apostolicū Gran. c. 8.

Orat. 2. in Iul.

ne,

ne, iugum suaue religionis abiecere. Cum ergo nulla sit Ordinum culpa, sed personarum delinquentium, non Ordines ipsi, nec personæ, quæ in ordinibus permanserunt, debent incommodum reportare, vt alijs exteris tradātur. Quod si adhuc contentiosus sit P. Layman cum suo Theologo, oro illos, vt vbi quondam hæretici illi Monachi, verbi gratia, Mesopotamiæ ex quibus orti Messaliani, vel Origenistæ illi pulsi à Palæstina damnati in Concilio Cyprio ab Epiphanio, vel Scythæ Eutychiani falsitatem in Trisagio introducentes ab Hormisda proscripti (de quibus abunde in historia Ecclesiastica agitur) ipsi incolant regiones, & loca vbi degebant (nisi eos exterreant terra deserta, inuia, inaquosa, & loca horroris, & vastæ solitudinis) procurent impleri, & conuertant Agarenos, & Ismaelitas. Et si est tam zelans, vt dentur alijs agricolis priscorum, & vetustiorum ordinum Cœnobia (non tantum vt fingit extincta, & vacantia) propter defectionem ministrorum, & in pœnam præcedentium apostatarum; scribat commilitonibus Iaponicis, ne alijs Prædicatoribus aliorum Ordinum, quidam imperfecti tamen sui instituti in Iaponia degentes, iter claudant, vt supplere possint in Insulis maris in conuersione gentium, quod non datur perficere posse (vt obiectum est) in Imperio Teutonico. Quod si pro aliquorum perfidia, & apostasia adhuc causa prima assignatur locationis & substitutionis aliorum agricolarum; videant suadere, si possunt, illis deberi Collegium Apostolicum, vel ibidem debere habere locum, de quo præuaricatus est Iudas, vel cœlum ipsum, si angustior videtur terra, debere solos possidere, nec Angelis locum deberi propter Luciferum apostatarum omnium principem: quæ cum impossibilia, & falsissima sint, ex bona Theologia, confido. P. Layman (si huius libri author forte est) hæc omnia quæ de Atheologo illo dixit, & probauit retractaturum.

§. III.

Illud vero quod secundo addis examinandum, videlicet, *nihil in tali dicto contra charitatis leges peccasse Theologum, quando vitia, & lapsus Monachorum præteriti seculi narrauit: cum enim Apostatæ isti quamplurimos fuisse ex historijs, & Chronicis constet famam suam dudum amiserint, neque honore aliquo digni sint, sed execratione; ideo nihil ipsis detractum.* Pag. 324. Certè de P. Layman miratus sum, nam apertè sibi contradicit, & Theologis vniuersis, nā in sua summa edita Theologiæ moralis libr. 3. de iust. & iure sect. 5. tract. 3. p. 2. cap. 5. dicto 5. fol. 101. quæ est communis doctrina docet, quod *postquam infamatus, per vitæ emendationem, famam recuperauit, iniuria ipsi infertur cum restituendi obligatione, si de præterito, & obliuione obruto crimine, denuo, sine necessaria causa infametur. Ratio est quia sicut malis moribus infamia facti contrahitur, & fama bona amittitur, ita contrarijs bonis moribus infamia facti aboletur, & fama bona recuperatur.* Et citat Nau. Sot. lib. 5. c. 65. Mol. Less. Multo magis id verificandum de communitate (ex qua hæresiarcha aliquis prodijt, vel aliquis scandalosus) quæ non tota peccante, sed multis (vt etiam hypothesim Laymanicam admittamus) in melius commutata est per reformationem, vel meliorem aliorum frugem. Amplius dicis ibidem qu. 4. dicto 1. *Si explicata persona qualitate v. g. huius Ordinis religiosorum, huius Principis viri cognatum, tale facinus perpetrasse, grauis infamia redundet in familiam, Ordinem, Cœnobium mortale crimen committitur, cum onere restituendi &c. imo & tanto grauius peccat, qui bono nomini communitatis detrahit, quanto maius, & communius bonum violat. Tametsi enim congregatio Regularium re ipsa non maculetur ex vnius hominis malitia, aut perfidia,* Cit. Mol. Nau. li. 2. c. 4. p. 354.

sicuti

ficuti neque Apostolorum Collegium ex proditione Iudæ maculatur, tamen apud homines simplices. & imperfectos, quibus id multiplici scandalo esse solet, de quo vide S. August. epist. 137. ad Cler. Hipponensem. Peccatum ergo grande peccauit Theologus, quod & tu probas, dum vnum hæresiarcham exeuntem ab Ordine ad innumeros extendit, & pro dedecore isto, & damno, vt dicis, illato ab ipsis antiquis Ordinibus, ipsos ordines damnificasti, cum ob id Monasteria non eisdem danda contendas. Tuo ore ergo adiudicaris, & ob manifestam istam contradictionem, fortassis Layman non fuit eius libelli author, maxime cum licentia imprimendi suorum superiorum in suo libro non appareat.

Secunda causa.

Refut. c. 9. anno mēb. 7. pag. 381. SEcunda causa assignata ab Anonymo, confirmata à Layman, *est prauitas morum & desidia veterum religiosorum.* Hæc sunt Anonym. verba formalia. *Quis autem nesciat hæreticos sub initio harum hæreseon plausibilius oppugnasse Ecclesiam Dei, & sacrilegam inuadendorum Monasteriorum, ac bonorum Ecclesiæ cupiditatem palliasse, quam clamando: Monachos esse inutilia terræ pondera, ventres pigros, stupidas pecudes &c. non esse bona illa à suis maioribus pro hominibus inutilibus, ociosis, ignauis, fundata. Inuerti à Monachis intentiones testatorum. bona illa ad publicam vtilitatem impendenda, fundandas ex eis scholas, constituenda ex illis stipendia concionatorum, pauperum, studiosorum. & eorum, qui curam animarum, & sacramentorum administrationem procurant, & similia. Quæ licet ex ea quidem parte, qua vota, & instituta Monastica condemnantur, hæretica; & ea quâ ista bona ad hæreticos Prædicantes, ac studiosos volebant conuerti, Ecclesiæ Catholicæ perniciosa fuerint &c. ex ea tamen parte, quâ contendebant melius esse bona illa applicari ijs, qui publicam Ecclesiæ vtilitatem melius, & efficacius procurant, vera fuerint ac laude digna, & à Catholicis meritò perpendi, ac re ipsa perfici debent, ne restitutis suis Ordinibus, abductoque, quod aliquando necesse erit exercitu, fiat nouissimus error peior priore. Si enim ex ijs, quæ ab hæreticis facta esse, & fieri videmus, de ijs quæ futura sunt coniecturam prudenter facere debemus, non possumus aliud iudicare, nisi (si quidem Monasteria omnia antiquis Ordinibus restituantur) futurum omnino, vt hæretici principes, postquam ex præsenti metu, & timore respirarunt, militiam ab Imperio abesse viderint, vires ac confœderationes solidarint, supradictam rursus, & ipsi cantaturi sint cantilenam & Prædicantibus eandem intonantibus, & applaudente vulgo maximè, si scandala accesserint, rursus eadem bona Ecclesiastica, ac Monasteria extremo Catholicæ Religionis exterminio, idque longe quàm ante hac speciosiori titulo, vtpote olim diutissime possessa, sint occupaturi, & ad pristinos vsus hæreticos aut profanos conuersuri. Quod malum aliter mea sententia euitari non potest, nisi iuxta supradicta quam plurima ex bonis ad Scholas, Seminaria, Collegia, Magistros, Concionatores, Parochos, & similes operarios legitime transferantur, atque ita consilium ab hæreticis in detractionem excogitatum, ad eiusdem ædificationem, & promotionem prudenter ac salubriter conuertatur.* Hæc ille.

Refutatio.

§. I.

HÆc magna ex parte refutata sunt à Turture supra in ca. 9. Causæ discussione, vnde eadē nūc repetere opus nō est, sed solū ingemiscere, in eum statum deuenisse antiquos Ordines, cum suis professoribus, vt non secus habeantur, quàm quondam Monachi habiti sunt temporibus Saluiani ab Afris, *qui* (vt refert) *viros religiosos irridebant, maledicebant, insectabantur* (vt faciunt Anonymi) *detestabantur, in eos ea committentes, quæ in Saluatorem nostrum* L. 8. gub. Dei. *Iudæo-*

Iudaeorum impietas ante fecit, quàm ad effusionem diuini sanguinis peruenirent. Vnde si aliquando aliquis Dei seruus, aut de AEgyptiorum Cœnobijs, aut de sacris Hierusalem locis, aut de Sanctis Eremi venerandis secretis ad vrbem Carthaginensem officio diuini operis accedebat, simul, vt populo apparebat, contumelias, sacrilegia, & maledictiones excipiebat. Insuper improbissimis flagitiosorum hominum cachinnis, & detestantibus ridentium sibilis, quasi Taureis cædebantur, non aliquem hominum ludificari, sed nouum inauditumque monstrum abigi, atque exterminari arbitrarentur. Leuiora ergo ne dicteria, & contumeliæ, & irrisiones istæ quod Regulares veteres sint: *inutilia terra pondera, ventres pigri, muta pecudes?*

Pag. 383. Respondet Layman: *ex ea parte meritò hæreticam pronunciatam illam vocem, qua instituta Monastica damnantur, continent enim in se vitæ solitariæ studium, orationis assiduitatem, perennes psallentium choros, ieiunia, vigilias.* ideo subdit, *Theologus hæc non reprehendit, sed eorum reprehensionem hæresim appellauit.* Cæterum, subdit Layman, *hæreticorum persuasionem, non aliter commendat Theologus, nisi ex ea parte qua contendebant Hæretici melius esse bona ea applicari ijs, qui publicam Ecclesiæ vtilitatem melius, & efficacius procurant, videlicet per conciones, scholas &c. quamuis vt Nouatores in applicatione errarint, quando bona illa ad hæreticos Prædicantes, & studiosos transferri volebant.*

Sed contra, quia hæc ipsa erat iniusta hæreticorum ratiocinatio. *Non sunt danda Cœnobia, & huiusmodi personis inutilibus, otiosis &c. sed tales sunt Monachi, sunt enim inutilia terræ pondera ventres pigri. ergo &c.* Sed syllogismus Anonymi Theologi, & discursus hic est quem hæretici faciebant. *Iis applicari debent illa bona qui publicam Ecclesiæ vtilitatem melius, & efficacius procurant: sed Protestantes tales sunt: ergo ad eos transferenda.* Quæso te quomodo minor probatur? non aliter, quàm illis verbis hæreticis [*quia Monachi sunt inutilia terræ pondera*] *inuoluentibus mores, cum actibus contemplationis &c.* ergo semper ex illa propositione. *Monachi sunt inutilia terræ pondera*, minor vtriusque syllogismi construitur. At vbi didicit P. Layman (si ipse est author) cum suo Anonymo, religiosos, vel personas illas, quæ non publicam vtilitatem melius, & efficacius procurant, continuò sequi, *esse inutilia terræ pondera?* cum contradicat Apostolus, qui & si charismata meliora æmulantes laudabiliores ostendat, non propterea vituperabiles, sed honorabiles inferioribus contentos quoque prædicauit; alioquin soli etiam Virginitatem profitentes, propter maius bonum laudandi, quia Angelos imitantur, matrimonio iuncti propter minus bonum vituperandi, tamquam pecudes mutæ, cum tamen dixerit, & prædicarit Apostol. *honorabile connubium, & thorus immaculatus.* Sed quod maius bonum procuretur per Seminaria, & Collegia, quam per antiquos Ordines, est ratio 3. mox discutienda §. seq. & hæc minor aduersario probanda relinquitur. 1 Cor. c. 12 Heb. 13.

Sed aliter eadem minor probatur à Layman toto hoc opere, quia iusta causa est transferendi Monasteria ad alios Ordines vbi lapsa sunt, vel deformata per authoritatem Sedis Apostolicæ: talia sunt Cœnobia veterum Ordinum ergo &c. maior supponitur vt certa, & de qua non est dubitatio. Minor probatur ab eodem Layman ex lapsu deficientium ordinum, inquit, ad hæresim, & ad cauendam detractionem (subdit) historicè hæc narrata. item pag. 540. vbi ait, *aliqua bona Monasteriorum Ecclesiast. quæ iam omnibus mortuis seu amotis, aut cadentibus Monachis, in dispositione libera Apostolicæ Sedis erant, Patribus Societatis assignata fuisse.* & pag. 540. quæ negligebantur *fundationes, & redditus dilapidabãtur, à PP.* Pag. 491.

Pag. 126. *Societatis in meliorem statum redacta.* Adde ob maiorem obseruantiam à Layman ad sydera supra cæteros Societatem elatam, quia *nullum*, ait, *ego arbitror Religiosum Ordinem, aut Monasterium reperiri in quo non ratio specialis aliqua habeatur concionatorum, & Lectorum, seu professorum, vt in victu eximium aliquid habeant, tamquam qui maiores alijs labores sustinere debeant. Sed in Societatis nostra Collegijs in victu, in amictu, nulla personarum discretio obseruatur, prater agrotos & infirmos: & Collegij Rectori, aut Theologia professori in triclinio, nihil exquisitius apponitur, quam ianitori, & sartori, in potu similiter inter Patres, atq; in quibus Collegijs ceruisia vsus non est, inter omnes nullum discrimen.* imò & per Societatem Ordines reformantur, dilatantur, accrescunt] quod ex Gretzero in Vespertilione probat.

§. II.

Pergit Layman. Adhuc & si spoliati non sint veteres ordines ex eiusmodi trāslatione facta, vel fienda, cum nullum ius
P. 329. 318 habeant, ait, de quo nulla lis, & supponatur ista positio; spoliata tamen ex *defectione à fide vniuersalis Ecclesia propter Monachorum à fide defectionem, Monasteriorum occupationem, seu traditionem hareticis factam*, vbi tacite insinuatur posse ob id expoliari eisdem bonis, quod insinuatur apertius pag. 341. [& si inquit spoliationem defenderet Anonymus, grande opus susciperet, videlicet probandi, quod *impiorum quorundam Monachorum in eodem ordine, veluti successores iuribus suis priuandi essent*] vbi vides in toto discursu; impietatem Monachorum sugillari, & dum non esse expoliatos bonis ipse probat, fama tamen eosdem expoliat, sic eos exemplando in rota huius Minoris, ex diuersis locis collecta ostensione.

Pag. 278. Peius, quod nihil de futuro veterum religiosorum statu dixerunt Acatholici, sed Theologus Laymano celebris, in æuiternitatem scientiæ mediæ conspicillis futura coniectans desperans de regularium profectu, de futuro quasi lapsu securus, de melioribus Dei ministris quam sint Monachi pronunciauit, eosque ad vetera Cœnobia non esse ex præteritis casibus admittendos. Audiamus verba formalia. [Non sunt ait Monachis restituēda omnia Monasteria, sed multa trāsferenda ad Collegia, ad Parochias &c. *ne restitutus solis Ordinibus abductoque quod aliquando necesse erit exercitu, fiat nouissimus error peior priore: si enim ex ijs, qua ab hareticis facta esse, & fieri videmus de ijs qua futura sunt, coniecturam facere debemus, non possumus aliud iudicare, nisi si quidem Monasteria omnia antiquis Ordinibus restituantur, futurum, vt heretici Principes, postquam ex prasenti metu & terrore respirarunt militem ab imperio abesse viderint, vires ac confœderationes solidarint, supradictam rursus & ipsi Monachi cantaturi sint cantilenam & Pradicantibus eamdem intonantibus, & applaudente vulgo, maximè si scandala accrescerent, rursus eadem bona Ecclesiastica, ac Monasteria, cum extremo Catholica Religionis exterminio, idque longè, quam ante hac speciosiori titulo, vtpote olim diutissimè possessa, sint occupaturi & ad pristinos vsus hareticos aut profanos conuersuri. Quod malum aliter, mea sententia, euitari non potest, nisi iuxtà supradicta quam plurima ex istis bonis ad Scholas, Seminaria, Collegia, Magistros, Concionatores, Parochos, & similes operarios transferantur.*

Quod dictum sic roborat Layman. *Non vanus prudentissimi viri metus est: Si religiosi in medio nationis praua, seu inter medios hareticos habitent in Monasterijs sitis in Prouincia Ducis Acatholici; prasertim cum ad Principis curiam, ad Comitia venire debeant; vbi blanditia & allectamenta non desunt. Accedunt mina, vexationes, exactiones tamen graues, vt vel Monasteria sua deserere cogantur, vel quod benignius, & humanius*

manius videri potest, re ipsa autem longe crudelius est se in religione, vti loquuntur, se accommodare: Talia inquit Theologus, olim accidisse scimus, cur non & in posterum contingere possunt? Non pro peccatis, quæ facturi essent, si viuerent præripiuntur infantes, ex testimonio Augustini, & Cypriani, ne pœna culpam præcedat, imò rapiuntur iuxtà Salomonis Sapientiam, ne malitia intellectum eorum mutet. Solum veteres Ordines erant seruati, puniendi de coniecturis per scientiam mediam. Sed dato quod omnes mali re ipsa futuri prænuncientur; Numquid omnes? numquid qui cadit, nó adijciet, vt resurgat? *Sunt,* ait Ambros. qui *inoffensa vita sua tempora percurrerint, & qui anteactis renunciantes flagitijs, vel incredulitatis erroribus, emendauerint cursum posterioris ætatis.* Absit de peccatoribus diffidere, vt sunt illi (ait idem Sanctus) *qui cum quærant Domini misericordiam, alijs eam denegant, vt sunt DD. Nouatianorum, qui mundos se appellant sanctiores isti quam Dauid?* & tamen ait: *à delicto meo munda me &c. Dominus* nullum crimen excepit, qui peccata donauit omnia.]

De præd. SS. c.14.

In Apol. Dau. c.16.

1. de pœn. c.1.

Fortasse Theologus sic de futura bonitate desperans, qui regularium, & futuros lapsus coniectans, bona mediocria aliorum despiciens, & ad meliora aspirans, Illi insano assimilis, qui in orbis machinā obtutus fingēs attētissimè audacter pnunciauit. *Se si præsens creationi adfuisset, dispositionem accuratiorem conditori dictaturum fuisse.*

Vnisona quoque voce Vindicianus concordare videtur, & cantilenam cantillat, nam Vniuersos Cœnobitas in Imperio Theutonico, vt diffusius examinabitur, sic spernit, vt dicat hæreticos hodie nihil *generosum*, vel excellens inspicere inter suos confines, cum ibi *meri pepones, allia, & nasturcia nascantur,* quod dictum suo refutabitur loco.

C.17. Cauea.

Serm.50.

Interim Turt. cum Susanna, *non recriminatur,* contra quam ex Amb. *pseudopresbyteri arguebant. Vnde in sancta fœmina tacente lingua, pro ea castitas loquebatur, & quæ presbyteros & impudicos conuicit in paradiso [in horto] in iudicio falsos accusatores obtinuit: bisque victrix reos fecit testimonij, quos reos fecerat adulterij, sic & pro Ordinibus loquitur veritas.*

Tertia causa.

§.I.

Tertia causa assignatur ab Anonym. quia quod melius, & vtilius, id pro Ecclesia procurandum est. Melius autem est saluti plurimorum insistere, & ob id Parochias, Seminaria, Collegia ædificare, restituta Monasteria, magna ex parte ad hunc finem applicare, quam eadem antiquis Cœnobitis illa restituere, quæ ante hæresim prius incolebant; & cum ad hæc munia præstanda non sint alij ita prompti, & felices in regendis Seminarijs, Collegijs, Parrochijs; de Iesuitis Rectoribus, & Magistris in ijsdem Collegijs &c. prouidendum est. hic discursus tam in Anonym. quam à Laymanno asseritur.

Laym. p.381. 502 & seq & pag.86

Vbi notandum est, sermonem esse de *Monasterijs extinctis, vel saltem aliquibus,* ex pag.437. in fine membri primi. quæ vacantia sunt, & supponuntur ab eodem authore; sic enim dicit. *Monasteria, saltē aliqua quæ recuperantur, atq; extincta, & vacantia hic supponuntur, aßignari posse, ac deberi Soc. Iesu, alijsq; Mendicantibus reformatis Ordinibus Parrochijs quoque adiuuandis, & Clericorum Seminarijs, de nouo erigendis.* Sed hoc dictum tenebris inuoluitur, nam in superficie, non omnia sed aliqua, non soli Societati Iesu, sed alijs Ordinibus reformatis tradenda insinuatur. Sed tamen dum supra dixit Anonymus: *non ex vno vel altero Conuentu, sed ex vniuersa ferè Germania pestilentes hæresiarchas exisse, & Germaniā domētasse, & ob experimentum illius tragœdia nō esse antiquis possessoribus restituenda, ne accidat nouißimus error peior*

Pag. p.38.

§. II.

Secunda quoque propositio, quæ est minor syllogismi discutienda est: an sit melius omnia, vel aliqua, vel magnam aut maiorem partem bonorum, vel Cœnobiorum extinctorum applicare ad Seminaria, ad Parochias, ad Collegia. Sit ergo

I. Dictum. Loquendo de Seminarijs, & Parochijs, & Collegijs, & de melioritate, quæ ex vniuerso genere resultat; in illis Prouincijs Germaniæ, vel ciuitatibus, vbi veterum Cœnobia solo æquata sunt, non est simpliciter melius, transferre omnia, vel magnam, aut maiorem partem, vt intendunt Anonymi, ad dicta Seminaria, &c. Hoc dictum probatum est manifesta ostensione desumpta ex gradibus entis, qui sunt in vniuerso, ex cœlesti, & Ecclesiastica hierarchia, ex analogia corporis humani; vbi non melius, quod optimum solum: sed melius est, vt in his Prouincijs nedum sint Parochi & Seminaria, & Collegia sub sola cura vnius religionis, sed etiam religiosi Cœnobitæ omnium ordinum. & sicut in hoc relucet diuina prouidentia (vt egregiè S. Thom.) quod diuersimodas dat inclinationes, *vt vnus eligat vnum officium, vt agriculturam, alius aliud; & quidam eligant matrimonialem vitam, & quidam contemplatiuam,* vt conseruetur genus hominum; ita diuinam prouidentiam humana prouidētia æmulatur, vt in Republica non sint vnus, vel alter hominum status, nec vnum vel aliud officium, quod mirabilius in Hierarchia Ecclesiastica inspicimus, vbi varij & diuersi status sunt positi à diuina prouidentia, varijque ordines, & Religiones similiter institutæ. Si ergo Seminarijstis solis, vel Parochis, vel Collegijs qui à solis Patribus Societatis regi debeant, implenda sint omnia, vel magna pars Cœnobiorum antiquorum extinctorum, pulchritudo illa deperiret, non constans ex omnibus ordinibus, sed solis illis, qui à Theologo, & Layman extimantur meliores. Debent igitur esse in his Prouincijs Seminaria, Collegia, Parochiæ, sed non deesse debent Cœnobia virorum, & mulierum diuersorum ordinum. Aliqua quæ antiqui Inquisitores incolebant ad hunc effectum reseruari debent, vbi (restituta in pristinam, & auitā fidem Germania) suas turres haberent, vnde inimicam aciem debellarent vel sese opponerent, vt gloriosè in tragœdia Lutherica restiterunt. Et sicut nō expedit terrenæ Reipublicæ, vt omnes sint litteris addicti, sed oportet quoque sint pariter, qui armis eam ab incursibus defendant, alijq; artifices, & diuersa officia (manifestū enim est quod vbi est excessus improportionatus, vnius officij supra alterū v. g. si omnes pistores essent, vel maxima pars, vel agricolæ, non consultum esset cōmunitati) ita si (exempli gratia) in immensum excrescerent in vna ciuitate, vel prouincia tot Collegia, vel Seminaria, vt propter hoc Cœnobijs, vel Cōseruatorijs careret, priuatæ puellæ nubiles, ad illecebras sequendas se conuerterent, vel qui spiritu religionis inflammati, Cœnobia non habendo vbi Deo persoluant vota, quibus cupiūt alligari, in seculo permanerēt. Certè ex improportionatu excessu, non paruū communitati incommodum inferretur.

Quæst. 41. in addit. a. 3. ad 3.

Præstat quoque, vt in ijsdem Prouincijs variæ sint Religiones non vna quæ populos instruat, nam sicut tradidit Aristoteles, non expedit, vt in vna familia serui sint eiusdem nationis, & colloquij v. g. Dalmatæ, & Alemanni, sed ex varijs varij ad tollendas conspirationes; ita in Ecclesia Christi, non expedit vnum esse ordinem Ministrorum, sed plurimorum, sicut quoq; sub vno principe, & Summo Hierarcha plures quoque voluit esse Sacerdotes & Episcopos, vnde S. Cypr. sic dixit. *idcirco frater charissime* *In Polit.*

esset erectio in Episcopatibus, & Metropoli insigniotibus, vt videmus in Italia, applicando bonorũ aliqualẽ portionẽ, simul cum alijs redditibus aliarum personarum Ecclesiasticarum. vnde sic dicit S. Synodus Triden. quod Episcopi ad alẽdos, & instituẽdos pueros Seminarijstas eiusmodi *partem aliquam, & portionem detrahent ex fructibus integris omnium redditũm Ecclesiasticorum, & Monasteriorum, non tamen Mendicantiũ & Hospitalium. &c. huic Collegio applicabunt, & incorporabunt*, vt quid ergo ab Anonymis maior facta est, ea optata extensio? S. ss. 22. c. 13.

§. IV.

III. Ad Collegia descẽdo. maius beneficiũ Imperij Theutonici est fundari Collegia diuersorum Ordinum, quam vnius solius; similiter Vniuersitates, & publicas Academias, vt sunt in Gallijs Sorbonica, &c. in Hispania Salmãticensis, &c. in Polonia Iagellonica & cæteræ quas recenset Hiddẽdorfius lib. de Academijs orbis. Probatur ex experientia vtilitatis, quã reportauit Ecclesia Catholica ex his Academijs, & in posterũ reportabit. Similiter quia antiquorum doctrina satis ex nouitatibus multis læsa, incorruptior conseruatur. Amplius quia grãdis eruditio comparatur ex varijs familiis siue legentibus in propriis Cœnobiis, siue in Vniuersitatibus dum hic Angelicus insonat, ibi Bonauentura; hic Alex. Alensis, ibi Scotus; hic Ægidius Columna, ibi Ioannes Bacchon, &c. sũt enim hi classici, qui ex doctrina, & vetustate magnam sibi authoritatem pepererũt. Tandẽ quia, vt inferius magis ostendetur, præcluditur via nouandi, dum nouitia per antiquorum doctrinam illicò respuuntur. Idque necessarium, nam quidam iam scripsit de Placitis Philosophorum, & inter cæteras sectas Platonicam, Aristotelicam, Scepticã, nouam inuenit, seu potius inuẽtam prius, instaurauit, quam & vocauit Selectiuã, hoc est, censuratiuam aliarum, & sui placiti amantem, quod licet in Philosophia, & in Philosoph. dogmatibus tolerabile; id in Theologia non extendendum. Vnde rectè scripsit Nazianz. in Apolog. 1. quod in materijs Theologicis sunt quidã *qui sermonibus omnibus se subijciunt, tamquã ex omnibus id quod melius certiusq; est electuri, ac sibi ipsis tãquam malis iudicibus confidentes, à disertis postea verbis ad persuadendũ compositis subinde circumferuntur, omnibusq; sermonibus obruti, religionẽ nostram, & fidem. vt fluctuagam existimant, donec atheismi sibi firmam insculpant*] & eo errores diffunderentur, quò, si orirentur, per Vniuersitates non corrigerentur, incorrectæ plausu, multitudine scholarium, potentia & huiusmodi diffunderentur.

Iam vero quod Anon. concludit, & approbat P. Layman in Seminariis, & Collegijs, & Parochiis, nullos melius pręfici posse, quam PP. Societatis, id aliud non meretur responsum, quam illo dicto Apostolico talem existimationẽ Layman (quã Societas humilis execratur) elidendam videl. [Non qui se ipsum commendat ille probatus est, sed quem Deus cõmendat] & inanis iactatio est, facta antithesi ordinũ veterum, quod sint innumeri in illis pessimi, odiosa cõparatione dicere quod PP. Societatis sint supereminẽtes in bonitate, scientia, in regulari obseruãtia omnes supercedere, vt dicere non veritus sit P. Layman de exẽplarissima Religione Capuccinorũ. *Vidi nõ semel in Monasterijs PP. Capuccinorum, & Franciscanorum Lectoribus, & Concionatorib. aßignari cubicula, imo etiam hypocausta, & vno verbo, habitationes cõmodas, quales pauci in nostra Societate habent, & tamen in nostris Collegijs ferme oẽs Sacerdotes Lectores sunt, seu professores, vel Concionatores, aut Catechistæ, &c, & tamẽ in angustis plerumq; cubiculis atq; hyemis tempore, in angusto alicuius alicubi hypocausti angulo, de vnius mediæ fenestræ lumine participantes commorari* Pag 109. In refut. c. 9. p. 39.

morari debeant. Debebat arguens ædificari ex nudipedibus, & frigore algentibus, in cellis diutius commorantibus, non ex maiori hypocausto, & latiori cella scandalizari: non maximam debebat exigere rigiditatem, si fortè minimã non seruat. Amplius ex his Collegijs iactat prodijsse tot Prælatos quam ex equo Troiano Heroes multi prodierint. Quasi hæc & non maiora non prodierint ex Cœnobijs antiquis, vt propterea; Non benè suadeant illis, nec scholas, nec Collegia committenda. Vnde illis respondendum est (vt respondit Athanasius scribens ad Dracontium contra eos, qui magis de presbyterorum grege, quam de Monachis Episcopos eligi volebant.) *Sed quid est, quod tibi authores sunt vt Episcopatum capessas*, vel non præficiantur Monachi Collegijs, & Vniuersitatibus? *quum illi ipsi cupiunt habere presbyteros? Si enim malus es, ne sint Socij, & gregales tui: Sin autem ne idoneũ norunt, ne inuideant alijs. Quoniam ipsis docere, & præesse secundum illos causa peccati est*, vel possunt facere Monachi peiora (vt dicunt) prioribus, scientia inflati abutendo ad hæreses, *ne ipsi doceant, aut presbyteros*, nec Collegia, quia etiam de antiquis ordinibus pestilentes hæresiarchæ prodierunt. *Verum tu istis humanis vocibus ne intendas, neque sustineas eos, qui ista suadent.*

§. V.

Confirmatur iste discursus ex Romano Iureconsult. quem idem Layman citat referentem intentionem S. D. N. Vrbani VIII. his verbis expressam [Vt omnia bona extinctorum Monasteriorum Germaniæ ab hæreticis restituta, vel restituenda ad manus Ordinariorum deueniant, ac in deposito apud illos contineantur, vt facta diligenti discussione, bona illorum Monasteriorum, quæ commodè restaurari poterunt, ac celeri reintegratione Patriæ ad Catholicam religionem inseruire suis Ordinibus in hunc finem tradantur; reliquorum Monasteriorum bona, sequentibus vsibus ad dictum finẽ celeris reparationis patriæ per S. Sanctitatẽ applicẽtur.

Refut. c. 3. n. 1. p. 61.

I. Communibus vtriusque sexus puerorum scholis Catholicis, *ac pijs ludi Magistris, qui pueros doceant, ac in Catholica fide, & bonis moribus educent.* *C. 3. refut. pag. 61.*

II. Alumnatibus, ad adolescentes in fide, pietate, litterisque instruendos, præsertim nobiles, nam cum illi in Germania magna sint authoritatis, facilè plebem, maximè suos vasallos, & colonos ad suam religionem attrahunt.

III. Seminaria pro Parochis, vt inde viri in Religione Catholica bene firmati, ac docti ad animarum curas gubernandas prodeant.

IV. Sustentationi verbi Dei præconum probata vita in controuersijs fidei apprimè versatorum, vt saltem sint duo vel tres, qui per singulos Episcopatus concionando discurrant.

V. Sustentationi professorum earundem controuersiarum solidè Doctorum, qui illos in insignibus ciuitatibus docendo, conuersionem ad fidem promoueant, & conuersos ab impeditionibus hostilibus defendant.

VI. Aliquibus Vniuersitatibus Catholicorum Professorum S. Theolog. & omnium aliarum facultatum, tum vt munitissimæ arces ad orthodoxam fidem astruendam, & tela inimicorum illius retundendum extent: tum vt ad fidem conuersi, non cogantur ratione studiorum ad vniuersitates hæreticas diuertere, & qui in hæresi perseuerant, ob commoditatem studendi in propria patria apud Catholicos litteris operam nauent, & Collegiorum Catholicorum exemplo conuertantur.

VII. Nonnullis vtriusque sexus Monasteriorum nouorum, *ac ordinũ, velut Capuccinorum, Discalceatorum, & consimilium (quæ cito exstrui, & aptari possunt) cum dicti Ordines humili fabrica, & frugali victu sint contenti, tum vt adsint in illis locis receptacula pro conuersis, qui altissimo sub stricto iugo famulari voluerunt, tum vt dicti religiosi suo exemplo stricta vita,*

vita, & totaliter mundo mortui, hæreticos ad Catholicam fidem, & veram pietatem alliciant, & inducant.

Pag. 182. Vide Layman non illa quæ dicebat ille Theologus voto Iesuita te fatente. *Quam plurima restituenda* antiquis ordinibus, quādo, ne dum ordinibus veteribus, sed etiam nouis Capuccinorum, Discalceatorum &c. applicanda censuit Monasteriorum bona (quibusdam exceptis.)

Præt. in Seminarijs, Scholis, Parochijs, Academijs, non solos Iesuitas præficiendos Pontifex demandauit, & tu quoque confiteris expresse, maximè in regendis Academijs, quod omniū summum est, aptissimos fore veteres religiosos si liberales artes, & scientias vltra Philosophiā, & Theologiam, *si VOCENTVR, & applicentur*, rectissimè doceant: & nō deessent etiam nūc pro regendis scholis, Seminarijs, & Parochijs Patres Sommaschi, & Patres scholarum piarum. & tu quoque cum Anonymis fateris non negandum, quod maior pars Monasteriorum antiquis ordinibus assignari possit, atque adeo ipsis potius Monasteria quā alijs assignanda expressis quoque dicis verbis, tribuenda Monasteria supradicta his, qui publicæ vtilitati fidelium inseruiunt, tales, dicit dictus Anonym. quē sequeris *Religiosi ordinum mēdicantium adeoque PP. Societatis*, sed non hi tantū, sed Monastici Ordinis doctissimi viri etiā tu post ignauiam obiectam (prius p. 8.) Benedictinorum fructum in conuersione hæreticorum, vulneri inflicto medendo fateris; & addis, Societatem hæc non ambire; optare, vt potius ordinibus restituantur &c. sed difficile est Layman, & Anonymi mentem penetrare, cum ad omnia, vt probatū est ex dictis, contra Societatis voluntatem, Cœnobia videatur Layman aspirare. Similiter danda reformatis Cœnobia doces. Deinde tui oblitus, fateris *& verè* [*plusquā à trecentis annis factum est in Germania, Ordines se reformarunt* cur ergo illis non tradenda sunt te iudice?

In refut. decept. pag. 504.

Pag. 462.

Refut. c. 12. pag. 412.

Pag. 2. Pag. 215. Pag. 131. Pag. 275.

Quod si tandem melius omen de Societate pandis, ne quæso (vt superius visum est) de malo omine veteres Ordines taxare velis, vt ad meliorem frugem non sint reuersuri. Potens est Deus de lapidibus suscitare filios Abrahæ *iuuat hoc credere. sperare delectat. Certè non credidisse pœna est sperasse gratia*, dicam cum S. Ambrosio. De fide resurrect. in fine.

Eiusdem de occupatis Monasterijs prosecutio, vt à Vindiciano obijcitur, & refutatio.

§. I.

VIND. C*Anem propter Dominum*, ais, *verberari*, hoc est, *Ecclesia capita, quæ squallentia Monasteria conuerterunt, in eas domus, quæ pluribus vijs Ecclesia Dei & populis subueniunt: iniustè proceres in inuidiam vocari, qui id in bonum publicum concesserunt, proinde portionem Grauina annumerandam cum ijs, qui Dominationem spernunt, maiestatem blasphemant*, & quæcumque ignorant canino dente mordere audent.]

TVRT. Quando vnquam de Principibus oblocutus est Grauina? quę illata offensio Societati, & promotoribus, & benefactorib. eiusdem? non exprobrando, sed lætando potius Turtur dixit, *quod Societas impleuerit ruinas destructarum religionum veterum, & Societati relicta sint templa & aræ sanguine eorundem fumantes. & in nostro, & de nostro fructificauerint.* An Patres Societatis occupatores, vsurpatores vocauit, quia repleuerunt ruinas, quia fructificarunt in alieno solo? dicamus sanctos homines vsurpatores Sedium Angelorum, quia implent eorū ruinas: negemus sanguinem martyrum peperisse Monasteria, quę de eorum cruore ex August. à Turture citato fructificauerūt: dicamus, & Monachos vsurpatores

alieni soli, quia solo martyrum successerunt, & loca quę incoluerunt vincentes, ex eorum morte possederunt. De eo conqueritur, quod non causam, vt causam assignet Anonymi (cum Layman refut. 3. c. 3. p. 160.) translationis aliquorum Monast. ad Societatem, videlicet quod ibidem, *Pauci Monachi numero dissolutam vitam agebant, ac potationibus deditam &c.*

VIND. Frustra proinde laboras Cosmographo discursu orbem percurrendo, & ad Syndicatum, vt dicitur, vocando, vt ostendantur in Hispania, Gallia, Polonia, Italia, quæ sint ista Cœnobia occupata, his verbis.

Quæro autem quibus in Regnis, ac Prouinciis Societas Monasteria deglutiuerit? obeamus terras, & maria, quam latè Regis potentissimi (cuius ipse Grauin. buccellas quotidie, rodit, velleribus calefit, carnibus saturatur, fauoribus, ac stipendiis militat) Imperium extenditur, & castella, insulas, vrbes designemus in quibus aliquibus Cœnobium in Societatis sustentationem concesserit, si tria vel quina in nouo, & antiquo orbe in Occiduo, vel Eoo Oceano monstraueris, næ ego te Apollinem cantu vicisse profitebor. Porro quid in amplissimis Galliarum finibus, quid in Polonia latissimo Regno, quid in vniuersa Italia Cœnobiorum Societas inuaserit, ede sudes, & pugillo omnia concludes. Quid insuper Theutones tam inferiores, quam superiores &c. in illa Monasteria peccarint, quæ hæretica rabies peccauit, nullum eiusmodi in Societatis prædam venit. Cæterum alia extant Monasteria, quæ à propriis habitatoribus, & Ordinibus vltro derelicta fuerunt, aut debitis, vel morum dissolutione adeo afflicta, vt fundatorum successoribus nulla penitus arte in pristinam dignitatem reparari potuerint, eoque nomine in commendas, in clericos, Collegia &c. desciuerunt.]

TVRT. Si eas Prouincias percurras incipiendo à Regno Hispaniæ, quid attentatum quid obtentum, & quomodo archiua, annalia, docebunt, & Chronica. Illud lepidum quod ac si canis fuste percussus, non percussus clamas, & rupto orationis filo percurrendo prouincias, ex Hispania transilti ad mordendum Grauinam in Academ. Neap. legentem. Sed mordendo contra te dentes acuisti, nam quod ex lectione primaria Theologiæ, stipendijs remuneretur, nec id indignum Regia munificentia, quæ fratribus eiusdem Ordinis illustriores, maioribus subsidijs vallatas cathedras concessit: nec id indignum paupertate religiosa, quādo ea emolumenta non sibi, sed religioni acquiruntur. Illam cathedram Grauina moderatur, quam quondam S. Thomas moderatus est, cui decem vnciæ auri dabantur pro lectura (ex publico ciuitatis archiuio) quem proinde si eodem dicterio sugillare procuras quod regijs stipēdijs alatur, libenter eligit cum S. Thoma Turtur traduci, quam totum orbem possidere, & tibi respondere dedignabitur ne pellem caninam rodere videatur. hæc ad tuam parenthesim. *Ex Regij Archiuii scrip.*

Sed ad principale propositum reuertatur oratio. Quid opus erat dum Turtur PP. Societatis, non vsurpatores, non occupatores dixerit, sed impletores domorum veterum religionum, de superciliosa quoque Hyperbole notaretur, conuocando, & inuitando Lectores, & dicendo, *quod immeritò Turtur paucula vix consideratione digna recensuerit, prætereuit recensere domicilia munificentissima Societatis, Regum, Imperatorum, quadra, & peculia, & liberalitate donata & ad rudera, & ruinas maiorum respexerit, vt in plerisque ne vnus quidem ordinis habitu insignitus velut racemus in cucumerario repertus fuerit, sed sub tutoribus sæcularium quequo modo administrarentur?* VIND.

TVRT. Non erat necesse Chronistā agere Turturem, nec tabellionis officio fungi denotando Collegia, redditus Societatis, cum etiam amplissimorū Conuentuum iacturam,

ram, quæ maiori erant munificentia prædita, & à S. Antonino recēsentur, & ab alijs aliorum religionum Chronistis, quorum recensere quoq; poterat ampliores redditus, illustriori titulo fundationis præditos; ad illa rudera respexit, ad illa cucumeraria quibus illudit, oculos direxit tanquam paternum censum relictum, commendans eos qui laborarunt, ne ad alienas manus, etiam si paruuli horti olerum Nabothis hortis assimiles vnquam peruenirent, nec ædificarent tanquam tinea domum suam, & sicut custos vmbraculum. Et si non habebant veteres religiosi illam opulentam quadram, sat illis (vt dicitur) quadra propria. Quod vero amplissima, & munificētissima loca iam pene deserta sint, vniuersalis est cladium, & persecutionum conditio, omnia solo æquare. Derelicta est filia Sion ex Esaia, cap. 1. *sicut vmbraculum in vinea. sicut tugurium in cucumerario, & sicut ciuitas, quæ vastatur.* Quid mirum si pampinis vinea non destituitur, quæ cæli inclementiam non sensit, nec turbines experta est, vel grandines, aut tempestates? Nulla admiratio si tugurium, vel ciuitas intacta perseuerant, cum aduersariam manum, vel hostium irruptionem non senserint. Nobiliores sunt ciuitatum reliquiæ post aggressionem hostium, quam aliarum munificentissima ædificia, ab hostili manu præseruata.

§. II.

VIND. Expostulas quoque Grauinam, *quod alia quoque instituta in aliena Asceteria, ope magnatum in Imperio Germanico falcem suam immiserit, & sola Societas in crimen adducatur: pari ratione,* subdis, *sublimioris status erant carpendi, qui Monasteria in meras commendas conuertunt.*] Sed Vindicianus disparata

TVRT. eodem titulo complectitur: *Omnia sub vnam Myconum,* dicebatur veteri prouerbio. Si qui Monasteria velut in messem alienam falcem miserunt, eadem fidelia dealbandi. Nec sequitur carpendos, qui Monasteria in meras commendas conuerterunt. Nam de potestate conuertendi Monasteria in commendas, nulla quæstio à Grauina mota, doctrinæ, & praxi Ecclesiæ omnino stādum est, & quid sit tenendum nos edocet. Tota difficultas de causa est, quæ cum subest, iustificat actionem eiusmodi conuersionis; at cum palliata, vel subdola, vel subreptitia est, nulla dispensatoris culpa, sed supplicantis versutia detegitur. An autem fuerit in hoc casu, non est discutiendum, est enim quæstio facti.

Audiamus, an sint causæ subsistentes, quas prætexit Vindicianus obtinendi alia Monasteria? *Illi ordines vtilius capessunt, qui ex reditibus viuunt, quorū alij chori seruitia restituere poterunt, vnde populo solatia precum, & sacrificiorum conferuntur. Societas Iesu sine choro quidem, & cantu Deo seruit, sed multitudine sacrorum, & precum vix cedit, imò deuotionem populi sacramentorum administratione, & alijs pijs inuentis adeo intendit, vt defectum cantus abundanter compenset.* VIND.

Odiosam, & insidiosam Vindicianus tragœdiam inter Patres Societatis, & veteres Ordines inducit, quod vtilius sua munera præstent Patres Societatis, quam alij veterum Ordinum professores. Quare Cadmæos dentes serere videtur Vindicianus, vt armati procedant homines, & inuicem sint mordentes, inuicem detrahentes, quod Deus auertat à religiosorum castris; quin potius in rebelles, vnanimes arma conuertant. Benè Ecclesiæ inseruiunt, tot exercitationibus spiritualibus quas enumeras Vindiciane inclytæ Societatis Iesu Patres, choro carentes, & alijs huiusmodi, secundum suum probatum ab Ecclesia institutum, eaque recompensantes alijs pijs operibus. Inuidiosum illud verbum TVRT.

vtilius, nam quando Cœnobia ea exercitia non præstarent, quæ præstat Societas, non minora præstare censenda sunt, & alia aliorum institutorum Monasteria, quæ orationi, contemplationi, horis canonicis persoluendis, & actioni quoque insistunt: vtilius præstant, vt vtilius præstabant Apostoli, qui media nocte surgebāt ad psallendum, & die horas canonicas persoluebant (vt ex scripturis colligitur, nam & Paulus media nocte, cum Sila, & Petrus, & Ioannes ascendebāt in templum ad horam orationis nonam. & de alijs horis fit mentio in constitut. Apost. lib. 8. cap. 40. apud Clement. Rom.) & cum oratione erant instantes prædicationi, & verbi ministerio. Vtilius præstant hoc tempore in Germania ministerium, qui doctrinam Apostolicam praxi quoque, & opere sequētes, Hæreticorum oppilant ora, canonicarum precum cultum exufflantium. Accedit, quod ad conuersionem Gentium multum facit psalmodiæ persolutio; illa permotum, Augustinus ad suam quoque conuersionem, testatus est: aliorū quoque cōuersioni profuisse, & prodesse ostēdit plurimis exemplis P. Fernandez Dominicanus. id vnum sat est dicere in Indijs vt ex grauissimis authoribus refert idē scriptor, quod Religio S. Francisci octo annorum spacio decem millia Gentiles baptizauit: vnus solus S. Francisci quadringentos mille Indos sacra quoque vnda respersit. Non minorem numerum Religio S. Dominici, Augustini, de Mercede &c. quem exprimere vix possis Ecclesiæ aggregauit choro non derelicto, cuius suauitate Gentiles alliciebantur. tam grande ornamentum etiam impius Iul. apostata velut simia laruata (ex Greg. Nazianz. in Iul.) à nostris suffuratus, vt pro continendo in officio populos, in fanis similem formam, superstitiose tamen institueret. Pergit:

Act. 16. *Act. 3.* *In hist. Eccl. c. 44 lib. 1.* *Vide. Bellarm. cont. de bon. op. lib. 1. c. 13. tom. 4.*

§. III.

VIND. *Illi rarò ex redditibus vniuersis Monasterij vltra regulares alant, reliquus prouentus in sæculares ministros fabricas, & hospitalitatem absumitur: Societas ex quolibet ferè Monasterio triginta, & plures sui Ordinis personas alit, neque parcè de reliquo in pauperes dispensat.*

TVRT. Flumen verborum in Vindicianico ore video, in mentis concha imperceptibilem stillam. Paruum ne opus tibi videtur Vindiciane hospitalitatis virtus, vt cum bona superflua eorum quos odiose comparas, atque præponis, velut fidelibus dispensatoribus, Sancti Laurentij imitatoribus, in eorum ærarium cumulanda, & erogāda tradere debuisses, nouo absurditatis genere, conatus sis velut dexterrimus exclusor, relicto illis plumbo, & stanno, argentum, & aurum separare, & melioris boni prætextu alio destinare? Friguerat quondam tempore Blesensis hospitalitas in quibusdam Abbatibus, quos tamen sic inflammandos putauit. *Vbi est quæso illa hospitalitatis gratia, quam olim vestri antecessores exercebant in Scythia Mutius, Apollonius, Paphnutius, Macarius, Antonius, Paulus, inter quos diutissimè concertatum est pia contentione, quis alteri panem frangeret, cum Dominus gratia hospitalitatis quotidianum annona stipendium duplicasset. Edictum Principis Apostolorum est: estote hospitales inuicem sine murmuratione. Princeps etiam Principum in iudicio tremendo quibusdam dicturus est. Hospes fui, & non collegistis me. Hospitalitatis fuit meritum, quod duo discipuli euntes in Emaus acrisia sublata in fractione panis Dominum cognouerunt. Plerumque etiam autumant B. Gregorium fuisse illum patrem familias, qui in eiusdem expositione Euangelij legitur in leproso Dominum suscepisse. Prosapia Regis Angliæ, quia vnus de antecessoribus eius cuidā leproso,*

Epist. 29. *Matt. c. 25.* *Luc. 24.*

leproso, quem in hospitio receperat gratiam officiosa humanitatis exhibuit, ab officio Foresterarij in eminentiam Regia dignitatis ascendit. Hospitalitatis gratia suscepit Abraham de Sara sene, & sterili filium, in quo Dominus benedictionem omnium gentium reportauit. Angeli hospites liberauerunt Loth de subuersione, & incendio Sodomorum, Raab ab hospitalibus suis Caleb, & Iosue euersione Iericho salutem sua domus obtinuit. Hospitalitas Sunamitidis dedit, & filium, precibus Helisai, eumque mortuum suscitauit. Solo Vindiciano hospitalitas vilescit, quasi solæ Scholasticæ concertationes ad virtutum coronas aptent, & has solas sit Dominus coronaturus, & remuneraturus, cum hospitalitas quoque tantopere hominem formet, vt in die nouissimo ad arguentem Deum responsiones aptet, & ad coronas disponat: *Iucundus homo, qui miseretur, & commodat, disponet sermones suos in iudicio, quia in æternum non commouebitur.* Psal. 1.

Hæc etiam fuit testatorum mens, vt habetur in litteris instructionis Cæsareæ Maiest. Ferdinandi ad Principem Sauellum Oratorem Cæsareum directis, *quia*, ait, *hac fuit fundatorum intentio, vt non solum hæredibus si fortè ad inopiam deuenerint, necessaria alimenta ministrari debeant, sed etiam, peregrinantes passim, & itinerantes hospitaliter suscipiantur, atque tractentur.* Sed sit arbiter inter priscos Ordines, & Societatem (ex illismet, pro quorum inuestitura tantopere laborat Vindicianus, cum illis Anonymis fœderatis P. Adamus Conzen.) vir venerabilis è Societate Iesu lib. 6. Polit. ca. 46. §. 4. sic scribit. *Dotata sunt Monasteria Ordinis S. Benedicti, aliorumque qui hospitalitatem exercent: illa quamuis inuidiam apud cupidos patiantur pauperibus tamen grata sunt: nam plus eleemosynarum vnius Monasterij Prælatus, quā integræ ciuitates, largitur. Hos inutiles Reipublica nemo suspicatus est, nam præter sacras occupationes, alijs etiam officijs operam impendunt. Totus fere Septemptrio per eum maximè Ordinem, Christianam fidem accepit: Abbatum plurimorum fidelissima vtilissimaque opera sunt vsi Imperatores, fuitque eorum religiosa virtus, & modestia & spectata prudentia, vt complures etiam ignobili loco in Romano Imperio, Principum ius, dignitatemque sint adsecuti, neque indignum suo statu arbitrantur, Duces, & Comites religiosorū Antistitum authoritatem sua parem esse.* Ex his quos alijs præferendos vult Vindicianus, innatam illis Patribus Societatis modestiam Vindicianus addiscat.

§. IV.

VIND. Alia affertur à Vindiciano antithesis ad suum probandum propositum. *Illi raro libera litate in nobiles, in magnates, fautores peregrinos admodum grati sunt & angustis eis menis optabile asylum præbent, ita vt subditi eorū in quadra communiter alantur. Societas parum in hac parte per leges suas, & priuata omnia potest, sed spirituali opera per Conciones, Confessiones, Sodalitia, iuuentutis pietate, & litteris institutionem, infirmorum, & afflictorum visitationem, consilia, & salutares directiones mirificè prodest, Reipublica statum seruat tranquillum, & tam felix, quam laboriosa est, ad maxima quæque incommoda à subditis, & finitimis auertenda. Quid eiusmodi industria vtilius?* eandem cantilenam occinuit vnus Theologorum illius bigæ supra citatæ editæ pro transferendis Monasterijs ab Acatholicis reacceptis pro Seminariorum &c. fundatione rationi ex hospitalitate occurrendo; quod *quantacumque sit in Germania Monasteriorum hospitalitas*, subdit, *tamen plurimos qui Germaniam peragrarunt, tantam, quanta in his rationibus describitur, se expertos negare*. Sed videns hanc futilem negationem, ne de mendacio conuinceretur: mox obscurat, & tantum opus denigrat, sinistrè subdens. *Verum vt dixi quantacumque sit, non seruit nisi potentioribus, quibus hospitium honeste denegari non potest,* Refut. c. 7. p. 311.

quos ego considero esse, vel Catholicos, vel hæreticos: Catholici verè tales sint; tantillam suam diuertendi ac hospitandi commoditatem libenter bono publico Ecclesiæ Cath. quod per erectionem Seminariorum, ac Collegiorum quæritur condonabunt; hæreticorum verò non video, quare debeamus gerere curam, vel malimus Ecclesiæ Catholicæ incrementum, ac hæresis extirpationem negligere, quam aliquid de eorum diuertendi ac hospitandi commoditate detrahere. Eidemque Theologo P. Layman subscripsit, eandem cantilenam firmando in refutat. eiusdem cap. 7. citati, & authorem Theologum, quem defendendũ suscepit excusando, videlicet ferme potentioribus exhiberi ea obsequia non cum denegatione erga alios peregrinos, sed specialius, *quia tanquam benefactores, & patroni Monasteriorum, cum ipsis placuerit diuertere soleant*: cuius officij, ait, Societas non habet vsum, sed conuenientem suo instituto hospitalitatem.] hæc Theologus ille, & Layman, à quibus fortasse, sed sinistrè Vindicianus suas hausit istas causas, ab ipsis tamen bona intentione (vt credi debet) prolatas.

TVRT. *Cap. 3.* *PP. Benedictinor. Cœnobia, quàm erga Hospites munifica.*

Experientia aliud monstrat Vindiciane, imò minus potentes, & peregrini, & pauperes libentius suscipiuntur ex S. Benedicti Reg. quia in ipsis magis Christus suscipitur: & adhuc hic laudabilis vsus perseuerat. Sunt in sola Germania Cœnobia Monachorum, quæ octo vel decem millia aureorum in pauperes erogant. Xenodochia passim occurrunt, quorum infirmi eorundem expensis recreantur. Ter generales eleemosynæ sexcentis, & amplius distribuuntur, vberiores verò anniuersariorum tempore iuxta fundatorum intentionem profunduntur. Certis quoque anni temporibus quinque, vel sex millia hominum, sæpè quatuor millia etiam fouentur. Quis occultas recenseat ijs secreto datas, qui mendicare erubescunt, virginibus præsertim nobilibus, viduis afflictis, pauperrimis, sed nobilibus viris? In eos quoque charitatis affectus propensior, quorum fortunæ; vel deiectione, vel flammis, alijsue innumeris calamitatibus absumptæ. Ipsos Patres Societatis pientissimos viros appellat Turtur, Vindiciane, quibus quanta sit charitas impensa, vel in construendis, aut reparandis Cœnobijs, vel Seminarijs, aut alijs eorundem religiosis necessitatibus subleuandis, res ipsa loquitur, eorundemque manus ad quos tanquã fideles dispensatores transmissæ sunt eleẽmosynæ, apertissimi, vt incorruptissimi testes. Ergo ne Vindiciane tam parui momenti sunt hæc opera insignia misericordiæ, & charitatis, vt propter alia spiritualia à te è diametro recensita, ab his possessoribus ad alios transferri debeant, pro fundandis Collegijs, & Seminarijs ad iuuentutem religiosè instituendam? An pro solis spiritualibus operibus misericordiæ in nouissimo die fiet examen, non pro corporalibus etiam? An illis tantum coronæ reseruatæ, istis verò abnegatæ, vt præter hæc temporalibus huius vitæ bonis debeant expoliari? Crede Vindiciane quod nunquam hospitalitas irremunerata maner, siue in pauperes, siue in magnates exerceatur. *Magnates ex Ambrosio suscepit Loth dum Angelos suscepit. Abraham Deum recepit hospitio dum hospites quærit,* nec ad solos diuites erat ostium Abrahæ apertum, sed ad quoscunque viatores, *qui ante ianuam speculabatur, ne forte peregrinus aliquis pertransiret, & ideo pro hospitalitatis mercede fructum accepit.* Ob id eius sinus nedum pauperis Lazari, sed & multarum animarum tutissimum asylum meruit appellari. *Quis scit,* ait Ambrosius, *an & tu cum suscipis hominem, suscipis Christũ, licet in hospite sit Christus, quia Christus in paupere est, sicut ipse dicit: in carcere eram & non visitastis me?* studiosus eram siue scho-

scholaris, & aluisti me nō lego sub hac formalitate, comprehendūtur tamen (vt satis hac eadē obiectioni P. Layman pag. 306. ice. cit quod hic sit abusus scripturæ (cum in Ambrosio, imo, & in Euangelio id fundetur, nam ob pauperiem aluntur in Seminarijs, vnde in numerum pauperum transeunt. Quod si alantur eo fine Scholastici, vt studiosi, vt litterati fiant, etiā perfectissimum opus est, cum publicæ vtilitati deseruiant, nō tamen, vt hoc prætextu, cæteri pauperes ob id dimittendi, nam si ex genere, vt docet S. Thomas 2. 2. qu. 32. art. 3. opera misericordiæ spiritualia temporalibus præstent, tamen secundum particulares circumstantias locorum, temporum, & vt dicit S. Thom. *secundum particularem casum, corporalis eleemosyna, alicui spirituali præfertur: puta magis est, pascendum fame morientem, quam docendum, sicut, & indigenti secundum Philosophum, melius est ditari quam Philosophari, quamuis hoc sit simpliciter melius:* quia ergo casus in particulari frequentissimè accidunt, vt magis sit prouidendum extremæ indigentiæ populorū, quam in alendis Seminarijstis (quibus abundè, vt dicetur prouideri potest secundum regulas Concilij Tridentini, & vsque ad certum numerum præfigi eiusmodi Seminaria) frequentiores oriuntur casus quibus magis sit de eleēmosyna corporali prouidendum, quam de spirituali. Hinc potius in Euang. fit mētio de operibus corporalibus (quia casus, vt & actiones sunt in singulari) quam de spiritualibus, in quibus casibus Scholastici, vt sic, postponi debent pauperibus, hospitibus &c. Propterea etiam, sub pauperum & peregrinorum forma Angeli, & Christus Dominus excepti, & Ecdicio ingenti fame Gallias vexante, nihil de fundandis Collegijs, vel Seminarijs, &c. in mentem venit, sed indiscriminatim de subleuandis pauperibus excogitauit, vnde diuinitus, de cælo emissa voce commendatus est. *Ecdici quia fecisti rem hanc, tibi, & semini tuo panis non deerit in sempiternum, eo quod famem meam refectione pauperum satiaueris* Etiam (opponit Layman) Christus Dominus apparuit S. Hermāno scholari, & à B. Virgine nummi subministrati ad emendos calceos, vt habetur apud Surium die 7. Aprilis cap. 4. similiter in specie condiscipuli apud eundem Surium die 16. Nouemb. cap. 3. apparuit S. Edmundo. Et hoc propositum firmat, videlicet opus bonum esse quoque in scholares impendi corporales eleēmosynas, sed an propterea extincta veterum Cœnobia, ad Collegia ex hac ratione, sunt transferenda ad Seminaria, & pauperes, & peregrini dimittendi, vt ex necessariorum carentia moriantur? iusta debet esse partitio, nam & S. Martinus iusta partitione chlamydem diuisit inter militem publicæ vtilitati seruientem, & pauperem mendicantem, & tamē cum nec integram chlamydem recepit pauper, integram se recepisse Christus professus est, *Martinus adhuc catechumenus me hac veste contexit*; contentus quod militanti in terrena Republica residuum pallij deseruiret, imò & Monacho futuro necessaria relinquenda demonstrans, & non totum pallium; docens per hæc non detrahendum à Monachis, vt alijs pauperibus subueniretur, præsertim cum maior eleēmosyna, & (vt dicetur infra ad rationes Layman) maius bonum sit ad alendos Cœnobitas in communi viuentes, quam ad Seminaria, & Collegia ista sustentanda. At dicit Layman *sufficere, vt pars aliqua bonorum Monasteriorum dictorum in pauperum scholariū sustentationem applicetur.* Tollerabile, si fieret quoq; vniuersalis cōtributio Episcoporū, Ciuitatum, Canonicorum, imo & ipsius super omnes Religiones ditissimę Societatis, adeò enim ob suā religiositatē diui-

3. Top. c. 2.

Bar. t. 5. anno 475.

In ref. m. 4 c. 7. pa. 307

Pag. 309.

diuitijs repleta, vt Regum, Principum, Dynastarum, (quod in eius magnam laudem cedit) mammilla lactetur, & nedum Seminaria, Collegia, sed & Episcopatus (si redditus computentur) alijuè tituli de superfluis erigi possunt, vel ad subuentionem captiuorum, recuperationem terræ sanctæ, pauperum Ecclesiasticorum in dignitate constitutorum releuationem, absque vllo Societatis domorum detrimento, & summo Ecclesiæ adiumento. At de hac distributione, & contributione nihil meminit P. Layman, & solam partem fingit extinctorum Monasteriorum transferri posse. Sed non solum partem, sed omnia (adeò inuolute loquitur) ex propositione indefinita, quæ æquiualet vniuersali. *Ex bonis Ecclesiasticis, & Monasterijs tam virorum, quam fœminarum recuperatis, Academias, Gymnasia, Collegia fundanda, & instituenda esse.* Et quamuis idem Layman dicat hoc assertum: *Nullum Monasteriorum Ordinibus antiquis restituendum esse, nimis absonum, & omni æquitati, repugnans* tamen dum ait in refutatione disceptationis ratione 2. quod secundum clarissimos plurimos atque doctissimos viros, *in ea sint sententia. Monachis nullum proprie ius, actionemque ad ea extincta Monasteria repetenda competere*, & insuper in eadem refutatione *arg* 4. *Monasteria extincta eorumque bona vacantia, & deuoluta Monachos repetere*, non posse (qualia sunt occupata ab hæreticis de quibus erat sermo) & in toto opere nitatur probare necessitatem erigendi scholas, Collegia, Seminaria, Parochias instituendi, quibus (vt dicetur infra) soli Iesuitæ, nō alij præficiendi; miranda, & artificiosa reticentia, omnia hæc Monasteria solis Iesuitis, contra mentem piam, Patrum Societatis, de his ampliationibns nimium dolentium, tradenda esse pronunciat, & inuentioni fictæ Vindiciani cohæret.

pag. 39 refut. cap. 1.

Ead. loco.

Pag. 484.

Pag. 470.

Pag. 81.

Abunde ergo probatum est, non esse ex hospitalitatis munere, Cœnobitas adeò spernendos, & contemnendos, vt sint Seminarijstis postponendi, maximè cum orationibus, & contemplationibus sint addicti: qui si nulla alia opera corporalis misericordiæ exhiberēt, nisi soli cōtēplationi vacare, eo titulo pasci etiā abūde merērentur. *Dedit eis labores gentiū, & labores populorū possederūt, vt legē eius, & mādata eius requirāt.* Nunc verò cum nedū ipsi alātur (parcè tamen ex virtute mortificationis, & abstinentiæ) sed & pauperes abundè sustententur, videat Anonymus cum fœderatis, quā pauperibus sit immisericors, & ipsū Christum in specie pauperis nutritum, dum sub specie pietatis, à claudis, cæcis, debilibus, morbidis, bolos Monasteriorum, & fragmenta quæ superfuerunt, aufert, & à faucibus eripere nititur, ne in Deum, egenum, & pauperem incurrat, in specie pauperis misericordiam petentis, & induatur pauperum maledictionibus tanquam vestimento, & sicut diploide confusione sua. *Psal. 104.*

Confidenter dico, ea Cœnobia visura semen longæuum, quæ hospitalitatis iura conseruant, è contra defectura illa, quæ nō recordantur facere eiusmodi corporales misericordias; audiamus Blesensem. *Paupe-ri vidua, quæ Eliam hospitio suscepit & pauit cælesti gratia influente, postea, nec oleum, nec farina defecit: expressa similitudinis forma, dum in Monasterijs florebat hospitalitas: Principes terræ loca Religiosorum passim, & certatim magnis facultatibus ampliabant, deficientibus autem vasis oleum stetit, ex quo enim tempore in Monasterijs tepere cœpit liberalitas hospitalitas stetit, & cessauit magnatum largitio: vereorque ne pauperis viduæ filij quos Propheta liberauerat, iterum à creditoribus rapiantur in seruos, sancta enim religio, quæ Monachorum mater est, datur hodie in cōculcationem, possessiones illius trahuntur in direptionem, & prædā & quod olim deuota Principum munificentia cōtulit, modernorū auaritia* *Ad Abbatem, & Conuen. S. Albani.*

non

non sine magno feruoris dispēdio, reuocare & auferre præsumit, multos equidem à magnatum familiaritate, & gratia reparat defectus hospitalitatis. Sic brachio cōtrito humerus à iunctura sua cadit, dum reuerenda olim religionis authoritas principum oppreßione calcata vilescit, & euenit imprecatio illa Iob dicentis: Si comedi buccellam solus, humerus meus à iūctura sua cadat, brachiū meum cum oßibus conteratur: & postea idem

Cap. 31 Blesensis, *sanè præfatus Prior quandoque occasione delicti punitus est, putabamque quod ei vexatio dedisset intellectum, sed adhuc manus eius extensa, nec à vestra domus dehonestatione cessabit, donec humerus à iunctura, morbidum pecus à grege, membrumque putridum à corpore pracidatur*, quid his respondebit Anonymus? ad Vindicianum reuertamur.

§. V.

VIND. Fatetur tandem in *hospitalitate parum in hac parte per leges, & onera priuata Societatem præstare, sed eorum loco spiritualibus operibus esse intentam.*

TVRT. At non ad hæc pietatis opera tantum restricta, vt propter spiritualia, corporalia tollenda sint? Quæ si tollenda sint dira falce Vindicianus auerruncabit religiones omnes, quæ ad corporalia instituta sunt misericordiæ opera, easque tollat necesse est; & iam Hierosolymitanorum militum ad Collegia, & Seminaria transferri suadebit, imò & Templariorum bona, si Vindicianus in eo superiori tempore vixisset, in Concil. Viennensi perorare ausus esset, vt ad hæc opera spiritualia, ad Seminaria, & Collegia deuoluerentur: insuper Religioni de Mercede, quæ ad redimendos captiuos, S. Raymundi opera instituta est, vale iam dici posset, & religioni Ministrantium infirmis B. Ioannis Dei, & P. Camilli, omnesque redditus, pro solis spiritualibus operibus, quæ fiunt in Collegijs, & Seminarijs applicanda, gementibus sub catenis captiuis Christianis, eiulantibus infirmis in plateis, expectantibus Vindiciani sanctitatem, vt auro & argento ad ipsum deuoluto, solo Imperio & iussione carceres solueret, & infirmos sanaret. Principium Theologicū est Vindiciane, quod 2.2 q. 187 docuit S. Thom. non solum propter opera art. 1. & misericordiæ spiritualia, sed & corporalia 188. art. 2. instituta esse, & institui posse probante Pontifice. In primo genere sunt, quæ institutæ sunt ad docendum, quales sunt Mendicantes, & inter eas Societas Iesu, ex priuilegio Pij V. In secundo, ait S. si ordinentur ad peregrinos suscipiendos, vel visitandos, vel soluendos captiuos; nec quia ex suo fine principali, quæ ad spiritualia ordinantur, excedunt (cæteris paribus) ea quæ ex suo propriò fine ad corporalia officia charitatis diriguntur, idcirco inferioris gradus religiones tollendæ. Parce Christi familiæ, & in cœlis quoque triumphanti Ecclesiæ, consultum enim malè esset, si ex solis religiosis, spiritualibus operibus intendentibus, implendæ essent, & hi soli sine alijs consummarentur: & tamen rectè ponderauit Ambros. *tanta est hospitalitatis* 2. lib. de *gratia, vt ne potus quidem aqua frigida immunis sit*. Et si soli essent Camalduenses reclu- offic. c. 2. si, & Carthusienses tantum contemplatiuæ insistentes adhuc Societas nec illis præferenda ex solo docendi actu, & spiritualibus operibus impēsis pro salute proximorum, dicente S. Doct. *præferendam vitam so-* 2.2. q. 108 *litariorum, vita in Societate viuētium sicut per-* art. 8. *fectum prafertur ei, quod ad perfectionem exercetur*. Vt quid ergo iactabundus illud verbū tumidum profers, *Societatem præferendam, quia tam fœlix, quā laboriosa, incōmoda à subditis, & finitimis auertat, in admirationem assurgens: quid industria ista vtilius?* Est ista cæterarum omnium industriarū vtilissima, vita cōtemplatiua, inchoata enim patriæ fœlicitas potius in contemplatione consistit:

nec magis labore, quam ex obiecto vitæ, quam religiosi profitentur, meritum, & perfectio pensatur, ex elementis communibus Theologiæ. Pergit Vindicianus.

VIND. *Illi populum peregrinationibus, cantu, & alijs deuotionibus ad sua templa attrahunt, sed quantis modis potentior est Societas? vsque ad inuidiā aliorum, & ruborem omnis conditionis, & sexus agmina confertim ad eius templa, orationes, cōciones, ac celebritates properant, indeque veluti sacratioribus epulis saginata, magnam animi pacem, & alacritatem domum reportant.*

TVRT. Quæ tandem consequentia? ergo Monasteria omnia sub Societatis cura, debētur Collegijs, Seminarijs: in qua forma, & figura charitatis, vel arguendi formulis, hæ argutiæ Vindic. locantur quæ tantopere religiosis Patribus Societatis displicuerūt, & displicent? Potius cōcludi debebat: quia totus mundus (vt iactas) post Societatem abit, relinquenda sunt veteribus sua vetera Cęnobia, satis enim ex principū liberalitate, & sequela populorum dotari, & ditari possunt eorū domus, & Seminaria, vt non egeāt redditibus Veterum. Indignum dicā cū Bern.) *quam vt totū teneas* (vt fateris) *& nō sis contentus toto, nisi exiguas portiones, quæ cum non sint tuæ satagis facere tuas Vbi etiam meminisse te volo parabolæ Nathan de homine, qui multas oues habebat, vnā, quæ erat pauperis concupiuit. Huc quoque veniat factum imò facinus Regis Achab, qui rerum summam tenebat, & vnam vineam affectauit. Auertat autem Deus à te quod ille audiuit: occidisti, & possedisti*: hæc S Bernardus] nam præter quam quod tot pauperes fame perirent, sublatis Cœnobijs, & in Collegia, vel Seminaria commutatis, ex eodem Bernardo, qui *talia audiūt, scandalizantur, indignantur, detrahunt. Non est bona arbor faciens fructus tales, insolentias, dissolutiones, dilapidationes, simultates, odia, quodque magis dolendum, inter Ecclesias graues, perpetuasque discordias.*

Lib. 5. de Consider.

§. VI.

Concludit Vindicianus antithesim. *Illi Principibus reliquis Magistratibus obsequentes, & ad tributa, vectigalia, & alia onera admodum commodi sunt: neque minus in istis Societas hactenus officiosa apparuit, licet non raro vsque ad debitorum contractionem. Præter hæc in conuersionem errantium, in doctrinam voce, & scriptis solidiorem, vt continendis in officio subditis, in bello, & pace multo expeditior cæteris, qui ferè solitudini, & vni contemplationi adsueuerunt.* VIND.

Gratitudinis virtus, nec quoque caret merito: *quid autem* (ait Ambros.) *tam contra officium, non reddere quod acceperis? In Prouerb. habes quod plurimum redhibitio ista gratiæ apud Deum consueuit valere, vt etiam in die ruinæ inueniat gratiam, quando possunt preponderare peccata. Pulchrum est haberi rationem eius, qui tibi aut beneficium aliquod, vel munus contulit, si ipse in necessitatem incidit.* Non ergo mirum si vetusta Cœnobia in magnates gratitudinis officia præstent, ex quorum prosapia ditata esse cognoscunt, & iuxta fundatorum mentem maioris beneficentiæ effectus (si necessitas vrgeat) erga nobiles exercent, vt in egentes misericors, erga nō egentes munifica eorum pietas demonstretur. Frequētius tamen pauperes, quam diuites beneficentia istorum respicit, quia didicerunt ex Ambros. *quod magis infirmo, & inopinos conuenire studet: diuites enim rogari videntur, vt ipsi quoque nobis reddant conuictus: pauperes quia non habent, quod restituant, cum acceperint, remuneratorem nobis faciunt Dominum, qui se pro paupere obligandum obtulit.* TVRT. 1. off. c. 1. 1. off. c. 15.

Iam verò si Societas quoque suam munificentiam extendit erga Magistratus, & onera, tributa &c. etiam vsque ad debitorum contractionem, pro communi bono exhibita ad releuandum Imperium, grande charitatis opus, cum cæteris, non præ

cæte-

cæteris Ordinibus, & si ab ipsis auferri tentaretur eorum prædia & facultates, & in vsum Seminariorũ conuerti, beneficentia, & magnanimitas pro Imperio clypeus eorundem esset, absque alio aduocato causam ipsorum agens. Cur impensæ, & contributiones pro Imperij tuitione à Veteribus toties, & tam insigni liberalitate, & promptitudine exhibitæ, non merebuntur eam indulgentiam, vt ita possideant, sicut tanto Germaniæ bono huc-usque possederunt, ijsdemque in integrum restitutio fiat, quæ ab iniustis possessoribus ablata, demum restitui tanta religione Cæsareæ Maiestatis procurarut? In hac autem munificentia medium seruandum est, vt docet Ambros. *largitatis* 2. off. c. 21.
enim duo sunt genera. Vnum liberalitatis, alterum prodigæ effusionis. Pulchra liberalitas (subdit S.) *est erga pauperes mensuram tenere, vt pluribus abundes, non conciliandi fauoris gratia, vltra modum fluere. Quicquid ex affectu puro ac sincero promitur, hoc est, decorum, non superfluas ædificationes aggredi, nec prætermittere necessaria. & maximè Sacerdoti hoc* (ait) *conuenit, ornare Dei templum decore congruo, vt etiam hoc cultu aula Domini resplendeat, impensas misericordiæ conuenientes frequentare, quantum oporteat; largiri peregrinis, non superflua, sed competentia, non redundantia, sed congrua humanitati, ne sumptu pauperum alienam sibi quærat gratiam, &c.* Quare siue impensæ fiant ad ornatum templorum, cantus, celebritates, siue ad pauperes, & animata templa, & conseruatione Dei templi quæ est Ecclesia, Imperium tuendo, illud seruandum à quocumque cuiusque status sit, ne id ad pompam, & gratiam ordinetur hominum, & popularis auræ, nam vt dicit Ambrosius, *hoc & iam faciunt, qui ludis Circensibus, vel etiam theatralibus, & muneribus digladiatorijs, vel etiam venationibus, patrimonium dilapidant suum, vt vincant SVPERIORES CELEBRITATES, cum totum illud sit inane, quod agunt: quandoquidem etiam bonorum sumptibus immoderatum esse non decet.*

§. VII.

Finem loquendi tandem Vindicianus facit ex huiusmodi parallelis sic concludens. *Ex similibus igitur comparationibus si calculorum summa subducatur, vel ipse Grauina iudicet, quam in lancis partem maior in vtrumque forum Ecclesiasticum, & ciuile, vtilitas Iridis in modum incumbitura sit, & secum animos de publica necessitate solicitus, inclinatura.* VIND.

Cum iustitiæ symbolum adduxeris Vindiciane, in eam partem inclinatura est vtilitas publica, quæ Apostolico canone præscribitur, & ponderauit Ambrosius [*si quis vult placere omnibus, per omnia quærat non quod sibi vtile est, sed quod multis*] *sicut quærebat, & Paulus.* Hoc est enim conformari Christo, alienum non quærere, nihil alteri detrahere, vt acquirat sibi. Christus enim Dominus cum esset in forma Dei exinaniuit se vt formam susciperet hominis, quam operum suorum locupletaret virtutibus. Tu ergo expolias quem Christus induit, tu exuis quem vestiuit Christus? *Hoc enim agis, quando alterius detrimento tua commoda augere expetis:* & post allatam similitudinem Apostolicam de corporis membris, quibus nec minimis iniustitia fieri debet, aliorum commodo, id multo magis in corpore mystico obseruandum, docet: *alioquin* ait *Christus Dominus, qui pro omnibus mortuus est, mercedẽ sui sanguinis euacuatam dolebit,* & mox ad eandem iustitiam commendandam subdit. *Quid? quod etiam ipsa lex Domini hanc formam tenendam docet, vt nihil alteri detrahas tui commodi seruandi gratia, cum dicit: Non transferas terminos antiquos quos statuerunt patres tui &c.* Solus exlex Vindicianus vult, etiam antiquos religiosorum terminos infringere, & veterum iura violare, TVRT. 3. off. c. 3.

vt ab ipsis ad Seminaria, & Collegia redditus transferãtur, ipsorũ detrimento, alieno tamen emolumento. *Quid autem* (concludam cum eodem Ambrosio) *tam contra naturam est, qua u nolere alterum tui commodi causa? cum pro omnibus excubandum, subeundis molestiis, suscipiendum laborem naturalis affectus persuadeat, & gloriosum vnicuique ducatur si periculis proprijs, quærat vniuersorum tranquillitatem &c.* Solus Vindicianus sine labore, absque molestia, vult alienos labores ab ijs possideri, qui ex sua religiositate, propria pericula pro seruitio animarum præstantiora putant, quam si inquiete positi tranquillæ vitæ copijs referta, vniuersum orbem possidendo potirentur.

Digreßio de Cœnobijs Virginum.

§. I.

HVcusque de translatione Monasteriorum virorum, Vindicianus, & Anonymi: nunc de Monasterijs Virginum quid sentiant ijdem Anonymi discutiendũ, dicit ergo Atheologus ille Anonymus, quẽ probat Layman. *A nullo Theologo dubitari, quam magni faciendus sit perfectionis ac virginitatis etiã in sexu fragili, & fœmineo status, multo minus dubitari posse, quin pensatis his rerum, ac temporum circumstantiis, longè melius, ac Deo gratius sit, bona Monasteriorum applicare ad eos alendos, qui statum perfectionis, & Virginitatis, seu castitatis, simul cum auxilio proximorum student coniungere, quam alendas solitarias Virgines, quæ tamen, & ipsæ per annos plurimos, nisi eæ regiones conuertantur, ad id aptæ non reperientur &c.* Non tantum de Seminarijstis hic loqui videtur, sed de religiosis quoque attendentibus saluti animarum (quos Iesuitas præcipuè intelligit Layman in toto decursu operis) hi enim sunt in statu perfectionis, non Seminarijstæ.

In ref. c. 6. m. 1. anno. 8. 287.

TVRT. Quid est hoc nisi polytimam vestem Ecclesiæ velle confundere, imò tollere ne vt Regina incedat Ecclesia Cathol. in vestitu deaurato, circumamicta varietate, neque adducantur Virgines post eam, sed soli viri, imo solus vnus virorum ordo palatium sponsæ occupet? cum tamen nedum sodales sponsi, sed & sponsæ, ex epithalamijs sacris, recenseantur in Salomonis mystico palatio, quod est Dei Ecclesia. Reprehendantur pijssimi Imperatores & Reges qui præter Cœnobiorum erectionem soli choro etiam addictorum, Virginum Cœnobia à fundamentis erexerunt, hæc enim pro solis addictis ad concionãdum, & docendum futura erant salubriora. Non negat id Layman, dicens *vtrumque esse opus pium fundare pro solitarijs Virginibus, & fundare pro ijs, qui virginitatis aut castitatis statum cum proximorum salute coniungunt*] *sed subdit. Hoc quidem absolutè melius, ac perfectius, atque idcirco plura, maximè his rerum, ac temporum circumstantijs, eriguntur talia Monasteria, & Collegia, quam sanctimonialium Cœnobia sed Deus O. M. qui varijs modis. & ab vtroque hominum sexu in Ecclesia coli desiderat, excitat interdum quorundam mentes, vt sanctimonialium Monasteria ædificent: quæ in re diuini spiritus modum sequentes, rectißimè aiunt: in òspectatis locorum. &c. circumstantijs melius esse potest, quam si Monasterium, aut Collegium virorum, etiam eorum qui spirituali aliorum saluti incumbunt. ædificarentur. si videlicet in eo loco virorũ congregationes non desint. virginibus autẽ quæ se Deo cõsecrare studeãt nullus locus suppetat.* Pag. 289.

Si laudabilis actio est (vt dicis Layman) Virginum Cœnobitarum Monasteriorum erectio, atq; fundatio, quàm sit virorum Monasterium, vel Collegium ædificatio præstantior ex suo genere, non propter hoc restituenda illa Monasteria inutiliter traderentur Virginibus illis Cœnobiticis, maximè cum virorum per totã Germaniam maiora, te fatente, erigantur, quam Monialium; maximè vbi virorum con-

congregationes, non desunt, & locus nullus suppetat pro Virginibus Deo sacrandis, saltem ergo vt appareat multiformis gratia Dei, erigenda sunt Monasteria & nõ Seminaria contra Layman, vbi nullus opportunus locus Virginibus est, & non in vno loco multiplicare Collegia, & Seminaria. Sit semper minus bonũ erectio Cœnobiorũ Monialium, satis est sit laudabilis. Certè laudabilis actio fuit Magdalenæ vngendo Christi caput ad quam tot virtutes (ait Caietanus subtiliter) incitabant, pro gratia referenda, pro pietate, pro religione &c. & nihilominus vox Iudæ: *Vt quid perditio hæc? poterat enim vnguentum istud venundari multum, & dari pauperibus* (de melioris boni æmulatione murmurans, quod melius fuisset vnguenti precium, & in pauperes argẽtum erogari) repulsam passa est. *Quoniam* (ait Caiet.) *opus tãta gratiæ, pietatis, & religionis non est minus bonum, quam eleemosyna illa fuisset in pauperes, nec debebat Magdalenam ab illo debito tunc officio auellere, quod, & erat opus longè excellentius.* Non dissimiliter hæc vox Anonymorum, & Vindiciani repudianda, si sic proferretur. *Vt quid perditio hæc? poterant antiqui fundatores abstinere à construendis huiusmodi Cœnobijs, & dari pauperibus alumnis, Seminarijstis, Collegijs per PP. Societatis gubernandis, quam reclusis Virginibus addictis choro, & contemplationi.* Taliter eam proferentes, Deum proculdubio vindicem haberent, qui sicut Magdalenam quasi ociositate contemplationis à Martha, & de prodiga, indiscretaque effusione, à murmuratore, Iuda vindicauit, ita ab Anonymis & quocumque, ille qui est pater orphanorum, & iudex viduarum, sanctum opus contemplationis, & constructionem Cœnobiorum Virginum defendere, vt etiam si præstantiora essent obsequia in proximorum salutem; sat vt illa, quæ à Cœnobitis, & sanctimonialibus exhibentur, vt bona iudicentur, & pro loco & tempore (vt fatetur Layman) meliora. Et si ante Magdalenæ factum *melius fuisset* (ait S. Chrysost. in catena) *in vsus pauperum erogare vnguentum*, post factum non est illud opus sua bonitate expoliatum, vnde pauperiores virgines, Collegis, Seminarijstis, conditione, natura, sexu, præferendæ, vt pro pudicitia tuenda, & conseruanda sponsarum Christi non minus Deo gratũ sit officium tanquam munitissima castra, & turres, Cœnobia nouiter construere, quam olim eadẽ ijsdem destinata & postea recuperata in prætensos meliores fines conuertere, alias inaniter (si bonos illos fines Cœnobia Monialium non haberent) in Ecclesia essent instituta, quia secundum Anonymos ad optimorum opus non essent instituta. Cœnobiorum erigendorum prototypum Christus Dominus lineauit, dum religiosarum fœminarũ Collegium instituit, à Galilæa eum sequentiũ, & ministrantiũ de facultatibus suis. Quid? ergo male consumptæ facultates, quod non sint erectæ scholæ Pharisæorum, & Collegia, quia per ea in lege, & doctrina, erudiri poterant, multi in lege &c. qui altior finis reputatur? Alijs religiosis Prædicatoribus, & fidei propagatoribus solis futurorum temporum, debebant diuitiæ reseruari, nunquam tot Cœnobia fundari Monialium, & Virginum reclusarum: Perniciosè in Ægypto, & Thebaide, & vniuersæ Asiæ, Syriæque tractibus vtriusque sexus hominum millia in Cœnobijs reclusa vitæ cœlestis æmulam vitam transegerunt, quia non sunt ad munia destinata Apostolicarum functionum. Perditio ingẽs fuit sub SS. Audæno, & Columbano in Gallijs constructio Cœnobiorum Virginum, & Monachorum, quorum tanta extitit multitudo, vt scriptores illius sæculi florentem Palæstinam longè latèque superasse

peraſſe deſcribant; poterant enim vtilius expendi diuitiarum theſauri in ſolis ſcholis,& alijs huiuſmodi conſtruendis, quàm in Cœnobitis recluſis alendis. Quid opus erat in Anglia Virginum choros iuxta antiquam, & ſtabilitam Apoſtolicam fidem clauſtrali diſciplinæ addicere (vt Beda commemorat) ſi his æquiualentia, vel maiora opera in alijs Aſceterijs præſtari poterant? Malè conſultum Germaniæ à S. Bonifacio, & alijs Germanorum Apoſtolis, cum omiſſis Collegijs, Seminarijs, & huiuſmodi à Chriſto viuendi traditam normam in erigendis Cœnobijs virorum, & monialium introduxerunt. Oleum, & operam perdiderunt, non ſolum Orientales patres Baſilius,& alij Occidentales, Benedictus, & Dominicus, & Franciſcus, cum in domibus pudoris, & Virginitatis cuſtodibus, tot caſtiſſimarum apum cæleſtium innumerabilia examina collocarunt. Solum enim pro viris inſtituenda erant Cœnobia, iiſque candidatis, atque ſelectis, qui nobiliora, & operoſiora præſtare potuerunt. At cum nec prætulerint fideles Collegia, vel Seminaria Virginum, & Cœnobitarum Monaſterijs, procul dubio intellexerunt fundatores, æque eſſe gratum, ſi non longè melius, illa bona Virginum applicare ipſorum Cœnobijs, quam quibuſcumque Seminarijs, vel Collegijs, quibus aliunde ſubueniri poteſt. Fruſtra laborat Imperatrix Eleonora, quæ Viennæ pro Virginibus Carmelitanis Monaſterium molitur. Fruſtra Abbas Fuldenſ. Vicecancell. qui Fuldę Monaſterium monialibus extruxit. Anna Iuliana Archiduciſſa Auſtriæ, vt habetur in eius vita, à Beatiſſima Virgine admonita legitur, ne alij, quàm ſeruæ B. Virginis illum locum occupent, & tamen non deerant hæreſes in pleniſſimo feruore in VVittembergenſi loco & in alijs hæreticis ciuitatibus, & Societati in primæuo ſpiritu, id nec conceſſum eſt.

Vide vitā Bellarm. lib. 4. c. 2.

Pag. 94. & 95.

Fortaſſisocioſæ ſunt hæ Virgines, quia ſolitariæ, ſibi, non proximorum ita uti prouidentes. Sed omnes pernecеſſarij in bello, & qui palam manus conſerunt cum hoſte, & qui cuniculos occultiſſimos moliuntur, qui tormentis bellicis hoſtes propulſant, & qui nitrum in paruulis domunculis parant. Pugnabat exercitus Iſrael contra Amalech, ſed Moyſes extenſis brachijs orabat, & quoties defatigabantur manus, toties exercitus laxabatur; iterum extendebat, victor euadebat. Nec ſibi ſoli vacaſſe dicendus eſt Moyſes, etiam ſi in ſolitudine eſſet, quia à ſolitudine robur exercitui immittebat. Diſcurrunt modo Euangelici concionatores, alij in Iaponiam, alij in Perſidem, alij in Orientales plagas, propterea, vt non ocioſus eſt Carthuſianus, ita nec recluſa alia monialis, puras enim manus extendentes, & oculos madidos ad cælum eleuantes, verbum prędicationis ignitum impetrant concionatoribus, & vt Deus corda Gentilium aperiat ad percipienda pietatis verba. Vna ſola mulier S. Thereſia reformatrix Ordinis Carmelitani maſculea virtute prædita, nō ſuis tantum monialibus, ſed vniuerſo orbi profuit, teſtantur Hiſpaniæ Gallia, &c. & intimi receſſus ad quos huius Virginis labores penetrarunt, quot animorum millia vtriuſque ſexus per tot Cœnobiorum conſtructionem, & domos ad ſemitas perfectionis induxit. Non eſt hoc pro proximis laborare?

§. II.

Dices non omnes orationes fundunt, non omnes ſanctę. Fateor. non omnes ſunt Claræ, Thereſæ, ſed nec omnes Dominicani ſunt Dominicus, nec Patres Societatis Ignatius, & ſi non adſunt Catharinæ, Hildegun-

degundes, Kunigundes, Lutgardes, ad est eorũ posteritas, veluti proles de benemerentibus parentibus orta, vt sustentari mereatur, etiam si ignaui multi sint, qui gloriosam habent prosapiam, emeriti tamen sunt titulos ob parentum, & Auorum profusum sanguinem, & exantlatos labores. Sint relaxatæ nepotes eorum, an non attẽdendæ sunt prædecessores Virgines, velut auiæ à quibus suam ducunt originem? fortasse paucæ sunt. Nullus eas poterit numerare quot sint, & quantis charismatibus illustratæ. vide Bozium 22. de signis, vbi cap. 3. numerantur Virginum myriades scriptis præstantes (ne putentur Benedictini soli, Dominicani, vel PP. Societatis scribere) prophetiæ dono admirabiles; Ordinum restitutrices; Reginæ Regumque sorores. Nullus se tanti faciat vt se solum Sisiphum, aut Athlantem, vel Deucalionem orbis existimet. Priuata esset Ecclesia Scholastica, Clara, Francisca Romana, si in Cœnobijs vitam non transegissent: si Cœnobia distracta essent, in cælo deesset musica multarum citharizantium in citharis suis, quandoquidem sub solius Claræ vexillis 20000. millia militasse Bozius scribit lib. 7. cap. 7. n. 19. de signis. August. mirabatur, quod in via Dei aliter, & aliter esset Deo seruiendi modus. Erat quoque prouidendum, vt filiæ Imperatorum, Regum, Principum, præter infirmas huius mundi, haberent quo aspirare possent. & nihilominus illi Anonymi in illo iudicio, Canonissas Germanicas in Cœnobijs educandas traditas, nihil aliud Ecclesiæ præstare dicunt quàm nubilem ætatem, & bonum maritum expectare. esto hoc; ergo ne hoc malum, vt fœminæ nubiles in domo pudicitiæ educentur, & vsque ad nuptias detineantur reclusæ, donec tradantur timore Domini, & virtutibus ornatæ viris suis? Vtinam illis mulieribus ambitiosè Iesuitissarum nomen sibi vsurpantibus, absque licentia Sedis Apolicæ datum esset illud consilium, vt vel in antiquis Ordinibus monialium, sub regulis ab Ecclesia probatis, nomen dedissent; vel saltem si cœlibatus spiritu non vocarentur ad fructum centesimum, educandæ reclusę essent, pro fructu trigesimo nuptiarum reportando: procul dubio ad tantam temeritatem nõ processissent, vt absque probatione Sedis Apostolicæ in prætensam religionem erectæ, ad ea munera aspirassent, quæ viri doctissimi ex officio, & vocatione ad gradus doctoratus euecti, & in palæstra spiritus exercitati vix præstare, nisi Dei gratia, speciali exactus eminentia possunt. An ad has deuoluendi erant Monialium redditus, quia doctrinam se professuras ad animarũ salutem pollicebantur? grandis hæc Ecclesiæ tentatio, sapientia, & prudentia, & authoritate Summi Pastoris Vrbani VIII. Pastoris vigilantissimi repressa, qui dum nouam Latonam solis æmulam deprehendit, & mutabilem sexum velut Lunam cum Sole non contendere voluit, sed in subiectione manere, non docendo, sed addiscendo, mandauit; cum nomine Iesuitissarum nouam rem dissoluendo, & ad vetusta monialium Cœnobia, si spiritu religionis tenerentur, salubri consilio ingrediendum exhortando, sin minus, honorabiles thoros connubiales, seu coniugalem statum, in quo pariter per generationem filiorum saluarentur, arriperent. Ociosa ergone Cœnobia? quando Iesuitissis superbissimis velut refugij domus vetera Cœnobia pro perfectionis apice adipiscendo Petri successor CHRISTI Vicarius proposuit, & commendauit?

§. III.

Sed disparitas assignatur ab illo Anonymi

&à

& à Layman probata: aliud esse, de nouo instituere Cœnobia, aliud iam extincta ad Veteres moniales omnia transferre. de primo nulla lis, quando ex Layman, p. 289. vt sup. dictum est, Deus excitat mentes fidelium, vt sanctimonialium ædificent Monasteria. de secundo autem (ait Layman) *considerat is circumstantijs horum temporum non reperientur Virgines in Germania, quæ Deo se deuouentes in Monasteria suscipi possint, quare consultius videtur, vt Monasteria ad aliorum sustentationem applicentur, qui perfectionis, ac Virginitatis, vel castitatis statum* coniungere audent. & laudatus ille Anonym. ab eodē, sic dicit *ex eo quod fors aliquod, vel aliqua Virginum Cœnobia Religionis Catholicæ propugnatorib. & propagatoribus fidei assignanda sint, non tollitur status Virginitatis, vel enim deserta erunt, quæ istis applicabuntur, vel pauculas habebunt religiosas, quib. in aliis Monasterijs cū emolumento disciplinæ regularis commodè prouideri potest.* Accedit, ex eodem Layman, quod *ex præteritorum experientia, quæ nos docuit, coniecturam capere licet de futuris. Constat autem*, ait, *Moniales in Prouincijs hæreticorum solitarias ad plurima mala, etiam defectionem à fide Catholica ob sexus fragilitatem adductas esse, adeo vt ad hanc ipsam diem talia Monasteria in Germania sint; quæ ab Acatholicis monialibus inhabitantur.* Sed disparitas nulla est, nam stante decore status Virginalis, ne desit in Ecclesia flos iste Ecclesiastici germinis, vtcumque fouendus, reparandus, instaurandus, in proprijs hortis excolendus, & propterea recuperatis hortis, vel iterum Monasteria reædificare, reacceptis redditibus; vel si nullus profectus speraretur, ex periculorum incursu, possent redditus transferri ad ea Cœnobia tuta, vbi Virgines recluderentur, & pro profectu populorum materialia templa, & Cœnobia Patribus S. Francisci, vel P.P. Capuccinis, qui ex puris eleemosynis viuunt, repleri, qui cum de redditibus, non viuant, citius intentio profectus salutis proximorum haberetur duplicato fœnere, & ampliatione Cœnobiorum ad quæ Virgines, cum redditibus transferuntur; & ex ministerio Patrum, qui sine redditibus viuunt, quam si ex illis religiosis habitarentur, qui redditus pro sua sustentatione exigerent, nec enim Virginibus emigrantibus, & Patribus sufficere possent.

Refut. c. 6. p. 287. 288 289.

p. 287.

Nec adeo fidendum est vanis nostris coniecturis, vt etiam si de nouo Cœnobia fundarentur, vel de quo controuersia est, iterum priscis Virginibus eiusdem instituti restituerentur, non magis Dei fidere debeamus auxilio, & Imperatoris Inuictissimi brachio, & optimis Rectoribus Monialium, quo minus contra incursus, & dæmonium meridianum, & alia prælia castitatis, munirentur, regulari disciplina, frequentia Sacramentorum, &c. Fatetur Layman hanc præseruationem à veritate victus dicens. *Interim vero negari non potest, quin vel in solo inferioris Saxoniæ circulo complura, circiter duodecim inueniantur Monasteria Virginum, quæ & virtutis & castimoniæ laudem fideique Catholicæ integritatem, in medio hæreticorum populorumque etiam sine sacris mysterijs ad hanc vsque diem conseruarunt quibus proinde Monasteria ac iura sua auferre, alijsque dare prorsus inhumanum esset; neque vnquam, vel Theologi huius, vel alterius pij hominis in mentem venit. Verum cum exempla plura restituantur earum, quæ vel à fide Catholica, vel nullis post se relictis morte defecerunt, ac Monasteria sua hæreticis reliquerunt, ne simile quid in posterum contingat, Theologus iste cauendum putauit.* Ergo quando id fieri posset, vt in medio nationis prauæ lucerent tot Stellæ firmamenti adhibitis supradictis cautelis, nō video cur non illis antiqui redditus, cū nouis superadditis restitui debeant; cum vniuscuiusque iustificati minimi

Pag. 185.

digni-

dignitati, ne dum thesauri huiusmodi, sed totus ordo naturę comparari nequeat, & inferioris precij sit, vt merito, ceu inferius superiori, ordinetur. Quanto magis pro superaddito gratiæ Virginitatis statu diuitiæ impendendę, vt custodiatur, & conseruetur? Sin autem attentis circumstantijs id fieri non potest, cum redditibus moniales, quæ in recuperatis Monasterijs recludi debebant, vt dictum est transferantur; & ad domos earum PP. Sancti Francisci de Obseruantia vel Capuccini destinentur, vel Patres Theatini ad eadem loca excolenda (hi enim omnes non ex redditibus viuunt) ex Italia euocentur, qui eadem munera, quæ præstant PP. Societatis in Ordine ad salutem proximorum, præstant egregiè. Nec desunt PP. Barnabitæ in Viennam introducti PP. Discalceati, Dominicani, Augustiniani, qui vt in alijs partibus orbis, sic strenuam nauare posset in reductione hæreticorum operam, qui adeo sunt in Gentilium conuersione indefessi operarij.

Sic calumnia Vindiciani, & Anonymi, & alterius qui forsan Laymani personam assumpsit, euanescit, & fortasse: Vindicianus, Anonymos finxit, & Laymanum, sunt enim adeo scripta similia, & tractatus assimiles, vt videantur gemelli eodem tempore nati, & caligæ vnius pãni. Ad alios Vindic. paragraphos trãseamus discutenidos.

Doctrina Societatis.

§. I.

VIND. VNgit hic quoque, & pungit Vindicianus. recenset primo verba Grauinæ dicentis. *Omnia nostra vestra sunt*, ait, *extemporaneus Societatis encomiastes, & vestra pariter nostra charitatis glutino, quo vt decet sponsa sodales, sponsi quoque sodales complectitur. Vestra, & nostra doctrina S. Augustini, S. Thomæ S. Bonauentura, è quorum fonte potati in dies tot vestra commentaria, omni eruditione referta in lucem prodeunt*, subdit.

Rectè ista si absit tropus aliquis Rhetorici artificij, per quem charitatis vinum acescere possit, & si Grauina in vestigio persistere norit. Sed lego P. 2. c. 21. *alibi, dum veteres scriptores ex meritis laudantur sequentia, semper antiquis primus eis debetur honos, tam ex primi fœtus inuentione, quam ex stylo compendiosiori, cum maiori dicendi perspicuitate. neque enim ex multitudine eorum quæ dicuntur, sed ex distincta ipsarum assertionum, ad propria, & prima principia reductione DD. scripta sunt existimanda.* His minio notandam paræmiam subijcit, *certe si riuuli ad fontes reducerentur, aluei exiccarentur, & moueret cornicula risum, furtiuis nudata coloribus.* & mox subdit idem Vindicianus, *post vnctionem, puncturam.*

Video Neotericos vti Grau. appellat duplici theta signari. primo quod ad maiorum differendi claritatem, ac breuitatem non accedant, neque ad felicem eorum methodum, qua scientifica Principia in apricum eduxerunt. Secundo quod nihil solida doctrinæ, quam non ab antiquis emendicarint, deferant. Vtrumque Societas pro amabili modestia facilè dissimulabit, sed nescio, quam promptè quicumque alij in Ecclesia doctissimi viri Grauinæ sint assensuri. Vulgo notissimum est Societatis authores in maiori vbique precio florere, quam Grauina velit ac iubeat. Quis non malit istorum voluminibus Bibliothecam suam instruere? quis abundantius Lectori satisfacit? Quis ita funditus difficultates exhaurit, ac varietate, amplitudine, & robore argumentorum stringit, delectat, exaturat, tot illi gemmas, & lucidissima priscorum monilia coaceruant, sanctorumque DD. grauissima testimonia constipant, vt qui vnum de Societate volumen legerit, iam reliquos vniuersos de eodem argumento Doctores admirabili compendio, se perlegisse existimet, atque exultet.

TVRT. Triumphus Vindiciani ante victoriam decantatus, multis ad interitum, multis cessit ad ludibrium. Vsitata est ęmulatio in omnibus facultatibus, & officijs hominũ,

vt in plurimum, qui posteriores, velint esse antecessoribus præstátiores, propriũ enim iuuenum est, audaces esse, qui & subito incalescunt, & accepto damno sapiunt suis expensis, experientia edocti, quæ est stultorum magistra. vnde in re militari, qui noua meditantur stratagemata, & non veterum ducum militaria præcepta attendunt, sæpè fiunt hostium præda. Cautius verò, & methodicè veterani milites pugnant, nam cecinit ille.

Vulneribus didicit miles habere metum.

sic & in Scholastica palæstra vniuersaliter cuiuscumque cõditionis, & status ad pauca respicientes multi iuniores reponuntur. Hi dedignantes veterum sapientiam sequi facilè enunciant, quæ retractari postea opus est: è contra verò sapientiam antiquorum exquiret sapiens. vnde, & senex tamquam Bos lassus fortius figit pedem. Hinc procedit tumor in quibusdam Neotericis, vt supra cæteros sapere, & supra antiquos assurgere videantur; addita petulãtia in absurdis opinionibus excogitandis, cum coniuncta audacia infringendi, vel extorquendi rectas sententias ab alijs traditas. Vtrumq; vitium ab Euripide denotatur dicente eleganter, *petulans lingua turpissimus morbus est.* ludendo scilicet opinionibus, vel falsis applaudendo sententijs, vel inuidiosè & temerè rectè tradita deprauando. Sat est in omnibus studijs infelix κακοζηλία. multi enim sunt qui Tyrsigeri sunt, pauci tamen Bacchi. Peruenit in Lesbum Orphei Lyra, hoc est, Orphei excellens doctrina, filius Principis cogitauit se futurum alterum Orpheum, si eiusdem Lyra caneret; voluit trahere ad se bestias noctu, & cantauit. Eo igitur canente noctu canes conuenerunt, & eum dilaniarunt. Oritur quoque ex eodem fonte totius disciplinæ perturbatio, infinita vastitas inutilium quæstionum, & argumentorum, vt aliquid additum priscis videatur, & quod peius est contradicẽdi libido, si quis ad Nouitiolam inuehatur paraturam, & ex principatus, in noua opinione introducenda, gloriola, incipiunt Doctores ζογομάχειν, nec voluntates sunt similes: illudque malum euenit, quod Thucydides descripsit, *dissidentibus opinionibus, dissimilia opera fiunt*, fit gradus discedendi paulatim à Doctrina Patrum, implicantur multi, vt studeant factiones inducere, alijque eorum lædantur exemplo, & negotia magis necessaria impediantur.

Huic malo occurrere volens prouida de suis pientissimis Collegijs inclyta IESV Societas (quæ ex doctissimis Theologorum suorum lucubrationibus satis magnam laudem reportauit, qui veluti Scribæ docti, noua, & vetera cuderent, hoc est, super solidam doctrinæ petram, veluti noui Beseleeles laborarunt, adijciendo veteribus doctrinis nouam gratiam, splendorem, & vetustatem) cum cerneret nonnullorum feruentia ingenia (quæ in omnibus cœtibus similia reperiuntur) nouitate allecta, vetera fastidire, & posse noua in dies euulgare, libellum de ratione studiorum (licet postea antiquatum) edidit, & Societatis studia ad vetustatis formam reducere studuit, ne supra recensita inconuenientia sequerentur, eidemque Societati Ducem, & præceptorem (certis exceptionibus) præfixit S. Thomam Aquinatem, Sanctissimi Ignatij ordinationem renouando. Experta enim erat, quot paradoxa sequi poterant in materia sequendarum opinionum, si tantum Ducem, cuius (Sanctissimus Fundator fuit studiosissimus, & virtutum imitator) non sequerentur. Sed nec quidquam repressi magno Societ. pientissimæ dolore (tantus est ingeniorum feruor) nam ne eis tale ingereretur frænum, in antiquitatem oblocuti sunt, in doctrinam

Sancti

Sancti oblatrarunt, omnes huius seculi Doctores primis æquari, cum S. Thoma, Bonauentura, Scoto, in iisdem subsellijs considere posse modernos, meliora eos, & acutiora proferre, quàm ipsi protulerint. Quid non effutiuit (statutis Societatis non obtemperando) Pater ille Poza (puteus dici posset) à quo, vt de puteo abyssi, sycophantiarum fumus exhalauit, & inter cætera paradoxa acri censura digna, digneque censurata, Solem Ecclesiæ S. Thom. obscurare conatus est, hanc eandem abyssum impetendo, tam in libello supplici ad iudices veritatis directo, quam in elucidatio, quam in Apologijs, vt merito in Indice suspensus Anno 1628. sit à censoribus Romanis: cumque nec velle subijci censuræ Superiorum contentione horribili, & contentiosa auersione, multis in eosdem schismatico stylo, idem Poza editis respõsionibus Apologeticis reclamasset: nunc iterum cum omnibus operibus suis suspensus est in hanc formam.

DECRETVM.

SAcræ Congregationis Eminentissimorum, & Reuerendissimorum Dominorum S. R. E. Cardinalium à Sanctissimo D. N. VRBANO Papa Octauo, Sanctaque Sede Apostolica ad Indicem librorum, eorumdemque permissionem, prohibitionem, expurgationem, & impressionem, in vniuersa Republica Christiana specialiter deputatorum, vbique publicandum.

Sacra Indicis Congregatio Eminentissimorum, & Reuerendiss. DD. S. R. E. Cardinalium infrascriptos libros damnat, & prohibet, mandans omnibus, & singulis cuiuscumque gradus, & conditionis, sub pœnis in Indice librorum prohibitorum contentis, ne vllus in posterum eos imprimere, legere, aut quouis modo apud se retinere audeat, & si quis aliquos illorum habuerit, vt statim omnes à præsentis Decreti notitia, locorum Ordinarijs, aut Inquisitoribus consignet.

Libri autem sunt.

IOannis Baptistæ Poza Societatis Iesu Cantabri opera omnia. Libellus Anonymus inscriptus. Memorial à los Iuezes de la Verdad, y Doctrina.

Libellus Anonymus inscriptus. Libellus quidam supplex, cui titulus, ad Iudices veritatis, & doctrinæ defenditur.

Liber inscriptus. Sanctissimo Domino D. N. Vrbano Papæ Octauo. Natio, & cognatio Cantabrica Ioannis Baptistæ Poza è Societate Iesu, in causa iudiciali tomi primi Elucidarij, cuius initium est. Beatissime Pater. Cantabricum Dominium, & Cognatio Ioannis Baptistæ Poza è Societate Iesu, ad pedes Vestræ sanctitatis abiecta, partes iudicialis defensionis tomi primi Elucidarij vltrò suscipiunt.

Liber inscriptus. Sanctissimo Domino D. N. Vrbano Papę VIII. Cognatio Cantabrica Ioannis Baptistæ Poza è Societate Iesu in causa iudiciali tomi primi Elucidarij, cuius initium est. Beatissime Pater. Doctor D. Ioannes de Vribe, & Yarza nomine cognationis Cantabricæ Ioannis Baptistæ Pozæ è Societate Iesu ad pedes V. Sanctitatis abiectus, iudicialis defensionis tomi primi Elucidarij vltrò suscipit.

Libellus sine titulo, cuius initium. Señor el Doctor D. Iuan de Vribe, y Yarza en su nombre, y en el de los parientes, y Deudos del P. Iuan Baptista Poza de la Compagnia de Iesus.

Et quicumque alij tractatus, Apologiæ, Informationes, Libelli supplices, vel quouis alio nomine expressi pro defensione Elucidarij Deiparæ, siue doctrinæ præfati Ioannis Baptistæ Poza, tam prælo mandati, quam manuscripti.

In quorum fidem manu,& sigillo Eminentissimi, & Reuerendissimi D. Cardinalis Pii S.Congregationis Præfecti, præsens decretum signatum,& munitum fuit. Romæ die 9. Septemb. 1632.

C.Episc.Portuens.Card Pius

Locus Sigilli.

F.Io.Bapt Marinus Ord.Præd.M.
& S.C.Secretarius.

Die 28.mensis Septem. 1632. supradictum decretum affixum, & publicatum fuit ad valuas Curiæ, & in acie Campi Floræ, ac aliis solitis,& consuetis Vrbis per me Andream Scalmanum S. D.N. P. Cursorem.

Aug.de Brolis pro. Mag.Cursorum.

Romæ ex Typogr. Reueren. Cam. Apost.
M. DC. XXXII.

§. II.

Sed non leuis consolatio ex Poziana temeritate PP. Societatis, & Thomistis affertur, quod de huiusmodi insultibus Doctor Angelicus triũphauit, semper triumphaturus; nam verus Doctor (ex Hieron. in c.10.Esaiæ) *& si ciuitates* (vt fecit S.Thomas) *aduersariorum, quæ eriguntur contra scientiam Dei, & hæreticorum nimio labore cõstructa sunt, in puluerem redigat, & nihil esse demonstret; qui intelligens infirmitatẽ cordis humani, & quod mortali carne circundatus non possit perfectã habere victoriam, nec omnes gentes capere, licet eum alij admirentur, & dicant: Tu solus es princeps, respondebit nobis: Multa sunt quæ destruere debeo, & adhuc destruere non potui: scio quod nescio: & quamquam multa aduersariorum argumẽta superauerim, tamen sunt pleraq; quæ adhuc superãda, simulq; spe futurorum ex his quæ superauit, etiam cæterorum sibi victoriam repromittit.* Optimæ & consideratione dignæ multæ à veteribus PP. Societatis, & nouissimis Cõgregationibus Generalibus propositę regulæ, quibus hæc indisciplinata quorumdã ingenia concluderentur, tũ in modestia, tũ in doctrinæ securitate retinenda, potius priscorum Doctorum, præcipuè S. Thomæ, esse sectatores, quam nouorum fœtuum esse adinuentores, etiam si pro indifferentibus, & adiaphoris placitis, & sub prætextu exercendi ingenii inueniretur. Sed alia etiam à Turt. proponũtur eius rei sat prouida argumenta. Primum, quia concordia vniformitatem seruat, & licentia opinandi quodlibet, Academiam introducit. Secundum, quia via regia, & callis tritior securior, quàm deuii tramites, & sinuosi anfractus, per quos incedentes, vbi diu defatigati sunt, nouas semitas, vt breuiores putantes, rursus ad caput circuitus, & viæ vsitatæ redire necesse est, maxima temporis iactura, nouas formas quas sibi impresserunt obliterantes, & veras receptasque imagines effingentes. Tertium, quia eiusmodi Scholæ Principes S. Thomas, S.Bonauentura, Scotus, Ægidius, Bachon, stabilitis suis principiis, consequenter procedunt in tota doctrina tradenda; qui autem nullius addicti sunt disciplinæ veluti censores, hæc emendantes, hæc accipientes, interdum contraria hauriunt, vt immane Chaos, ex diuersis authoribus formetur, ibique sint humida pugnantia siccis: & huiusmodi præceptores polypis assimiles fieri possent, vt tenacius hæreant scopulis, in eorum colores varios se efformantes, imò vt Chamæleontes de suo corio ludere videantur, vt nescias si Thomista, si Scotista, si Nominalis, si Vasquista, vel Suarista sit, & in eadem quæstionis, quæ tractatur serie, modo videas Thomistam agere, modo Scotistam, omniumque cothurnos induere, veluti laruatas simias, vt in ipsis entibus rationis tractandis, inter ea rationis entia numerari posse videas, quæ Chimæris, Hircoceruis, montibus aureis locum assignãt; nec enim

puram

puram Thomisticam, vel Scotisticam, vel Nominalem doctrinam reperies, sed Scoto Thomisticam Thomista Scoticam; Vasquez Suaristicam, Suarez Vasquiticam, vt etiam sapientes auditores hæreant, infimæ notæ magis confundantur, mediæ cum scrupulo dimittantur. Quartum, quia puerorum mos est.

Horat. *Ludere par impar, mustellæ adiungere mures,*
AEdificare casas, equitare in arundine longa.

& mutare quadrata rotundis, non secus multi procedunt in opinionum adinuentionibus. Ita procedente tempore, vi veritatis victi, quæ ædificarunt, destruunt, quæ destruxerunt, ædificant, & vbi hic meditatur demonstrationem pro placito stabiliendo, ab altero sophistica ratio adinuenitur, vt nec probabilis asserta ratio induci videatur. Et si in conclusione conueniant, in inuenienda ratione non desit Magistromachia. Quintum, quia quæ quondam Nominalium reiectæ opiniones in ruderibus sepultæ, & antiquatæ, exsuscitantur, & vt plausibiles recipiuntur, non quia veræ, sed quia nouæ; nouitas autem parit admirationem, hæc delectationem, hæc animos titillat, vt vtilibus repudiatis, prodesse credatur, quod delectat & mulcet: inde paradoxa, vt quod prius inopinabile inter opinabilia reponatur, quod improbabile, vt probabile venditetur: maximè fieri posset transitus ex his opinionibus ad mores formandos, vt non leue possit sequi periculum animarum. Sextum, quia iam originalia, & textus non leguntur passim, sed scripta conquiruntur, & emuntur, vbi nec fidę citationes, nec fidelitas doctrinarum haberi potest, Amanuēsium vitio, & sola exaratione de quinterno, vt dicunt ad quinternum, nec in fontibus puris doctrina, sed in riuis iisque turbidis propinatur; quod si tempus in eiusmodi dictationibus, exarationibus, in auctoribus classicis insumeretur, doctiores discipuli, & solidiores in doctrinis firmarentur. Septimum cum innouatione doctrinarum, innouatio terminorum introducitur, & noui loquendi modi, vt barbari multi habeantur ab auditoribus, & obstupeant ad inintelligibilē disciplinā portentosis & inusitatis vocibus, & maior labor sit in venandis vocibus, quam assequēdis rebus, vana vmbra detenti vocum, sine rerum intelligentia, in cortice dentes figendo, nucleorū fructu defraudati. Non est autem hoc leue malum in doctrinis, nā sicut, ex Cicerone, nō possunt mutari musicæ leges sine mutatione legum publicarum, ex doctrina Plat. & Aristot. sic mutata studiorum forma vel saltem loquendi genus doctrinæ, & forma Reipublicæ mutari posset. Octauum, quia ex praxi aliorum, qui se determinatis auctoribus informandis tradidere, edocti sumus, nullum periculum, vel naufragium patet subiisse; at nouis se tradentes præceptoribus, qui inusitata docuerunt in varia discrimina possunt impingere. *Desipit autem*, ait Hesiodus, *incertum qui captans, certa relinquit.* Stultum dicebat Hannibal apud Liuium, *sic aliena appetere, vt de nostris periclitemur.* Et bellis doctrinatum flagrantibus, nequaquam prudentiæ est accersere bella noua, & antiquis nouo periculo accumulare: & experientia docuit, quod dum antiqua velut aliena inuadere voluerūt, sua denique amiserunt. Hæc est hominum conditio miseranda à Philautia procedens, vt quisquis plus de se quam in veritate sit, opinetur, & multi propria acrisia fuscati, plus sibi tribuant, quam habent, nec à vetustis se erudiri patiantur, suoque succo pascantur: cumque postea experimento sibi displiceant, instabiles fiunt, alia appetentes, & introducentes. inde optat (vt dicebat Horatius) *Ephippia bos piger, optat arare caballus.*

L. 2. de leg.

& plerumque fit, vt accidit aſino Æſopico, quod mutentur in deteriorem conditionem. Hæc & ſimilia conſideranda, & proponenda, vt in officio contineantur, nouitia ingenia, nouitiolas affectantes parturas. His ergo ne Vindicianus nouellis turgidis, inflatis authoribus Bibliothecas opplebit? Hi ergo ne ſunt qui præ antiquis vbique Gentium in maximo florent precio? nequaquam; ſed illi certe docti, & graues Societatis Patres, maximè veteres, qui ſuas explicationes, & commentaria iuxtà commentariorum, & expoſitorum leges, ediderunt, & ſic authorem quem commentantur, ſequuntur, vt non authores, ſed commentatores titulo modeſte glorientur. Magnus eſt horum auctorum numerus, qui ſciolos illos impugnant degenerantes ab ipſis, abundanter inſtruunt, quomodo doctrina Theologica pertractanda ſit. Non hos Turtur perſtrinxit veri nominis Theologos Societatis, quos veneratur, & ſuſcipit, ſed Pigmæos illos quoſdam tamen ab ipſa Societate reprehenſos, & ſugillatos, qui ſuper gigantes innixi non ſecus, ac illi Chalanæ turris, nihil ferè de ſuo, niſi nouitatem ſuperaddentes, cœlum digito iam tetigiſſe ſe exiſtimant, cum humi repant, vel tamquam hedera innixi muris validiſſimis veterum Doctorum, vt creſcant illis adhærere ſe ſimulant, vt eos, ſubtiliores radices fingendo in ramis, tamquam parietem inclinatum, & maceriam depulſam, ſi fieri poteſt, proſternant. In hoc, crede Vindiciane, non eſt offenſa Societas (cui amicabiliter Grauina concordat, profitenti S. Thom. doctrinam ſequi ad præſcriptum Congregat. Generalium, quæ ſemper inuigilat in doctrina, & cauẽda cauet, & emendanda curat, non omnium, ſed aliquorum opera, & iam pridem, ex libello de ratione ſtudiorum, & alijs ſapientum admonitionibus eiuſdẽ Societatis repreſſi ſunt, & admoniti cõtradictores, ne antiquitatem nouitate violarẽt. Reprimere quoq. curauit Grauina iactabundas illas quorumdam partialium voces: *Plus Suarez, quam S. Thomam ſcripſiſſe; eundẽ non inuidere Alberto, Aquinati*, &c. ſimiliter & has voces: *Patres Soc.* vt dicebat Baeza, *tanta in ſcribendo diuini muneris copia redũdare, vt conati in ſcribendo dici non debeant: & eos tanta multitudine librorum repleuiſſe mundum, vt quotquot numerentur omnium aliorum religionum, ſcriptoribus Societ. æquari nequeant.* Hæc enim ſine ſtomacho legi non poterant, quare opus fuit oſtendere diuerſitatẽ inter principes authores, & ſequẽtes ſcholarios. nam & fœcundior campus, & feracior oſtenditur, ex vna vel altera ſpecie floris, vel fructus, quam ſint cornucopiæ hinc inde floribus, & fructibus refertæ. Optima, & arguta reſponſio fuit cuiuſdã P. Caſſinenſis, qui cum ei à quodam inflato ſcholari obiectum eſſet, *in inſigni Bibliotheca illa, non niſi vetuſtos haberi codices, paucos autem, vel ferè nullos, modernos à Baeza exaltatos authores, cum illis codicibus annexos*; reſpondit. *eam eſſe illius Bibliothecæ excellentiam, quod originalia, non copias contineret.* pro qua etiam vana obiectione huc facerent, quæ Turtur parœmia riuuli, & fontis arguté reſpondit.

§. 4.

§. III.

At iterum reaſſumpto ſpiritu Vindicianus inſurgit in Grauinam.

VIND.

Verum breuitatem Grauina à noſtratibus deſiderat. Sed hoc litteratorum æuo breuitas in[...] eſt, vtpote obſcurior, & profundior, vt vix n[...] contentione mens, ac ſententia ſcriptoris eu[...]retur.

TVRT.

Sed non ab omnibus ſcriptoribus Societatis eam exigit Grauina, ſed ab illis commentatoribus tantum, qui, idem per idem, vel multiplicatis vocibus, & ſynonymis, vel declamatorio ſtylo, vel citationum

num aggeribus, vel qui fingi possunt dicendi modis, in immensum multiplicatis, in ea vitia incidunt (à quibus cauendum S. Thom. voluit in summæ initio, & doctissimus P. Posseuinus (in Biblioth. lib. 3. cap. 12.) iubar Societatis eiusdem fulgentissimum, vt propterea mirum non sit, si volumina excrescant, à quibus si hæc omnia subtrahantur, vel si hæc omnia in mortario contunderentur non exprimeretur vncia propriæ sententiæ, & placiti. Si inuisa est breuitas hoc tempore, non mirum quia iam mundus in senium vergit. Senectus autem mundi est garrula, senes autem constat esse garrulos, vnde apud Homerum. *Senum orationes longæ sunt. Sapientum breues*, breuibus enim verbis multa cōprehendunt, vnde non sunt tot hodie auditores in scholis modernorum, quot erant olim in Vniuersitate Parisiensi, Coloniens. sed si,

Deficit auditor, non deficit ille loquendo.
O sola fortes loquacitate senes.

Est prouerbium Gallorum: *multa verba, modica fides.* Sapientissimè magnus Greg. Nazianz. *antiquam sapientiam breuibus verbis conclusam, iuuenili & effluenti orationi* præfert. (In plag. gram.) quæ verba adaptari possunt ad præsentium scholarium conditionem, quibus illa displicet, hæc placet. *Quid relicto capite ad pedes accurritis? quid Aaronem prætereuntes, Eleazarum in medium producitis* (hunc vel illum S. Augustin. & S. Thomæ præferentes) *non æquo animo patior fonte obstructo torrentem cum impetu ferri, absconso Sole stellam ostentari, cedente canicie iuuentutem leges præscribere, tacente sapientia imperitiam iuuenilem temeritate se in publicum inferre. Nam quemadmodum ingens pluuia nequaquam maiorem vtilitatem parit, quam quæ minori copia labitur (quippe cum vehementia sua terram deuoluat ac distrahat, forteque etiam ipsa agricolam mulctet, hæc autem leniter ac tranquille defluat, altissimeque illabens pinguiorem terrā efficit, & cultorē iuuat; spicamq; ad maturum fructum nutrit) eodem modo, nec copiosa verbisq; affluens oratio, sapienti oratione vtilior censenda est: Illa enim exigua fortasse voluptate affectū auditorē relinquit simulq; cum percusso aere dissoluitur, nec quicquam aliud virtū habet quā vt verborū lenocinio, quasi præstigijs quibusdā auidas hominum aures deliniat: hæc verò mentem penetrat, dilatatumq; os spiritu implet, nec in ipso ortu extinguitur, sed frugē ingentem PAVCIS SYLLABIS gignit.* Vide ergo quod loqui sapiēter, siue in suggestu, siue in cathedra, siue voce, siue scripto, præstat magis quàm copiosè. *Concrescat, vt pluuia doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum*] *dixit* S. Moyses, quem imitati sunt Doctores classici, quorum auaritia in verbis laudabilis, solus Vindicianus vult torrentes verborum, Atticismis non Laconismis delectatus cum Baeza principatum tenere.

§. IV.

Claritatem desiderat. Nihil profectò purius, & elegantius Societatis stylo est, omnis verborū ornatus; rerum copia, & sententiarum dignitas in Societatis eruditionem cōmigrauit. Lege Grauina, quæ vel hæretici in Illustrissimi Bellarmini lucubrationibus suspexerunt; & maiora in dictis inuenies. VIND.

Admiratur, & laudat Grauina illorum scriptorum Societatis stylum, qui cum sapientia eloquentiam coniunxerunt, veteres imitantium, qui innumeri sunt, quæ non transmigrauit ad Societatis alumnos solos, nec enim cæteri velut Ægyptij expoliati sunt omnium ordinum Doctores nostrorum temporum, sapientia seculari: & ne dum Hæretici in Bellarmino inspexerunt & admirati sunt eruditionem atque sapientiam; sed etiam in Caietano, Stapletono, Melchiore, Cano, Michaele, Medina, innumerisq; omnium Ordinum tractatoribus, qui partes primas iam pridem occuparant; quos silentio ex industria TVRT.

præteris, quia causidicus solius Societatis factus es, quasi hi soli secundum te, homines, vt eis solis destructis, vel mortuis, moriatur sapiētia: quo adulatorio elogio, nimium pij isti PP. discruciantur. Dicam tibi quod Martialis ad Attalum scripsit.

Semper agis causas, & res agis Attale semper
Est, non est quod agas, Attale semper agis.
Si res & causæ desunt, agis Attale mulas,
Attale ne quid agas, desit, agas animam.

In laudem Athan. Id vnum ex Nazianz. reportes velim, multoties, si intra terminos verborum iste apparatus non contineatur, potius Theologiæ obesse quàm prodesse. *Tunc enim* (dixit Nazianz.) *res nostræ florebant ac præclarè se habebant, cum nimirum hæc, & verborum lepore atque arte fucata tractandæ Theologiæ ratio, ad diuinas caulas ne aditum quidem habebat. Verum idem erat calculis ludere inuersionis celeritate aspectum fallētibus, aut omnigenis, & lasciuis corporis flexibus spectatores ludificari, quod noui quidpiam ac curiosi de Deo, vel dicere, vel audire: simplex contra, ingenuaque oratio atque doctrina pietas existimabatur. At postea quā Sexti & Pyrrhones, & contradicendi libidine incitata lingua velut grauis quidam ac malignus morbus in Ecclesias nostras irrepsit, quodque Actorum liber de Atheniensibus narrat, ad nihil aliud vacamus, quam ad noui aliquod dicendum, vel audiendum,* quasi in vitium vitio coarctati alieno, introducta hæc Theologiæ tractandæ ratio, cum simpliciter, in spinosis antiquorum Scholasticorum vocibus subtilius, verius, sapientius, magis Theologiæ tractandæ ratio haberetur. Prosequitur in Grauinam mox dicens.

VIND. *Methodum arguit. quasi quisquam illis par in doctrina, vel natura ordine accuratè seruando existeret. Quam preßè ex Peripatheticorum neruis concludunt, quam tersè, & in vestigio pedi inhærent. Numquam illi tergum impreßionis obuertunt, vel latebram circumspiciunt, aliorum autem seu fronti, seu tergo, quam ardui imminent? Quis vel non eminus conspectos aduersarios, vt turbinem folia, refugit? Quis secularium Clericorum, in lubrico, non se doctrina Societatis protegit? Quis vel Regularium eiusdem docendi, vel agendi methodum, non æmulatur? Quod Societati licet, nemo sibi permissum esse, & sacrum existimat.*

TVRT. Nihil de methodis Grauina, quas vsque ad satietatem pro Societate sola stare Vindicianus suadere conatur, non tot recensuit Galenus lib. de Methodis, quot Vindicianus, & ipse medicus; eumq; quem Societas seruat, modum, & mensuram reliquorum ponit; cum vt prototypum, nec Clericorum, nec secularium, nec regularium vllus recenseri possit, qui illum imitetur, & æmuletur. Video Vindicianum veluti puerulum inflatum nouis calceis, sed ob vanam gloriam à pædagogo vapulandum. nam quamcumque methodum post priscos illos proceres, qui hodie in scholis versatur; ab insigni illo viro F Francisco de Victoria, vniuersa Hispania introductum agnoscit, antequam Societas nasceretur, primique Patres eamdem à Dominicanis legendi formam hauserunt (sic Toletus à Soto didicit, vt alios prætereamus) Agnoscunt, & ipsi riui fontem. Displicent humili Societati hæ Vindiciani loquendi formulæ, cum per quos profecerit agnoscat, & fateatur.

VIND. Licet autem Vindicianus primis veteribus primum honorem deberi postea fateatur, eosque afferat quasi flumen sapientia repletos, nomen ad insulas longè diuulgasse &c. *Tamen* (subdit) *reliquerunt* (*in quo non diffitemur*) *posteritati facultatem sua opera illustrandi, & in varium vsum accommodandi, exponendi, quo in genere Societatis auctores insiguiter felices esse, nemo prudentium virorum inficiabitur.*

TVRT. Nec Grauina inficiatur, dummodo Vindicianus nō affectet (vt semper studet) super

ſuper reliquos in ſanctitate, in doctrina, in methodo palmam deferre ijs, quos inaniter inflare vult, modeſtis illis renuentibus. At bene res ſe habet, nam vaſa inania maiorem ſonum edunt, quam plena, hominesque veræ ſapientiæ, & doctrinæ expertes loquaciores, quàm verè ſapientes. Sed hæc eſt humanæ vitæ calamitas, vt non ab omnibus, quæ probari debent probentur, nec contra tam inſulſa, & perperam dicta, vt non inueniãt ſectatores, adulatores, & approbatores. Sed tandem à tempore, & veritate vera ſapientia à ſtultitia, vel ab errore diſtare cognoſcitur.

VIND. Finem imponit Paragrapho dicens. *Salem de cornicula Vulturi ſuo Grauina aſpergat. Si enim veterum ſapientiſsima doctrina veſtiri, ſcriptaque ſua eorum chryis ornare foret illiberale, audacter infero SS. Thomam, & Bonauenturam meras corniculas fuiſſe, quid enim in illis reperias, quod non Sacra Scriptura & SS. PP. ſententijs vndique confirmetur? Sed faceſſant inconditi ſales, & cornicis fabula ſuo Apologo remittatur, dicitur enim in eos tantum, qui aliena ceu propria venditant,* quod pij DD. *nunquam præſumunt, ſed fideliter nomen locumq; aſsignant eius authoris, à quo doctrinam mutuantur.*

TVRT. Non omnes, ſed eos ſal illud ſalire neceſſe eſt, qui non veriti ſunt S. Thomam facere corniculam, effutiendo eum D. fermè dimidium primæ ſecundæ, & ſecundæ ſecundæ à Fr. Vincentio Beluacenſi ſuffuratum, vt ſcripſit Peza. Non S. Thomam perſtringere debebat, ſed eos ad quos integra volumina impreſſa, & manuſcripta vndique magno labore, & ſumptu conquiſita, Victoriæ, Pennæ, Martij, Gallo, Cordoua, Forerij, Oleaſtri, Ludouici Soto Maior, Orellana, & Herrera peruenerunt, quorum laboribus integra ipſorum folia onerata, & authores ſuppreſſis eorum nominibus, non honorati. Et tamen S. Thomas quaſi cum ſepulchrorum effoſſoribus collocatus, & qui ditati ſunt lætantes quaſi ſuper ſpolia multa non tantum denotati, ſed & ſuper S. Thomam exaltati, quod maiora ſcripſerint, quã quod S. Thomas dictauerit. Quas comparationes modeſta Societas acerrimè reprehendit, agnoſcens non quantitate molis, ſed virtutis res metiendas. & ſapientiſſimè quidam Pater venerabilis Societatis dicecere mihi ſolitus eſt. S. Thomæ opera, tot continere principia, quot verba, quod dictum, ad moriones res ſenſibus menſurantes, corrigendos aptiſſimum iudicatur.

III. DISCVSSIO.

Vbi à Vindiciano ſpiritualia Societatis recenſentur.

§. I.

VBi Grauina dona, & chariſmata eſſe voluit omnium Ordinum cum Societate communia, vt magis vinculum dilectionis firmaretur, illud protulit. *Omnia veſtra ſunt, ſiue Paulus, ſiue Cephas, dicamus, ſiue Baſilius, ſiue Auguſtinus, ſiue Benedictus, ſiue Bernardus, ſiue Dominicus, ſiue Franciſcus, ſiue vita quæ cadit in exemplum, ſiue mors quæ vos in lucem protraxit;* quid hinc deducat Vindicianus, è floribus velut Veſpa liquores felleos colligens, audiamus. 1. p. c. 8.

Bonum ô ſuperi factum! iuuenculæ Societas tam ſplendida Eccleſiæ dona, ceu paraphernalia latiſsimè amplectetur &c. neque paruum ei ſolatium adferet, vbi nihil etiam emunctæ naris calumniatores in ſe repererint, quod Apoſtolicis DD. & ſummis Aſcetica Magiſtris tam antiquitus tritum, & ſolenne non fuerit. Vix aliud Iacobus Aluarez, Iulius Nigronius, Franciſcus Suarez aliique recentiores moliti ſunt, quàm vt nouiſsimi Ordinis, cum primis conſpirationem monſtrarent. VIND.

TVRT. Si tanta est in virtutibus conspiratio nouissimorum cum primis, veluti filiorum optimorum, ex optimis parentibus originem ducentibus, atque hos effert Vindicianus, vt illibatos, inculpatos, ab omni terrea concretione secretos, etiam ad parentes laudes istæ deriuantur, nam si delibatio sancta, & massa, si rami, & arbor,

Naturæ sequitur semina quisque suæ.

At id non semper euenit, degenerantibus filijs à parentibus. Et vt à parentibus quoque morbi in filios deriuentur; quod testatur Plinius iunior loquẽs de Cornelio Rufo, & commune Medicorum proloquiũ: *podagricos gignere podagricos*; ita & semina virtutum moralium plerumque ab Heroibus parentibus in natos propagantur, vt ille dixit. *fortes creantur fortibus*: tamen fieri sæpius contingit, vt nati ex vetusta, & illustri prosapia virtutibus, & stemmatib. prę clara, filij degenerent, & quo parentes clariores, eo filios insolentiores experimur, vt vulgo iactatum sit. *Heroum filij noxæ.*

Fallitur augurio spes bona sæpe suo, fortè hæc degeneratio causata, quod senecta mundi languidior, obnoxia peccato & alijs calamitatibus. Vnde, fit vt dixit Horatius.

Aetas parentum peior auis tulit,
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Magnum ergo solatium attulisti volens nolens, Vindiciane, cunctis Regularibus ex virtutum conspiratione nouissimorum, cum illis magnis parentibus Basilio, Benedicto, Augustino, &c. & alijs exemplaribus virtutum, quæ voluit esse communia. Turtur, vt in pluribus ramis, vna agnosceretur professio religiosa, nec vnus ramus alteri se præferret, sed stipiti, & radici vnus, & idem succus vniformiter difformis, & difformiter vniformis per ramos diffunderetur, & in eadem radice rami omnes diuersorum Ordinum conspirarent; nec fieret exceptio, vnum esse solum ramum viuum, cæteros aridos: & si prioribus velut naturalibus, vtpotè vetustioribus demonstretur Deus non pepercisse, timeant posteriores magis, qui inserti sunt bonæ oliuæ ex participatione charismatum veterum Ordinum, & humiliores ambulent in via Domini.

§. II.

Ad contradictionem mox inducitur Vindicianus post accepta, nec refutata paraphernalia, inquiens. *Cum Grauina superius insimulauerit Societatem superbia, ex nouitatis studio, quomodo celebri axiomate recantatur: omnia vestra sunt, & vestra nostra sunt? aut enim loquitur de illis rebus, quæ ad religiosæ culturam disciplinæ spectant, aut de alijs quæ in publico per Societatis ministeria geruntur. De prioribus iam ex Bullis Pontificijs respondimus. Posteriora certè Grauinam refutant. Si enim alicubi Societas loco moueatur, exhibe mihi inferiorum studiorum apparatum, omnium statuum sodalitia foue, da geminorum Sacramentorum frequentiam, da spiritualium exercitiorum deuotionem, da rudium catechismos, mißiones, & aliorum obsequiorum copiam. Si enim Societas omnia vobiscum habet communia, debetis supplere, vbi illa deficit. Aliqua tamen singillatim Grauina recenset, quæ Societas ab illis Ordinibus participarit. siue silentij disciplina,* inquit, *siue feruens oratio, siue contemplatiua vita, siue actiua: vestra nostrorum SS. exempla sunt, quæ in vestris mensis scholis, Congregationibus quotidie lectitantur. Placent omnia hæc & Societatis industriam humilitati adiunctam docent, quæ more Scribæ Euangelici in thesauros suos noua, & vetera sedulo comportat.* VIND.

Omnia (iterum dicit Grauina) veterum Ordinum vestra sunt, tam quæ ad religiosæ culturam disciplinæ spectant (& si aliqua recensuit Grauina, in quibus fateris Societatem participare.) Negat vero in publi- TVRT.

publicis ministerijs, solam esse Societatem imparticipatam, & imparticipantem aliorum Ordinum charismata; & relictis austeritatibus, choro, & alijs, in quibus Vindicianus confitetur in Societate non esse (vt etiam dicit Suarez) vt non ita accommodata ad finem illius religionis, ad alia ministeria ad finem Societatis acquirendum deuenitur. Certè finis huius religionis Societatis est, non solum propriam salutem quærere, sed etiam proximorum. Si de primo loquamur membro, nempè propriæ salutis, certum est, quod non sic potest dici proprius iste finis, vt in eo aliæ religiones non communicent. Verum tamen est, modum, seu ministerium assequendi hunc finem varium esse, & difformem: alia enim religio ad solam contemplationem, alia ad actionem quoque dirigitur. de quo satis Cassianus supra de scopo, & destinatione religiosi agens. Si de altero membro fiat sermo de procuranda proximi salute, ita est proprius (ait Suarez) hic finis Societatis, vt nulli alteri religioni conueniat. *Si enim Clericorum religiones inspicias*, subdit, *antiquissima omnium est Canonicorum regularium, sunt & alia, nempe religio Theatinorum, quam nouissimam*, ait, *præter Societatem* (ne suam vocaret nouissimam, artificiosè excipiendo) *& S. Pauli, vel Barnabæ.* nulla autem ex his ex speciali instituto ordinatur ad actiones Clericatus, quæ specialiter circa *proximos versantur, ad eas quæ ad cultum diuinum ordinantur.* Sed vel Suarez noluit, vel non aduertit legere instituta Clericorum, præsertim Regularium Theatinorum, ibi enim leget quomodo gerere se debeant (quod est finem supponere) ad concionandum, & fidelium confessiones excipiendas: cumque ad reformandos mores instituta sit eius contaminati temporis, id sine diuini verbi, & sacramentorum administratione fieri non poterat. De monachatu vero loquens, verum est quod *dicit Suarez, primo, & per se non esse ordinatum ad proximorum salutem*, & Monachos, vt Monachos officium non habere docendi: cæterum quia Monachi pro salute proximorum etiam sacerdotio insigniti sunt, probati prius in Monastica (de qua loquens Hieronymus dicebat: *sic viue in Monasterio, vt Clericus esse merearis*) possunt eis iniungi officiũ prædicationis &c. Vnde qui Clericus, & Monachus est duplicem potest induere rationem Monachi, & Clerici, vt sunt Benedictini, Carthusiani &c. ex eo quod Monachus est (ait S. Thom.) *sua & aliorum peccata deflendi habet officium, ex eo quod Clericus est docendi, & pascendi populum.* & satis est (etiam si actu multi non doceant, vt qui viuunt in perpetua clausura) vt possint fieri Rectores populorum, vt sic salus proximorum ædificetur, vel quod ad missiones destinentur, & docendos populos si Prælatis placuerit, vt patet de alumnis S. Benedicti, & hoc est quod dicit S. Thom. loco cit. satis est quod, *qui idoneus est ad hoc vt possit assumi ad id quod maius est, & in quo aliud includitur, idoneus debet reputari ad id quod minus est, & quod in maiori includitur. sed religiosus etiam si Religio eius non sit ad docendum instituta, potest assumi ad Prælationis officium* 16. q. 1. *Cũ ergo Prælationis officium sit maius, quã officiũ Doctorũ, quod Magistri legẽtes in scholis exercent, & tamen Prælationis officiũ simul habeat doctrinam adiunctam, non debet inconueniens reputari, si Monachus authoritate eius, ad quem spectat, ad docendi officium assumatur.* & in alio opusculo eadem docet [Aduertendum, quid *Monacho conueniat, ex hoc quod Monachus est, cui ait, non interdicitur alia maiora assumere si ei fuerint commissa, sicut Clericus non potest excommunicare ex hoc quod est Clericus, potest tamen si ei ab Episcopo committatur.* & ibidem allegat 16. q. 1. c. dictum contra quosdam, qui zelo amarissimo cõ-

Li. 1. c. 5.

To. 4. li. 1. c. 3. nu. 12. pag. 390.

Finis instituti PP. RR. Theatinorum.

Opus. 19. c. 1.

Opus. 18. c. vlt.

fessiones fidelium audire, dicebant, Monachis præsertim Benedictinis, non competere. vbi etiam sic dicitur. *Neque enim B.Benedictus Monachorum præceptor almificus huiusmodi rei aliquo modo extitit interdictor.* quod explicans S.Thomas ait, *id solum religiosis esse illicitum, quod eis est secundum statuta suæ regulæ interdictum.* Ergo cum Monachi non vt Monachi, sed vt Clerici possunt destinari ad munia quæ spectant ad salutem proximorum addictis, nec secundum statuta regulæ illis sit id interdictũ, & eundem respiciunt finem, quem aliæ religiones, quæ explicitè sunt institutæ ad salutem animarum. vnde non inferior fructus reportatus est in Ecclesia Dei ex Monachis, quorum agmina ad Episcopatum assumpta, & ad Gentium conuersionem, & peccatorum reductionem, non segnem nauarunt operam. sicut autem (vt dicit idem Suarez) Religio Societatis insignis est, quia, & si formaliter non est addicta austeritatibus aliarum religionum, *eminenter tamen*, ait, *continere aliarum austeritates*, & supplere illas ex magno desiderio pœnitẽtiæ grauioris (vnde secundum ipsum potest verè dici, quoscumque sodales, excepta quadragesima, & vigilijs, formaliter comedentes; in alijs diebus vbi crebra ieiunia iunguntur, eminenter abstinentes, addito illo desiderio exterioris pœnitentiæ) ita verum erit dicere, quod sint similiter (vt in his austeritatibus) formaliter Clerici eminenter Monachi: Monachi quoque, quibus non competit ex natura Monachatus primo, & per se respicere finem Clericatus, nempe procurationem salutis proximorum, sint quoque dicendi formaliter Monachi, eminenter Clerici, si non sunt assumpti, sed assumptibiles, formaliter quoque cum ad idem munus assumuntur. & nunquid est determinatus numerus militum Dei? Deueniens autem ad Religiones Mendicantes idem Suarez & præsertim loquens de Religione S.Dominici ex doctrina S.Thom. actum illius Religionis, ait, proprium esse Prædicare &c. propter quod illa Religio Prædicatorum dicta est. Nihilominus hunc eundem finẽ iuuandi proximi (subdit) *proprium sibi effecit Societas secundum modum sui instituti. in nulla enim Religione*, subdit, *hic finis in diplomatibus Pontificijs toties repetitus, & expressus. Nulla alia Religio, sicut facit Societas se speciali voto consecrat ad missiones subeundas, similiter cæteræ religiones, valde secundario, & quasi ex abundanti respiciunt salutem proximi, hoc est post interna & domestica officia expleta, Societas verò in hunc solum incumbit, & se disponere, & alios Societatis, vt in eundem finem procurandum apti sint. Demum quia ex primaria institutione, Religio Clericorum appellata est à Sacr. Conc. Trid. quia hæc natura sua postulat Clericatum, Religiones Monachorum non præstant.*

S.Tho. Benedictinor. defensor.

C.1. lib.1. de inst. soc. loc. cit.

Lib.1. c.2. nu.13.

2.2.q.184 a.4.

TVRT. Hæc sunt suppetiæ Vindicianicæ, vt aliorum Religionum communicatione nõ egeat, & sit aliquid in ipsa sola proprium in quo aliæ (nec etiam Religio Prædicatorum) non conueniant. & si P.Suarez. diplomata institutionum religionum Mendicantium legere voluisset, similiter fauores, & gratias concessas operarijs Euangelicis pluries, earumdem Religionum finem per earum, crebros exantlatos labores, fructus vberrimos reportatos, aduertisset. Vide hæc in priuilegiorũ monumẽtis & fusè in stimulo missionum F Thomæ, à Iesu Discalceati) antequam Iesuitæ nascerentur. Vnde ad hanc superextollentiam Suarez cauendam, Gregor. XIII. in Bulla quæ incipit *Ascendente Domino*, vbi studia Religionis Societatis Iesu recensuisset, pro communi animarum salute ait. *In quo cum aliarum Religionum studia; tum Societatis Iesu assiduus pro Christo labor, nec non vsq; ad finẽ perseuerantia, promptam se ostendit.*

In Bull. s.2

Non

Non ergo sola Societas in illo fine, sed aliarum absque eius excessu super alias, à Pontifice commendatur. Et Pius V. *non magis*, quàm alias, sed *non minus* quam alias, pro Christiana religione laborasse, & animarum salute, pronunciat. Quod vero speciali voto missiones subire voueant, qui profitentur solemniter Iesuitæ, non propterea faciunt sibi ex communi proprium. Satis sublimauit Suarez Patres & sancta cõuersatione viuentes tanquã Angelos in terris, facere noluit eos, vt Angelos in cœlo degentes, qui in intelligendo communi specie vt propria vtuntur. Alijs namque Religiosis, prȩsertim Mendicantibus, cum habeant hunc finem etiam, salutem scilicet animarum, ea est materia obedientiæ, vt sub præcepto mandari possent missiones, etiam si expresè non vouerint, implicitè enim vouerunt parere, si illis imponatur peregrinatio ad infidelium regiones, vel vt prædicent hic, vel ibi scribant, &c Vnde & passim præcepta formalia fiunt, vt ad salutem animarum libri imprimantur, lecturæ suscipiantur, &c. sicut autem non propterea est diminuta illa Religio, quæ solum expresè vouet obedientiam secundum regulam, quia expresè paupertas, & castitas non vouentur, cum in obedientia contineantur, ita sub eadem (quicquid Rodriguez, & Ludouicus Lopez insinuent) contineatur, vt cum Generali, vel Prouinciali placuerit, ex aliorum Ordinibus destinentur Religiosi exemplares ad procurandam salutem Gentilium, & aliorum infidelium se mitti patiantur; cum hic sit primus, & per se intentus harum Religionum finis. propria scilicet. & proximorum salus. Nec aliunde Moniales recludi potuerunt nouo vinculo, nisi quia id in votis implicitè continebatur, nempe custodia castitatis, ad quam valdè clausura conducebat. Et si explicitum votum diuersitatem finium inducit, diuersas dicere oportet Religiones, quarum quædam explicitè vouent omnia tria vota, aliæ solam obedientiam exprimunt: licet autem ad id quod est summum in virtute heroica, quis non possit, nisi ex speciali instinctu obligari, vnde antequam facilitaretur nauigatio ad Indos, id sub præcepto cadere non potuit, vel voto: iam vbi via in mari facta est exercitui Dei, potest cadere sub voto, vel præcepto, missio ad Indos, & passim hodie etiam sub formali præcepto alijs Religiosis præcipitur missio ad gentem conuulsã, & dilaceratam. Sed & eo temoore explicitum votum à Iesuitis factum, quando, iam alij Prædicatores veluti Aminadab mare transuadarunt, quorum quadrigas alij subsecuti posteriores. Quartum vero votum explicitum tunc diuersificat ipsasmet Religiones in aliquo fine, quando vna solum id facit, ad quod fundata est ex vi institutionis primo, & principalius, vt votum redimendi captiuos, seruiendi, & ministrandi infirmis, &c. Valdè autem mirandum est de Suaristica censura, quod cæteræ Religiones post procurata interna, quod superest, animarum saluti impendant. Nam si de internis virtutibus loquatur, primo propria deinde aliena curare debemus, esse prius concham, deinde canalem, contemplata posterius tradere. Si de internis, & vt addit, domesticis occupationibus satis sunt ministri Prȩlatorum, & Procuratores Conuentuum, vt his intendant: cæterum, vt omnibus alijs Religionibus, non secus ac in Societate, quidam sunt Conuersi, vel Laici, vel Coadiutores, omnes autem Sacerdotes, vel simplices, & horum magna pars choro addicta, alij vel studẽtes, vel Lectores, vel Magistri, vel Confessarij, vel Concionatores, & hi cum internis exercitijs orationis, capitulorũ, iuxtà Constitutiones nec à choro

exempti totaliter, sed ex parte, vt studijs vacare possint, ita quicquid elaboratur dando *partem septem, nec non & octo*, septem horis canonicis, datur octaua pars non quidem horæ, sed maximæ portionis, vt in Ordine ad salutem animarum, studijs occupentur. Quod vero Societas Clericorũ Regularium titulo fruatur, non specificat finem sibi propriũ, nam ante ipsam, idem nomen à Sede Apostolica obtinuit *Religio Theatinorum, quæ non nouissima præter Societatem, vt* dicit Suarez, sed prius ante Societatem, amicabili præcedẽtia instituta agnosci debet, nec vnquam hunc finem salutis animarum sibi appropriauit, ne in vitium elationis, & singularitatis incurreret.

Ergo dum in hoc fine, si omnium Regularium constitutiones euoluantur, in alijs multa habeant communia, & quæ participent; meritò dixit Grauina, *omnia vestra sunt, & vestra nostra*, & si placeat vti terminis eorum Authorum, quorum Vindicianus fictum suscipit patrocinium, omnia vestra sunt, siuè formaliter, siuè eminenter, & è contra vestra nostra quoque sunt eodem modo, & in fine illo præcipuo, non sit alia discretio, nisi expliciti, & impliciti, vt non ex hoc communis finis proprius fieri possit, nec debeat.

Quantò suauior Grauiniana vox: *omnia vestra nostra sunt, &c.* quam dicere *in multis erant mecum*, poterat enim dicere, in fine propriæ salutis, intentione mecum, iñ procuranda salute proximi mecum, in austeritatibus formaliter nõ mecum: & ipse Vindicianus in hoc dici vult non mecum, cum tamẽ in multis in quibus, nec sunt mecum, dicti sint mecum ex præparatione animi, & ob finem vniuersalẽ pulchritudinis exercitus Christi, ex varijs Ordinibus constantis. At Vindicianus eos excludit in eo quod est etiam proprius finis, vt dicat: sola Societas est sibi secum, cum etiam pro sua modestia dicat, omnes religiones mecum, nec Societas sit ei secum, cum Vindicianus ad externa castra pertineat.

§. III.

Sed nec sistit in fine singularitas asserta, sed deficere aliorum solertiam in executione demonstrare contẽdit; vnde subdit.

Si enim alicubi loco Societas moueatur, exhibe mihi inferiorum studiorum apparatum, omnium statuum sodalitia foue, da geminorum Sacramẽtorum frequentiam, da spiritualium exercitiorũ copiam. Si enim Societas omnia vobiscum habet cõmunia, debetis supplere vbi illa deficit. Ac si dicat Vindicianus. [*In locis vbi Societatis Iesu Religio abscedit, illico omnia tepescere, & elanguere spiritualia exercitia, sacramentorum administrationem, Catechismos.*] VIND.

Miror, quod cum ministris non dixerit sacramenta abscessisse, & cum Catechistis symbolum, cum operarijs etiam Dominũ auolasse, quasi similis calamitas in eos irruat cum hi discedunt, quod Ierosolymitanæ ciuitati accidit, *auferam à vobis omne robur panis, ariolum, & senem, & prudentem eloquij mystici*, quorum omnium ablationem ad magnam calamitatem permissam, interpretes, præsertim Hieronymus, annotarunt. At experientia compertum est, nullo modo operarios alios cessasse à ministerio verbi in ijs locis vnde discesserunt sodales sponsi, & è contra vbi alij Ordines discesserunt Iesuitis superstitibus, imò & labores duplicarunt, vt etiam *diuidantur spolia prædarum multarum, claudi diripiant prædam. Nec dicet vicinus elangui, populus qui habitat in ea, auferetur ab eo iniquitas* ira Dei, ait Hieronymus, *quæ in populos* illos irrepsisse videtur præbet huiusmodi ministris pulchritudinem, vt *nullam infirmitatem sentiant, nec dicent laboraui. Qui enim fuerit inter eos, auferetur ab eo iniquitas atque peccatum, quia Dei executus est voluntatem.* Quæ dicta Hieronymi ad propositum Turturis faciunt, vt existimati TVRT. Es. 3. Esai. c. 33.

mari claudi Religiosi illi infloridi, sæuiente ira in populum, accipiant fortitudinem, & laborent indefessè in prædicationibus, confessionibus, &c. diripiendo spolia à diabolo reportato illo fructu, qui est abolitio peccatorum. Omnium Religiosorum Chronica, & monumenta legantur, & vsque ad satietatẽ gustabit curiosus Lector, & Turturem vera dicere iudicabit. Hoc accipiat Vindic. & ex Esaia discat, quod olim Ephraim, & habitantes Samariam in superbia & magnitudine cordis dixerunt. *Lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus ædificauimus, Sycomoros succiderunt, sed immutabimus*: quasi dicerent exponente Hieron. *Paruum est Regnum Iuda, & nostri comparatione vilißimum, itaque illis ruentibus lateribus, nos quadro lapide ædificemus nobis domum, illorum Sycomoros, quæ ligna sunt vilia hostili incursione succisa, nos Imperium nostrum Cedris extruemus, quæ imputribiles sunt, vt Regnum significent sempiternum.* Et propter eam superbiam non est auersus furor Domini, quin vires in quibus confidebant extenuaret. Non audiantur amplius illæ voces, quas non Societas, sed tu callide veterator iactas, & iactandas suggeris, & his opusculum Anonymum passim inspergis, videlicet. *Alij Ordines lapsi sunt, Societas sola superstes*, quæ quadros ædificat in domo Dei, ipsa sola incumbit animarum saluti: *aliæ Religiones* sunt veluti nasturtium vt infra dicitur, & Sycomori: *sola Religio Societatis* Cedrus imputrefactibilis: *aliæ Religiones multis* indigent spiritualibus bonis, *sola est Societas*, quæ sibi soli sufficiens est. propter quod subdis Vindic. quod si Societas, *ab aliquo moueatur loco, illico omnia pessundantur, vt nec ab alijs Religiosis suppleātur.*

Cap. 10.

Nolo Lectorem ad Antipodas transmittere, vel ad totius Europæ partes, Hispanias, Gallias, Germaniam. pro confutatione huius singularitatis assertæ à Vindiciano. Circumspice quæso solum in nobis vicina Italia dominium Venetum, Reipublicæ illius formam considera, & denotabis subiectorum populorum religiosam conuersationem, & innumeram gentem à Parochis, & tot religiosorum cuneis in via Dei informatam, & ad iustitiæ, cæterarumq; virtutum actus exercendos, à cæteris Religiosorum Ordinibus instructam. Si templa perlustrabis, ad diuina officia, sacras conciones, sacramenta suscipienda, videbis populos confluentes, vt aquarum copias inundantes. Si domos religiosas ex omnibus Institutis tamquam aluearia constructa, intueberis religiosos velut apes mella formantes, & pro proprio, & proximorum bono elaborantes. Xenochia, & aliæ domus pro miserabilibus personis exstructæ munificentissimè, atque insigni liberalitate sustentatæ tibi occurrent. Sodalitates innumeras intueberis, vbi varijs virtutum actibus excoluntur. nam, & puellæ nubiles abundè dotantur, eorumdem pijs eleemosynis, verecundiæ nobilium consulitur secretis sustentationibus, alijsque necessitatibus mera charitate prouidetur: rari pauperes per ditionem illam emendicant, cum eorum miseria misericordia ciuium præueniatur, ne mendicare cogantur. Fraudes absunt, dilationes causarum non habent locum; iniuria homines non armat, oppressio à potentibus non auditur; forum litibus non mugit insanum, acceptio personarum, vel munera iudices non corrumpunt: iustitia non opprimitur, nam & Areopagum Senatus ille repræsentat, vbi causa viduæ adiudicatur, pupillo non fit iniustitia, occulta crimina cum deteguntur pœnam habēt manifestam, nec timetur posse redimi prece, vel precio, quod mulctandum meretur. Non consentiunt iura peccatis, vel incipit esse licitum, quod publicum est, nec enim sententia iudicum vendi potest, vel

De Repub. Venet.

VIND. *Fabula est S. Ignatium Societatis Iesu conditorem, à diuino institutore Gallo, cui nomen erat Ioannes Clanonius, quique in Monte Serrato Sancti Benedicti Cœnobitam egit, partim didicisse, partim vsu, & exercitatione ea annotasse, quæ maximo animarum fructu componeret, atque euulgaret testem in margine citat authorem hist. Societatis lib. primo.* Probare autem suum propositum conatur Vindicianus ad suadendum commentitiam fabellam productam à Grauina. *Primo, quia institutio Sancti Ignatij, à Gallo facta fuit de meditatione, non de exercitijs. Secundo quod post quartum mensem Manresæ altius, & profundius se immersit, ab oratione vocali transeundo ad actum contemplationis, contemplationes postea in Libello spirituali digerendo.* hæc dicit his formalibus verbis.

Nescio ego quid oculos, vel mentem legentis fascinarit, vt consilium illic datum Ignatio de commentatione, quæ fit sub oratione, acciperet. Consilium fuit, vt cum viro bono atque prudente, quicquid meditaretur communicaret. Scriptor latinæ vocis significationem sequutus, de solamentis deliberatione loquebatur, qua quis effectui mandare nititur, quæ prius tacitè secum delegit.

TVRT. Ipsa Orlandini verba hanc intelligentiam ministrarunt, vt consilium datum sit Sancto Parenti, vt quicquid meditaretur communicaret, & illa particula, *quicquid*, ne dum mentis deliberationes, sed etiam contemplationes, instinctus, & alia sentimenta complectitur, quæ nouo tyroni ad perfectionem aspiranti erant necessaria (vt prima elementa) & in triduana illa commoratione, quando feruentissimam illam generalem exomologesim fecit de tota vita. Ad tam admirabilem contritionem non potuit non adduci, nisi ex ingenti amore, qui oritur ex contemplatione diuinorum attributorum, & beneficij redemptionis &c. Et ad subleuandam spem diuinæ misericordiæ, & perfectam detestationem peccatorum, variasq; retardationes & cunctationes, & tentationes (vt Augustino contigit) expelleret das, necessarius erat talis institutor, cui conferret æstus suos, & illum instrueret sic affectum ad ambulandum in via Dei, & primas tunc lienas Clanonius (alias Cianonus) efformauit, purgatiuæ viæ modos tradendo, quos experientia comprobans, & cordi imprimens opere, & veritate postmodum traderet.

Ribad. in vita S. Ignat. c. 3. & 4. P. Anton. Yepes 4. to. Chron.

Ord. S. Bened. cent. 5. c. 2. de Cœn. S. Mont. Serrati Pag. 236.

Facit ad propositum probãdum, quod S. Patriarcha Ignatius *in oppido Manresa circiter tres leucas à sacra æde Montis Serrati distante, subsistere aliquando decreuit, vnde sæpius & commodius Montem Serratum repeteret, seu Virginis colendæ studio, seu spiritualis Patris conueniendi necessitate permoueretur.* Accedit, quod tunc familiarissima erant exercitia in dicto Monte, quæ composuerat Pater Garsias Gisnedus Benedictinus, & impressa iam pridem anno 1500. decimatertia Nouemb. quæ seruantur in insigni Bibliotheca Cassinensi, vt dicit R.P.M. Anton. Scipio in elogijs Abbatum Cassinensium in Ioanne II. Abbate 29. in appendice: etiã reseruantur Neap. in Conuentu S. Mariæ Sanitatis, cum epitomate alio dictorum exercitiorum, ibi in pag 10 à terg. dicitur *Ordenaremos algunos ciertos, y determinados exercicios, segun los quales se prodra exercitar por toda la semana, segun las tres vias, que son dichas, Purgatiua, Illuminatiua, y Vnitiua.* his consimilia circumferuntur in tractatu dicto: *Exercitatorium vitæ spiritualis Salmanticæ 1569.* Quare & horum exercitiorum doctrinam à S. Ignatio (si fiat collatio) imitatam reperies. & Ludouicus Blosius Benedictinus in institut. spiritualibus, de internis exercitijs spiritualibus facit mentionem, maximè de ijs, quæ pertinent ad viam vnitiuam. S. Bernard. vel alius author etiã

M. Ant. Scip. in elogijs Abb. Cassin. pag. 66.

Cap. 5.

professione Benedictinus ad Fratres de Monte Dei, exercitia etiam interna commendãs, dicit, *singulis horis tua distribue exercitia, quid spiritualia spirituali, quid corporalia corporali.* Quasi ergo connaturale erat Benedictinis se in exercitiis spiritalibus exercere, & quasi in promtu habere. Quid ergo inuerisimile, quod exercitijs spiritualibus pertinentibus ad vitam purgatiuam saltem instrueret, & alia breuissimè indicaret ad purgatiuam, adilluminatiuam, & vnitiuã viam pertinentibus, quæ postea (vt secundo puncto occurramus) Manresæ in praxim deduceret, & admirabili luce magis accenderetur ad penetrandum diuina?quç omnia lineata prius tàm in Monte Serrato, quam Manresæ peculiariter expertus diuinæ lucis subministratione. cũ ad secretiora mysticæ Theologiæ arcana admissus est sed quia (præter R.D. M. Anton. Scipion. supra citatum) id luculenter ostendit in quodam opusculo M. S. eruditissimus, & sapientissimus R. D. Abbas Constantinus Caietanus, non opus est in syluam ligna ferre, cum hæc ab ingenio sint occupata meliori. Sed nihil per hominem, vel ab homine didicisse vult Vindicianus humillimum S. Ignatium, nam subdit.

Colum. 15.

§. V.

VIND. *Nihil ergo de meditandi Ritu in Monte Serrato actum: neque Orlandinus ausus est hominem inducere, sed diuinum vocauit institutorem, nequaquam Gallum Clanonium, sed admirabilem cæli lucem denique Deum ipsum, qui Magistrum experimentissimum formare instituisset, alioquin, vt etiam liberalius, cum Grauina ratiociner,* quomodo Clanonius solum *Ignatium tanti thesauri participem fecit? aut si quemquam ante vel post Ignatium eadem meditandi scientia imbuit. Ede quæso, nomen, diem. & Consulem, qui discipuli eius domi, vel foris, eisdem à fontibus lab. a rigarint? quod si tanti operis fructus in Ignatio, tam luculenter effloruerunt, quomodo nullibi apud cæteros tam excellentis artificij memoria diuulgata fuit, vbi salutares vndæ scaturiunt, nemo tam auidus Euclio est, quin familiæ suæ accolisque insigni vtrorumque bono, & suamet rei familiaris incremento communicet. Cur ex S. Benedicti Clarißima familia tot tantique viri deserta Clanonij indulgentißima vetua, Ignatij potius animum commendationibus excoluerunt?*

TVRT. Audi responsionem ad singula, non sic institutori externo se alligauit Grauina, quin diuinam lucem, & Deum ipsum interius docentem S. Ignatium abnegaret, & vocula *institutorem*, magis ad loquentem exterius, quàm ad lucem respexisse videtur Orlandinus, tanquam nobis notiorem, si verba Historiographi perpendantur, & attentè legantur. Sic autem Vindicianus primam istam informationem in via purgatiua saltem abnegat, vt totam eruditionem immediatè in Deum referat, omni magisterio hominis secluso. Paulus Apostolus initio suæ conuersionis à Deo quidem, & luce interiori ad fidem vocatus, exteriori quoque luce, & magisterio illustratus, post prima rudimenta ad Cœlum raptus vidit arcana Dei. Theodorus Cœnobiarcha designatus, & oraculo cœlesti demonstratus Pater futuræ prolis, ab alio prius instrui voluit, timens prius esse Doctor quam discipulus. S. Romualdus Camalduensium Pater in finibus Venetorum se tradidit (post suæ conuersionis initia) institutori Marino, vt ab eo vitæ spiritualis elementa cognosceret, vt postmodum tam sublimem Ordinem Eremiticum cõderet, & Eremiticæ vitæ instituta, & exercitia fundaret. Horum vestigia terens S. Ignatius, & ad cauendas tentationes superbissimas, iuxta doctrinam S. Augustini, institutorem externum Gallum in vita spirituali eruditum in exercitijs spiritualibus, *r. de doct. Christ.*

quæ

quæ in illa Sancta Domo iam exercebantur, vt ducem suæ vitæ habuit, cui more periti medici, illo triduo nedum curatiua, sed etiam præseruatiua remedia instillauit. eadem quoque exercitia, quotquot potuissent sine inuidia nō solum Clanonium, sed etiam omnes illos Patres, peregrinantibus ad illam Sanctam Domum communicasse, quis dubitat, cum spiritualis vitæ professores alios trahere ad Dei amorem, & cognitionem pro scopo habeant, qui nec soli volunt in via Dei currere, sed etiam alios, dicentes cum spo[n]sa *trahe me post te*, quantū ad se [curremus] quoad alios, &c. & licet annus, dies, mensis, Consules denotari non possint, non id necesse Grauinæ, cum per se notū esset, religiosissimos illos Benedictinos illius domi incolas innumeros instruxisse, solumque per excellentiam tanti ducis Sanctissimi Ignatij ad Christi pedes, veluti alter Saulus, prostrati, ad commendādam Dei bonitatem meminisse opus fuit, sicuti, & si multi sint ab Anania instructi, de quibus temeritas esset dicere, sub quo Consule, anno, & die; tamen solius Paulinæ instructionis ab Anania diuina scriptura commemoratio facta legitur, vt diuinæ pietatis in Deo, & in Paulo humilitatis cōmendaretur exemplum. Abeat ergo Vindicianus, & à Choro spiritualium relegetur, qui ea quæ carnis, & sanguinis sunt cogitat, & puerorum more in rebus spiritualibus iactantiam, gloriam, & singularitatē affectat; dignus, vt veluti puer inflatus nouis vestibus ob vanam gloriam vapulet.

Cant. 1.

§. VI.

VIND. Vindicianus pergit adhuc, & nullum authorem nisi Deum immediate habuisse S. Ignatium institutorem contendit. Quia cum de origine exercitiorum examen factum est, cessasset proculdubio inquisitio, quia erat *Patrum in Monte Serrato authoritas, & doctrinæ opinio. vt potuisset S. confessariorum nomina, famam, & dignitatem digito in Montem Serratum intento, à quibus ista hausisset, profiteri*, & Ignatius id *nec fecit, nec potuit*, cū religiosi inquirentes *instabant, an à spiritu venisset doctrina exercitiis comprehensa &c. & alijs modestiæ verbis scandalum, & Inquisitorum solicitudinem declinauit*, & concludit Vindicianus. *Ex proprio itaque vocationis spiritu, non aliunde Societas orandi, & contemplandi industriam requisiuit, quod ipsum confirmant, qui à B. Virginis institutione profectam in Vita, Bal. Aluarez narrant.* Cap. 43. 1. 1. p. 2. c. 17.

TVRT. Propterea dixit Grauina partim ex Clanonio, partim vsu, & exercitatione, illa exercitia didicisse S. Ignatium, & vel ex ordine, vel ex dispositione, noua luce, quæ communia erant, facta propria sunt, & propterea non ad alios refudit authores in examine Inquisitorum. Originem ergo ad alios referre necesse est, quantum ad substantiam, & fundamentalia capita: modus, & methodus, aliæque nonnullæ meditationes ad S. Ignatium referuntur. Quod vero à B. Virgine Deipara tradunt didicisse contemplandi modum, exigi posset ad hominem, vt facit arguendo contra Grauinam, vt denotet Vindicianus diem, & Cōsulem, in huiusmodi enim apparitionibus grauitatem, & pondus asserentium aduertere debemus, nam nec defecerunt quidam sine authoritate loquentes, qui etiam S. Ignatium Rosarium à B. Virgine suscipientem depinxerunt, & Suarez, cū crucifixo alloquentē scripserunt, sed hæc non obijcit Turtur, nec manus diuinas tornatiles plenas Hiacynthis gratiarum astringit, vt non distribuat quibus vult charismata gratiarū, sed solum vt eodem argumento ostendēdi dies, Consules, annos, vt semper facit Vindicianus, eundē euincat.

VIND. *Fabella est, cum arctissima esset Ignatio, cum Caietano Thienæo consuetudo, in Clericorum*

Theatinorum vineam, vt Christi operarium ascribi postulauit, diuinitus tamen (subdit) *eius ingressus interdictus fuit, quod Thienæus cognouisset, Ignatium alterum condendæ vineæ reseruari. Addit hic Grauina parenthesim (quidam ita sentiunt. de qua re aliorum esto iudicium) nec tamen suum ab hoc figmento cohibuit, cum claris verbis doceret Clericorum sodalitia, & nominatim S.Ignatium Lojolam Theatinos Patres imitatos esse, neque Grauina de sola temporis successione intelligi potest, sed de instituti norma, quia ducatum illis tanquam antesignanis attribuit.*

TVRT. Vtrumque asserere, nec sanctitati Ignatij, nec Religioni Iesuitarum derogat, quãdo verò accidisset, & indecisum Tur. reliquerat. Verum, quia de hoc etiam taxas Grauinam vt fabulosum, sensum suum conatur exprimere, prudenter satis credibilẽ eiusmodi collocutionem, & per eam insigne humilitatis exemplum in vtroque demonstrari demonstrans. Et quidem quantum attinet ad primum punctum, quod S. Ignatius à Beato Caietano postulauit adscribi familiæ Patrum Theatinorum, ad sufficientem fidem adstruendam, quando esset assertio omni aliorum probationum genere destituta, satis esset traditio, quæ tam in controuersijs Politicis, quam Ecclesiasticis inconcussum robor authoritatis habet, vt perbellè Tertull. lib. de corona militis. Sunt in Archiuio Sancti Pauli clarissimorum seniorum testimonia id attestantium, Thomæ Bergomi Ianuensis senis venerabilis (id à præcedentibus accipientis à Bernardino Superantio Veneto octuagenario &c.) Benedicti Manensis Veneti eandem attingentis ætatẽ, qui pluribus capitulis interfuit; Leonis Casalis Ariminensis ad decrepitam ætatẽ suos dies producentis, non semel ad Generalia capitula destinati; Ioannis Antonij B. Caietani contemporanei, cuius sæpius Tufus Episcopus in sua historia meminit, Marci Antonij Palascandali Baronij calamo in annotat. Martyrolog. celebrati. Et Basilij Caucacij Ephesiorum Episcopi, eiusdem traditionis à primis vsque ad hæc tempora perductæ dignum tanto viro testimonium perhibentis. *In Martyr.* Cumque hæc traditio sexagenario maior in tot grauissimis viris ante exortas lites, perseuerauerit, firmam adstruit fidem: nec in suspicionem venire potest, quia à domesticis orta est, nam fermè omnium sanctorum acta, quæ in Cœnobijs domesticè patrata sunt, in dubium venire possent, nec quia domestica sunt ideo non vera, imò ideo vera, quia domestica à domesticis veridicè narrata fuerũt, vt rectè Naz. dixit, qui domesticas virtutes domestica accepta relatione profert. *Orat. in funere Gorgon.* Aduersus traditionem affirmatiuam, traditionem alteram negatiuam, non modernorũ, sed antiquiorum ad eludendã fidem, mouentes quæstiones futiles producere debebant, secundum iura, vt affirmatiua de loco, & tempore coarctata atque traditione probata à negatiua, minimè sub sensum cadẽte, oppugnata in dubiũ deueniret, videlicet asserẽdo nunquam S. Ignatium, & B. Caietanum Venetijs sese inuisisse, ac proindè nec habitum Theatinorũ expostulasse. Ergo coniecturis negatiuam probare intendit Vindicianus.

§. VII.

VIND. Et primo [quod amicitia, & collocutio anno 1534. Venetijs, & Vincentiæ cõtrahi potuit, cum S. Ignatio, & B. Caietano, &c. *vt iam dudum Socios Parisijs sibi asciuerat, & cum illis anno 1534. votum Hierosolymitanæ, non solum peregrinationis, sed etiam commorationis perpetuæ emiserat, euentus voti incognitus erat: spes autem profectionis omnes cogitationes absumebat. Eadem spe Socios Venetias aduocauit, aliosque nouos per spiritualia exercitia, vt bo-*

vt hostium, & par fratrum Guiarum adiunxit? vnum ex socijs titubantem, & Eremiticam expetentem, spectrum armati, & Ignatij verba coercuerunt. Quis hoc tempore credat S. Virum eadem diffidentiæ lue correptum, ac voti immemorem socios desertum iuisse?

TVRT. Quis hoc tempore colloquutos prohibet, cum disertissimè P. Ribadeneira sic scribat in vita S. Ignatij. *Venetijs etiam cum Ioanne Petro Carrafa, qui postea Paulus IV. Pōtifex Maximus appellatus est, consuetudinem habuit, qui Episcopatu relicto ad Caietanum Vincentinum se socium adiunxerat.* Quando cum eodem colloquutus S. Ignatius. i. cum Ioanne Petro, idque anno 1536. contingere potuit, & cum Petri comite Caietano alloqueretur, erat enim celebris tunc temporis Caietani Sanctitas, & notissima, vnde S. Ignatius cum Venetias appulit, tanti viri sanctitatem olfecisse mirum non est, cumque nec apud Hispaniarum Oratorem S. Pater diuertere voluerit (Ribadeneira referente) quin potius inuentus sub porticu Sancti Marci humiliter procumbere, deliciarum huius sæculi contemptor deprehensus esset, nec dedecuit humilitatem Sancti, vt etiam religiosorum domos pauperes tereret, consilium sequens Ecclesiastici: *Gradus ostiorum illius [nempe Sancti] exterat pes tuus*; idque verosimile fama Sanctitatis B. Caietani commotum præstitisse.

Eccles. c. 6.

Potuit ergo tunc habitum Theatinorum petere, cum nulla eo tempore de instituenda Societate aliquid in mentem venerit S. Ignatio, nec aliquo diuino instinctu didicisset, qui etiam si didicisset (etiam si habitum non petijsset) collocutio facta est, vt prior reuelatio magis confirmaretur, sic disponente Dei prouidentia, arctiusque vinculum necessitudinis inter istos duos sanctissimos viros, suasque religiones firmaretur; quod & non semel in Ecclesia accidit, vt legimus de Sanctissimis Dominico, & Francisco; Thoma, Bonauētura, Carolo, & Philippo, Philippo & Ignatio, quorū spiritus, ex mutua collocutione rerū diuinarū accendebatur, Dei dona, sine inuidia communicabant ad instructionē, vel profectum, mutuamque in via Dei corroborationem acquirentes, salutaria consilia impartientes tanquam boni dispensatores multiformis gratiæ Dei, & si aliquale tunc erat vestigium Societatis non adhuc erat religio instituta, dicente Nigronio anno 1536. [non erat quidem tunc religio, neque Societas proprijssimè religiosa, aut Ordo canonicè institutus, nec enim tunc ab Apost. Sede approbatus, sed Societas pia, spiritualis inchoatio quædam religiosi Ordinis mox futuri] vnde ad petendū habitum S. Ignatium mouere potuerunt, eadem intentio, idemque finis, qui in pectore Ignatij Sancti iam præfixus erat, feruēs animarum lucrandarum zelus, qui cum à Religione iam instituta, & probata optimos euentus sortiretur, facillimè potuit inclinari S. Ignatius ad certum, & iam probatum institutum amplectendum, incertus de sui Ordinis confirmatione; imò nec de exordio sui Ordinis cogitante. Altissima Theatinorum paupertas, paupertatis amantissimum, non leuiter Ignatium pelliciebant, vt in paupertatis domo adscriberetur. Feruens amor Ignatij à martyre illo Episcopo non dissimilis pro Christo moriendi, in illa religione nomen dare cupiebat, cuius viua exemplaria cernebat, inter cæteros, Caietanum, qui in irruptione Borbonica Christi confessor effici meruerunt pro Christo Domino, multa temporalia damna, & contumelias perpessos. Religionis promotio Ioann. Petri Carrafæ authoritate, & grauitate (qua Respublica Veneta regebatur, & grauissimi illi Senatores velut mundi oraculum eius consilia susci-

susciebant, ad quam prouehendam præter B. Caietani personam, qui in toto dominio Veneto tanquam Angelus Domini extimabatur) maximè conducebat: Bernardini Scotti probitas, postmodum Cardinalis, Petri Fuscareni Doctoris Parisiensis doctrina, Thomæ Golduelli Sanctitas Episcopi Asaphensis, quem Baronius vitæ sanctitate, fidei confessione, & doctrina conspicuum fuisse commemorat: vehementissima hæc erant attractionis argumenta, vt veteranis, qui iam pridem castra Dei omnipotentis fixerant, adiungere se cogitarit Ignatius, vnumque cuneũ fortissimum, ex suis Socijs, & Theatinis coalescere exoptans, & adhæreret galea galeæ, & viro vir, & iungeretur sub vno clericorum regularium vexillo formatus exercitus, qui inferis esset terrori. Quod si fatetur Ribadeneira eundem sanctum *sæpißimè reuoluisse, religionem aliquam inire, & postmodum propensiorem ad laxiorem eligendam fuisse, vt plus pateretur, ac Deo dignos fructus in reformationem proferret.* Cur non potuit dum id in deliberatione esset, repræsentato perfectionis prototypo, clericorum Theatinorum religione feruenti, visis in Ciuitate Veneta exemplorum virtutibus, à laxioris religionis ingressu animum auocare, & in primo feruore institutam religionem non segniter in via Dei ambulantem, sibi sequendam statuere, abiecto laxioris desiderio, cum cogitationes posteriores sint meliores? Accedit quod quãuis socios Venetias aduocasset eo tempore S. Ignatius, non inde fit consequens, non potuisse gigni desiderium in animo sancti ingrediendi religionem; quid enim repugnabat, cum omnibus suis socijs Theatinis nomen dare, non secus ac S. Bernardus cum 30. iuuenibus Cisterciensem familiam ingressus est? Etiam P. Maffæus refert in vita Sancti Ignatij, adeò retardasse socios, vt S. Ignatius eorum iam desperaret aduentum. Prudentissimè ergo Christo militaturus militiæ spiritualis leges sectans, in militia terrena exercitatus, alijs commilitionibus se adiungere satagebat, quàm solus, iam destitutus socijs militare: nec desperationis lue fuit correptus B. P. vt non aduenientes socios putaret deserere, sed ex mora altissimum finem alium meditatus, diuina prouidentia factam retardationem existimans, vt aliam ingrederetur viam: nec id in Scriptura inusitatum, nam etiam si vellent Paulus, & Barnabas pergere in Bythiniam vetiti sunt illuc ire à Spiritu sancto; qui, etiam si despondisset, meminit Vindicianus in hac vita alios sanctos idem passos esse, nam tædio correptum Apostolum Paulum legimus, vt (dicebat) *taderet etiam nos viuere.* Diffidentia item insignes alios viros vexauit. Hæc dicebat Ambros. in psalm. 18. *Infirmitates ad salutem sunt, & timores sanctorum.*

Die 3. Nouemb. in Martyr. Roman.

Lib. 1. vitæ S. Ignat. c. 16.

Maffæus in vita S. Ignat.

Act. ca. 16.

2. Cor. c. 1.

Serm. 21.

Familiaris fuit quoque S. Ignatij virtus, potius subesse, quam præesse, vnde Generalis Præpositus esse renuit, & caput suæ religionis; potuit ergo potius appetere subditi vitam, & administrum agere, quam architectonicam religionis formam erigere: cumque (testante Maffæo) diligenti prece, ac ieiunio diuini numinis voluntatem exploraret, & diu perplexus hæreret, potuit tunc in eam ire sententiam se incorporandi cum Theatinis, donec à B. Caietano, oraculo habito, animatus, diuinam ex ista submissione, & humilitate melius diuinam perciperet voluntatem. Nec leuitas, vel inconstantia S. Ignatio tribui potest, vt quidam pusilli timent ex huiusmodi habitus petitione, nam certè ex S. Thoma propositum de ingressu religionis à Spiritu sancto est, & nihilominus non ex leuitate multos SS. PP. legimus, etiam (iam religionem ingressos) ad alia Cœno-

Lib. 1. c. 6.

2. 2. q. vlt. a. vlt ad 2. Cass. 4. de instit. c. 31.

Cœnobia diuersi instituti transmigrasse. Abbas Paphnutius ex nimia reuerentia subditorum, vt humilitatem exercere posset ad Cœnobium Tabennositarum auolauit. S. Dominicus Canonicus regularis, non ex leuitate relictis alijs Canonicis regularibus Prædicatorum religionem, quã fundauit ingressus est. S. Nicolaus Tolentinas audito concinatore Ordinis Sancti Augustini de contemptu mundi prædicante, ex Canonico regulari Augustinianus Eremita efficitur. Sanctus Antonius Patauinus accensus Martyrij desiderio, similiter ex Canonico regulari, Fratrum Minorum consortio aggregatur, vt ad Prædicandum Euangelium in Marochium destinaretur. Spiritu sancto inspirati hi omnes religionem ingressi, & ex rationabili causa, nedum ingredi alias religiones proposuerunt, sed de facto ingressi sunt, ab vno ordine prouidentiæ in alium ordinem deducti à Spiritu sancto, qui electos suos ducit per vias rectas vsque ad Regnum Dei. Sed sicut idem Deus (ait Augustinus) per Spiritum sanctum, & famulos suos, *secundum ordinatissimam distributionem temporum, dedit minora præcepta populo, quem adhuc timore alligari oportebat, & per Filium suum maiora populo, quem iam liberari conuenerat, cum autem minora minoribus, maiora maioribus dantur ab eo, qui solus nouit congruentẽ suis temporibus humano generi exhibere medicinam*; ita de inspirationibus, & diuinis institutionibus discurrendum est, vt etiam minora, vel maiora hæc vel illa, imo, & diuersa hæc ab illo inspirentur, secundũ ordinatissimam voluntatem, temporumque distributionem, & ab illo fiãt, per quẽ facta sunt tempora. Hinc vni, & eidem Abrahamo, modo præcepta est filij immolatio, modo post alia momenta diuersa nõ immolandi, intimatio facta est: Dauidi à Deo immissa cogitatio templi ædificandi,

Ser. de Domini in Monte lib. 1. post initium.

deinde vero expressè ab eodem Domino prohibitio facta est. Ab eodem ergo spiritu Dei expectati socij S. Ignatij, vt Hierosolymam voti, & religionis causa adirent, & tamen Ribadeneira fatetur, quod *eo anno interdictum fuit peregrinis Hierosolymitanus accessus, Domino ad alitera gressus Sancti Ignatij, & sociorum, quam ipsi caperent, vel intelligerẽt, destinante.* Quid ergo repugnat, vt ex instinctu Dei, cuperet Theatinorum habitu indui, & ab eodem spiritu postea retarderetur, ad tam insignem Ordinem Societatis plantandum reseruatus, & à Caietano animatus?

In vita breuiori.

§. VIII.

VIND. Tu quoq; Vindiciane confiteris, quod *desperato iam afflictim expetito Hierosolymorum aditu voti Parisiensis, pars altera reuixit, vt suã Ignatius, & socij operam Sedi Apostolicæ transscriberent, quod ipsum anno 1537. præstiterunt.*

TVRT. Hæc ne mutatio propositi arguet S. Fundatorem de inconstantia! an fortè diabolicus astus fuit, quod nefas est dicere, peregrinandi votum à sancto emissum? minimè; cum ergo vtrumque necessarium sit confiteri, de Spiritus sancti pixide profectum consilium, non est cur neget Vindicianus, ab eodem Spiritu Dei sanctas cogitationes emissas, primò ingrediendi Religionem Theatinorum, vt ex hac insigni humilitate potius regi velle, quam regere, diuinitus Pater multarum Gentium efficeretur. Idque magis verisimile est, cum vt tu idem postea fateris Vindiciane, anno, *sequenti 1538. omnes ex Italia conuocati ad vrbẽ, totos se proximi in spiritualibus iuuandi curam impenderunt. Anno 1539. de condendo Societatis Ordine tractare cœperunt*; nam, cum non dum de ordinis fundatione, nisi post discessum à Venetijs tractari cœptum sit, potuit primum consilium mentem Sancti Ignatij impellere, ad susceptionem

habitus Theatinorum,& à B.Caietano ad fundaméta ordinis iacienda animare. Sed hoc durum Vindiciano spiritui, sapienti non quæ Dei, sed quæ hominum, qui vt rem execrandam hanc verisimilitudinem reputet,subdit.

VIND. *Quis, vel hoc præsentis temporis intervallo credat S. Ignatium Theatinorum sodalitium ambiuisse,quando Redemptoris sponsione plenus, plenus animarum lucro, etiam socios aliunde in communem messem accerseret. eorumque auxilio vrbis vniuersæ faciem in virtutum studio conformarent? Superuenit egregia de aduersarijs victoria,quæ non minus attulit momenti,vt de noua religionis forma inter socios instituenda consultaret. Plures insuper suam,& sociorũ rationes expetierunt, quas repellere nequaquam erat. formare autem sine certis limitibus difficile. Cum igitur auri venam indulgentiorem domi suæ Ignatius cognosceret, non fuit, quod de alienis fodinis, tam anxiè inquireret.*

TVRT. Plenus Dei spiritu Ignatius à Deo sublimiter vocatus: sed nihilominus voluit B. Caietani erudiri voce, nam vt dicit S. Gregorius(exponens quomodo Samuel diuina voce vocatus ad vxorem Heli cucurrit) *in huiusmodi Deus magna dispensatione vtitur, vt profecto electorum corda duplici eruditione doceantur &c. per se quidem omnipotens Deus summus, videlicet,& incircumscriptus, magnis, & spiritualibus spiritualiter loquitur, cum speciali loquutione eorum mentibus indicat agenda, quæ agant, & loquenda quæ sciant.* Et quia (ex eodem) non semper ad hanc loquutionem, qua Deus per semetipsum loquitur, pertingunt Dei ministros consulere nõ dedignantur, ait ergo idem Gregorius, quod *sancti viri nihil agunt inconsulti*: affert exemplum de Saul, qui consilium pueri accipere non est dedignatus: dicebat enim. *Ecce est vir Dei in Ciuitate hac, vir nobilis: omne quod loquitur absque ambiguitate venit, nunc eamus illuc, si fortè indicet nobis de omni via nostra, per quam venimus.* Est puer hic(exponente Gregorio) *humilitatis spiritus, quia spiritualis sensus non alta nobis sapere suggerit, non audacter de omnipotente Deo præsumere. sed eius dona, cũ summa sancti timoris reuerentia postulare*. Idemque(ex eodem) *ad spiritualia vota expetẽda,& deuotè eos facit accedere, & de largitoris omnipotentia magna cum reuerentia formidare*;& vt idem dicit. *Ab hoc puero Saul ducitur, vt instruatur, quia qui in arce Prælationis ponẽdi sunt, spirituali sensui perfectorum magisterio subijci monentur.* Sic ad virum Dei, virũ nobilẽ, syncerum sine ambiguitate loquentẽ venit S.Ignatius. vt de via,& vocatione instrueretur,& vt dicit Gregor. de Saul mystico, *qui tam magna promereri*, nempe instituendo Ordinem, *de suis meritis non præsumit, quæ nimirum dubitatio electis oritur, ex virtute humilitatis.* Qui etiã sanctus, etiã post deliberationem institutionis Ordinis, si eo tẽporis articulo (anno 1539.) Venetijs cõmoratus esset, adhuc virum illum Dei cõsulere non esset humillimus, & sanctissimus Pater dedignatus. Nec proprias fodinas solum aspexisset, si in alienis quoque ditari potuisset: proprias enim fodinas inspicere superbiæ symbolum quando, & Cherub propterea eiectus est de Monte Sancto Dei, quod ornamentis preciosorũ lapidum captus, authorem donorum inspicere noluit, sed in propria voluit pulchritudine gloriari, quod nihil aliud est, quam diaboli semitas imitari, quod tu affectas Vindiciane: nec latum vnguem video te à Barathro distare inferorum, te vrgente,& totum superbia possidente. Quid enim(ait idem Gregor.) non meretur *homo elatus in terra, si & Prælatis Angelus, Angelus in cœlo prosternitur?*

In cap. 3. 1. Reg.

Loc. cit.

Vide Greg. 33. Mor. c. 10.

§. IX.

VIND. Quantum attinet ad secundum punctum, sic ratiocinatur Vindicianus. *Quod neque*

neque S. Ignatius à PP. Theatinis instituti formā mutuatus fuerit, ostendunt deliberationes Ignatij cum socijs, quas prolixè narrant Orland. & Ribad. adeoque cum in medium quæstio veniret; an pariter omnes, vel ex eorum numero tres, quatuorue ad dies circiter quadraginta in solitudinem aliquam se se abderent, vbi cæteris solutis curis à Deo lumen, & opem exposcerent, statuerunt nusquam ab vrbe pedem, potiusque, vt ante fecerunt assiduitate precum quotidianisque sacrificijs Dei mentem exquirere. Quid opus erat tam operosa deliberatione? si à recenti PP. Theatinorum PP. exemplo Ideam sui propositi manus fundatoris exhibuerunt?

TVRT. Etiam veterum ordinum multa deliberatione sua fundamenta iacta sunt, cum tamen ad manus præcedentium Fundatorum, eorum Præpositi Idæas haberent. Sic Basilius antiquorum Monachorum exēplaria habuit; Bernardus, Romualdus, & innumeri, S. Benedictum sub quo militarent sibi delegerunt. S. Dominicus post multam deliberationem, & diuini spiritus illustrationem Sancti Augustini regulam delegit, nonnullis alijs constitutionibus additis, & veluti argumentosa apis, strictiora ieiunia, austeritates, è diuersis religionibus mutuatus est. Philippus Monachus Cisterc. à S. Bern. Fulginas, etiam habitum mutuatum esse contedit. Contendunt etiam Carthusienses ad eorum habitum formam, habitum Dominicanum efformatum, & multas obseruantias ab eodem sacro Ordine S. Dominicum mutuatum. Quid ergo? pugnare debent Dominicani tanquam pro aris, & focis, nihil mutuatos à veteribus? cum hæc sit maior gloria subsequentium, prædecessorum instituta imitari, & in conformitate etiam vestimenti aliqualiter posteriores prioribus assimilari, scapulari albo excepto, quod à Deipara Virgine Beato Reginaldo consignatum Chronica ordinis tradunt.

4. lib. vitæ S. Bern.

Ad hæc alia adijcit Vindicianus ad ostendendum non esse Iesuitas æmulatos Theatinos Patres, dicens.

VIND. *Deinde PP. in hac deliberatione, ac prius Venetijs, & in Aede Martyrum Parisijs plurima Ordini Theatino aduersantia constituerunt, quomodo ergo ab illo clericalis vitæ rationes didicerunt? Egregius discipulus, qui contra Magistri præscripta incedit.*

TVRT. Diuersa dicere debebas Vindiciane, *non aduersantia* Theatino Ordini à S. Ignatio sancita, alioquin, vt varias, & diuersas dicimus Religiones, ex diuersitate constitutionum, sic, & aduersas dicere oporteret, quod est hæreticis cachinnandi materiam ministrare, qui hoc argumento, ordinum distinctionem obijciendo contrarietatem (quæ contrarietas non est) multiplicitatem religionum causantur.

Porrò si vnitas religionum, ex fine & vnitate mediorum, vnitate capitis, vniformitate habitus, desumitur; certè (excepto capite) in vnitate finis salutis proximorum, cum aliquali diuersitate Constitutionum (quæ ex Suarez in rebus minutioribus, vel accidentalibus non obstat) & habitu valdè assimilis est sacra Theatinorum religio, & satis cum Societate concordat, in fine, nempe salute proximi procurandæ: assimilis etiam est in Constitutionibus multis; in habitu tanta similitudo cernitur, vt sæpè confundantur, an hi Clerici Theatini sint Iesuitæ, & in hoc signo discernuntur, nam Theatinorū caligæ ex affectu Pauli IV. ad Dominicanos, album colorem, eumque natiuum seruant; cumque dicat Suarez (loco citato) Societas Iesu peculiarem habitum non assumpserit, & illam varietatem seruat, quam habitus Clericorum in diuersis religionibus habet; quid mirum, si habitum suum ad normam Theatini habitus se se accommodauit, cum nunc veluti gemellos ambos

L. 1. c. 2. n. 8.

Tt ince-

prior Societate Theatinorum familia) ad normam Apostolicā instituta sit, & renouata (ex Suarez) nempe ad propagandum Euangelium & fidei propagationem Apostolicam, laborum Apostolicorum quoque particeps erit; neque separantur esse Apostolicum Prædicatorem, & labores Apost. effugere. *In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros* (dicebat Apost.) *in ieiunijs multis*, &c. vnde suos sodales quoque in speciali recenset fame fuisse, & frigore, & nuditate afflictos in Apostolicis functionibus. Sed mirum est, quod tā sinistrè diuidat Vindicianus munera Apostolica à laboribus Apostolicis, vt munera soli Societati tribuat, labores Theatinis relinquat, & parum conuenire missiones Theatinis à Grauina dictum esse somniet, cumque Societas eminentiam inter austeritates contineat (ex Suarez) eminentialiter continebit etiam quæuis religio missiones. At non opus eminentia, nam Religio ipsa Theatinorum actualiter etiam iam Christi nomen deferre cœpit ad Gentes, in Persidem ab Apostolica Sede destinata; cuius rei testes Armeni Fratres Dominicani, qui Prædicatores in illum tractum destinatos, vt Christi cooperarios, & commilitones exceperunt, etiam cum vitæ discrimine, memores antiquæ necessitudinis inter vtriusque religionis professores, vt superius iterum dictum est.

1. de instit. Soc. c. 5.

2. Cor. 6.

Ex litteris è Georgia transmissis.

VIND. Tertiam superaddit Vindicianus contrarietatis, quam vocat, causam. *S. Ignatius, cū socijs Venetorum in Republica tam Hierosolymitanæ commorationi, quam cæteris missionibus illis modis prælusit, qui ab Orlandino referuntur, si omnia ad stylum, & genium Patrum Theatinorum, non debebat Grauina difficilè videri, vt suum de vulgi fama iudicium interponeret (aliorum esto iudicium inquit) Imo tui maximè fori erat qui tam callidè obseruasti Ioannem P. Carrafam tanquam Ducem regularis Cleri insecutos esse alios regularium Clericorum Ordines, nēpe Societatem Iesu, Barnabitas, Sommaschos, Ministros infirmorum, & Clericos Minores: si enim genus tantum clericale perfectius respexisti, tam recentiores ordines, non tam Theatinum institutum, quam S. Augustini, Barnabæ, S. Marci, & ipsorum Apostolorum dogmata, & sanctiones scitissimè sunt insecuti. Sint ad particularia media, Clericalem vocationem exequendi, animum conuertisti; non poteras temere affirmare, cuius nullum iudicium vestigiotenus producere poteras, neque iudicium ferre placuit.*

TVRT. Si illis modis prælusit S. Ignatius in missionibus &c. qui ab Orlandino describuntur, non dissimilibus Caietanus processit cum alijs, in instituenda religione, in cuius obedientiæ voto, vt dictum est missiones claudebantur. Non inconsultò autem Grauina, aliorum iudicio controuersiam hanc determinandam reliquit, cum eam frustra motam, & sine fundamento cerneret, ob id suum iudicium interponere dedignatus, & satis superque à P. Castaldo, & Molfesio aduersis nænijs abundè responsum cerneret, nolens iam acta agere. Nec proinde callidè Theatinos duces reliquorum Clericorum regularium asseruit, & obseruauit, sed veridicè, vt cætera; magna enim vtriusque religionis erat gloria, vt quæ suo præiret exemplo, & quæ præcedentium vestigia sequeretur. Imitata est verò Societas PP. Theatinos, non tantum quantum ad rationem generis, sed quantum ad eundem specificum finem, salutem scilicet proximorum, licet diuersis medijs propter, quæ specialis ratio religionis non aufertur. Et licet Clericorum Regularium multæ sanctiones ab Apostolis, & Apostolicis profectæ sint, tamen ordine quodā ad Societatē peruenerūt, interiectis Theatinis, per quos velut canalē continuatū, regularis vitæ in clericatū fluerēt, minimè

TVRT. Si postmodum auxit, & veluti expressioribus lineamentis, quæ de suo Ordine cogitarat S. Pater, ex recensitis Sanctis, & Thoma de Kempis desumpsit, cur tam renitens est Vindicianus, vt deneget in designatione primatū linearum eorundē Ducum opera vsum nō esse? In Climaco præclarum traditur documentum, *vt Xeuzes picturus lun nem, Agrigentinis omnibus alijs virginibus inspectis, quinque præcipuas elegit, ex quibus quid esset in vnaquaque præcipuum imitaretur; ita è pluribus optimi nobis ad exemplum vitæ proponendi sunt*, multo magis, ne dum à Benedicto, sed à recensitis, id quod erat difficilius, nempe primarum linearum ductionem, lumen, & directionem auxisse rationabilius dicitur. Cumque (vt dicit Ribadeneira) familiare esset S. Ignatio *alijs ingerere quæ ipsius in morem, & vsum quotidianum vtilissima experiretur*, cur non quę experimento didicerat in Monte Serrato, paucis illis diebus, & in Monte Casino per 40. dies, non ingerere potuit in mores suæ religionis efformandos, quæ vtilissima expertus erat? Magis mentem Sancti Ignatij libri illi animati, & Benedicti domus, etiam si regulas Sancti Benedicti (quod probare debet aduersarius) non legisset, ædificarunt ad exemplum, quàm vnquam Thomæ de Kempis hortuli, de quibus non meminit Grauina, cum vastissimos campos fundatorum præcedentium Sanctorum eximiorum proposuerit, vnde flores decerpsit, intuendos, elaborauit. Sed quid continent illi flosculi Thomæ à Kempis, nisi à Patrum fodinis metalla, vel metallorum ramenta collecta? in tantam verecundiam prorumpit Vindicianus, vt potius riuis quam fontibus tribueret, quæ tamen piè S. Ignatius, ex Patribus excerpsit. Si transmigratio animarum vera esset (quæ tamen hæresis est aperta) diceres Sauli spiritum in Vindiciano resedisse. Illi namque ne palmam sui interitus Philistijm Ducibus daret, inferiori suo ministro, vt occideretur, se tradidit, dicebat enim ad armigerum: *sta super me, & interfice me, ne veniant incircumcisi isti &c.* 1. Reg. c. 31.

Grad. 26. de discret.

§. XII.

VIND. Quid tandem concludit Vindicianus? *Accedit eiusdem Sancti Fundatoris ingenua confessio, rationum omnium summam ad Manresianum secessum spectare, in quo* (subdit) *perspicuas suorum institutorum à Deo impressas, & quasi consignatas in animo suo notiones, & intelligentias accepisset. Quid ergo Grauina de Montis Serrati institutore? quid de Sancti Benedicti Constitutionibus fabulatur? Idem Sanctius Iacobo Laynio tribuit, quod supra omnes de Societate fuerit præclarè meritus. Quod dictum Franciscus Saccinus ad Ordinis institutionem refert, quam contra Nouitatis inuidiam solidis reconditioris doctrinæ fundamentis constabiliuit. Sanctorum enim facta, & Fundatorum Regularium leges, & statuta attentissimè peruoluta calluerat, eoque familiarius ab Ignatio in his, quæ cœlitus non comperisset, ad consilium adhibebatur. Vides iterum, Grauina, neque regulis S. Benedicti, neque PP. Theatinorum Societatis instituta primariè adscribi, sed propria vocationis fœcunditati. Et vt de Patriarcha Iosepho Ambrosius disserit: antecedentium Patriarcharum virtutibus ornaturi, etiam speciales adiunxisse dotes, quæ variam facerent tunicam, & Patri suo plus amabilem redderent, maiusque in filio studium placendi excitarent.* Lib. de Ioseph. c. 1.

TVRT. In Monte Serrato instituta quidem formata dicunt scriptores vitæ S. Ignatij, quæ attinebant ad spiritualia exercitia, quorum originem supra diximus à Clanonio mutuata. Nihil de institutis, & Constitutionibus religionis eo tempore cogitatum est, ex authoribus supra citatis: instituta vero, quæ Societatem concernebant postea facta sunt. & sicut religio tam insi-

gnis diuino spiritu condita est, sic diuino instinctu instituta illa quæ Societatis peculiaria sunt, à Sancto Fundatore condita sunt. Sed hæc docet Suarez [*quod si loquamur de inspiratione qua Sanctus Ignatius, & socij fide, & pietate pleni tam grande opus aggressi sunt, indubitabile* (ait) *ex principijs fidei, quibus docemur; nullum pietatis opus, sine Spiritus sancti inspiratione & adiutorio prodire posse, ex eodem spiritu fundatam religionem, cum suis particularibus constitutionibus, postea à Romana Sede probatis. Sed* (inquit) *hæc inspiratio communis est omnibus operibus pietatis.* Si autem (dicit idem Suarez) *ex speciali reuelatione, & extraordinaria inspiratione, aut directione infallibili dicamus S. Ignatium religionem cum suis institutionibus fundasse; hic modus, vel via magnam laudem continet verendum tamen est ne sit nimia, & non sufficienter probata, nam inde sequeretur omnia quæ in hoc instituto continentur, omnino esse certa, & infallibilia, quod dicendum non est.*] Vnde non est ei reuelata regula, & per Angelum adducta, sicut Sancto Pachomio factum legimus. Quare ex iam reuelata regula, multa diuina inspiratione collegit, tam ex illo, quam ex S. Benedicto &c.

1. de instit. Soc. 399.

Loc. cit. At hæc non fabellæ Grauinæ, sed verax historia, quam diligenter recenset P. D. M. Antonius Scipio in elogijs Abbat. Casinensium his verbis. *Demum quo tempore opportunam remotioris secessus quietem, præscribendis suæ sodalitati regulis exquirebat, Casinum adijt, ibique tum libris, qui opus essent, tum vnius, alterius ve Monachi subsidio, à Præside instructus, ad Albanetam se contulit, locum in eodem Casinati saltu quingentos circiter passus, à primario Cœnobio disiunctum, eique operi, quod Ignatius moliebatur apprimè accommodatum, & habilem. Hic omni humanarum rerum cura, & cogitatione abiecta, partim assiduis precibus explorandæ Numinis voluntati, partim studiose lectitandis, expendendisque SS. Patrum, qui religiosas familias condidere, sacris decretis, plures dies traduxit alia ab alijs, quæ aptè videbantur ad suum institutum transferri posse (sed plura vtique ac meliora à D. Benedicti statutis sapienter mutuatus) sanctissimas leges transcripsit, quarum postea è praxi, & vsu, tam ingens, ac multiplex tam breui ad Christianam Rempublicam vtilitas est deriuata, vt orbis vniuersus admiretur, & obstupescat. Multis præterea Deus indulgentioris beneuolentiæ argumentis degentem apud Albanetam Ignatium est prosequutus, tum præsertim, cum illi inter orandum socij cuiusdam è suis (qui per id tempus Romæ obierat) animam in cœlum subeundam aspectabili specie repræsentauit: vt Sanctus Patriarcha Benedictus videri potuerit, diuersanti domi suæ Ignatio, & pulcherrimo operi intento, gratificari voluisse, impetrata illi diuinitus communicatione miraculi, quo ipse apud Casinum degens Scholasticæ sororis, & Germani Capuæ Antistitis, animas ad superos euolantes clarè vidit.* Omnia verò hæc cælitus (vt fatetur Vindicianus) vbi alia non reperisset, inspirabantur, non extraordinaria illa inspiratione, sed communi, vt dicebat Suarez; imo (quod non dixit Suarez & in gloriam Sancti cedit) peculiari instinctu sicut in cæteris Fundatoribus accidit, & peculiari humilitatis spiritu, antequam suas constitutiones formaret, ex institutis aliorum dictorum Fundatorum, & Benedicti præcipuè, & Basilij tunicam variam obtexuit, ex omnibus ferè religionibus desumptam, additis quibusdam cōstitutionibus, vt cū omnibus religionibus sua religio iungeretur, ex illis multa mutuata consultò voluit. Imo idem Sanctus Monachorum Occidentalium parenti S. Benedicto nomen dedisse demonstrat venerabilis antiquitatis scrutator D. Constantinus Caietanus in suis opuscul. M. S. Oblatorum enim *Roanam*, vel *Tane* vestem sic nuncupatam assumpsit (qui in eadem religione tria simpli-

simplicia vota emittunt) quæ tanquam argumentosa apis S. Ignatius in sua religione transtulit emittenda, videlicet vt prius simplicia sui filij, quàm solemnia vota emitterent, & in Monte Serrato eadem simplicia vota Deo vouit feruentissimus Patriarcha, vt suo filios præiret exemplo. *Constituta vero Societate ex eodem Casatello Religiosæ professionis vota nuncupaturus, tot inter Rom. Vrbis Basilicas, antiquitate, ac piorum hominum illustres, non aliam delegerat, quàm Apostolo Paulo via Hostiensi dicatam, vbi coram D. Benedicti Monachorum Abbate (ijs namque commissa est sacra ædis, & Cœnobij administratio) ex sui instituti formula, sacram illam cæremoniam perageret.* Erunt ne hæc fabellæ?

Inuidiosum verò illud verbum Vindiciani est, quod ex hac polymita veste, plus S. Ignatius dilectus sit à Deo præ ceteris ordinibus, idemque Sanctus Ignatius abijcit, dum suam, omnium minimam dici voluit Societatem. Cum laudantur Religiones, cauenda est comparatio, & multoties ipsemet monuisti, & in varietate, & in diuersitate vnitas tenenda, partialitas cauenda. *Laudo omnes, & diligo,* dicebat Bernardus, *vbique, & piè, & iustè viuitur in Ecclesia, vnum opere teneo, cæteros charitate, faciet autem charitas* (fidenter loquor) *vt ne illorum quidem fructu frauder, quorum instituta non sequor.*

Apol. ad Guillel. Abb.

Conuersatio Societatis.

§. I.

IN *ipsis flagitiosis, & sordibus amoribus videmus* Vindiciane, *nihil aliud eos agere, qui amari vicissim volunt, nisi vt documentis, quibus valent aperiant, & ostendant, quantum amant, eamque imaginem iustitiæ prætendere affectant, vt inuicem sibi reddi quodammodo flagitent ab eis animis, quos illecebrare moliuntur: ipsique ardentius æstuant, cum iam moueri eodem igne illas mentes, quas appetunt, sentiunt, & sic frigescere sentiant in amore impatientes, & magis firiunt vt febribus quandoque æstuent vt frigiditatem tollant. Si ergo & animus, qui torpebat se amari senserit excitatur, & qui iam feruebat, cum se redamari didicerit, magis accenditur, manifestum est nullam esse maiorem causam, qua vel inchoetur, vel augeatur amor, quam cum se amari cognoscit, qui nondum amat, aut redamari se, vel posse sperat,* etiam si non redametur, vt propterea magis æstuat, *vel iam probat, qui iam prior amat. Et si hoc in turpibus amoribus, quanto plus in amicitia? Quid enim aliud cauemus in offensione amicitiæ, nisi ne amicus arbitretur, quod eum vel non diligimus, vel minus diligimus quam ipse nos diligat?*

Ex Aug. lib. de Catec. rud. c. 4.

TVRT.

Ad ostendendam arctissimam necessitudinem Grauina cum Societate amoris, & amicitiæ symbolum, factum illud conglutinationis animæ Dauidis cum Ionatha adduxit, quorum, vsque ad Baltheum tunica, regaliaque vestiméta communia *fuerunt*: & ne quid deesset (amicorum enim omnia communia sunt) detrimenta etiam regularium voluit esse communia, paleasque obtulit, vbi educarentur pulli ad iustitiam discendam, & propria naufragia obtulit ad præseruationem. Æstuasse Grauinam dicere necesse est, cum amans, & amicitiæ leges seruans, nec redametur, & de amicitia in suspicionem adducatur. Quare magis vstum zelo, cum hæc tua legit Vindiciane coniecto, vt hanc frigiditatem tuã, vinceret feruentibus orationibus. Interim ab illo sciscitaris.

VIND.

Quo tandem hac palearum, & scandalorum oblatio pertineat? quo tendat illud Acroama: *Discite iustitiam moniti, quam iustitiam, & à quibus & quibus occinenda iustitia?*

TVRT.

Facilè tibi respondet Turtur, cum charitas malum non cogitet, nec sit suspiciosa,

non debebas tot interrogatoria formare de amico suspectus, proprium est incompositi animi, cum sit pax, insidias suspicari. Suspicaces (dixit quidem Poeta) *feruntur verbere cæco.* suspiciosi plerumque Sycophantæ, timere enim sine ratione, multa sibi fingunt mala inferri, vt enim ipsi sunt maleuoli, insidiatores, fucati, phrenitici; sic ex sibimetipsis tales existere quales ipsi sunt, insidias metuunt. putant alios sibi potentiam, vel principatũ quærere, vnde deprauant aliorũ dicta, vel facta, & in examẽ discussionis vocant. In forma verò Vindiciano suspicioso respondetur. Palearum, & scandalorum oblatio in Chronicis descriptorum, eum finem respicit, vt in mensis Societatis legantur, & in scholis & si (ab inexpertis tamen, & ad pauca respicientibus in dictatis interdum soleant scholaribus tradi religiosorum quando lapsus sub docendi specie, & exempli gratia, incautè ad viuum exarentur) vt tanquam prototypa ob oculos ponantur, tanquam plangenda, & cauenda, & amoris argumentum subministret Dei manutenentia, *nullum enim ait Augustinus, peccatum est quod facit homo, quod non faceret alter homo, nisi præstaret Deus, vt non faceret homo*, vt sæpius dictũ est. Ad hoc tendit axioma illud, *discite iustitiam moniti*, & iustitiæ nomine humilitas intelligitur: vnde sic PP. exponunt illum locum de Christo Domino non recusante baptismum Ioannis *sic decet implere omnem iustitiam*, id est, omnem humilitatem. Humilitas autem maxime fouetur ex aliorum lapsu, considerat enim homo semeipsum, ne & tentetur. *Ioan. c. 1.*

VIND. De hac iustitia quæris, subiungendo, *à quibus addiscenda sit? proculdubio iustitiam, quam deseruerunt, qui in sacro ordine potius palea fieri, quam triticum maluerunt.*

TVRT. At cum perfectissimo tritico, vbique & in omni area sunt admixtæ paleæ, omnes iustitiã debent addiscere, & satis sunt disciplinæ desertores, buccinatores, superbas aures ferientes, vt ex aliorum ruinis discant infirmitatem suam agnoscere, & augeant timorem, & tremorem. Propter quod sæpe ait Augustinus, *multi casuri, & casura,* in Monasterijs, & Cœnobijs viuunt, vt non glorietur omnis caro coram illo.

Petis iterũ. *Quibus sit hæc iustitia occinenda?* VIND. *pullis*, ait, *Grauina, quo nomine vix alij venire possunt, quàm iuniores in Societate, &c.*

Non his tantum, sed ijs, & omnibus aliorum Ordinum quantumuis exercitatis, TVRT. si superbia pulsentur, nam & pulli sunt, & nouitij in via Dei, qui nec cœperunt addiscere elementa spiritualis vitæ, quam qui arripiunt de fundamento prius cogitẽt humilitatis necesse est. *Qui enim alias virtutes sine humilitate congregat, quasi puluerem in ventum spargit*, ex sanctorum proloquio.

§. II.

Inficetum verò illud dictum Grauinæ, pronuncias: *seruiant vobis pericula nostra, atque fructum istorum planè ignoro. Sic ne innocentiæ Gypsum cum lacte confundam? Sic ergo Isaac cũ Ismaele in pari certamine committam? Sic Iosephum inducam, vt fratres apud parentes de criminibus accuset? iuuentus scandalorum commemoratione sapientior non fit &c.* VIND.

Malè ergo hæc omnia scriptura recensuit Vindiciane. Audi, audi Ambrosium causam reddentem, cur hæc scriptura cõmemorat. *Propositi, ait, ad imitandum nobis sunt, & ideo curatum est, vt & ipsi aliquando laberentur. Nam si inoffensum à vitiis inter tot lubrica huius sæculi circulum peregissent, dedisset vobis occasionem infirmioribus extimandi, cuiusdam superioris eos naturæ, ac diuinæ fuisse, vt delictum recipere, & culpæ consortium habere non possent. Quæ opinio vtique, vt exortes nos illius substantiæ ab impossibili imitatione reuocaret. Præterijt illos paulisper diuina gratia,* TVRT. *In Apol. David. c. 1.*

vt no-

vt nobis ad imitationem vita eorum fieret disciplina, & sicut innocentia, ita & pœnitentia magisterium de eorum actibus sumeremus. Ergo dum lapsus eorum lego, consortes etiam illos infirmitatis cognosco, dum credo consortes, imitandos præsumo. Et postea aliam addit causam. *Humanus etiam in Sanctis extolleretur affectus, nec sibi deputarent, virtutique attribuerent suæ, quod diuina sibi operatione collocatum foret, ergo ne in tantum iudicium ruerent, atque in perfidiæ foueam deciderēt, passus est Dominus illis subintrare culpam, vt ipsi aduerterent diuinis se AVXILIIS indigere, ducemque salutis suæ quærendum esse cognoscerent.* Vt autem hi fructus decerperentur fiduciæ, & humilitatis in Script. sanctorum lapsus, & scandala ad profectum legentium describi voluit Spiritus sanctus. At Iuuentus etiam scandalorum commemoratione Sanctorum sapientior fit, nec corrumpitur, vel effertur, sed potius eruditur, ædificatur; videndo v.g. Dauid hominem Angelis adæquandum, tentationibus victum, errori, & lapsui locum dedisse, à gratia deiectum, & sola pœnitentia reparatum, fortiorem resurrexisse, maiora reparantem certamina, vt non solum, nullum attulerit lapsus impedimētum, sed etiam maioris velocitatis & progressus ad currendum viam mandatorum Dei incentiua ministrarit. Tunc autem iuuentus scādalorum commemoratione corrumpitur, quando quasi de aliorum lapsibus tripudiantes alloquitur, cum ad maiorem iactantiam facta comparatione incitantur, vel (quod absit) ad aliorum imitationem pelliciuntur, & tunc vbi detractionis, iactantiæ, peruersæ imitationis exhibetur occasio, scandalorum refricatione, illud plusquam solemne remedium Grauinæ, à pedibus, & oculis insipientium remouenda, & ableganda, vt semel imbuta testa recens odore bono, illum diutius conseruet. Frustra vero ludens sequeris.

§. III.

VIND. *Dicam cum Dauidis amico. Non est bonum consilium, quod Archiepiscopalis Senator hac vice dedit: id verum si fuisset Achitophelis consilium.*

TVRT. Hoc consilium non est Grauinæ, sed Sanctorum. ergo si Senatoris Archiepiscopalis Curiæ Neapolitanæ consilium displicet, saltem idem numero placeat consilium, quod tradidit Archiepiscopus Mediolanensis Ambrosius.

VIND. Sed vafriciem Vindicianicam magis attendo, dum Grauinam vt detractorē, nedum Bellarmini, sed & Societatis exēplar, & in eo detractorem monstrare vult, quod eamdem Societatē *de detractione criminatur, à qua Societatem purgat, quod nec in communi recreatione patitur absentum rodere vitam, & testes adhibet Collegia, scholas, vbi hoc ipsum à iuuentute exigitur, vt à detractione parcant linguæ.*

TVRT. Hæc proculdubio Vindiciane maior tua detractio, quod dicas Grauinam Societatem de detractione sugillare. In quo sugillauit? Quod conquestus sit sacris Ordinibus esse detractum per scandalorum assertionem? iam superius intentio Turturis monstrata est, qui ad summum post tot excusationes quas Vindicianus noluit suscipere, materialem detractionem ex excessu zeli admisit. Plures sunt detractionis species, ex doctrina Bernardi, *alij quidem nude, & irreuerenter; vt in buccam venerit virus euomunt detractionis. Alij autem quodam simulatæ verecundiæ fuco conceptam malitiam, quam retinere non possunt, adumbrare conātur. Videas præmitti alta suspiria, sicque quadam cum grauitate, & tarditate vultu mæsto, demissis superciliis, & voce plangendi, egredi maledictionem, & quidem tanto persuasibiliorem, quantò creditur ab his, qui audiunt corde inuito, & magis condolentis affectu, quàm malitiosè proferri.* Doleo, inquit, *pro eo quod diligo eum satis, & nunquam potui de hac re corrigere eum. Et alius. Mihi quidem, ait, benè cōpertum fuerat de illo istud, sed per me numquam* In Cant. ser. 24.

V u innio-

i motuisset, at quoniam per alterum patefacta res est, veritatē negare non possum, dolens dico, re vera ita est, & addit. Grande damnū, nam alias quidē in pluribus valet: Cæterum in hac parte (vt verum fateamur) excusari minimè potest. Alij (addamus) in laudem proximorum erumpūt, vel communitatum, & incautè vnam laudant, alias deprimunt sub reformationis zelo, odiosa collatione: & sunt (ex eodē Bernardo ibidem) illæ adolescentulæ animæ, *nō idem cum alijs sapientes, licet cum alijs currere videantur, quæ sua sunt quærentes, & non ambulantes simpliciter, neq; syncerè, sed speciali gloria matris inuidentes* Ecclesiæ, quæ floret adhuc in veteribus religionibus, *& captantes occasionem murmurandi aduersus eam, &c. quod nō est aliud, nisi, quod Apostolus ait, periculum in falsis Fratribus. Ipsa sunt deniq;, quibus exprobrātibus scādala, subinde pro se satisfacere cogitur, vbi eis ita respōdet: Nigra sū, sed formosa filia Hierusalē,* quod Turturis vox abūdè præstitit in suo opere.

Primum genus aperte malum. Secundū peius, & callidius. Tertium autem pessimū, nisi zelus excuset, & intentio, vt eatenus referantur scandala, vt emendentur. Non voluntas horum culpatur, sed ingeniū, qui profitentur se omniū profectibus paratos, omnium meritis vinere, cūctorum viuere stud js, & saluti, admonetur, vel excusatur.

§. IV.

VIND. Adiuratur demum per cœlestē Hierusalem Grauina à Vindiciano per communem patriā, *vt ab alijs Ordinibus Grauina erga Societatem parem cautelam, & charitatem impetret, vt sicut illa, nulli regularium detrahit, ita nec illi, & procul absint declamationes in pulpitis, dicteria, & scommata ablegentur è libris,* tractatibus, familiaribus colloquijs, contra Societatem, ne mundus, & rudes animæ exasperentur, sentiēdo inter regulares, & perfectionis vitæ professores æmulationes, & contradictiones vigere, & regnare.

TVRT. Vicissim, & alij Ordines te compositore idem exoptāt Vindiciane, semper enim, *in tot bonarum animarum multitudine* ait Bernardus ibidem *reperiuntur tales, qui acta obseruant, curiosè derogandi, non imitandi causa,* vtriusque grande solatium, cum insolentes insultant, quod à bonis religiosis diligātur. Vnde ad consolationem sponsæ cum nigra demurmuraretur, dictum est: *Recti diligunt te &c.* quasi dicat. *Non sint tibi inquiūt cura de iniqua reprehensione blasphemiarum harum, cum constet, quia recti diligunt te. Bona profectò consolatio cum blasphemamur à malis, benefacientes si recti diligant Omnino sufficit aduersus os loquentium iniqua, opinio bonorum, cum testimonio conscientiæ: in Domino laudabitur anima mea, audiant mansueti, & lætentur, mansueti inquit lætentur, mansuetis placeam, & æquanimiter audis quicquid in me iactare voluerit liuor perditarum.* Loc. cit.

Non est inuidia (crede mihi) cæterorum ordinum de Societate (quam præ cæteris à parentibus dilectam autumas) vt propter hoc eam pessundent, vt infamas, satis enim omnes ordines sunt diuinis charismatibus ornati, imò omnes vnam Iosephi personā cum polymita veste repræsentant, vt præ cæteris statibus (excepto Episcopali) diligatur à Domino.

VIND. Quare non est cur veteres religiosos, vt inuidentes traducas ex Ambrosij authoritate, videlicet. *Discamus ergo, & sanctorum inuidiam, vt imitemur patientiam, & cognoscamus illos non natura præstantioris fuisse, sed obseruationis, nec vitia nescisse, sed emendasse, quod si inuidia etiam sanctos adussit, quanto magis cauendum est ne inflammet peccatores?* De Ioseph. patr. c. 1.

TVRT. Nescio autem qua distributione Vindicianus virtutes solum Societati, alijs autē senioribus Fratribus inuidentiā tribuerit; & postea, pro Iosepho summā prudentiā, & venerationē polliceatur. Est ne hoc, quos putas, exulceratos animos sanare, & veterū, quas putas illatas, iniuriarū memoriam abolere? *Frequenter*, ait idem Ambros. *amor*

ipse

ipse patrius nisi moderationem teneat nocet liberis, si aut nimia indulgentia dilectum resoluit, aut Prælatio vnius cæteros ab affectu germanitatis a uertat, plus acquiritur filio cui Fratrum amor acquiritur. Hac præclarior munificentia patrum, hac ditior hæreditas filiorum: iungat liberos æquali gratia, quos iunxit æqualis natura. Et ipse Iacob, non tam filium prætulisse videtur, quam Prophetæ mysterium. Solus Vindicianus vnius Societatis Prælationem super cæteros Ordines affectat (quam humillimè reijcit Sancta Societas) & de inuidia Fratres veteres notat, cum nullum in hac re mysterium habuerit, vt cæteris præferat, nisi solam vanitatem, vt cæteros ab affectu sanctæ germanitatis, quantum in se est, auerrat, nec indiuisos cupit habere, qui Fratrem à Fratre nititur separare.

Cap. 2. loc. cit.

CAPITIS DECIMISEPTIMI EXAMEN.

An Grauina finem suo Turturi præfixum consequutus sit.

SVMMA CAPITIS.

Calumniæ multæ absterguntur, quod operi suo finem Turtur non præstiterit. Primo quantum attinet ad cõfusionem hæreticorum: nam, inquit, quæcumque ad floritionem religionum adducta pro fabulis habentur; & nunc eosdem exsibilent, vt meros, pepones, allia nasturcia; sed ignorat, afferri Religiosorum statum, vt notam veræ religionis: & dicteria esse, quæ in Monachorum vitam effutiuntur. Secundo non esse prouisum secularibus obgannit, quasi scandala sopire volens Turtur noua substituerit, reprehendendo scandalorum reprehensores, & confugiendo ad fatalem deficiendi necessitatẽ, scandalosos excusando. Sed illud Asystaton inane, nam excessum reprehensoris, non vitium detractionis in reprehendente Columba denotauit, & fatalis illa necessitas imposita, & abiecta à Turture, asserta non est. Tertio inanem laborem fuisse compilare Chronica ad splẽdorem religionum ostendendum ex regularibus exaltãtis; nam similes splẽdores ait, admirantur Lixæ, & Calones, eosq; non proponẽdos Ascetis. Sed fructuosus labor ostẽdere splendorem, & apparatum principum Ecclesiæ, vt lingua detractorum compesceretur, nec à religionis ingressu pusilli retardarẽtur. Nouatoris Genij est has dignitates, & splendores floccipendere, qua ostensione sanantur infirmi, & sinistre opinantes de religiosis personis sanari possunt. Vnde nullo scrupulo detractionis pungitur Turtur, qui nullum in fama læsit, sed potius læsam regularium famam resarcire conatus est, voces congeminando, & festiuius florentissimum statum religionum demonstrando disrupta Cauea ab Anonymo fabricata, ipsoque velut mure Pontico in muscipulam adiudicato.

In conclusione operis documenta tradita ab Anonymo Turtur acceptat, sed illud addi voluit, vt pro conseruanda vnitate, & vinculo pacis proprios nostros accusemus defectus, alienos excusemus atque tegamus, præsertim regularium, quorum lucra potius, quam damna iuxta sponsi placitum, referenda sunt.

CArillus ille Philosophus interroganti, *cur Lycurgus tam paucas leges tulisset Lacedamonijs?* acutè respõdit. *Quoniã pauca loquẽtibus paucis etiam legibus opus erat.* Intelligebat vir prudẽs, multa mala ex multiloquio nasci, vnde ferulis subiacere necesse sit. Sufficiebat Vindiciano ad vindictam exatur ãdam, chartas implesse, & inanibus verbis aërem verberasse, sed vt in maiora mala incurreret, vltimum propinat caput multiloquentia, & maledicentia plenum. L. 1. Apoph.

VIND. *Multa, ait, Choragus in Proscenio sp. ctatoribus polliceri solet, quæ postea non eueniunt*, proinde eos histriones laudari, *qui ab humili exordio paulatim in sublime se attollunt, & paruam initio expectationem, postea multiplic i incremento longissimè superant. Id si Grauina, ait, aduertisset, quando suum Turturem pro scena composit. fortassis prudentius sibi, & famæ suæ consuluisset.*

TVRT. Dicis, sed non probas, & compositam, & concinnam orationem, vt in odium veniat, inimicis repræsentationibus cõparas. ipse deridẽdus in Theatro, qui velut mirabilis orator vis esse in suggestu, dicendo & docẽdo. Sẽper Grauinæ dictio creuit (& vt etiã sistamus in metaphora scenica) ordinatè procedendo. Tu vero Vindic. ordine

confuso,& Turturis dicta peruertisti,& tua quoque confudisti, etiam præter inutilem repetitionem,quod initio, vt in alijs capitibus fecisti, finem scribendi impugnare debuisses,non in extremum differre.

VIND. Ais igitur. *Quinque produxit rerum capita quas præter propterea in arenam descenderit, ex quibus vnum iam cap. 5. excussimus, videlicet, vt Illustrißimum Cardinalem Bellarminum, inter alios scriptores, nonnumquam stylo in regulares liberiore excusaret, vidimus huius propositi partim felicem successum.*

Hinc ad reliqua descendere animus est, quæ si non magis expectationi respondeant, suadebimus Grauinæ,vt Turturis approbationes suis authoribus remittat, præsertim illis, qui in eius voce nihil turpe,& incontinnum repererunt, quique statim, & quam primum in lucem prodire iusserunt, tamquam religionis solatium,frænum obloquutoribus allaturum.

TVRT. Vide Lector, nouum Periclem, de quo testatur antiquitas, quod videretur, tonare,fulminare,aculeos in animis auditorum relinquens,ob quod illud nomen adeptus est πολυπράγμων,inquietus scilicet, & turbulentus;sua namque mordacitate,& turbulentia Peloponnēse bellum,ne dum suæ patriæ, sed toti Græciæ funestum accendit Vindicianus, nunc hac, nunc illac discurrendo,vrendo,pungendo, & vbi Grauinā punxit de non adepto fine, probatores operis sugillat,quorum,eos formidans,suppressit nomen, approbationis verba referens doctissimi,& eruditissimi P. Magistri F.Nicolai Riccardi tunc Regentis Romæ in Colleg. Sancti Tho. nunc Apostolici Palatij Magistri; & F. Ionn. Matthæi de Rispolis Magistri Regentis meritissimi,& sapientissimi;P. Andreæ Lantfranci Clerici Regularis; cumque posset rectè suo vti ingenio,& de Christiana Republica benemereri Vindicianus laudando religiosas personas,omnes eloquentiæ neruos intendit, ad castra Ecclesiæ eiusdem irritanda, quo titulo turbulentus adiudicatus est, vel vt alter C.Gracchus, qui cū sua eloquētiæ præstantia posset Rempublicam optimè tueri, perturbare eam maluit. sed videamus, an rationabiliter Vindicianus causas Turturis impugnet.

Prima causa asserta à Grauina,nempe,vt Hæreticus erubescat,perperam à Vindiciano confutata.

Oppugnatio Vindiciani.

PVtabat (ait Vindicianus) *Ecclesiæ perduelles* Grauina *relaxata mentione claustralis disciplinæ pasci,& in religiosos accendi, & quia Bellarmini Columba quædam similia commemorauit,zelo fidei inflammatus, cum Nabuchodonosore iurauit, vt se, Ordinesque regulares contra omnes hæreticorum insultus defenderet*: *Calumniantium*, inquit, *necessitas officium modestæ defensionis imposuit, maledicta eorum retundat, & ora obstruat, vt ad saniorem mentem reducat; & in ruborem det, quando viderint florentem omnium ordinum statum.* VIND.

Non cum Nabuchodonosore iurauit, defendendo Ordines, cū quo iurāt potius, qui contra Dei illustres portiones conspirant,illamq; Nabuchodonosor cogitationem habent, vt omnē terram suo subiugēt imperio;illudque verbum dictum Holopherni,assumunt: *Egredere aduersus omne Regnum Occidentis,& contra eos præcipuè, qui contempserunt imperium meum*, cum eodem ministro succendentes omnia sata,arbores,& vineas incidentes, vt fecerūt Hæretici lingua, & armis, statum, & personas religiosorum impetentes. Potius ergo cum Iuda Machabæo se accinxit ad præliandum aduersus hæreticos, illa eiusdem Ducis verba assumens: *Erigamus deiectionē populi nostri, & pugnemus pro populo nostro, & sanctis nostris*, an malus, & peruersus est zelus, regulares contra insultus hæreticorum propugnare? TVRT. *Iudith c.2.* *1. Mach. c.3.*

Non

Non audes id asserere, ne de castris hæreticorum esse manifestè conuincaris. Quare astutè temperans dicta tua, ne publicus hostis detegaris, subdis namque.

VIND. *Magna vtique Grauina promissa, sed vis erit in armis, seu medijs quibus Grauina monstret omnem à verbis suis vanitatem excusare. De opinione quidem illa, seu tripudiatione Grauina, cum Ecclesiastici scriptores regularium næuos attingunt, egimus cap. 11. nunc videas quam belle promissis steterit, & examinemus argumenta.*

Contra eamdem primam causam I. Argumentum Vindicianicum.

PRima Grau. erat causa, vt *Hæretici in ruborem conijciantur, cum florentissimas Turt. Libello ad hæc vsque nostra tempora sacras religiones conspexerint: ita quidem sibimet Grauina, in hilariori suo æstiuo secessu pollicebatur, sed toto cælo aberrauit* (tale est argumentum Vindic.) *quicquid enim ex miraculis, martyrijs, sapienter dictis, heroicè factis, in medium attulit, hæretici, cum Iacobo Britãnia Rege, pro anilibus fabellis ridebunt, quicquid de splendidis officijs, & infulis pro ambitioso fastu aspernabuntur. Quicquid de vitæ rigore, & pœnitentijs, amentium superstitioni transcribent. O te infelicem oratorem, qui non dum didicisti margaritas, non esse porcis obijciendas. Quid peroras apud illos quorum mens falsis persuasionibus occupata, veritatis lucem capere non potest? vbi oculus nequam est, totum corpus tenebrosum erit, instar noctis Ægyptiacæ. Tolle prius Glaucoma ab oculis hæreticorum; fac vt recipiant quæ extra sacras litteras traduntur, vt supremum in Ecclesia Ordinem institutorem agnoscant, vt Euangelicis consilijs, & regularium votis credant, quæ oportet, & similia Ecclesiæ dogmata venerentur, sine his ridiculè hæretico Ordinum Chronicas obijcies. Cum viro irreligioso, tracta de sanctitate,* inquit Scriptura, *cum iniusto de iustitia, cum impio de pietate &c. S. Paulus apud Felicem, & Drusillam Cæsareæ non egit de miraculis suis, vel cæterorum Apostolorum, neque de seueritate victus, & totius vitæ, neque de persecutionibus, quas pro Euangelio sustinuissent, sed de fide in Christum, iustitia, & castitate, & de iudicio futuro, quia constabat illi, cuius farinæ esset hoc par coniugum. Olim quoque S. Hieronym. Lactantius, & alij reprehendebant, vbi apud Ethnicos sacra Scriptura allegaretur, aut apud Hebræos sapientium ex Gentilibus, & Sibyllarum sententiæ: quia nimirum præposterè inducerentur, quæ tali loco auditorum captum superarent.*

Eccl. 37.

Act. 24.

Responsio Turturis.

§. I.

TVRT. SI in æstiuo illo otio pro sancto peragendo negotio infeliciter laborauit Turtur, adducendo in medium miracula, martyria, officia, & dignitates, vitæ rigorem (callidè alias virtutes, & sanctitatem Vindiciano subticente) quia Iacobus Britanniæ Rex, cum suis, pro anilibus fabellis hæc omnia irrisurus erat; iam pridem inaniter depugnarunt veteres PP. & moderni scriptores hæc omnia adducentes, vt grandia argumenta, quibus fides nostra non incredibilis, imò euidenter credibilis appareret, quod abundè Turtur in suo vltimo tomo de cath. præscript. demonstrat: vnde in crimen vocandi essent, Augustinus præcipuè, qui ex vitæ austeritate communique vita Monachorum fidei Ecclesiæ veritatem contra Manichæos vrgebat primo contra Manich. & Chrysostomus aduersus Gentiles, vitæ Monasticæ abstinentiam, & alia Monachorum pia exercitia recensendo. Similiter, qui religiosorum martyria recensuerunt, & miracula, vt Theodor. Gregorius Turonen. de gloria martyrum. Tanti ponderis apud Cardinalem Bellarminũ Monastica instituta fuerunt, eaque sic magni fecit, vt Ecclesiæ illustres martyres, & confessores, cum miraculis recensuerit, pro veris notis Ecclesiæ,

Cap. 31.

Cõtra vituper. vitæ Monach.

To. 2. l. 4. 13. 14. 15 & hæc tandem (præuidens Vindicianum oblatraturum) scripserit in præfat. lib. 2. controuer. de Monach. *Certè post Apostolica tempora splendore maximorum, signorum iudicio orbis terræ, semper clarissimi habiti, sicut magnus Antonius, vterque Macharius, Hilarius, Benedictus, Bernardus, Franciscus, at ij omnes sine controuersia professione Monachi fuere.* & postea. *exceptis enim sacris martyribus rari omnino in numerum Sanctorum relati leguntur, qui ex Monasterijs non prodierint, vt mihi, iam Monastica vita approbatio, inter eas notas ac symbola, quibus Ecclesiam Catholicam ab omniũ hæreticorum conuenticulis internoscimus, atque distinguimus, principem locum tenere clarissimeque continere videatur.* Religiosorum ergo institutorum, vbicumque claruerunt, & clarent (vt probauit Grauina in Turture) viri coruscantes signis, & prodigijs, virtutibus ornati, sapientia insignes, dignitatibus Ecclesiasticis conspicui &c. sunt nota, & tessera dignoscendæ veræ Ecclesiæ, fatente Bellarmino cum omnibus orthodoxis. Et satis est (ex eodem Bellarmino) vt ex Eminentissima Religiosorum vita à Conuenticulis Hæreticorum esse secreta Ecclesia dignoscatur, vt proindè non leuis ex ista discretione pudor hæreticis inferatur. Soli Vindiciano hoc non sufficit, inanem, & futilem argumentationem duci, ex religiosorum miraculis, martyrijs &c. contendenti. Vindex ne ergo erit Bellarmini, qui hæreticorum partes egit? illusor potius, & personata Simia videtur, modo partes Catholici, modo hæretici agens, vnde existimandum quod sicut ex his laudibus, Bellarmini de religiosis, eius opusculum Columbæ iudicetur vllo modo esse tam meritissimi viri; ita & ficti defensoris, non nisi de gregibus hæreticorum prodierit, qui laruam Catholici assumpsit, vt Catholicos sugillaret. Et dum notam hanc dignoscendæ veræ Ecclesiæ ab hæreticorum conuenticulis obscurare conatur, studiosè id fecit, ne à partibus hostium Christi deuius à suis deprehẽderetur. O infelicem tragœdum, qui vestimenta propria nesciuit occultare, sed ne sibi sapere videatur, audiantur rationes, quibus conuictus est religiosorum florentem statum, oculis hæreticorũ ne Catholici exhibeant [Margaritas ante porcos dicis ex doctrina Saluatoris non esse proijciendas, hoc est infidelibus, & irrisoribus non esse pandenda sacrosancta mysteria] verè; & manuductione præuia, nisi enim euiceris credibilitatem mysteriorum in mente infidelium, frustra laborabis, vt assensum præstent ad nudam propositionem mysteriorũ fidei. Vnde Chrys. *Margarita non sunt danda nisi desiderãtibus veritatem, & cum ratione humana viuentibus*, & sunt ij, qui rationes credibilitatis libenter auscultant, atque perpendunt. Sed si multi sint, qui rideant, & porci sint, non propter istud desistendum est à prædicatione sacrorum dogmatum. Vnde Augustinus ait, *cum Dominus quadam dixisse inuenitur, quæ multi, qui oderant, vel resistendo, vel contemnendo non receperunt, non putandus est sanctum dedisse canibus, aut margaritas ante porcos misisse, dedit enim eis, qui capere poterant, & simul aderant, quos propter aliorum immunditiam negligi non oportebat.* Etiamsi Rex Angliæ cum suis irrisurus erat, fortasse alij, qui capere poterant, & erant fluctuantes, vel docilis naturæ, non negligendum erat, vt veritas eis non proponeretur. Præposterum ordinem assignas catechesis, vt prius dogmata credere suadeantur, *nempe, ordinum Supremum institutorem, consilia Euangelica, nam sine his*, ais, *frustrà hæretico ordinum Chronica obijcies. Nisi enim prius suasibilia facias consilia, vota & cætera dogmata, frustrà ad illa amplectenda suadebis.*

Relatus à D. Tho. in cat.

In serm. Domini in monte.

Sed suasio sit non adducendo tantum

Chro-

Chronica modernorum, sed veterum, & grauium PP. monumenta, quæ omni seculo patrata sunt, miracula, & virtutes recensentium; præsentium vero scriptorum plurium grauiorum authoritas, saltem eam fidem meretur, quæ historiæ humanæ, adhiberi solet, vt fiat videlicet suasibilis, & prudenter credatur. Si solas virtutes propositas putas absque alio motiuo obtinere posse palmam de infideli, vt conuertatur, non renuo. Interdum accidere potest, vt contigit aulico illi Imperatoris legenti vitam Sancti Antonij, ad cuius exéplar quoque Augustinus commotus est, vt ipse fatetur, vt penè iam soluta in ipso essent omnia argumenta, quæ à conuersione retardabant. Sed nimis te ipsum restringis Vindiciane, cum alia argumenta non desint vbi Catholicus in loco spacioso suos pedes collocet, vnde idem Augustinus pro magnis motiuis habuit, quæ recentes scriptores de Antonij, & aliorum Monachorum vita, & miraculis scripserunt, & de ijs vnitim quoque sic loquitur. *Quod recenti memoria, & prope nostris temporibus certissima mirabilia tua in fide, & Catholica Ecclesia omnes mirabantur, & nos quia tamen magna erant, & illa quia inaudita nobis erant; inde sermo eius deuolutus est ad Monasteriorum greges suaueolentia tua, & vbera deserta Eremi, quorum nos nihil sciebamus, &c.*

8. Conf. c. 6. & 7. — *Loc. cit.*

§. II.

Porrò disputauit S. Paulus apud Felicem de fide, iudicio, & castitate; sed non solas virtutes proposuit, sed eas cum fidei dogmatibus: & non est credendus Paulus, ordinarium catechesis ordinem omisisse, vt rem faceret euidenter credibilem: multa enim omittuntur à Canonicis scriptoribus, quæ serie traditionis postmodum impleta scimus, ex Sancti Augustini doctrina. Vnde sic habet sacer textus, quod *Felix cum Drusilla vxore sua, quæ erat Iudæa, vocauit Paulum, & audiuit fidem, quæ erat in Christum Iesum.* certè non nisi rationabiliter illam exposuisse credendum est, & negatiuum argumẽtum est Vindiciani, quod non egerit de miraculis &c. cum frequentissimè Paulus in suis epistolis fidem suadeat, ex signis, portentis, & prodigijs, persequutionibus, eamque rationabiliter amplectendam. Disputauit de Castitate ad Gentium impudicitias confundendas, apponens vltionem futuram Iudicij diuini mœchis, etiam & fornicatoribus, paratam: iudicium vero futurum esse, & castitatem seruandam sub catechesi quoque complectitur. At hæc in disputatione suasibilia fecit, & Vindicianus quomodo suasibilem faciet castitatem Lutheranis, & alijs sectarijs, qui impossibilem prædicant, & tyrannicam vocant cœlibatus legem naturæ repugnantem, nisi ad Chronica religionum etiamnum florentium, & historias Ecclesiasticas recurrat, myriades adducendo Monialium, & Monachorum, qui cum opinione sanctitatis, seruata puritate, discesserunt? Hoc Augustinum immersum in carne, & sanguine euicit, vt quod impossibile reputarat, castitatem seruari posse: exemplo Cœnobitarum maximè moueretur, ad illam amplectendam, & subinde Christo nomen dandum; sic enim inquit, *quod continentiæ facies illum adhortabatur, proponẽdo multitudinẽ continentiũ: ibi dicebat tot pueri, & puellæ: ibi iuuentus multa, & omnis ætas, & graues viduæ, & virgines, & irridebat me irrisione hortatoria, quasi diceret: tu nõ poteris, quod isti, & istæ? An verò isti, & istæ, in semetipsis posũt, & nõ in Domino suo?* &c. exemplis ergo continentium, inter quos principem locum tenebant Cœnobitæ, ad castitatem animabatur S. Augustinus, & alij quoque ex lectione Chronicorum animari possunt, etiã hæretici, quãdo adhuc Augu-

Tom. 4. de fid. & ope. c. 11. — *2. Cor. 12. 2 Thes. 2. Heb. 2.* — *Lib. 8. Conf. c. 11.*

Augustinus Manichæus, nec in Christo renatus, exemplis continentium erubuit. Quid ne erubescet hæreticus, cum hodie quoque exempla palpet continentium religiosorum, & si Chronicis credere detrectet?

Quod verò Vindicianus addit ex Hieronymo, & Lactantio reprehensibile fuisse apud Ethnicos, Scripturas, & libros Sibyllæ allegari apud Hebræos, aut alias sententias ex Gentilibus; dicitur: quod rectè factum est, quia authoritate eorum non mouebantur, vt ex illis conuinci possent: nullo tamen modo vetuerunt posse produci argumenta suasibilia (vt fecerunt omnes sancti) quod, & abundè præstitit ex eorum dictis idem Grauina tom. 2. cõtrouersiarum, vt Gentiles scripturas recipiant; & Hebræi, si non à suis Vatibus, saltem vel Gentilibus Sibyllinis versibus prædicta, recipiant. Oportet Vindicianum iterum absoluere cursum Theologiæ, nam fortè non audiuit tractatum de fide, vbi agitur etiam de credibilitate mysteriorum fidei; nisi forte Anonymus sit is, qui fidem abnegauit, & sit infideli deterior, quod sua paradoxa euincunt.

Contra eandem primam causam Grauinæ.
II. Argumentum Vindiciani proponitur.

VIND. ALiud profert Vindicianus argumentum frustra laborasse Turturem ad suffundendos pudore hæreticos dicens. *Neque felicius Grauina Hæreticorum ora obstruxit, negat enim præfractè tot, & tantos regularium defectus reperiri, quos Bellarminus pronũciabat. Hæretici autem tam ex certa maiorum, & coæuorum relatione, quàm præsenti oculorum fide, ac testimonio, compertum habent, quod Bellarminus scripsit; vt proinde frontem potius Grauinæ mirentur, tam è peregrino climate aduenæ, vel in Cellam vel in Caucasum detrusi, vbi metallis operam impendat, de statu Imperij, & hominum in eo degentium, non magis gnari, quàm illi fuerint, qui fœminas pro Monachis secularibus, vt dæmonibus, aspexerunt. Sepulchrum patens est guttur eorum, ait Grauina, oppilandum est, vt simus bonus odor Christi in omni loco. Sustinent illi conuitium: & dudum expectant pilas quibus abs te obturentur. Fingamus terram magno hiatu per inclusos ventos discessisse &c. vt omnino gleba, silicumq; congerie implenda vorago sit; cum ecce noster Grauina ab extremis Occidentis finibus, ac vltima Thule à Britannis, & Hybernis, Sarmatis, & Thracibus auxilia, & remedia implorat. Obsecro te per superum fidem, quorsum tam longe petita merces? an domi apud indigenas, & accolas non erat Saluzza, & cæmentum, & sterilis arenæ copia? Planè non reperit Grauina. vix senos aut denos ex vniuersis regularium Chronicis producere potuit, qui in latissimo Theutoniæ Imperio singulari sanctitatis doctrina, aut dignitatis laude floruissent: non quod nulli essent, sed quia Grauina maluit peregrina gleba memorata sepulchra oppilari; & hoc ipso pessimè occlusit, hæretici enim maximè in opinione confirmantur, quod intra suarum regionum fines nihil generosum, & excellens, sed meri pepones, allia, & nasturtium nascantur.*

Responsio.

§. I.

TVRT. EOdem spiritu tentatur Vindicianus, quo quondam filij quidam Israel aduersus religiosissimos Moysem, & Aaron insurrexerunt, murmurantes, & dicentes, *& ex qua die intrastis vos, & existis ad Pharaonem, fœtere fecistis odorem vestrum coram Pharaone, & seruis eius, & præbuistis eis gladium, vt occiderent nos.* Exod. c. 5. Non dissimiliter Vindicianus ad religiosos veteres ait, *fœtere fecistis propter mala exempla vestra, odorem vestrarum religionum coram Hæresiarchis, & eorum asseclis, & præbuistis eis gladium, vt occiderent nos, Orthodoxiam de vestris malis exemplis arguendo.*

Sed

1.Cor.2. Sed scit, quod scripsit Apostolus *Christi bonus odor sumus*, sed alijs inquit, *odor mortis in mortem, alijs odor vitæ in vitam.* Similiter, & prædicatio Euangelij, vt ait ibidem Origenes, (Hom.3. in Exod.) *& propheticus sermo suauis est odor credentibus, dubijs vero, & incredulis, & qui se populum profitentur esse Pharaonis odor execrabilis efficitur.* Nec mirum, cum enim religiosi semper eorum dogmata detestati sint, & impugnarint, non valentes desistere à dogmatibus (vt frequenter fecerunt Donatistæ, quibus ex Augustino, nomen Monachorum præcipuè inuisum) (In Ps.132. c.8.) transitum faciebant ad personas, etiam in Episcopos debacchantes, vel falsa crimina adinueniendo, vel eorum, paucorum tamen, delicta efferendo. Vnde idem Origenes. Nõ *magnopere perturbemur, si videtur odor noster esse execrabilis Pharaoni, execrationi namque vitijs ducitur virtus. Quin potius, vt in posterioribus dicis, quia stetit Moyses &c. stemus etiam nos contra Pharaonem; & non inflectamur, atq; inclinemur, sed stemus succincti lumbos nostros in veritate &c. quanto enim nos constantius, & fortius stabimus, tanto magis infirmus, & inualidus erit Pharao.* Sed vt dicebat insignis fidei (To.3. tit.9 c.88. de relig. sacra.) defensor, Thomas ille Waldensis Carmelitanæ religionis iubar, *non solum apud Hæreticos fiunt Catholici religiosi fœtentes, & despecti; sed sceleratorum persequutione* (qualis est Vindiciana) *æstuatione, & lingua, etiam viris simplicibus, & Catholicis, turpes reputantur, & viles: quemadmodum de Capite nostro Christo* (Esa.c.53.) *Esaias luctum expressit fidelium. Vidimus eum, & non erat aspectus, & desiderauimus eum despectum, & nouissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem, & quasi absconditus est vultus eius, & despectus, vnde nec reputauimus eum &c. ita profecto corpus eius, quæ est Ecclesia,* quorum illustris portio sunt sacri Ordines, *horum persecutione, & linguarum ictu, omnis decor eius, omnis species, omnis sanctitas, quæ non est eorum tabe polluta. deperit etiam in quorumdam oculis, qui Catholici nominantur, & facultatibus inuident sacerdotum, vel alij virtutibus detrahunt.* Sed animaduertat (dicit Augustinus) (Ser. Dom. in monte. Beati, qui persecut.) *quisquis diuitias huius seculi, & facultates rerum temporalium pompam, primatum honoris quærit in homine Christiano intrinsecus esse beatitudinem nostram, sicut animæ fideli ore prophetico dicitur. omnis pulchritudo filiæ Regis, ab intus: nam extrinsecus maledicta, & persecutiones, & detractiones permittuntur, de quibus tam magna merces est in cœlis.* Insultet ergo, & despiciat Vindicianus religiosos superstites, post tot exantlatos pro fide labores, & dicat eos fœtere apud Pharaonẽ, conspuat in eos ore polluto reputãs eos nouissimos virorũ, vt alijs prim⁹ accubitus seruet, non tanget intrinsecè religionum veterum pulchritudinem, quæ à verbis peccatoris non timent: *omnis enim gloria ipsius, quæ superbit, stercus, & vermis est.* Nullum vero das testem, nullum diem, vel Consulem quoque notas, sub quibus hæretici nausearunt ad delicta fratrum: solum te ipsum testem exhibes Vindiciane, vt Germaniæ lustratorem, & domiciliorum hæreticorum sat familiarem, à quibus in cœnulis, conuiuijs, colloquijs, in Hypocaustis scommata exciperes, & notares: & hæc, benè dicis, non potuisse aduertere Grauinam, in cellula degentem, quem dicis rerum Imperij, non secus, ac illi Monachi reclusi, penitus ignarum, fœminas pro dæmonijs existimantes. Non (vt ludis) tamquam in carcere reclusum, veluti ad metalla damnatum, sed velut in cœlo voluntariè reclusum Turturem, fodinas Scripturarum, & Patrum exhaurientem. Si Parthenopem excurreres, inuenires non ad terrenos Thesauros (ob quos cupidi aulas, & curias Principum excurrere vagi, & curiosi, vel ambitiosi, cernuntur, vt fodinas effodiant) intentum, & anhelantem. Verum si hucusque vnum sepul-

chrum erat oppilandum, hæreticorum scilicet os maledictum, nunc duplicato labore desudandum est, ad implendum hiatum oris Vindiciani, pestilentem halitum eructātem. Ex ijs quæ adduxerat Grauina in Turture, ex Iberis, Sarmatis, vltima Thule, diuisis ab orbe Britānis, ad oppilandum hæreticorum ora, iam satis prouisum erat, & consultum de religiosorum dilacerata fama, etiam si Germanica exēpla, tamquam propinquiora tibi, in veteribus Ordinibus defuissent; vbi enim Indiarum aromata allata erant, superfluo quærebantur Saluzza, cœmenta, & steriles arenæ Grauinæ, & tibi incumbebat, qui propior eras, quam distans Grauina euoluere tabulas, & Annales Germanorū, cū audiebas blasphemātes hęreticos, & suorū Germanorū exēpla cōquirentes. omniū. n. agebatur religiosorum causa, dum cōmunis hostis aliquos religiosos traducebat. at tu, vt tuæ vanæ gloriæ ex tuo conficto patrocinio clientum deseruires; tantum abest, vt hæreticis responderis, eorumque ora oppilaris, vt nouam efformaris voraginem (qualis est quæ nuper in Væsuuio aperta est dum hæc scribebantur 16. Decembris 1631. flammam emittendo, & corpora hominum absumendo, sulphureum tetrumque odorem exhalando, vt Pliniana tempora renouata videantur) in quam cōijceres religiosos, vel flammis absumeres, & ignita exhalatione interimeres, & de cadaueribus eorum fœtor ascenderet, ad quam oppilandam ab Abel iusto vsque ad nouissimum, exempla tibi non sufficerent. Videamus distinctius tuum hiatum quem exaggeras.

ND. §. II.

Heretici magis in opinione confirmantur, qui inter suarum regionum fines, nihil generosum & excellens, sed meri pepones, allia, & nasturtia nascuntur, & iterum. *planè non reperit Grauina. Vix* SENOS, *aut* DENOS *ex vniuersis regularium Chronicis producere potuit, qui in latissimo Theutoniæ Imperio singulari sanctitatis, doctrinæ, aut dignitatis laude floruissent.*

Dum hæc legeret Grauina ad manus habebat Thomam VValdensem, & illico deprehendit similem formam in VViclepho (quem per omnia imitatus Vindicianus) qui aperiens fœtidum os suum (scil. VVicleph) hæc aduersus sacros ordines inaudita opprobria exhalauit, vocando religiones in Anglia degentes, *merdosos Ordines, & apostemata, globos, & conglobatos, nouos, inutiles, laruatosque Diabolos*. Idem apud eumdem tractatu de oratione. *sicut medicus euacuat superfluitates intrinsecas sanando homines, educit apostemata, & putrefactiones, quæ partes naturales corrumperent; sic spiritualis medicus ad sanationem corporis Ecclesiæ niteretur. vel ergo conuertat Ecclesia has sectas quatuor ad sectam simplicem Christianam, vel illas euacuet, propter sanitatem corporis Ecclesiæ conseruandam*. Vindicianus paulò in verbis modestius, phrasim VVicleph imitatus; *pepones, allia, nasturtium*, & illi alij Anonymi: *inutilia terræ pondera* appellant. Cum Augustino exclamandum. *Verba quæ modo audiuimus fratres, vbi ponimus? si possent, describi deberent &c. in omni loco dixit Paulus, Christi bonum odorem esse omnes fideles, & contradicitur*, à Donatistis, *& dicitur: Africa sola benè olet, totus mundus putret*. huic vox Vindicianica assimilis [sola Societas bene olet, maximè in Germania, cæteri præsertim in eadem Germania, allia, pepones, nasturtium] vnde, & veteres Ordines deuorat, & Societatem (huic voci, ex sua humilitate, inimicam) ad ruinam conatur impellere. Vnde Augustinus exponens eum locum *sepulchrum patens est guttur eorum*, dicit *eos esse, qui mendacio, blanda adulatione trahunt ad se, quos ad peccata illectant, & eos tamquam deuorant, cum in suam vitam conuertunt*.

TVRT.

Sup. c. 88. initio.

In Ps. 11. conc. 1.

Psalm. 5.

uertunt. quod quibus contingit, quoniam peccato moriuntur, rectè illi, à quibus inducuntur, sepulchra patentia dicti sunt, quia & ipsi quodammodo exanimes sunt, vitam non habendo veritatis, & mortuos in se recipiunt. quos verbis mendacibus, & vano corde interemptos in se conuertunt.

Sed demus Vindiciano (quia id concedere opus est) nasci interdum in hac, vel illa parte, pepones, allia, & nasturcia; an propterea alijs herbis atque radicibus, & fructibus destituta Germanica portio, vt omnimodè terra frugifera Veterum ordinum, in salsuginem versa sit? vbique humiles herbæ cum perfectis admixtæ, & potentiam creatoris commendant. Singula, dicebat Ambrosius, etiam si acconita sint, *eorum, quæ generantur è terris, specialem quandam rationem habent, quæ pro virili portione complent vniuersæ pulchritudinem creaturæ. Alia ergo esui, alia alij nascuntur vsui: nihil vacat, nihil inane germinat terra, quod tibi putas inutile, alijs vtile est, imò ipsi tibi frequenter, alio est vsu vtile.* Ipsiquemet selectissimi horti rosis, & floribus redundantes, spinis non carent. *Spina vero sapsit (ait idem S.) gratiam floris, tamquam humanæ speculum præferens vitæ, quæ suauitatem perfunctionis suæ finitimis curarum stimulis, sæpè compungat. Vallata est enim elegantia vitæ nostræ, & quibusdam solicitudinibus obsepta, vt tristitia adiuncta sit gratia &c. Irrutiles igitur homo, licet, aut splendore nobilitatis, aut fastigio potestatis, aut fulgore virtutis, semper tibi spina proxima est.* Cum ergo rosas contemplaris, spinas pariter intuere, & cum in pepones. allia, & nasturcia incurris, noli in quibusdam paludibus sistere, sed ad nemora sacrorum claustrorum Cœnobitarum omnium, & conclusos hortos sponsi perge; videbis vndique concurrere arbores, consurgere syluas, vertices montium frondescere: ibi pinus, hic cupressus in alta sese cacumina extollunt, abietes veluti, cum ventis certaturæ se explicant, & laurus nunquã suo exuẽda velamine se effert, nec fulmina extimescens. Ficus præterea non solum propriam dulcedinem seruãt, sed agrestes, frugiferas reddunt: vnde cernimus (quod põderauit idem Ambros.) id præsignare, vt Gentilis vel hæreticus acquiratur, *vt quo grauior fuerit assertor erroris, eò vehementior possit fidei defensor existere.*

Hexam. l.3.c.9.

Cap.11.

Cap.13

Contra eandem primam causam Grauinæ, IV. Argumentum Vindiciani.

SVgillare quoque Grauinam non desistis, dum inueheris male laborasse ad præcidendam calumniarum ansam, & hæreticos ad sanam mentem reducendi.

VIND. *Planè, ais, fateri compellor, vix gratiorem hæreticis operam à Grauina præstari potuisse, quam vt mundo monstraret, etiam Hannibal vinci posse. Nimirum Bellarminus in eorum oculis sudes fuit, in auribus tonitru, in pectore lancea, huius, vel famam, si vitam nequirent, aliquo crimine contaminare in summis habebant votis, varia plurimi attentarunt, sed irrito labore. Bellarminus dum vixit, supra omnes insidias eminuit. Postquam autem humana deseruit, ecce Grauina Turturem qui viam hæreticis ostenderet, quâ viri trophæa, & statuas eijceret. Quid in triumphum illi canant? & tu similis nobis factus es, & in multitudine negociationis tuæ, repleta sunt interiora tua iniquitate, & peccasti. Quamuis autem, neque in mortuum leonem gloriosa detur victoria, tamen hæretici semper habent, cui exuuias detrahant, dummodo illis sua vita, morumque noxas obumbret.*

Responsio.

TVRT. SApienter Eschines in oratione ad Cthesiphontem pronunciauit, dicens. *Capite hos prædones, qui semper in ore habent Rempublicam: nauigant enim in mari verborum, vt*

hoc prætextu Reipublicæ extrema mala accersant. Idem adaptari potest Vindiciano, publicam causam Christianæ Reipublicæ agere se simulat, dum religiosos rectè traductos esse à Columba defendit, correctorem fictè extollit, & dum mala perpendit, ex illa toties exposita publica scandalorum reprehensione, ipse peiora mala accersit, & funestiores contentiones. Solent autem sinistræ interpretationes esse magnorum malorum causæ. Ipse quoq; Vindicianus, cum argumentum reprehensionis religiosorum, quo Grauina hæreticos perstringit, retorqueri posse cerneret, nullum aliud effugium parat, nisi deducendo ad inconueniens, videlicet obiectum Bellarminum tam insignem athletam feriendum, ipsisque viam stratam, vbi aduersus eumdem triumphum canerent. Sed pro inconuenientibus maioribus, in quæ alij sua sponte coniecerant, maiora tolli debebant. Plus ponderabant in Ecclesia Dei omnes religiosorum Ordines, innumeris Pontificibus, Cardinalibus, Episcopis, & Prælatis decorati, quam vnus Bellarminus solus. & si defensio omnium ordinum fieri non potuerit sine aliquali repulsa tam insignis viri, debita tamen excusatione, atque modestia, præstabat bonum totius præferri vni singulari, & si eminentissimo, dum omnium eminentissimorum etiam causa agebatur. Præterquam quod hinc etiam hostes Ecclesiæ colligere poterãt veracitatẽ filiorũ Ecclesię, qui non passione, odio, vel amore in tractatione veritatis excæcantur. Cum Paulus modestè restitit in faciem Petro, magis ædificati fideles, quod nec Principi Ecclesiæ pepercerit, cum submissione, & reuerentia eumdem obiurgans. In Exodo quoque demandatum est. *Ite per medium castrorum, & occidat vnusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum.* quod exponens Hugo de S. Vict. ait. *increpando discurrat per medium castrorum, cum tanta æqualitate, vt in culpam delinquentium, nullius odio, vel fauore declinet.* Exo. c. 32. In miscell. l. 1. 29.

Sunt etenim quidam, ait Iosephus, *qui sæuiunt, non in quos oportet, sed in quos ipsis sæuire est facilè.* Propterea de excessu Turtur Columbam modestè notauit (si tamen eius opusculum sit) vt non ad gratiam Catholicos loqui, hæretici experirentur, & quanta diligentia inuigilarent domestici Dei, & super viuentes, & mortuos; vt si quid vel incautè aliquid prolatum est, qua decet lenitate, & obseruantia corrigatur. Quo fit vt multò magis reprehensibiles habeantur ab Ecclesia extorres, si idem saperent, nec enim eos releuaret Catholici lapsus, sicut nec releuauit Donatistas Cypriani error, qui & viuus, & mortuus à Catholicis correctus, & excusatus. Li. 6. c. 10.

Summæ eruditionis, miræ religionis à Grauina Bellarminus semper est habitus; sed qui peccabilitati obnoxius esset. Insignis Dei seruus Elias, & tamen timiditatis vitium incurrit, qui miris virtutibus fulgebat, vt etiam diceret. *Tolle animam meam à me,* vnde Eucherius. *Sic potens, vt tot illas virtutes faciat, vnde sic infirmus, vt fœminam pertimescat, nisi quia dispensatoris superni mensura occulti libraminis appenduntur, vt ipsi sancti homines Dei, & multum valeant per potentiam Dei, & rursum quadam mensura moderati sint per infirmitatem suam. In illis virtutibus Helias quod de Deo acceperat, in istis infirmitatibus hoc quod acceperat custodiebat; in miraculis monstrabatur Helias, in infirmitatibus seruabatur,* & ex hypothesi thesim hanc format. *Sancti viri, qui subleuante spiritu ad superna rapiuntur, quamdiu in hac vita sunt, ne aliqua elatione superbiant, quibusdam tentationibus reprimuntur, vt nequaquam tantum proficere valeant, quantũ volunt, sed ne extollantur superbia, fit in eis quadã mensura* 3. Reg. c. 19. In annot. in eũ locum.

sura virtutum. Mirum ergo non est, si multum valuit Bellarminus per Dei potentiam hæreticos confundendo, sed infirmitate, & lapsu seruabatur humilitas; in humilitatis studiosissimo, & fiebat in eo mensura virtutum.

Sed superbo Vindiciano non quadrat hæc doctrina, in scholis enim Ephesijs cōtendēs solus vult apparere, ob fictè defensos clientes. *Nemo ex vobis excellat,* dicebant Ephesij, *& si excelluerit, exul esto.* Cum inter eos degeret Hermodotus vir peregrinus doctrina, & probitate spectabilis, & ab illis eiectus esset, admirantibus quibusdam, cur huiusmodi virum eiecissent? responsum est; *illud in causa fuisse, quod virtute, & moribus nimis reliquos anteiret.* Multi etiam apud Athenienses exostracismon, hoc ex, exilium decemnale irrogabant virtute præditis inuidia, vel gloriola, vt soli essent, & viderentur sapientes. Libenter in hanc sententiam iuisset Vindicianus, si de Religionibus suffragium ferre licuisset; in promptu enim omnibus religiosis (suis fictè defensis clientibus exceptis) quos maiori insectatur odio otrocismon decreuisset, & Anonymis illis prætensoribus restituta Monasteria in Germania occupanda linquerentur.

Ex Patrit. lib. de Rep. c. 1.

V. Argumentum.

AD hæc addit Vindicianus alias obiurgationes dicens. *Nescio etiam quò illud referam obsequium, quod eisdem Grauina Ecclesiæ perduellibus, vt sæpius contulit, quādò Soc. Iesu similiter multis cauillis, & dicterijs onerauit. Cur non deinceps iucundius in eam psallant, qui in calicibus epotandis, & Catholicorum moribus carpendis, ipso quoque Grauina teste sunt doctissimi? Quando irati fratres Iosephum Ismaelitis vendiderunt, turpius impegerunt, quam cum in siccum locum demiserunt, quia hic tantum corporis vitam, illic animæ salutem in discrimen coniecerunt. Quid enim perditioni propius, quam vbi tenera ætas, in potestatem Barbarorum, ac dæmonicolarum emptionis iure mancipatur? malè vendiderunt, ait S. Ambros. peius emerunt, vendiderunt illis, qui forinsecus boni odoris negociationem præferrent, re ipsa Dei osores essent; emerunt autem à proditoribus.*

Responsio.

§. I.

TVRT. NVsquam Grauina hæreticis obsequium contulit, sed religiosis vniuersis defensionem parauit aduersus hæreticorum linguas: nec dicterijs, vel cauillis onerauit, vt fingis, sed laudatos præmonuit, ne à tanta altitudine qua efferuntur ab incautis, caderent. Melius erat hæreticis ostendere in eadem Societate quoque esse bonos cum malis admixtos, vt manuducerētur ad abiurandum illum errorem: Ecclesiam solum ex bonis constare. Erat ne hoc Societatem onerare cauillis? erat ne Iosephum vendere Ismaelitis, hoc est, Societatem hæreticis, & Barbaris tradere? Illi potius vendunt Ioseph, quemlibet iustum, Ismaelitis, & Dæmonijs, qui adulationibus, vt tu facis, decipiunt. vnde scriptum est. *Popule meus, qui te beatum prædicant, ipsi te decipiunt.* Hi enim sunt proditores, & veri Dei osores, hominum præcipitatores, & occisores. Quare subinde frustra eamdem cantionem replicas, dicens. Esa. c. 4.

VIND. *Si Grauina æmulationem Regularium, ob quædam Bellarmini verba, inter gemitus ortam, aliter sedare nesciuit, quam vt illum cum toto Societatis Ordine hæreticorum ludibrio velut dolia Balenis obijceret; odoretur Dominus sacrificium eius. Certè paruam à prudentibus laudem refert, alligauit se vtrique ab initio fortiter, & quidem charitatis vinculo, ecce hic specimen admirandæ charitatis? factiosorum ictus,* inquit, *elidam; ò miserandum genus elisionis, quo, ad hæreticorum tribunal rapiuntur, qui etiamsi apud Schytas causam dicerent, innocentes iudicarentur.*

TVRT. Sedare aliter nesciuit Grauina excitatam religionum tragœdiam, nisi vel authorem

thorem operis negando gemitus Columbini fuisse Bellarminum, vel si ipse author est, vt supra dictum est, excusando, vel si excusationem recipere non vult Vindicianus, duriusculè dictum leniter repellendo: quam loquendi formulam à modestissimo S. Thoma didicit, qui de duriuscula quadam loquendi formula Sancti Chrysostomi verba faciens sic respondit 3. part. q. 27. a. 4. ad 3. [respondeo dicendum, quod in ijs verbis Chrysostomus. EXCESSIT.] At Societ. à reprehensione quidem immunis seruata est, admonita tamen est, ne eximijs laudibus, & superexcedentibus (quas abiecit semper) sese efferret, inde incipiens displicere, quo ex elatione (si orta fuisset) inciperet hominibus placere. Hæc omnia fuerunt dolia obiecta Balenis, hoc est, hæreticis. non paruula illa Væsuuiana, sed illa instar nauium Pausylipiana, ne deglutiant religiosos; viderentque ijdem non habere in detractione socios, qui recto zelo excesserunt, nec vnius lapsum, vel excessum, in totam communitatem redundare, quæ non reprehensa est, vt culpabilis, sed admonita ne sit. Et si ex hac vera intentione (vt fateris) odoratus est Dominus sacrificium, id Grauinæ satis: Nec enim à prudentibus, maximè huius seculi, laudem reportare curat, illud euoluens: *si hominibus placerem, Christi seruus non essem*, & quia alligauit se Societati forti vinculo charitatis, hæc emplastra, & si mordacia, quibusdam ægris visa sint, lenia tamen sunt, non exasperantia; factiosos tamen pungunt quosdam malos seculares, non professores Societatis, vt sinistrè interpretaris, sed illos, qui putant, se obsequium præstare Deo, & dicunt: *Ego sum Pauli: Ego Cephæ.* [Ego Societatis, Ego veterum ordinum defensor] nec propterea hæc elisio miseranda est, cum non innocentes ad tribunalia sistat, sed nocentes etiam iurgia inter religiosos seminantes plectat. Hi enim (vt patet ex toto opere Turturis) meritò perstringuntur, qui etiam si ad Scythas Messagetas, & Brasilios Sarcophagos pro tribunali sedentes adducerentur, vt noxij, & boni publici perturbatores, ex his simultatibus, præconis buccina declararentur.

Galat. c. 1.

Non poterat certè præteriri ista defensio Grauiniana, ad Hæreticorum insultus repellendos, sine aliquali admonitione, vel amicabili correctione, qui ansam debacchandi ex his verbis sumebant: non fit tam dexterè excoriatio pellis hædi, quin sanguinis aliqua stilla defluat, nam etiam: *qui vehementer emungit, elicit sanguinem.* côditio materiæ illum requisiuit scribendi stylum, & cum parua iactura vnius, phalanx hostium repressa. Hoc (quod tu quoq; exprobras) *effictũ modestæ defensionis requirebat.*

Prou. cap. 30.

§. II.

VIND.

Sed tu statim tuum aspergens salem dicis. *mox ex hac defensione, numquam iustiores calumniandi causas, quam ex Grauina defensione nacti videntur, & hac illo maximè tempore, quo Caluini soboles in Septentrione contra Catholicos lingua, & armis potentißimè sauiret, quando iam, & Orthodoxorum pietas, & auita in periculis virtus à religiosis viris excitanda erat, & errabundi ad Ecclesiæ gremium reuocandi, tum pseudo Turturis velut in cœna mortui rugitus intempestiui insonuerunt. Hæretici iugulum supremi poscebant magistratus, & ad necem & ad exilia vnumquemque Romanæ fidei assertorem designabant, & Grauina digitis, calamoque in quos primum facerent impetum monstrauit: illi de aris, & focis sibi aduersantium contendebant, hic de fabis & polenta inter religiosos litem seuit,, & Bellarminum cum matre sua exesse iußit, vt factiosorum, in prædam veniret. Hoc nimirum erat Ecclesiæ inimicos ad saniorem mentem reducere, si acrius in Societatem inueheretur.*

Tam

TVRT. Tàm prudenter executus est Grauina modestiæ partes, vt penitus omnem calumniandi materiam præciderit. Nam cum hęretici quotidie de religiosorum defectibus obloquerentur, vitium id hominum esse demonstrauit, non religionis, & gratiæ; & ne omnes religiosi tales iudicarentur, quales ipsi describunt, testimonijs scripturarum, & Patrum ostendit, malos cum bonis in omni congregatione admixtos: excessus obiectos temperauit, obijcientes excusauit, vel amice castigauit, vt fortius castigandos se ipsos extorres à religione cognoscerent, quando nec amicis parcimus. *Non omnis* dicebat S. Augustinus, *qui parcit amicus est, nec qui verberat inimicus, meliora sunt vulnera amici, quam blanda oscula inimici, melius est cum seueritate diligere, quam cum lenitate decipere, vtilius esurienti panis tollitur, si cibo securus iustitiam negligat, quam exurienti panis frangitur, vt iniustitia seductus acquiescat, & qui phræneticum ligat, & qui letargicum excitat, ambobus molestus, ambos amat.* Hæreticos certè, vt phræneticos tractamus, pios autem aliquos interdum sopore aliquo excitamus (aliquando enim bonus dormitat Homerus) *excitantur senes patres à pueris. si letargo aliquo corripiantur, vellicantur, punguntur, & pungentes pietate molesti sunt*, vt idem docet August. *quanto maiore charitate nos amicis nostris molesti esse debemus, cum quibus nos paucos dies in hoc mundo, sed apud Deum in æternum viuamus?* Non fuit hoc hæreticis Septemtrionalibus arma ministrare, vt magis Iesuitas odio haberent, sed vt excusatos magis venerarētur, vel minus impeterent, nam si aliquid concepissent de ijs dici super id quod vident in ipsis, & adulantium exemptiones à cæteris ponderassent, ex partialitate Vindiciana, magis in errore essent obfirmati, si enim vnam congregationem tamquam puram massam hinc prædicare inspicerent, inde verò in alijs paleas cum tritico mixtas, difficilius ad Ecclesiam redirent; iactabundo enim spiritu excitati, (vt fecerunt Donatistæ) se ipsos quoque prædicarent puram esse massam, & triticum, omnes alias areas puras paleas continere; cum autem conformiter ad scripturas nudas (quas buccis inflatis solas exposcunt) ostensum sit, quod sicut vniuersa area totius Ecclesiæ Catholicæ continet malos, & bonos; sic omnis religio eosdem habet admixtos, vt nullus præ alio inflectur, & si inflectur periculum sit ne disrumpatur, & medius crepet. Nō fuit hæc Pseudo Turturis, velut in cœna intempestiuè mortui conditio, sed veracis Turturis, cum gemitu imperfectionum, florentem statum enunciantis, præcisa elationis materia, sine partialitate cæterarum omnium religionum. Nec in cœna mortuus Turtur est, cum à te reseruaretur pro cauea, nec crucem formidabat, cum hæ communes aues in cœnis opiparis non compareant, vbi phasiani, & primæ classis aues iugiter absumuntur. Nec fuit asse florem fidei Romanæ demonstrare impetendum ab hæreticis, & ponere illum tamquam signum ad sagittam, sed excusatum in exemplum humilitatis proponere, quem hæretici imitarentur, vt non semel cum S. August. lapsum Cypriani Donatistis imitandum exhibuit. Quare calumnia tua satis manifestè deprehenditur, quod Grauina prius Hæreticos excitarit, & quod dum illi de aris, & focis, sibi aduersantium, contendebant; Grauina de fabis, & polenta inter religiosos litem seuit, cum nec hæreticos armarit, nec lites inter religiosos seminarit. Tu potius hæreticos non leuiter excitasti, dum eorum lāces cuspide ferrea armasti, nec de fabis, & polenta, sed scandalis pessimis turgido ore infamasti, cumq; velut alter Achab cōturbes Regnū spiri-

Serm. 59. de verb. D. secundum Ioan.

diuertis, (insignem inter hos, Magistrum, P. F. Nicolaum Riccardum, tunc in coll. Rom. regentem, nunc Apostolici Palatij Magistrum nostri sæculi gloriam) cumque nec hos lædere potueris. Rursus opus dilaceras Grauinianum, *quod scateat erroribus, sit supposititius fœtus, lima indigens, Societati iniocundum, inutile, innocẽtes deformans,* Pyrgopolicen illum Plautinum te exhibes, immensè gloriantem, verbis sexquipedalibus tonantem, fulgurantem, vix non cœlum lancea perforantem; sed eo magis irridendum te præbes, & salibus conspergendum; qui relicta lancea, ad Panariũ tuum oculum inflectens, dicis rursum.

§. II.

VIND. *Simplices Catholicos legibus Grauinæ non curari. Prima Grauinæ lex vt naturali illorum infirmitati consuleretur, infirmitas autem simplicium, sicut ex eodem fonte, quo ipsa simplicitas scaturit, ita similes quoque cum illa fructus parturit, videlicet, vt in quamlibet partem mobiles faciat animas, prout sensu, vel iudicio aliquid apprehenderint. Simplices enim non possunt multa, rebus alioquin annexa circumspicere, sed in id præcipites feruntur quod mentem fortius afficit, atque inde omnis promptitudo ad offensiones, seductionem, & alia vitia inducenda. Rursus autem eadem celerius deponunt, vbi potentiori alterius rei impressione percelluntur. Quamobrem Grauina monet, vt religiosorum scandala à pedibus insipientium remoueantur, ac multo magis ab oculis, & auribus, sed non sufficit vnicum hoc infirmitati, præsertim ingenitæ medicamentum.*

TVRT. Saltem ergo pro methodica curandi ratione, à radice cœptum est, ne mobiles animæ, sensu, & iudicio imbecilles paruus cõciperent monstrosos, vt formæ, & imagines scandalorum eorum sensibus non obijcerentur, & remouerentur. Hac arte Cõstantinus ille Magnus simplices curare voluit, vt Chlamyde, diceret, si videret religiosorum defectus, se obtecturũ. & Apostolus, *auferte malum à vobis ipsis*, ne alijs scãdalum aggeneraretur. eoque suo præibat exemplo: *in hoc & ipse studeo sine offendiculo conscientiam habere apud Deum, & homines semper.* Putabant enim rectissimè non satis esse si actu intentio operis adfuisset, & offendiculum non cauissent à proximorum pedibus remouere. ergo & silentium scandalorum prima medendi cura saltim præseruatiua. At aperiat Panarium Vindicianus, & accipiamus alia media curatiua. 1. Cor. 5. Act. 14.

VIND. *Qui diues est in omnes, etiam docuit inter iustam, & iniustam scandali sumendi causam discernere, & si latent, indagare: raro enim vnde scaturit, inde ebullit.*

TVRT. Optimum remedium communi distinctione à Theologis traditum, quod aliud est scandalum actiuum, aliud passiuum & à diuite in omnes emanauit, & vtraque cauenda voluit, etiam passiuum, quando res est indifferens, vel quæ relata parũ prodesset, imo obesset, quod in actiuum transiret recenseretur. Indagari vero scaturiginem scandalorum, si id non fiat ad aliorũ vitam explorandam, & diffamandam, & ex iustitia, vel charitate fiat, est laudabile medicamentum, tamen sint memores obseruatores, vt ad suos defectus indagãdos, talpæ oculos non habeant, & ad suos Lyncæos, oculos deponant, vel sibi ipsis præcidant, si oculus eorum forte eos scandalizaret.

§. III.

VIND. Subdis. *Deinde docuit* (Grauina) *quærenda esse media quibus nascenti scandalo maturius, & cum debita charitate succurratur, ferè enim ex inopia consilij, recentis mali vires accrescunt. Docuit etiam magistratus opem implorare, qui omnium celerrimè, ac felicissimè ausit subuenire, & gliscentem ignem suffocare.*

mirum in modum fertiles Grauina iactat vineas, atqui simplicium oculis passim alia rerum facies occurrit cum Michaea vix racemos post vindemiam colligunt; quia perijt sanctus de terra, & rectus in hominibus, non nisi rarus est. Quid ergo superest, quam vt sibi persuadeant Regularium inter se, & cum reliquis statibus concertatione tanquam vndarum fluctibus, vita sua nauem agitari, vt nulla certa ratione, sed fortuitis euentibus in aliquem portum liceat appellere, quod Atheismi Pharmacopæum olet, tantum abest, vt infirmitati rudiorum consulat Grauina. Cap. 7.

TVRT. Sicut Vindicianus se armauit aduersus omnes, ita nouam non Philosophandi, sed calumniandi reperit Philosophiam. Quod necessitatem deficiendi Ordinibus Grauina imposuerit, iterum negat, & ad c. 8. se remittit, & nouæ rationi, quæ de industria reseruata est, postremo loco, occurritur. Non aufertur confidentia, si asseratur omnes status vbique locorum veterascente tempore posse tepescere, sed magis frænari dicit insolentiam, in brachio virtutis, & industriæ superiorum confidentium. Qui verò pro senecta, & senio diuinum adiutorium implorant: *Cum deficiet virtus mea, ne derelinquas me Domine*, ab eo illud merêtur reportare: *renouabitur, sicut Aquilæ iuuentus tua*: vnde & vineæ olim tempestate iacturam passæ, repullulascere passim inuisuntur. Quare non est mirum si hodie fertiles satis vineas Grauina conclamat. Et si pro diuersitate temporum, & ingruentibus calamitatibus infœcunditas in vno, vel altero loco, vnaq; alteraue vinea. Exhibeat Vindicianus, qua arte, & via de ligno vitæ aliquis ramus descerptus sit, & plantatus sit in aliquo loco, pro immortalitate; demonstret fidam hanc stationem, vbi nullus ventorum æstus vndas concitet. Satis sunt persuasi, vel ipsi simplices vbique tempestate cieri, & naues vndarum fluctibus agitari, vt etiam si in portu placidissimo sint, non careant submersionis periculo. Id asserere non olet Atheismi Pharmacopæum, sed Apostolicam doctrinam spirat, exhortantem omnes, *vt cum timore, & tremore salutem operentur*, & è pice, sulphure inferni, potius singularitas, securitas, propria existimatio, cæteris contemptis, & super illos elatio oritur, quare dicam tibi cum Prudentio in Psycomachia.

Psal. 70. — Psal. 102. — 2. Cor. 7.

> *Desine grãde loqui frangit Deus omne superbũ.*
> *Magna cadunt, inflata crepant, tumefacta premuntur.*
> *Disce supercilium deponere, disce cauere.*
> *Ante pedes foueam quisquis sublime minaris,*
> *Per vulgum viget nostri sententia Christi,*
> *Scandere celsa humiles, & ad ima redire feroces.*

§. IV.

VIND. Vlterius contra alias leges Grauinianas sic rursus argumentatur Vindicianus. *Pro secunda lege posuit Grauina, vt lingua intemperantiam corrigat, magnum opus ac peritissimo dignum artifice. S. Ambrosius triplex* intemperanti linguæ frænum inijcit, *silentij, verecundiæ, & considerationis. Qui enim hoc morbo laborant, sicut iudicio, ita lingua præcipites, in obuia feruntur, & toto impetu quicquid conceperint effundunt*: ad quod comprobandum multas eiusdem Sancti affert sententias. Cap. 2. 3. 18. 21. 22.

TVRT. Ad hæc fræna silentij, verecundiæ, & cõsiderationis probanda, quas sententias adducit, veneratur, & exosculatur Turtur.

VIND. Quid deinde Vindicianus infert? *Nimirum non obseruasse Grauinam Ambrosianas cũditiones, ad subueniendum linguacitati rudium. Duo enim ait munera Turturis suo muneri imponit. Primò, vt cum Bellarmino Columba super contritione Ioseph ingemiscat. Secundò vt de plurium florenti statu exultet. Porrò gemitus suos ita modulari iubet, vt partim laxorum regularium defectus excusando, partim Bellarmini*

calamum incusando, *totum primum operis librum*, *velut olim Moyses in colubrum virgam suam transformet. Quis autem tam inspirata Metamorphosi non agatur in fugam, vt non magis, quam antea religiosis diffidat? aut promptius cum Magis serpentinum artificium affectet: Paucos omnino leues, ac necessarios esse regularium defectus affirmat: quid ergo scrupuli remanet, si rudiores de istis cordatius inter se confabulentur? omnes illi sunt superstitiosi, detrahunt, scandala in Ecclesiæ agro seminant, qui regularium defectus complorant. ergo laudabilius per compita, & fori subsellia, simplices super illis pœana concinent, & suos excessus talium tegumentis sanctificabunt.*

TVRT. En duo munera Turturi imposita, vt silentij, verecundiæ, & considerationis frænis linguæ lubricitatem contineret. Silentium, & verecundiam imponit iustis, vt se ipsos in confessione præueniant, *iustus enim prior accusator est sui*; & silentium, & verecundiam inducit aduersario, ne defectus obijciat, quos Tur. humiliter fatetur. statuit hæc humilitatis confessio gemebunda improperantes in faciem suam, vt improperans, in se ipsum reflectat, & in propriam adducit considerationem, & à propriæ conscientiæ stimulis arguitur, æquales, vel maiores defectus obijciens. In secundo quoque munere, silentium, & verecundiam incussit, & in considerationem adducit Turtur, dum præclara religiosorum facinora exhibet intuenda, ad sanandum tumorem, & nutriendum amorem. Solis inuidis florentia placere non possunt, scribit namque S. Basilius, *existimant autem inuidos nonnulli, non solum rebus aliis, sed oculis etiam officere, incommodumque afferre, vnde, & corpora vegeta pubescentium, aliorumuè ætate firmaque florentium prosperam habitudinem inficiunt, atque debilitant, statim vt ex eorum luminibus pernicie quadam defluente, ac contaminante, videas contracta membra pulchra in siccitatem, ac valetudinem venire.* Quare nō est mirum, si etiam non florentes vineæ afferantur, & ab inuidis nonnullis æmulis de floratæ plangantur.

Prou. 18.

Hom. de inuid.

Primum vero munus gemitus, sic temperatum dicis Vindiciane, vt stylus, quo gemitus descriptus est, virgæ Moysis in colubrum versæ assimiletur, vt ex hac conuersione, vel metamorphosi fugiendi à religiosis, vel affectandi à Magis serpentinum artificium occasio sit subministrata. In quo Deiloquo Doctore tales allegorias didicisti? S. August. id refert ad virgam mysticā, nempe Christi Domini mortem, qui velut virga in terram proiectus, summa sapientia postea apparuit, vt infidelis synagoga ab eo fugeret, & hæc sapientia deuorauit (ex Glos. interlineari) omnes dracones, quos Magi effecerunt, hoc est tres astutias huius mundi. Et (ex Glos. ordinar.) omnes scientias nouas, & superstitiosas. Bona etiam est Tropologia, quā assignamus, per virgam correctionem designari, quæ vertitur in colubrum, in sapiētiam, & prudentiam ex Strabone. fugit vero correctiones, quia omnis disciplina præsens, *non est gaudij, sed mœroris*, vt ait Apost. hæc autem correctio omnes actiones mūdi deuorat, cum ostenditur, nō nisi in simplicitate cordis, quærendum esse Dominū, nec primarios honores affectādos, sed nouissima loca quærenda, vt quo quis se humiliat, postmodum exaltetur. Hæc autem metamorphosis nō in fugam adigit, ne religiosis fidant, imo magis accēdit, vt vniat, & religioni incorporet, cum qualis status sit religiosorum candidè, & syncere exponitur, ex documentis August. asserendo ibi esse rosas inter spinas, zizania, & paleas tritico admixtas, & ab his hæreticis omnis materia aufertur, ne dracones, & serpentes, detractiones scilicet efforment, cum veritas candidè enunciatur.

Serm. 86. de temp.

Heb. c. 12.

Porrò

Porrò etiam si pauci, vel leues, necessarij (ex suppositione) sint in omni religione defectus, non fas est, SS Domini tangere, nec possunt exéplari, sine detractionis nota. vnde ad confabulandū inter se, sęculari bus licentia denegatur, & qui sub deplorationis specie, veluti Crocodilus, religiosos deuorant, vt escam panis, si non debitis circumstantijs, etiam si rectus finis videatur, tale præstetur obsequium; nequeunt discerni, qui sint funestiores, an qui palam exhibent dentes suos, arma & sagittas, & linguam eorum gladium acutum, an vero, qui in hac valle plorationis aliorum peccata flere dicentes, sub lachrymis deuorationem abscondunt. Quare insulsa tua argumentatio, quod dum laici leuiora committunt, reprehensores, & deploratores grauia scandala somniant: quod laici per compita, & fori subsellia super deploratoribus Pœana concinant, nam, & si in se ipsis primo reprehensi, etiam postea in alijs reprehensoribus iterum emendati.

VIND. Secundum munus non esse à Grauina præstitum, his sexquipedalibus verbis oppugnans, nimirum, quod *vt patet ex Epist. Grauinæ ad Lectorem nedum filij, sed etiam nepotes Fundatorum religionum, ab illorum gloria, ne latum vnguem recedunt*, at quid sequitur? Vindicianus: *insipientes familiarius mala de alijs credunt, quam bona, quia cæteros suo pede metiuntur: si quis ex incauto vulgo dictis Grauinæ fidem accommodare velit, vel quia splendidè asserta destituuntur probatione, vel quia contraria nimium luculentè oculos perstringunt*, quid cataplasmatis admouebimus?]

TVRT. Et hæc summa laus Grauinæ quod tu vulgi iudicium pro maximo ducis argumento. Sapienter Phocion, cum aliquando perorasset, & maximè eius dictio vulgo placuisset, respondit. Quid ergo? *num* L. 4. Apop. *mali quippiam dixi imprudens?* adeò persuasum sibi erat, nihil placere populo, quod à recto iudicio proficiscitur. Sed nihilominus semper in eodem vulgo erunt morigerati, quibus cataplasmata adaptari possunt, vt vel historijs religiosorum credant, non secus ac Gentium Chronologijs, vel à praua, & falsa (quam de religiosorum personis habent) existimatione remoueantur, exempla & paradigmata, proponendo, in quibus, non ipsi, sed Vindicianus est, qui Acribologicam demonstrationem requirit, cum sua velit credi tanquam è Delpho transmissa oracula, & Sibyllinis folijs certiora. Sunt quoque, & immorigeri, & de his scripsit Saluianus. [Prauorum hominū sensus, parui æstimandi] *sicut enim* (ait eius Scholiastes) *in ijs quæ sub nostrum aspectum cadunt, sanis potius, & qui vegetes sensus habent, credimus, quàm corruptis, sic in materia virtutum, & vitiorum, bonorum vel prauorum hominum incorrupta potius, quam vitia improborum & iudicia* sequimur. Frustra ergo ne emplastra formata sunt, si ex his prauis eorundem applicationem refugient? optabunt cæteri, cum se erudiri patientur in Dei via, probos cum bonis admixtos: non è malis exempla tanquam cœnoso fonte haurienda, sed rectorum paradigmata intuenda, & velut apes per floridos campos percurrere, & meliora seligere, abiectis amarulentis succis, quos vespæ capiunt, vt fella componant.

§. V.

Risu comico deinde Grauinam sugillat, dicendo: *diuitem Grauinæ Gazam, ex Ordinum Chronicis depromit, sed nemo ignorat pauperum, nec nisi selectorum virorum nomina eiuscemodi fastis inscribi, reliquum innumerabile regularium vulgus, tali hospitio non beari, quia, vt aiunt, non omnia ædificant. Hæc sors hominum est: hæc SS. Patriarcharum posteritas quam lixæ, & Calones contemplantur. cuius memoria tabernas circulus, & sympofia exhilarat.* VIND.

 Ditissi-

TVRT. Ditissimam ex Dei gratia Gazam Grauina exhibuit omnium religiosorum Ordinum. In eos magis Vindicianus inuehitur, qui nulla habēt annalia, & huiusmodi, nisi Centuriatorum, Pantaleonis, vel Foxi: nec possint priscis coæquari Neoterica illa, quæ suo genio sapiunt, & dum vetustiora vult obscurari, ab illis adimendo fidem, eam quoque à recentibus suo malo aufert; & dum fingit, suos clientes tanquam antiquæ cuiusdam nobilitatis successores, satis in modernas tabulas impingit, dumque maiora eos præstitisse, quam veteres Heroas præstiterunt, defendit, adulatoriè eos potius offendit, seque euanidum demonstrat: dumque aliena occupare suadet, id facit, vt amittat. Fœcunditatem suæ prolis, Vindiciane, multi ex suo armento metiuntur, qui numerosiores alios greges non viderunt. Sapienter ille dixit, *Nondum capra enixa est, & hadi saltitant.* Pauperum, & selectorum virorum (hoc est religiosorū nomina) quibus ob paupertatis votum, iudiciaria potestas communicabitur, vt scriptum est: *Iudicium pauperibus tribuit* (præcipuè, qui cum perfectionis opinione discesserunt) in fastis recensita sunt; & ad demōstrandum vinearum florentium statum illustres alij proceres recensentur, Prælati, Episcopi, Archiepiscopi, Cardinales, Inquisitores, Academici &c. Hos ne tu ore tuo maledico, cum vulgi fæce collocabis? tam sanctitas virorum, quam etiam alij externi splendores, Ecclesiam Christi exornant, & pertinent ad vinearum ornamentum. Si duo Cardinales insignes, duo vel tres Patriarchæ Societatis merito depinguntur, & in claustris Societatis affiguntur, & laudabiliter in Chronicis recensentur. Cur omnium aliorum, Ordinum Prælatos, & illustres viros, è Chronicis, è Claustris obliterari satagis? & nefariè illudis hæreticorum stylo, quod *Hac est sors hominum: Hac*

Iob 36.

Sanctorum Patriarcharum posteritas, quam lixa, & calones contemplantur, cuius memoria tabernarum circulos, symposia exhilarat. Vide Lector Vindiciani amarulentiam, dicacitatē, dum præsentes religiones & statū ita facit despicabilem, vt vilissimis tantū hominibus spectabilis sit, lixis (vilissimis videlicet hominibus, qui vilioris quæstus gratia, exercitus sequuntur lauandi, vel coquendi gratia, ex Sipontino) & calonibus similiter (ministris militum, castra sequentibus, & clauas ligneas, & fustes gerentibus, vel ligna ministrātibus) & nescio quid in verbis latens virus occulitur, vt in specie præclarissimi FF. Minores denotentur, nam calones, à calceis ligneis, lixæ à cinere denominabantur, hi autem Emeritissimi Patres cinereum colorem deferunt, & ligneos calceos. Sunt autem multi, qui contemplantes hanc posteritatem fœcundissimam Sanctorum, sic abiectè propter Christum vestiri eligunt, vt fortia quæque confundant; & hi incorporati religioni Seraphicæ, Minorum nomen, cum re, retinētes, humiles in conspectu Dei, & hominū, militibus Apostolicis; Prælatis Ecclesiæ Dei, diuino ministerio seruientes, vt & veri Mendicantes magnam remunerationem reportent, illud vexillum erigentes: *videte Fratres, quod non multos nobiles, secundum carnem elegit Deus, sed infima mundi elegit, vt fortia quæque confundat*, sed quid nequius inuido oculo? cum non dicit Vindicianus etiam hanc religionem, vt cæteras contemplatos esse filios, & filias Regum, Dynastas, & protodynastas, vt facilius sit arenas dinumerare, quam numero certo concludi, qui in hac Religione paupere vita contenti, elegerunt abiectos esse in domo Dei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. Non tantum ergo lixis, & calonibus admirabilis hæc posteritas, cum non soli lixæ, & calones religionibus incorporentur.

1. Cor. 1.

rentur. Videre mihi videor Vindicianum cum Pharisæis conspirasse, qui (vt verbis Chrysostomi vtar) stulta coniectura dixerunt, Ioanne scribente, *Nunquid aliquis ex Principibus credit in eum?* & Christum accusantes, & non incredulos, subdiderunt ad maiorem ignominiam. *sed turba hæc, quæ nō nouit legem maledicti sunt.* Hoc autem (vt dicit Chrysostomus) *magis eos accusabat, quod turba credidit, eos verò minimè, sed vt ostenderetur etiam non solum turbam, sed & Principū aliquem Christo adhæsisse,* (vt notauit idē Chrysostomus) *pro Christo respondit Nicodemus, ostendens etiam ex Principibus credidisse.* Hoc modo processit Vindicianus [nunquid aliquis ex nobilibus, & Dynastis hanc posteritatem sanctarum religionum admiratur, ac inspicit, eique nomen dat, nisi turba hæc lixarum, calonum, quæ non nouit legem?] hoc autem magis Vindicianum accusat, quod quæ non nouit legem, suspicabilem iudicat sanctorum virorum vitam, & sine probatione credit Historicis. Solus incredulus Vindicianus non credere (cum probationes requirat) chronicis veterum ordinum aperte profitetur, ea astutia, vt nec eorū quos defendit, historijs credat, & veteres, & nouos ordines despicabiles faciat. Sed nō desunt Vindic. nobiles, & Nicodemi, qui sub vili toga Christum pauperem sequūtur, qui nō recensentur, ne huius sæculi pōpas quærere Religiosos criminetis.

Hic astus Vindiciane eo tendit, vt nobiles delicatos deterreat ab ingressū Religionum veterum, vnicamque & solam eam profiteātur, vbi nobiles & Dynastæ multi recipiūtur, vnde vt verbis Bernardi vtar in declamationibus) illud potest vsurpare deplorās Religiosorum chorus antiquus, quod scriptum est, *Qui videbant me foras fugerunt à me, dicit, & filia Regis,* (Bern. in declamat.) *ea vtique cuius gloria omnis ab intus est, vnde & clamitat in Canticis Canticorum, adolescentulas reuocans, quas exteriori sua incompositione deterritas videt. Nigra sum, sed formosa filia Hierusalem. sicut tabernacula Cedar. sicut pelles Salomonis: nolite me considerare, quod fusca sim, quia decolorauit me Sol; ac si manifestè spiritualis quispiā dicat, teneras, & infirmas mentes exhortans. Quid laboriosa quæque & humilia conuersationis nostræ tam sedulo numeratis? saga cilicina sunt, & pelles arietū rubricatæ vt illæsa à pulueris, & imbris iniuria conseruētur. Nolite me cōsiderare, quod fusca sim, nolite pauere, nolite mirari, neq; enim tristitia, aut neceßitatis est, exterior iste neglectus, & nigredo forinseca, sed occulti splendoris, & exultationis internæ: decolorauit, inquit, me Sol: lux interior exterioris impatiēs nimirū ignis est. & inania folia nō admittit, alioquin aut exuri folia, aut certè si præualuerint, ignē extingui necesse est, quod quidē omnino cauēdum Apost. docet: spiritū, inquiēs, nolite extinguere: magis autē id Christus prohibet volens cū accēdi.* (1. Th. 5.) *Igitur sponsa quidē nigra sed formosa filia. Apostoli tanquā tristes, semper autē gaudentes, ipsi Christo si iudaicis consideretur oculis, nō erat species neque decor; è contra sanè alios dealbatos veritas cōparat monumentis foris splendidis, & nitentes intus sordidos & fœtentes; ambulant enim in stolis, & primam cathedrā amant, gloriosi honorati. & magni in oculis hominum. intus autē, vbi Deus videt, pleni inuidia, auaritia, superbia, luxuria fortasse nōnulli. Quando enim talibus detur illud preciosum continentiæ munus, nisi fortè ad iudiciū, & condemnationē, ne quando paucāt, & resipiscant, & conuertantur à studijs suis, sed obdormiscant in peccatis, & deterius pereant ex ipsa sua irreuerētia, & securitate.* Hæc Bernardus Vindicianū tanto ante reprehendens, tanquā adolescentulā Hierusalem, auocātem ne fugiat ab ista sorte Sanctorū, vestita saccis, cicilijs, & humili cōuersatione Deo seruiēte, nec alios adducat post se deterrēdo, quasi soli lixæ, & calones, & infimæ sortis homines fint, qui admirētur veterē Sāctorū posteritatē, cū nobilissimis secundū

carnem spreto mundo pauperes effecti nobiliora stemmata adepti sint, & cum illis eiusmodi sortis homines iuncti, hoc est, vilissimi, vel abiectissimi dantes Christo nomen, veram nobilitatem consequantur.

§. VI.

VIND. Illusor adhuc multiplicat subsannationes, dum subdit. *Verum hic Grauina aulico astu per Cœnacula Principum, & cameras peristromatis ornatas ducit, tantum argenteam, & auream monstrat supellectilem, Cypria, & Corinthia opera ostentat. Interim quæ non minus in magna domo abundant viliora, & sordida opificum iumentorum, & mancipiorum vasa, instrumenta, habitacula nonnulla inspicienda exhibet, quia nempe non ædificant, in gloria sunt, discrimina inter proficientes, ac deficientes indigitant. Ergo non dum Grauina medicinam illis attulit, quibus pollicebatur, potius in opinione confirmauit, non omnes nec semper, in regularium ordinibus inculpatè viuere, ideoque libertatem alloquendi simpliciores ægrè deponent.*

TVRT. Si per cœnacula Principum, dum Ecclesiasticos Prælatos ex Regularium ordinibus assumptos, ad decorem Religionum pertinentes, incedit Grauina, plebeios ducens, ex illo exteriori apparatu manuducit, ad venerandam sanctitatem, & virtutem commendandam, & religionum gloriam ponderandum, quæ tales educauit discipulos, vt fieri populorum Doctores, atque ductores mererentur; Eos ne procaci, & petulanti tua lingua non illustrare ordines, non plebes ædificare audes pronunciare? intuere sub cameris peristromatis ornatis, sub purpura, & sericis vestibus, & splendido dignitatis paludamento adhuc pauperes vestes laneas retineri, & multorum interiora pectora pœnitentiæ instrumenta contegere. Nõ opus erat ad inuisenda horum Principum stabula, vel officinas palatij plebeios associare, satis enim illæ præsupponuntur ad sustentationem, & decorem familiæ Principum eorundem, & quãdo moderata nec reprehendenda: atque hæc omnia consulebat Bernardus lib. 4. de considerat. ad Eugenium, *toleranda pro tempore, non affectanda pro debito*, vnde non bene dicis hæc non ædificare: esse in gloria indigitare qui perfecti, qui imperfecti sint; Exod. 19. quid est hoc nisi hæreticis hodiernis arma ministrare, qui diuitias palatia, & huiusmodi virorum Ecclesiasticorum impugnant? Scis Vindiciane bestiam tangentem montem lapidibus obrui demandatum, Oza quoque percussus, quia tetigit arcam Domini: per montem, arcam, prælatus significatur, *tunc autem* ait S. Thom. *Prælatus tangitur, quando irreuerenter obiurgatur, vel* 2. 2. q. 33. ar. 4. ad 1. *etiam quando ei detrahitur, & hoc significatur per contactum montis, & arcæ, damnatum à Deo.* Quare magnam Grauina simplicioribus ostendendo religiosorum splendorem, attulit medicinam (ne amplius obloquantur de religiosis) nedum adducendo laicos, ad perlustranda claustra, quæ sunt domus discipulorum, sed & circumducendo per palatia Purpuratorum, & Antistitum, quæ gloriosa, non ingloria sunt, nisi apud Turcas, Hæreticos, qui splendori extrinseco inuidentes, quem solum intuentur, Prælatorum, quorum magnus est numerus, virtutes prædicare contemnunt, & dicterijs iniustè criminantur.

§. VII.

Ad aliam vergit Vindicianus mordendam Grauinæ legem, dicens. *Tertia lex* VIND. *Grauinæ fuit, vt Turtur animis conceptas offensiones sæcularium, vulgo eximeret, siue enim illi sacros ordines auersarentur, siue regularium defectibus crudiores fierent, & in licentiam proiectiores, Turturis cantu cupiebat ad metas reuocari, & à prauis studijs desinere, quod sine dubio primum est pij scriptoris officium, timorem Domini*

doce-

docere; Timorem autem hunc cum bona conscientia copulari, & bona vita demonstrat (subdés) *hæc assidue infirmis inculanda sunt, ne se alicuius seu regularium, seu sæcularium delictis occupent.*

TVRT. Hæc Vindiciani syllogismi maior, instruentis pium virum quomodo infirmos euocare debeat timore Domini à detrahendo sæcularibus, & regularibus; ad minorem properat, vt concludat feriendo Grauinam, sic enim scribit.

VIND. Sed *Age bone Turturis opifex, quo loco totius operis, qua pagina, qua linea Turtur similia vulgaribus occinitur? inchoas tractatum à causis, & necessitate nigredinis in Christi Sponsa, postea Bellarminũ, & Societatẽ de varijs vitijs accusas: deinceps totus in Oeconomia illorũ, qui varijs in ordinibus cum sanctitatis opinione vixerunt, effunderis; claudis omnia speciali adhortatione; Quid ex omnibus prudens lector pro simplicium extructione exsculpet? amphora cœpit institui, vertente rota, cur vrceus exit?*

TVRT. Hic ergo est tuus syllogismus. Non est primum pij Doctoris officium omittendũ, nempe timorem Domini docere: sed Grauina id omisit in Turture: Non ergo pius Doctor est. Minorem probas, quod nigredinis causas numerauit in religionibus, quod Columbam, & Societatẽ sugillarit, quod encomia ordinum posuit, quod Societatem sit adhortatus. Accipe solutiones. Nigredinis causa dum ad instabilitatẽ humanæ naturæ refertur si timorem tibi non incutit, Vindiciane, iam potes tuum stratũ, in quo requiescis, multo carius subhastare, quam delicata aliorum potẽtum lectisternia. Bellarmini, & Societatis nunquã fuit sugillatio, sed blãda excusatio, & ad timorẽ conseruandũ, opportuna admonitio. Ordinum laus, vt ad Ordinum humilitatem seruandam; proposita est, & vt ad donatorem munerum respiceretur; ita terrorem incussit exprobrantibus, & timorem, cum velut ordinatissimam aciem instructam respexerunt. Admiratio quoque non nisi ex pio, & sancto timore processit, vt ad timorem incitarentur, qui magno dono sunt prædití, vt seruirent Domino in timore, & exultarent ei cum tremore. Nõ ex amphora vrceus, sed ex massa varia vasa à Domino efformata, intuenda proposita sunt, & in domũ figuli inuitati, qui se ipsos quales se putant, se volunt effingere, cum Domini sit meritorũ præparatio, vt vnum vas præ alio excedat, non currẽte rota sine iudicio, sed altissimo Dei cõsilio distribuente sua dona singulis prout vult: in cuius ampla domo si qui intueantur alia vasa in honorem, alia in contumeliam, discant, in omni domo minori, hæc eadem inspici, vt non glorietur omnis caro coram illo.

VIND. Ad hæc, minorem quoque roborare intendens, addit. *In valetudinariũ inducto Grauina, monstrantur hic tetra de superbo regulariũ spiritu suspicione laborantes, illic non pauciores, qui ob auaritiæ crimen exosos habent, alibi per Parochias, & ciuiũ ædes circulationibus inuidẽt, sunt qui nescio quanto à regularibus despectu se vulneratos querantur; sunt qui licentiã carpendi vitia, qui ambitionem: qui verborũ technas grauiter ferant, neque desunt, qui ob mendicantium multitudinem, se grauari existiment. Omnium istorum vulcera, & vulnera peritissimam Grauinæ manum præstolantur. Cum ecce longa de morborum generibus, damnis, ac necessitate horas, & dies disputatione extrahi, subijcit insignium heroum veluti fidum cantum. Demum, vt in re præclare gesta illam in Silicernio consuetam voculam vsurpat, valete.* Quid agendum fuisset, Protomedicus Vindicianus mox docet. *At obsecro doctissime virorum paulisper subsiste: turba hæc infirmorum nõ dum Libitinæ deuota est, adhuc ventriculus ad haurienda artis tuæ catapotia calet, incide venas, & tubera, saniem extrahe, diætam præscribe, ad omnia obsequentes parebũt. At qui Grauina, pauci religiosorum, ac modicè vitijs infecti reperiũtur, neque aliter fert conditio huma-*

humana, plurimi contra excellenti virtute collucēt. His aduersa suggerentibus, nolite credere, neque ipsi pilo meliores reperiuntur, neque aliter conditio fert humana, plurimi contra excellenti virtute collucent.

Testimonia profert ex Chronicis regularium, quæ omniū affectionibus medendis sufficiunt. Ars est, sine arte sanare. Macte animo studiose Lector, eorū quæ ex Grauinæ promissis nondū euenerunt, admirandum exitum patienter expectemus.

TVRT. Quod medicorum est promittunt medici, tractant fabrilia fabri, & hæc fermè semper in ore versantur. Sint regularium detractores multo plures, quam erat multitudo languentium, confluentium ad Probaticam piscinam, exemplis expositis, possunt velut medicamentis appositis ad meliorem corporis habitudinem perduci. In cœno peccati iacebat Augustinus, & multum profecisse ex narratis exemplis seruorum Dei quos de mortuis viuos fecerat, non semel fassus est in suis confessionibus. Præclarè Chrysost. periculosum esse adire spectacula scripsit. *Quemadmodum, qui laborant ab oculis si spongias, vestigium Cyanæo colore pannes tenentes frequenter in ea intueantur, ex eo colore, nonnulli capiunt morbi leuamen; sic si hominis clementissimi, & humanissimi imaginem præ oculis habeas, & in hunc assiduè oculos defigas, etiam si millies abundes ira, mentis oculum perturbans; Ad hoc virtutis exemplar respiciens perfectam consequeris sanitatem, puramque animi Philosophiam, & tranquillitatem & cætera*, & sic ex alijs criminibus oculos, id est, affectus turbatos habentes, ad exemplaria sanctorum intuentes possunt conualescere. Quid ergo si oculis sæcularium obseruantium regulares atque eosdem iudicantes, paradigmata religiosorum apposuit, vt sanarentur? cantu ergo sanare studuit exempla referendo, ex Chronicis Ordinum, vt illorum contemplatione sæcularium sanarentur obtutus; & variarum virtutum fœtus conciperentur, namque oues Iacob varias virgas intuentes variorum colorum agnos in lucem ediderunt. Nouum ne est cantu morbos sanare? an ignoras Vindiciane ad citharæ pulsationem spiritum Saul sedatum? erat autem spiritus Saul ab inuidiæ morbo, peius quam à Dæmone obsessus; Illud enim in corde repositum reseruabatur: *Dederunt Dauid millia, & mihi mille dederunt*, & pro te congeminata vox Turturis, vt si hoc spiritu agitaris, conualescas. Non è Silicernio consuetam vocem illam vsurpauit, *valete*; erat enim Silicernium conuiuium senum, à quo abeuntes mutuo, ea voce se salutabant, quasi se amplius non visuri, nam nec ægrotos sæculares reliquit, quin libro tanquam viua voce admoneat, & cantu incitet ad legendum exempla Sanctorum virorum. Tu Vindiciane vtere tua methodo, incide venas, saniem extrahe, diætam præscribe, argue, obsecra, quod in suo opere etiam Grauina præstauit abundè, vt postea expendetur, qui magis ad benè sentiendum de religiosis allecti fuerint, an ferrum adhibentes, an exemplis exasperatos animos demulcentes. *Responsio mollis frangit iras, sermo durus suscitat furorem.* Hæc fuit maxima ars Grauinæ, non, vt murmuras, *ars sine arte*; feliciter propositum præstitit; deducit enim ex Greg. Papa, *quod ad exercenda bona opera, vt ad vitia refrenanda, aliena nos vtiliùs* [Exempla] *persuadent, & cum mente humili opinionis alienæ bona suscipimus, nostra vel ad melius bona producimus, vel ad bonum mala permutamus: cumque nos de vita proximi famæ splendor irradiat, mens nostra, vt prædiximus, quæ ad obtinendum virtutis iter se dirigit, quasi in Luna lumine gressus ponit: sed sicut ex aliena opinione proficimus, sic plerumque si fama nostra laudibus inhiamus, à virtute vacuamur, quia cum delectatur animus in hoc, quod de se extrinsecus haberi considerat*,

Marginalia: *Lib. 8. confess. c. 2. 3. 6. 7.* — *Hom. 2. Periculosum esse adire spectacula.* — *Lib. 1. Reg. 18. cap.* — *Prou. 15.* — *2. Mor. c. 5.*

rat,

rat, illud obliuiscitur ad quod introrsus anhelabat. Cui autem insufficientes sunt annales veterum Ordinum ad medendum affectionibus sæcularium, & sua methodus Vindiciano sufficientissima iudicetur non aliũde, nisi quia florentibus pampinis, & frondibus arborum inuidet, & sua mysteria ad quæ affici simulat, pinos veteres vellet excedere, quod nequaquam ipsa attentarunt, nec prætenderunt. Olim cucurbita iuxta arborem pinum plantata, quæ ramis magnis, & patulis iam effloruerat, & cucurbita, cum multis pluuijs adaquata cœlique temperamento creuisset, lasciuire cœpit, ramos altius porrigens, iam serpebat in pinum, ramos eius inuoluebat, ampliora folia, candentes flores, prægrandia, & turgida poma ostentans: tanto fœtu intumuit, vt pinum quoque lacessens, eam aggredi ausa sit dicens. *Vides quod te iam supero, & ad altius surrexi.* Sed pinus, *quæ senili prudentia, & robore pollebat, nihil pendens temeritatem, hæc respondit. Ego hic multas hyemes, æstus, variasque calamitates perpessa, adhuc integra persisto; tu vero ad primos rigores minus audacia in te deprehendetur. & cum folia conciderint, vigor omnis aberit* Ambitiosa cucurbita Vindicianus videtur, qui annosas religiosorum Respublicas aggressus, ramos virides, etiamnum inuoluens, & folia fermè conculcans, quæ deseruiunt ad sanitatem Gentium, ac si suam, quam defendit, simulate, plantam, cito assurgentem, superexcedere pinum conclamauit: huius esse fructus, & poma grandia; nihil prodesse iam annosas pinus, veterascere, iam prope interitum esse. Condolendum vanitati Vindiciani, & similium inflatorum aures præbentium similibus adulationibus, sunt enim, qui plus habent animi, quam roboris, plus iactantiæ, quã virtutis; vnde quemadmodum olera herbarũ cito decidẽt, si inflentur, vetustis arboribus

In emble. Alciat.

in antiquis virtutibus, vt in suo antiquo robore permanentibus, siue ad nouos, siue ad veteres Ordines tumidi isti pertineant. E contra vero de se humiliter sentientes, crescũt in arbores magnas, vt sancta quoque creuit Societas Vindicianicum oleum spernens, refugiens eo impinguari, & super alios Ordines se efferri.

TERTIA CAVSA.

Vt Pusillorum, hoc est, regularium corda firmentur, defenditur, & expenditur.

§. I.

Plura, & maiora dixisset Vindicianus, *nisi lagena defecisset*, vt milites Tarentini inter cœnandum dixerunt in Pyrrhum Regem, propria enim passione ebrius post multa temulenta verba, quæ effudit, si caput præcedens non terminasset, acerbiora dicturus esset. Nunc ad tertiam causam procedit censurandam describendi Turturis, *Nimirum ne de omnibus alumnis existimetur, quod in multis reprehendi contingit, ac per hoc contingat, à bono virtutis recedere, tanquam infirmas, & pusillas.* Eum laudat tãquam à pietate proficiscentem, nutabundos vtpotè confirmantem; sed ex aduerso zelum Bellarmini deplorantis ex simili pietate proficiscentem adnotat, subditque. *Sit promiscui iuris hilariter canere æqualibus, ac lamentari, dummodo hic planctus, illic saltatio sequatur, sed quia neuter primus illati argumenti auctor est: sed plurimi doctrina, & sanctitate Asceta in eodem laborauerunt, ab illorum stylo recedendi potestas, nulli recentiorum scriptorum concedi poterit.* VIND.

In pari ergo concertationis gradu, nullus debet sibi hunc honorem assumere, vt cantum pro se assumat: nec Threnos admisceat, sed optima partitio, si vnusquisque habeat *lamentationes, carmen, & Væ*, vt de bonis exultet, de infirmis quos portat lugeat: sed postquam linisti oleo ferramẽta TVRT. *Ezech. c. 2.*

Zz 2 tua,

tua, dolosè Turturis opus plurimum à veterum tractatione distare doces.

VIND. *Illi affectus religiosorum etiam in specie minutiores vehementer exaggerarunt, Grauina omnes regularium excessus veniales sunt, & ex sola status sublimitate, ac splendore fiunt notabiles.*

TVRT. Non negauit Grauina mortalia non cōmitti à religiosis, quorsum enim tendit casuum reseruatio? etiam in religionibus præter veniales næuos, sunt, quæ ex statu in notabilitatem transeunt culpæ: non meminit culparum mortalium, quas modestiæ causa subticuit. Cum Christus Dominus supplicium Pentapolis recensuit apud Lucam, causas assignat, nempe, *edebant, & bibebant, vxores ducebant, &c. & pluit ignu de cœlo, & perdidit omnes.* An non maiora regionis illius delicta? respondet Tertull. lib. 1. ad vxorem, *cum dicit nubebant, & emebant, insigniora ipsa carnis, & sæculi vitia definit.* Nec enim nude euulganda, sed honestè obnubilanda, vnde, & Sanctus Zeno, *neque studiosè arbitror memorandum, quod optaueris cōpescendum*, & S. Pacianus Barchinonens. *melius fuit Attici Solonis exemplo, tacere de magnis sceleribus, quam cauere eo vsq; progressis nostratium moribus, vt admonitos se existiment, cū vetantur.* Non publicare, sed tegere peccata, nō parua laus est ipsius peccatoris, vnde S. Ambros. loquens de Noe ait. *Secundum litteram cautio est, & secundum sapientia altiorē scientiam, laudatio est: cautus est, qui & si nudatur, in domo tamen sua nudatur, vbi operimenta non desunt, & quadam tegmina ebrietatis, & vitia sua norit abscondere.* Procopius *licet parum cautè, & pudicè iacuerit, non tamen id venit in publicum: domus sua etiam nudum conspexit, est enim sancti viri se vtiq; intra suam domum nudare.* Virtutis ergo etiam eximiæ erit opus aliorum peccata obtegere, & si opus sit detegere, non denotare personas, nec status, vel familias in particulari.

Luc. c. 7. Matt. 24.

Tertull. 1. ad Vxor. c 5.

Ser. de patien.

In paranesi

Lib. de Noe cap. 29.

Sequitur Parallelum Vindicianus.

§. II.

VIND. *Illi quamlibet Acedia partem execrantur, & ad quatuor periculosa tentationum genera, quæ psal. 90. exprimuntur reuocant; Grauina vetustatis quandam necessitatem nouo exemplo inuehit, ac pro lancibus, & laribus tuetur.*

TVRT. Non necessitatem fatalem, quam tu somniasti introduxit Grauina, in vetustatis assertione, sed in humanæ infirmitatis impotentia, quæ sine speciali Dei fauore iuuētutis robur seruare non potest in via perfectionis, quin laxetur, & ex nimia duratione, propter aduersa, quæ insurgunt, & continua prælia in senectam, & senium vergit.

VIND. Vrget amplius Vindicianus, nempe. Veteres *illi angustiorem religionis ad salutem callem exhibent, quam sæcularibus sit propositus, idque propter consilia Euangelica, per spontaneam professionem, in præcepta commutata, addunt tamen certiorem, breuiorem, & securiorem altero sæcularium existere. Clausulam hanc Grauina arripit, neque dubitare sinit, quod paucissimi Regularium de salute, & gratia excidant, adeò planè leuiter, & expeditè, omnes, quæ labijs spoponderunt, exequuntur.*

TVRT. Patres veteres arctiorem dixerunt viam religionis super consilia Euangelica, &c. & etiam propter austeritates, quas audire libenter non sustinet Vindicianus: vnde plus Grauina posuit, vt strictum callem religionum demonstraret: & quia à Patribus asserta est religio securior, & breuior callis; & quod non leuis sit prædestinationis spes, vocari ad religionem; idcircò confidit Grauina (vt loco suo demonstratum est) è religiosis plures saluari, quam damnari, multosque eorum, qui non seruarunt, quæ distinxerunt labia eorum, per pœnitentiæ lamenta, ad rectas vias reducendos; subdit postea Vindicianus.

VIND. *Amplius illi, vt indefessè culmen perfectionis ascenda-*

ascendatur, instare non cessant, quascumque mortificationis, pœnitentia laborumque molestias hilariter iubent deuorari; Grauina huiusmodi acclamatores, in superfluis numerat, eo quod sponte vbique locorum maiora plerique præstent, quam oculi mortalium obseruare possint.

TVRT. Grauina conformiter ad Patrum doctrinam, austeritatem cũ vilitate, & mortificatione coniungit, sunt enim hæc duo latera scalæ, per quã B. Benedictus in Cœlum ascendit, vt & multi alij Sancti, vt eleganter prosequitur S. Bernardus in declamationibus, & mirum est quod Baeza vtraque latera cõcutere aggressus, sit dũ dixit. si *S. Ignatius collecturus Societatem, gladium exacutum relinqueret, saccum, & cilicium, nuditatem, famem ostentaret, quoties hypocrisis notam incurreret?* & ibidẽ vbi vocasset has austeritates *Hypocritum Imperium*, subdit: *Sapientior ipse gladius acutus, non Hypocritum imperium portans pallio, & calceis obtegit gladij duritiem.*

Tom. 1. c. 7 lib. 2.

TVRT. An hæc Patribus cõsona, quæ dicit Baeza (conformia Vindiciano) austeritatem, & mortificationem pessundans? de lacunis VVicleph hausta est propositio ista, sic enim habetur apud VValdens. *quid ergo facit habitus corporalis, claustrum sensibile, vel quæcumque alia traditio à Fratribus adinuenta? Reuera nihil facit ad sanctitatem eorum, sed hypocrisis eorum manifestum indicium.* Hæc VVicleph. lib. de Ecclesia, & mẽbris eius. c. 15.

To. 3. c. 29.

VIND. Omnis Christiana religio ortum habet à cruce, qua de re, & cum capite eius opprobria audire necesse est. Quid dictũ est capiti? *Si Filius Dei es, descende de cruce*; quid religiosis? *indumenta lanea ad Hypocritum Regnum pertinent: plus proficitur sine his austeritatibus*: descende ergo de cruce. sed tunc in Caluaria, ait Augustinus. *Diabolus per eos clamabat, qui patientiam Christo auferre cupiebant, vt excitatus insultationibus Iudæorum, ostenderet potentiam sed perderet patientiam. Ille autem vtramque aciem respiciebat; & potentia, & patientia, & quod seruauit exhibuit, nam, & patientiam seruauit, quia de cruce non descendit, & potentiam demonstrauit, quia de sepulchro resurrexit.* & postea loquens de membris (quod spectat præcipuè ad religiosos) *non solum verum est hoc certamen, sed etiam nunc agitur, pugnatur, laborant membra Christi, vrgente aduersario resistitur illi &c.* Quid dicitur religiosis austeritatem, in victu, & vestitu profitentibus? *descende de cruce*, ostende potentiam, plures enim potes saluos facere sine austeritate: gladius est splendidus: austeritas cooperatur, vt plures mactet: & iterum: austeritas Imperium hypocritũ est: ferre vestes laneas species est hypocrisis. insignes hæ (vt VVclephi) blasphemiæ.

4. de Sym.

Vellem dum dicit Vindicianus, quod *Grauina in superfluis acclamationes austeritatũ numerat*, in quo consistat hæc superfluitas recensuisset, nec enim quantum ad austeritatis genera plura recensuit, quam quæ ex legibus regularium præscribuntur: spõtaneas verò, vt supererogationis, & maioris exempli non imitandas, sed admirandas proponit, non tamen incredibiles, quod plerique minora præstent, quã quod oculi mortalium obseruare possint, nam nec nocturnos illos clamores, humi cubationes Monachorum Ægypti, & Palæstinæ obseruauimus, & tamen prudenter credimus, quia fideliter ad nos à fide dignis scriptoribus sunt transmissæ. Si austeritatibus præscriptis ab institutis regulariũ credere detrectat Vindicianus, quis eminentiales illas pœnitentias credat? Sequitur discursus Vindicianus.

VIND. *Illi raros veræ pœnitentiæ cultores repererunt, neque fuit, à conditis Ordinibus ætas, qua multiplices regularium à primæua institutione, defectiones non senserit, atqui Grauina nostro nullus in hac re labor nascitur, & vltima mundi nostri veluti senectus, quam omnium cætero, quia cala-*

mitatum epitomem experimur, sanctorum virorum fœcundißima est.

VIND. Iam si omnes Ordines sacri passi sunt à primæua institutione, & senectuti earundem proles fœcunda denegatur, certè priuilegium illud à te assertū amisisti de clientum (vt fingis) sodalitate, dum defectionem nullam sensisse pronuncias, & Aquilæ, imo Phœnicis viuidam ætatem promittis. Cur desperas Vindiciane de omnibus religiosis, si præcepta, & consilia seruauerint, vt non multi, sed pauci (vt tu putas) ad cœlos ascendant? Audi Bernardū, qui vbi scalam formasset, cuius latera erant vilitas siue contemptus, & austeritas, & gradus, iustitia, & per eam ascendisse S. Benedictum ad cœlos pronunciasset, mox subdit. *Hac quidem eorum, vel maxima fiducia est, qui ipsius vtrumque student inhærere vestigijs, ipsum præceptorem prauiumque sequuntur*, quia tamen quosdam clericos tunc S. Bernardus æmulos patiebatur, qui à suorum sanctorum instituto degenerantes, molliter delicateque viuebant, & austeritatem contemptum sui, & iustitiam refugiebant; sic eosdem perstringit. *Eam tamen, quam videmus in Ecclesiis formam Cleri, ne informem dixerim vitam?* non de instituto loquens, sed de abusu, & alienatione instituti quorundam delicate viuentium, ait, *à quo sanctorum habuerint, quis vnquam, vel in veteri, vel nouo testamento sic vixerit, vel sic viuere docuerit homines? vtinā ipsi se se interrogent singuli, nec conscientias super hac conuenire proprias dißimulent. Quantos enim videmus sectatores viarum, quæ videntur quidem hominibus bonæ, sed in profundum finis earum descendit, quantos assertores scalæ, non cuius summitas cœlos tangit, sed quæ illi omnino contraria est, habens latera concupiscentiam carnis, & concupiscentiam oculorum, gradus vero, superbiam vitæ, non ex patre? At eius sanè, quam vobis commendare volumus scalæ gradus, & latera ex Patre vtique sunt, non ex mundo, cui nimirum innixus comparuit, sobriè (ait Apostol) & pie, & iuste viuamus in hoc sæculo, sobrietas voluptatem carnis impugnat, iustitia sæculi vanitatem, dum videlicet cuique reddens quod suum est, & adulantem deplorat, & compatitur irascenti; Denique & ipse Saluator, dum Baptistæ manibus celsum illum verticem inclinaret, sic inquit, decet nos implere omnem iustitiam, solam nimirum humilitatem iustitiam reputans. Exhibeatur ergo sobrietas nobis, iustitia proximo, pietas Deo; pietas enim Dei cultus est: sane voluptas, & vanitas, elationem cordis fouere noscuntur sic sobrietas, & iustitia pietatem, vt inter hæc latera de fide in fidem, spe mediante proficiens, supereminentiam teneat aliquando charitatis.* Per hanc ergo scalam multo plures incedere videmus, saltem quoad operum substantiam austeritatis, & vilitatis opera exhibentes, quam, qui nec eorum operum substantiam exhibent, & formalitatem, & modum virtutum, quæ sunt inuisibilia habere pronunciant; Scalam verò illi euertunt (vt Baeza pronunciauit) qui vilitatē, & austeritatem calumniantur, vt Hypocritum regnum, & sine scala Sanctorum ad cœlos vult homines ascendere, imò fœcūdissimum subinde esse ascensorum numerum. Quid tandem in §. hoc concludat Vindicianus audiamus.

In declamationib. · *1. Titi c. 1.* · *Ioan. 1.*

§. III.

VIND. *Quid superest optime Lector, quam vt pusilli, cum Laodicensibus glorientur, quod diuites, & locupletes sint, vt nullius egeant, & cum sancto Dauid orent: custodi animam meam quoniam ego sanctus sum, & eorum mercede gaudeant, qui semetipsos iustificant. Fuit cùm pusillis occineretur: popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant; neque enim Beatus dici potest (ait S. Basilius) cuius exitus est incertus, sed qui vices suæ functionis, & vocationis semel absoluerit. Laudantur*

Apoc. 3. · *In psal. 1.*

dantur quidam in ipsa actione, qui benè faciunt, sed cum de peccati fuga agitur, non laudantur, nisi qui omnino omni tempore vitare potuerint malitia experimentum. Accedit, quod in bonorũ prædicatione, tantum in eam partem oculi conij ciuntur, quæ lucido fulgore adblanditur. plures alia dissimulantur, quæ minus exculta marcescunt, vt si laudetur eleemosynarius, & qui prolixis orationibus insistit iterum, neque temperans est. Talis gerit laudabilia, sed beatus non est, quia nec integrè bonus.

TVRT. Bona, & dona Dei, ad Dei laudem, & proximorum ædificationem Grauina produxit, non ad studium vanitatis, Paulum Apost. imitando, ex Gregor. *qui & si Corinthiis bona sua enumerando narrauit, illos confirmare studuit, non se narrare.* cuius signum apertum subdit Gregor. quod *propria tentationis tribulationem patefecit, subiungens: propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis. Vt ergo discipulum instrueret, de se summa referebat, vt vero se in humilitate custodiret, considerationis oculum non in virtutibus suis, sed in infirmitatibus fixerat.* Has partes præstitit Grauina in Turture, nam immensa, & non magis quam par erat, de Ordinibus produxit, & ne elatione professores pulsaret, gemitus etiam imperfectorum culpas deplorauit. Sic nec ferula Laodicensi plectẽdus, nec pro Pharisaico supercilio, qui se iustificabat, reprehendendus. Locus vero ille Esaiæ, ex Hieronymo, ad Scribas, & Pharisæos directus, & eorundem imitatores, *qui propter munera, quæ excæcant oculos, etiam sapientium, non solum peccatores in populo non corripiebant, sed pro diuitiis, atque compendiis efferebant laudibus, beatos vocantes, & colũnas domus Dei, & cætera quæ solent adulatores dicere.* Asserere vero: beatos contineri in aliqua familia, & virtutes suorum commilitonum efferre, decipere non est, sed Dei magnificentiam exaltare, vnde ait idem Greg. *cum proprias virtutes loquũtur perfecti, in hoc quoque omnipotentis Dei imitatores sunt, qui laudes suas hominibus loquitur, vt ab hominibus cognoscatur. Nam cum Scriptura S. præcipiat dicens: laudet te alienus, & non os tuum, quomodo facit ipse, quod prohibet? sed si virtutes suas omnipotens Deus taceret, nullus eum agnosceret, si eum nullus agnosceret nullus amaret, si nullus amaret nullus ad vitam rediret, vnde & per psalmistam: virtutem operum suorum annunciabit populo suo, vt det illis hæreditatem Gentium. Virtutes ergo suas annunciat, non vt laudibus suis ipse proficiat, sed vt hi, qui hunc ex sua laude cognouerint ad perpetuam hæreditatem veniant, iusti itaque atque perfecti, non solum cum vituperationis sua verba reprehendunt, sed etiam cum virtutes, quas habent infirmis loquuntur, reprehensibiles non sunt, quia per suam vitam quam referunt, aliorum animas ad vitam quærunt.* Non ergo ad deceptionem, sed ad glorificationem Dei Beati pronunciati, seruantes mandata Domini, quorum & si quidam (ex Basilio) non integritatem virtutum habeant (& si exterius aliquas virtutes monstrent) Beati tamen sunt incedentes in mandatis Domini, & tales iudicium Domini dijudicant; sicut è contra, qui Beati reputantur apud plebem, & vacua sunt opera eorũ coram Deo. Sed Vindicianus in electis imponit maculam dicẽdo: regulares illos perfectos laudabilia gerere, non tamen Beatos esse, quia non integre boni, iam (vt dicit Gregor.) *accusationẽ non fecit Diabolus contra Iob* (vt meditatus est Vindicianus) *qui reprehensibile non reperiens, intentionem cordis frustrare contendit, tanquam bono animo non fiant, & cum fructus arboris esse æstu virides conspicit, quasi vermem ponere ad radicem quærit*, & propterea de Diabolo dictum Angelica voce: *proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei, die, ac nocte.* Pergit Esaiæ authoritatem exponere, & contra Grauinam inculcare.

[Margin notes: 31. Mor. c. 1 — In eundem locum. — Hom. 8. in Ezech. — Psal. 100. — 1. Mor. c. 5. — Apoc. 12.]

Notet

§. IV.

VIND. *Notet Grauina damna, intempestiua in Turture exultationis decipiunt, & viam gressuum dissipant, tantum abest vt remissos excitent, ignaros instruant, nutantes confirment. Si stiuam aut falcem in agro exercentium aures, tibiæ strepitu permulceas, gratum opus facies agricolis, sed quam leues & segnes inde sint euasuri exitus docebit. Tyrocinij candidatus offertur? noli animū eius magnarum in Ordine rerum expectatione inflare, credibilitas ad illos non pertinget & in hoc genere seduxisse, æternam parit inuidiam Sin religionem iam professus ob oculos versetur, valdè expediet ei monstrare itinera, quæ ad perfectionem assequendam adhuc erunt conficienda; viator enim facilius lassatur, si peracti laboris magnitudinem extimet: Quæ retro sunt obliuisci docuit Apostolus: malè ergo pusillis consulitur, quando non iubentur inspicere ea, quæ ad implendam supernæ vocationis mensuram adhuc desiderantur.*

TVRT. Maxima semper fuit cantus in Republica vis, atque potestas, multum valens ad immutationem animorum, ad affectus cōcitandos, & labores releuandos, vnde, & Cynathenses (ex Polyb. lib. 4) Arcadiæ Populi, neglectis canendi legibus humanitatem, cum feritate commutarunt. & proximo flagello ponitur, quod scriptū est per Cap. 48. Hieremiam, *Ablata est lætitia, & exultatio de Carmelo, & de terra Moab, & vinum de torcularibus sustuli, nequaquā calcator vuæ solitum celeusma cantabit.* Magna vindemiatorum, vt & nautarum, ad subleuandos animos in labore ex cantu releuatio, idemque si tibia, vel huiusmodi permulceantur, ex breui pausa fortiores ad opera redeunt. Solus Turtur segnes facit, dum carmen misicum canit recensendo festiua Heroum facta, sunt enim (ait magnus orientis præsul Naz. *communes virtutum tabulæ, salutifera* [exempla] *omnibus Ecclesiis, in qua, velut in vnam quandam legem intuentes, vitam nostrā dirigamus, & spiritu instruamur.* Quare nec à Tyronibus, neque à proficientibus abscondi debebant, mi Vindiciane. An inflabitur, quia ex Dei gratia ad sanctitatem aspirat Tyro, vel prouectus, propositis tot cœlestibus paradigmatibus, & exemplis, vel seductus de adeptione desperabit, vel gloriæ illorum ad quos pertingere non potuit, inuidebit; mortales homines nobis similes, atque humanitatis, & fraternitatis iure colligatos ad tantam perfectionem euexerit? Sed Grauina, qui apicem monstrauit, non suasit per saltum eos euehi in montem, nisi prius in plano se exercerent, & per gradus ascenderent, pronunciauit: nam & per gradus regulariter perfectio acquiritur, nec fit repente quis summus: temerarius saltus, nolle prius osculari Saluatoris pedes, & postea manus, sed immediatè osculum oris poscere. Quomodo in hoc sit procedendum, erudimur ex Bernardo dicente. *Longus saltus, & arduus est, de pede ad os, sed nec accessus conueniens, quid enim recenti adhuc respersus puluere ora sacra contingis? heri de luto tractus, hodie vultui gloriæ præsentaris.* In ipsis quoque exemplis methodus vnica exhibetur imitandæ perfectionis, dum magni peccatores ad sanctitatem peruenisse narrantur: ex tepidis etiam facti feruentes innumeri recensentur, vt hæc valeant, ad spem & feruorem: incitantur pusilli, & quæ retro sunt obliuiscuntur operum, quæ gesserunt, ad ea quæ supersunt maiora se extendentes, & dicentes: *nunc cœpi: hæc mutatio dexteræ excelsi.* Sed etiam temporalia despiciendo, quæ sunt æterna quærendo, vt dicebat Apostolus interprete Gregorio, *vnum autem, quæ quidem sunt obliuiscens, ad ea verò quæ sunt priora extendens me ipsum, ad destinatum persequor, ad brauium supernæ vocationis.* Si viam gressuum dissipauit Grauina, quotquot sancti

Orat. in fund. Basil.

Serm. 4. in Cant.

Psal. 76.

In Ezech. hom. 4.

Philip. 3. sancti perfectorum exempla imitanda proposuerunt, à via virtutis homines deturbasse necessaria consecutione cõficitur.

IV. Causa, vt suam conscientiam exoneret Turtur, à Vindiciano mordetur, & ab illo etiam vindicatur.

§. I.

TVRT: QVi humanã laudem affectat, & huiusmodi temporalia, nullum exinde capit remedium, sed desiderio æstuat ampliori, scripsit Bernardus, *minus autem inuenit requiem qui sibi placere cupit, & suis id est, quibusdam futuris de semetipso testimonijs gloriatur, dicens, manus mea excelsa, putans se aliquid esse cum nihil sit*, & subdit S. *vidi ergo aliquando quinque viros, quid ni phraneticos arbitrer. Primus siquidem buccis tumentibus marinam masticabat arenam. Secundus sulphureo astans lacui exhalantem teterrimum, fœtidissimumque gestiebat haurire vaporem. Porrò, Tertius fornaci incubans vehementer accensa, micantes scintillas excipere faucibus latabatur. Quartus supra pinnaculum templi residens, leuioris auræ spiritum aperto attrahebat ore, & si quominus instruere videretur, flabello, sibi ventum ipse ciebat, ac si totum speraret aerem deglutire. Quintus seorsum positus ridebat cæteros ipse, quoque ridendus, & maximè, proprias enim carnes incredibili quodam studio sugere laborabat, nunc manus, nunc brachium, nunc alias partes applicans ori. Miseratus homines causamque miseriæ sciscitatus, vnam omnibus esse reperio, validissimam vtique famem; tum vero macilentissimas eorum facies contemplatus, recordabar Prophetæ gementis miserabiliter, & dicentis: aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum. Quid hæc vobis inquio prosunt? Non sunt naturales cibi, magis famem hæc prouocant, quam extinguant. panis namque animo iustitia e*st, & beati *soli illi, qui esuriunt illam, quoniam ipsi saturabuntur.* In vno Vindiciano, quinque illorum stultorum prototypum adunatum considero, nam & masticat arenas, sulphureum vaporem haurit, micantes scintillas ore aperto attrahit, ventum flabello ciendo deglutit, proprias sugit carnes, arenis infructiferis, hoc est, inutilibus discursibus os Vindiciani impletur. Et certè *arena quidem est grauis, sed grauior ira stulti,* dicit Sapiens: vaporem fœtidum attrahit, quem postea emittat [ante ignem camini vapor, *& ante sanguinem maledicta & contumelia.*] Scintillas ignis pariter attrahit conuiciorum, & maledictorum, vt velut Æthna illas euomat, & seditiones accendat. Vnde Eccles. *Anima calida, quasi ignis ardens non extinguetur, donec aliquid glutiat, & homo nequam in ore carnis sua non desinet, donec incendit ignem* vanitatum, & aurum per complacentiam sui, & philautiam, velut *Onager attraxit ventum amoris sui*, quem effundendo odiosa comparatione, in ventum seminauit, vt turbinem metat. Proprias carnes sugit, quæ cum virulentæ sint, velut *caput aspidum suget* contra alios ad mordendum. Id in toto opere præstat Vindicianus, qui famẽ vera iustitia explere debebat, quæ est, proximo amicabiliter viuere, vt humiliter Deo, non respiciendo ad vanitates & insanias falsas, nec vanos honores & principatũ affectare, aut suadere super omnes eminere, quod ab initio Libelli vsq; ad calcem præstitit, venenatum spiritum ostendens: qui si specimen charitatis exhibere videatur, ad plorandum inductus, id facit ad cauendam notam mordacitatis; ceterum cum aduersus sacros Ordines sub blandiloquẽtia insurgat inimicus, & defensor detegitur, eius quoque Ordinis meritissimi, quem alij ex contentione præficere alijs curat. Sed scriptum est, *in oculis suis lachrymatur inimicus, & quasi adiuuans suffodit plantas tuas, caput suum mouebit, & plaudet manu, & multa susurrans commutat vultum suum:* & sæpius varias personas induisse obseruatum est, vt Vertum-

In declamationibus.

Prou. 27.

Eccles. 22.

Cap. 22.

Eccl. 25.

Hier. 2.

Iob. 20.

Eccles. 12.

nus, & Polypus dici possit, cuius inuentio est omnibus Ordinibus detrahere, cunctos supplantare, & de defectibus religiosorum tripudiare, quosdam aperto Marte adoriri, adulatoriè quibusdam insidiari.

§. II.

Plaudit igitur manu Vindicianus in fine tragœdiæ, vel comœdiæ, & in quartã causam Grauinianæ scriptionis stylum acuit, & caput suum mouendo ait.

VIND. *Grandibus scrupulis motum Grauinã ad Turturis editionem, causasque afferre scrupulos hos sequentes. Primo, quod calumniantium necessitas, siue clarius, importunitas officium modestæ defensionis imposuerit. Secundo, quod cum de Deo eiusque cultu, & ministris agitur, non leuis reatus sit, si non vnusquisque prout potest iniurias propulset. Tertio, quod errorem confirmet, qui silendo non astruit veritatem, teste S. Fulgentio, &c.* Hæc omnia (ait Vindicianus) *vt aptè concludant subsumere necesse est. Sed quæ Cardinalis Bellarminus de regularium defectibus plangendo accensuit, calumniæ sunt, errores, iniuriæ, contumeliæ Deo, & ministris eius illatæ, & Religiosorum castrorum inuasio; ergo, &c. De maiore huius argumenti non laboro, spero enim Grauinam supponere, se legitimi officij obligatione ad huiusmodi incommoda corrigenda adigi. Mihi quidem in tanta locorum distantia non liquet, credam id tamen syncerè afferenti. Sed minorem vndequaque falsam, ne dicam impiam inuenio, falsitatem suis locis ostendi. Nunc libet Grauinæ conscientiã inspicere.*

TVRT. Syllogismus sic à te formãdus erat. [Enarrare religiosorum scandala, & secularibus, & pusillis, & hæreticis ostentare maximè particularium, iniuriosum, scandalosum, calumniosum est, similesque propositiones, quæ in concionibus, libris scribũtur, vel efferuntur à fidei Censoribus expunguntur, vt late patet ex praxi Congregationis Indicis, & sancti Officij, & probat Canus, sed in libro, qui dicitur Gemitus Colũbæ, Bellarmino suppositus, vel si eius est in pseudographa additione illi libro facta, recensentur scandala esse in religionibus, in particulari S. Benedicti, Dominici, & Francisci, ergo, &c.] Maior supponitur probata. Minor satis quoque demõstrata est, iterum dicitur, nullo modo Bellarminum potuisse esse authorem eius operis, vt in Turture demonstratum est par. 2. cap. 29. & si est eius ipso inscio, ab aliquo sciolo illa verba inserta sunt; falsitas, ergo & impietas abest à Grauiniano opere. Quod si inserta non sunt, excessit Bellarminus, & calumniæ errores in eos referuntur, qui ea verbã, quæ Cardinalis pientissimus ex excedenti zelo protulit, in religiosos velut spicula intorquent, & non illius, sed Vindiciani liber censuram meretur. De locis Ec. 12. c. 10.

VIND. *Nunc* (subdit postea Vindicianus) *lubet Grauinæ conscientiam inspicere. Aut erronea est, aut irreligiosè laxa; erroneæ conscientiæ indicia ex S. Thoma peto. Primo, cum quis in rei obiectæ apprehensione errat, ita vt pro malo habeat, quod per se bonum, aut indifferens est, vel bonum, & licitũ sibi existimat, quod ex natura sua prauum, & prohibitum est, sic Grauina in rebus maximè leuibus hallucinatur. Pium semper in Ecclesia, & charitatis plenum officium fuit commiserandi aliorum damna, præsertim spiritualia, id cum Bellarmini Columba circa regulares præstiterit, Grauina vocat hostilem castrorum inuasionẽ. Cum quis publicè nota aliorum delicta recenset, præsertim emẽdationis studio, & profectus spiritualis gratia, rem facit DD. sententia licitam, & sanctam, fecit Bellarminus in Columba gemitu, quo ad regulares, cum ecce Grauina calumnias, iniurias, contumelias Dei ministris irrogari vociferatur. Docuit Bellarminus etiam in religiosis Ordinibus mortua membra reperiri, & parũ idonea esse pijs gemitibus: paucos ex laxis regularibus salutem adepturos recipi, quos non traxit stella ad præsepe. Quid ad ista Grauina? errores inclamat, & scandala totis viribus abolenda. Simul inducit nouum, de necessitate contrahenda vetustatis in sacris Ordinibus* 1. 2. q. 19. art. 5. & seq.

dogma;

dogma; morem ab Ordine dimittendi incorrigibiles improbat, Bellarmino, & Societati temere imponit, qua nullo probabili potuit indicio probare.

TVRT. Si tantum tempus consumeres in tua examinanda conscientia, quantum consumpsisti in hac formanda pagella in examinanda Grauinæ conscientia, te ipsum à multis laqueis extricasses, nec in insultationes, cachinnos, dicteria tam facilè prorupisses. Verissima est S. Thomæ doctrina [errari à conscientia, habendo pro malo, quod per se bonum, & indifferens est] ac quis tibi dictauit Theologorum, asserere in religionibus esse scandala, inter bona, vel indifferentia numerari? cum id sit, etiam si publici essent religiosorum defectus, nullo modo propalandi ob reuerentiam Ordinis, etiam si apparenti circumstantia vestiantur, zeli, commiserationis, cum aliæ circumstantiæ temporum, locorum, & huiusmodi obstent. His propalationibus putas, Vindiciane, medelam afferri putridis, & vlceratis membris? minimè; vnguentum enim, quo vlcera ista sananda, ex Bernard. in Cant. componitur,
Serm. 12. *ex necessitatibus pauperum, culpis delinquentium, & omnibus quomodolibet miserorum ærumnis*, & dicitur vnguentum *pietatis*, à Bernardo, quod sanatiuum est, & super omnia aromata. Eo vsus Iob præsertim tegendo nudum, & pauperem de velleribus ouium
Iob. 31. suarum calefaciendo: eo vsus Ioseph corrigendo, & plorando, sed dimissis foras Ægyptijs, vt nec correctioni interessent, & non nisi solum fletum perciperent; præce-
Gen. 45. pit enim vt egrederentur cuncti foras, & nullus interesset agnitioni mutuæ. Et quidem (ait Bernardus eodem loco) *increpatoria verba vultu proferebat irato, sed erumpebant lachrimæ de pinguedine cordis, non iræ indices, sed gratiæ productrices.* Etiam Samuel lugebat Saul, vt lachrymis tamquam mundiali honore, non solum delictum, sed reprobationem obtegeret, dixerat enim Saul: *Peccaui, sed nunc honora me cum senioribus:* vt saltem ex mundiali honore, & po- 1. Reg. cap. 15.
pulari fauore antiqua obsequia remunerata censerentur. Ipsos Protoplastas (ex Barcepha) *cum nuditatis pudore afficerentur, non erat consentaneum diuinæ misericordiæ nudos dimittere à paradiso.* Solus Vindicianus vult Lib. 1. de Parad c. 28.
perdere tamquam musca moritura huius suauitatem vnguenti, sub zelo murmurantis Pharisæi, & nolentis vngi pedes Christi, hoc est, infirmos, & peccatores, sed denudari, exemplari, per ora secularium, & hæreticorum proscindi. Audi Vindiciane Bernardum etiam suos admonentem, & omnes, qui de Episcopis (quod ad religiosos etiam aptari potest) obloquebantur. *Fratres reuereamur Episcopos*, vel reli- Supra.
giosos, *sed reuereamur labores eorum, si labores pensamus, non affectemus honores, agnoscamus impares vires nostras, nec delectet molles, & fœmineos humeros virorum supponere sarcinis, nec obseruemus eos, sed honoremus. Inhumanè nempe eorum redarguis opera, quorum onera refugis* pastoralia, vel austeritates religiosorum *imitari detrectas: temerariè obiurgat virum* [aliquem] *de prælio reuertentem mulier nens in domo. Dico enim si is, qui de claustro est, eum, qui versatur in populo, vel etiam in religione alia interdum minus districtè, minusve circumspectè sese agere deprehenderit v.g. in verbo, in cibo, in somno, in ira, in risu, in iudicio, ad non iudicandum confestim prosiliat, sed meminerit scriptum: melior est iniquitas viri, quam benefaciens mulier*, & hoc sine erroneitate conscientiæ, nam subdit sanctus. *Tu quidem in tui custodia vigilans bene facis, sed qui viuit multis, & melius facit, & virilius*, vel cæteris paribus, si tu quoque Eccles. 42.
proximo laboras, virilius qui hæc omnia cum districta Monastices obseruantia id præstat, & facit. *Quod si implere non sufficit absque aliqua iniquitate, id est, absque quadam inæqualitate vitæ, & conuersationis suæ, memento,*

memento, quia charitas operit multitudinem peccatorum. Hæc dicta sunt contra geminam tentationem, qua sæpe viri religiosi Episcoporum, vel ambire gloriam, vel religiosorum aliorum eminentiæ inuidentes, vel excessus *temerè iudicare diabolicis instigationibus incitantur*, vel quod peius publicare eosdem volunt, sub specie charitatis, cum charitas vt operiat multitudinem peccatorum, non admittat proximorum denudationem delictorum. Hoc pietatis vnguento Vindiciane tuam curato conscientiam, qui conscientiam Grauinæ tãta rigiditate vlceratam facis, si enim (instar Iob) addisces tegere nuditatem delinquentium, vt ille nudos, non præteribat, hoc pietatis vnguẽto tuos etiam fœtores sanabis obiectionum,&criminationum tuarum, de necessitate contrahendæ vetustatis, more dimittendi ab ordine, &c. *Quando* ille, vt dicit Bernardus *pietatis vnguentis Iob propriam repleuerat conscientiam, vt fœtorem putridæ carnis, internæ suauitatis exhalatione sibi temperaret*. At vnguento isto non proficis, quia pessima plaga tua est, nam vlcerare non cessas Grauinæ conscientiam, tuæ non prouidens saniosæ cõscientiæ, ais enim in sequentibus. Loc. cit.

§. III.

VIND. *Auget errabundam Grauina conscientiam, quod Angelicus docet, & tradit. Eum qui falsam sequitur persuasionem, non excusari, si illam vincere, hoc est, emendare, aut deponere possit, & negligat. Quis enim dubitet, quin S. Thologiæ, & senatoris titulis clarissimus Grauina, potuerit de Bellarmini doctrina, & sententijs solerti indagine inquirere, discussa prudenti rationis libella perpendere, priusquam, inquam, ad calamum properaret, ne falsa pro veris venditando, Lunam de cœlo abstraxisse putaretur; sed maluit offensi animi impetum effundere, & quæ malorum suggestores inspirassent, typo committere. Si ergo tanti viri lumen in tenebris mersum disparuit, ipsa tenebra, quanta erunt?*

TVRT. Cœcus, & luscus est, qui ignorat, quousque non deponitur erronea conscientia rationibus congruis ædificare ad Gehennam. At Grauina punctus est conscientia, vt rationibus, & doctrina Theologorum, famam omnium religiosorum tueretur, & si omisisset peccasset contra conscientiam. Et quod non teneretur defendere, nulla ratio, vel authoritas alicuius (vbi in contrarium maiores rationes, & authoritates occurrebant) illum à scribendo Turture retardare potuerunt, & propter aliorum quoque conscientiam scandalum cõcipientibus, elaborauit, nam ex doctrina Apostolica primo Corinth. 10. nihil faciendum est quod lædat conscientiam operantis, vel proximi, si ex opere illo scandalizaretur, percuteretur enim fratris conscientia, pro quo Christus mortuus est. Magna est Bellarmini authoritas, ob dignitatis eminentiam,& scientiam; sed maioris authoritatis religiones omnes, in cuius sinu tot Episcopi, purpurati Cardinales, & Pontifices summi educati sunt, & in scientijs tot heroes, & duces posteriorum Doctorum: propterea rationabilius fuit in arenam descendere pro religionum defensione, quam ex vnius, & si præclarissimi, & Eminentissimi Doctoris authoritate, desistere, cum conscientiæ scrupulo famæ religionum consulendum esset, & conscientiæ infimorum. Etiam Paulus inferior longè Petro, quam Grauina Bellarmino, quia tamen par in defensione fidei, & si minor in authoritate dignitatis, coram omnibus restitit Petro in faciem, quia scandalizabantur infirmi plusquam par erat (& si licita tunc obseruatio legalium esset) putabatur namque gentes adstringi ex Petri conuersatione Iudaizare. Quo exemplo (ait S. Thomas) 2.2.q.33. Prælatorum humilitatem non dedignari à a. 4. minoribus corrigi, maximè in defensione

fidei

fidei paribus, quando crimen est publicum, in periculum multitudinis vergat, & (vt dicit) propter periculum scandali. Circa fidem scandalum imminebat propter hæreticos, qui vt statum religionum euertant, malam vitam religiosorum criminantur. Nullis ergo suggestoribus opus erat, cum vnicuique Deus mandauerit de proximo suo, vt absque tam magni Solis Bellarmini extinctione, iustam excusationem adhibendo, à tanto Sole humanam aliquam nubeculam dissiparet, vt magis tanti viri doctrina colluceret, & tenebras hæreticorum, & imperfectiorum dissiparet; in tenebris, ex sua obstinatione, Vindiciano relicto, cuius lumen, quod apud se esse mentitur, tenebræ sunt.

VIND. Audiamus reliqua. *Tertio docet S. Thom. pro modo apprehensi erroris crescere peccatum errantis conscientiæ, si tamen illa culpabiliter erret, peccatum existimari ex conditione operis, vt si furtum in maiori quantitate existimet tantum veniale esse. Errauit Grauina sibi persuadendo gemitibus Columbæ, diuinam maiestatem eiusq; ministros læsos fuisse, & se ad vtrorumque defensionem teneri: simul geminam hanc persuasionem culpabiliter contraxit per omissionem debitæ considerationis; ergo quicquid per hanc defensionem suam detractionis, iniuriæ, damni, Cardinali Bellarmino, eiusque matri Societati irrogauit, tenebitur in conscientia sua præstare vsque ad legitimam famæ ac reliquorum bonorum restitutionem. Hoc nimirum lucri errans conscientia præstat, quando proprios conceptus vult Nabuchodonosoris Idolum adorat.*

TVRT. Currant omnes Academici, & arguendi nouam formam ediscant, aliter subsumere, quam quod in præmissis præmissum sit. Hæc maior propositio [Crescit peccatum conscientiæ erroneæ, si culpabiliter erret, existimans veniale, quod mortale est] subsumendum erat [sed detrahere religiosis, asserendo esse in ea scandala, graue est, & Grauina excusauit, dicendo detractionem mortalem ex suo genere fuisse venialem; peccauit ergo contra conscientiam sic excusando &c.] Sed non sic subsumpsisti, sed: *Grauina sibi persuasit se teneri, ad defensionem religionis ex læsione religiosorum, ergo quicquid per defensionem, detractionis, & iniuriæ Cardinali, & Societati irrogatum, Grauina resarcire tenetur.* Hic syllogismus claudicat; persuasit enim sibi Turtur iusta, & prudenti consideratione, non leuem esse etiam solam religiosorum detractionem materialem. Nec damnum, quod fingis inuenit Grauina irrogari Societati ex defensione aliorum ordinum, absque vlla illius sanctissimi instituti depressione, vt menti eius repræsentatum extenuaret; graue læuigando pondus peccati; in nulla enim re offensa Societas, cum veterum religionum acies sit defensa: nec præmonitiones Turturis cum columba ad colluctationem, sed potius factiosi seculares reprehensi sint, eorumque obloquutiones depressæ, qui ex affectu Societatis illorum verborum Columbæ, in Academijs, in Oratorijs, etiam in plateis, & compitis, alios Ordines quotidie sugillant. Hoc ne fuit Idolum Nabuchodonosoris imitari? Imò hoc fuit insigne opus Idolum vanitatis, & tumoris super omnes erectum, cui ab omnibus curuaretur, cum pueris illis adorandum reprimere, quibus, vt dicit Chrysostomus: *Musicorum consonantia, & caminus ardens proposita, vt & voluptas, & timor assistentium animos obsideret, ijsque despectis, Deo omnium adiutori non Idolo vanitatis reuerentiã exhibere professi sint, nec musica, rerum temporalium prosperitate, allecti, nec fornace aduersitatis minus perterriti.* Hom. 4. ad pop.

VIND. Præterea sequeris. *Dixeram, quoque Grauinæ conscientiam æquo laxiorem videri. S. Antoninus inter causas erroneæ conscientiæ etiam refert studium puritatis, ac perfectionis actionum sua-*

suarum, quo fit vt bonæ mentes culpam agnoscāt, vbi culpa non est. Dictat enim probati moris conscientia multa facienda, vel omittenda esse, tametsi nullum obligationis vinculum vrgeat, propter nouas operis perfectiones, nam & hac prudenter consulitur, & egregia adducit emolumenta. verum ex tali ratione Grauinam impulsum fuisse, vt Columbam deplumaret, neque ipse memorat, neque contestari potuit, si enim bono Ecclesiæ publico seruire maluisset, vtique dignitati Cardinalitiæ pepercisset, doctissimi viri famam, & innocentiæ laudem non obscurasset; nihil temere, ac suspectum effutiuisset, nullis scandalo viã aperuisset, odia multorum, forte sopita, non suscitasset; nullius amicitiam violasset, fautor, & patronus maluisset, quam aduersarius videri. His autem mere contraria conspicimus. Ideoque ad aliam errantis conscientiæ causam diuertere cogimur.

TVRT. *In Registro lib. 1. Ep. ad Aug. c. 10.* Optima Sancti Antonini doctrina proposita est, quæ à S Gregorio his verbis ipsissimis descripta est, *bonorum mentium est, etiam ibi aliquo modo culpā agnoscere, vbi culpa non est, quia sæpe sine culpa agitur, quod venit ex culpa, vnde* subdit, quod mēstrua, propter quæ multi à communione Eucharistiæ abstinebant, *non aliqua culpa est, quia naturaliter accidit, vnde & abstinentes de sua recta consideratione laudandæ sunt.* Huic affines qui scrupulis vrgentur de faciendo, vel omittendo opere ad maiorem perfectionem. Hoc non memorauit Grauina, sed iam ex defensione nedum necessitatem, sed & perfectionem operis opere demonstrauit. Nec id fuit Cardinalitiæ dignitati obtrectare, viri doctissimi famam, & innocentiam obfuscare, & multorum sopita odia suscitare, amicitias soluere, & potius aduersarium se demonstrare, quam defensorem; sed tantū id quod ex illa propalatione sequebatur ostendere, si indefensæ veteres religiones mansissent: ex qua defensione religiosi pacati, cum pariter in Turture moneantur, vt cum summa societate sint fœderati in vinculo charitatis, & pacis. Ipse querulus. i. corrector, si de excessu denotatus sit, nō ꝓpterea eius bonitati, & innocentiæ derogatum est: pium opus exhibere Cardinalis putauit, in quo aliquid humanum passum esse contra humanitatem non est, sed humanitati sanctorum quoq; virorum familiare, ne homines deterriti humanitatis iura violassent, timentes ad eos accedere, vel conuersari. *Sunt multa* dicebat Greg. *licita, & legitima, & tamen in eorum actu aliquatenus fœdamur. sicut sæpe irascēdo* (vel quando non oportet) *culpas insequimur, & tranquillitatem in nobis animo perturbamus, & cum rectum sit quod agitur, non est tamen approbabile, quod in eo animus perturbatur: contra quippe vitia delinquētium iratus fuerat qui dicebat, turbatus est præ ira oculus meus, quia enim non valet nisi tranquilla mens, in contemplationis lucem se suspendere in ira sua oculū turbatum dolebat, quia dum male acta deorsum insequitur, confundi tamen atque turbari à summorum contemplatione cogebatur, & laudabilis ergo est ira contra vitium, & tamē molesta, quia turbatus se reatum aliquem incurrisse existimabat;* *In Ps. 6.* Et puto candidam illam mentem ex illo excessu in re, in qua obsequium Deo se præstare putabat, veluti Dauid abscindentem chlamydem Saulis, hoc est sic reprehēdendo vnctos Domini, suum cor percussisse Dauidis modestiæ, & mansuetudinis studiosum, agnoscendo etiam culpam si culpa non fuisset; & Vindicianus hac virtute Dauidi simillima priuare vult religiosissimum Cardinalē (vbi communiter illā ex humanitate eleuatam nebulam affectus nimij suæ religionis, oculum turbasse adiudicatum est; quam eluisse extimandum est, vt illa dissipata, in alijs, quæ cōdidit, opusculis, clarius obtutus figeret ad rotam solis, in suo secessu cōtēplationis) & præter hæc voces canori in Turturis criminis

notam

notā vertit, religiosorum vitā, & defensorē Grauinam grauius vulnerando, defensionem quam specie tenus de Bellarmino susceperat, cōmendando. Vtinam quod leuiter de Grauinæ conscientia leuissimè Vindicianus conceperat, intra præcordia retinuisset, nec in iacula aucta asperrimę inuectionis erupisset; certè duo demonstrasset, nec in sensu suo leuē fuisse, nec in locutione præcipitem, nunc verò vtroque delicto obnoxius tenetur, & quod *Id quod leuis cōscientia cōcepit, & leuior protinus lingua prodidit.*

Greg. 4. mol. c. 11.

§. IV.

VIND. Vltimam causam tradit erroneæ conscientiæ Grauinianæ, ex S. Antonino, videlicet, *impotentiam affectus, quæ tam intellectū, quā conscientiā in idem præcipitat, quod vehemēter appetit, vel refugit, cuius violētia nobile quoddam exemplum Iudæi præbuerunt, ne illi cogerētur cum rubore fateri, se Regem, & Messiam proprium interemisse, omnibus hominibus se opposuerunt, Euangelij prædicationem totis viribus impediuerunt, Dei gratiam in luxuriam transtulerunt, carnem macularunt, Dominationem blasphemarunt, & quæcunque ignorarent: quæ vero naturaliter tamquam muta animalia nossent, in suam, & aliorum corruptionem diuerterunt, tali ex impotentia animi conscientiæ laxitatem existere S. Antoninus tradit, cuius ego in Grauina vestigia legam. Certè religiosum, qui Præsulibus ac Primatibus Ecclesiæ parcere nescit, sed palam obloquitur, eorumque seu veros, seu fictos defectus per orbem proclamat, frontem perfricuisse censebitur. Hæc autem Grauina purpurato, & Archipræsuli, ac summorum Pontificum consiliario intimo, nimirum Bellarmino fecit. Neque enim refert, quod hinc inde gloriosa de illo asseruit, seruiebant enim in maiorem viri deiectionem. Quid iuuat testitudinem, si ab Aquila in sublime tollatur, quando mox ad saxum frangendum illidit?*

TVRT. Qui eo sunt præditi affectu, vt reluctante conscientia in affectum cordis transeūt, sunt potius cōscientię precipitatores, & ad Atheismū propinqui, tales fuerunt Iudæi, & alij à te recensiti ex Epistola Iudæ, qui & hæretici fuerunt cōtra quos sermo tuus directus est, qui ne cederēt veritati, omnibus hominibus, Angelis, & Deo se opposuerūt. Grauina pro veritate stetit, illā confirmās: non esse propalanda religiosorum scandala, vnde nec Dei gratiam in luxuriā trāstulit, nec carnem maculauit, nec fræna licentiosa regularibus laxauit, tandem nec maiestatē blasphemauit, vel dominationem spreuit, Deum timendo, homines, præsertim in dignitate cōstitutos reuerēdo, quod si excessiuum zelum reprehenderit Cardinalis, & Prælati Ecclesiastici, ad id adstrictus, vidēs illo abuti insipientes ad eorum interitum, quare excusatione molliendus erat, vel debita modestia leuiter incusandus. Si Grauina blasphemauit, S. Bernardus etiam maiestatem, & dominationem spreuit, cum orto scandalo ex contentione inter Vlgerium Andegauensem Episcopum, & Abbatissam Fontis Euardi, sic illi scripsit se excusando, non ex ipso ortum, sed acceptum scandalum. *Dicitis forsitan scandalum non esse per vos: Nunquid propter vos esse negabitis? facilè cætera portarem, tantum vos non essetis in causa, nam in culpa dicere non audeo: non est meum discutere hoc: est qui quærat, & iudicet; Væ homini illi per quem scandalum venit, iudicium portabit, quisquis est ille, vel illa, quod semel cœpi loquar ad Dominum meum, faciā fatis, vel ex parte, zelo, & affectui qui loquitur. Non verebor ætatē, dignitatē, nō terrebor, nō cūctabor ad nomē grande Magistri Vlgerij, namque grandius nomen, grandius scandalū, propter me ipsum transgrediar, & ero insipiens: seniorem increpabo, Episcopū arguā, magistrū conabor docere, consilium dare sapiēti, & nullū præsumptionis genus prætereat charitas, & æmulatio.* Ad Epist. 200 hanc formā si loquutus est Grauina, si culpatur à Vindiciano, quod maiestatē, & dominationem spreuerit, sustinebit cū Bern.

culpatus contumeliam; si non ad eam formam loquutus est, probet Vindicianus dissimilem esse causam, vel rationem, & eam certis documentis probauerit, vincet. Verum cum etiam assignare nequeat, & inquisita non subsistant, iam inuentus est dolus in Vindiciani ore, & vnum è duobus euincitur, vel ex odio, vel ex temeritate loquutus; sed procul dubio conuertetur dolor in caput eius, & in verticem
Epist. 338. ipsius iniquitas ipsa descendet (vt scripsit Bernardus. *Reus enim est illius rei, quam alteri conatur impingere.*

Furit adhuc in præceps equus sine fræno modestiæ non detentus à sessore rationis iudicio, addit enim & alias contumelias, videlicet:

VIND. Neque teneræ conscientiæ speciem edit Grauina, qui proijcit *ampullas, & sexquipedalia, quæ aptis rationibus probare nunquam posit, horum farraginem in decursu commentarij monstrauimus. Memini quoque asserentis authorem sufficere; sed Grauina aduersus S. R. E. Cardinalem auctoritas minor est, nedum vt contra maximi nominis Præsulem præualeat.*

TVRT. Tot conscientiæ specimina edidit Grauina, quot argumenta, & rationes firmissimas è Sanctorum documentis attulit ad defendendos sacros Ordines, quas verborum fuco obruere conatis, vel fumo putido calumniarum obscurare; Non authoritate sua ad defensionem occurrit, quam imparem respectu dignitatis agnoscit, sed vt dictum est, ex S. Scripturis, & Patrum authoritatibus suam causam egit Turtur, veritate, quæ supereminet, & quæ nec priuatæ personæ promissa, nisi summo Hierarchæ, cui præsto est infallbiliter eum dirigens ne erret; qui & consilium ab inferioribus accipere non dedignatur, vnde nec Moyses ab inferiori consilium à Iethro datum respuit; vnde & etiam summus Hierarcha Petrus, vt perpendit Gregorius, *cum adorante se Cornelio sibi honorem videret oblatum, ad æqualitatem conditionis suæ subitò recurrit dicens: Surge, & ego ipse homo sum &c. quatenus illati sibi honoris elationem frangeret ex considerata æqualitate conditionis;* Lib. 21. mor. c. 10.
respiceret id si viueret Bellarminus humilis, & Cardinalis religioso claustrali maior, si videret plusquam par est id sibi tribui, videlic. in nullo admoneri, & corrigi posset; humillimè enim diceret: & ego ipse homo sum, ne vltra humanæ infirmitatis metas intumesceret, quod Vindicianus suadet astutè.

§. V.

VIND. Præterea subdit. *Temeritatis condemnatur Grauina, qui sine legitimis indicijs crimen alteri ausit obijcere, quod Grauina Bellarmino, & toti Societatis Ordini impigrè fecit, vt suis locis patuit. Verecundus oculis, quæ in alijs notat deformia, nihilominus pro virtutibus suspicit, qui cum Rege Israelitarum fatetur, se multa nimis ignorare, quæ honestatem operi, vel dicto licet in speciem absint dè conferunt.* 1. Reg. 26.

TVRT. Iudiciarium Ordinem nunc postulat Vindicianus de obiectis criminibus, qui inauditis veteribus Ordinibus, ferme eos ad metalla damnauit; & iustitia rigida in patibulo religiosos Principes ipse suspendit contra Solem, vt publicarentur, cum ne in Solem Deus pertraheret, Adæ peccatum ambularet ad auram post meridiẽ, dicente Ambrosio, *Deum ad puniendum homines venisse ad vesperam*, eo enim tempore longiores vmbræ sunt; & Procopius. *Peccatum hominis in solem non pretrahit Deus*; nec vnquam (vt imponit Vindicianus) Grauina Bellarminum, & Societatem traduxit, & omnia, quæ medicamenta curatiua putauit Vindicianus, præseruatiua fuerunt, quæ Societati consideranda tradidit de timore conseruando, humilitate retinenda, & huiusmodi. Nec quæ in alijs

nou-

notauit deformia pro virtutibus celebrauit, cum scriptum sit; *abominatio est apud Dominum pondus, & pondus, statera dolosa, non est bona.* Non negauit in Religionibus defectus oriri, nec illos vnquam iustificauit Grauina, nec acceptor fuit personarum, vt aliquas exciperet, est ne hoc crimen obijcere, vt prætendit Vindicianus? similiter nec omnes, nec semper, nec vbique Religiosos esse scandalosos probauit, cum Vindicianus contenderit adducere omnem ferè vniuersalitatem temporis, locorum, & personarum. Est ne hoc deformia pro virtutibus suspicere, virtutes regularium recensere; & vt opus cohonestaret Turturis (quod absurdum maledico vocas ore) multa præterire, quæ ignorare ex immensitate contingit? Ad inuerecundum pertinet oculum, tua hæc sugillatio; tuus inuidus est oculus, & temeraria lingua, cum defensionem Religiosorum deploratorum, & excusationem deplorantium, vel modestam reprehensionem, & admonitionem vitia voces; contra verò Religiosorum eorumdem traductionem, defectuum publicationem, & huiusmodi, virtutis nomine vis palliare. Te alloquar Vindiciane cum Bernardo ad Adam Monachum. *Tu inquam conaris pessima vitia virtutum palliare nominibus; an te putas hoc, sine iniuria facere Domini virtutum, qui virtutibus facis iniuriam?* Horribilem namque Religiosorum detractionem, conculcationem, pessundationem, correctionis, & disciplinæ, & reformationis titulis cohonestas; non possum non tibi vehementer irasci, dicam cum Bernardo, *Scandala dictantem audiebas, & obsequebaris*, illum videlicet, qui authoritate Cardinalis motus, in suggestibus, vel oratorijs illum librum lectitando, è libello scandala euulgabat, & augebat; *hominem audiebas furtinè susurrantem, & Deum non audiebas apertè reclamantem, tali quasi cœlitus emisso tonitruo: væ illi, per quem scandalum venit. Non tamen Dominus, sed & sanguis ipsius clamore nihilominus vehementi, surdis licet, terribiliter irrugiebat: clamor eius, eius effusio: effusus quippe pro dispersis filijs Dei, vt eos congregaret in vnum, iustè fremebat in dispersores, & minatur se dispersores dispergere, qui pro dispersis effusus est.* Certè dispersos congregatos in vnum dispergere, non fit nisi Religiosos, præcipuè persequendo, vt tu solus Vindicianus facis dispergere, & quantum in te est dissipare; *Quid ad me inquis, ille viderit, cui mihi contradicere fas non erat, non est discipulus supra magistrum, docendus non docturus eius lateri adhærebam, sequi debui, non præire præceptorem. Auditor istorum temporum Paule simplex, si tamen, & ille Alterum se exhibuisset Antonium, vt quicquid vel leniter de labijs eius proderet, necesse non haberes discutere, sed sine hæsitatione ad omnia nihil hæsitans obedire*; cum tali lectore, & exaggeratore operis columbini irasci debebas, vt dissimulando hæc, quæ poterant esse offendiculo, amoueres, sed hæc oblitus, quæ facere debuisses, omnes aculeos pro Grauina pungendo reseruasti.

Prou. 20.

Epist. 7.

Ad hæc subdis. *Vir duplex animo incōstans est, in omnibus vijs suis, & Grauina in vtroque operis sui libello mirè incōstans & varius, & secum ipse pugnans occurrit, vt cogerentur, vel inuiti alium Turturis Authorem suspicari; Qua in re si minus errauimus, saltem malè suo ipse nomini consuluit omnia Turturis detrimenta eidem vni asserendo. Quid illud portendit, quod Grauina comparationes inter regularium ordines, tamquam rem dissensionis, & inuidiæ plenam solicitè prohibuit; interim ipse Angelicum suum Ordinem, qua sacra fidei defensione, qua doctrinæ præstantia, qua regulæ obseruantia cæteris omnibus antetulit? poterat hoc sine comparatione fieri, & sine æmulatio-* VIND.

nis flamma, nec timuit Pharisaici stigmatis notam.

TVRT. Inconstantiam, & veritatem operis Turturis demonstrare, & probare debebas, vt tua assertio fidem mereretur, quare non est vt in suspicionem tuam veniat, an Author Grauina fuerit eius operis, quod tanquam laruata simia imitari gestis. Vna, & eadem facies est eius operis, in omnibus sibi correspondens, per omnia sibi consonans, non pluribus sementibus campos fertiles fœcundauit, nec lana, & lino vestem hanc contexuit, sed vno, & vniformi stylo plangens, & exultans religiones omnes defendit. Quare non malè, sed per quam optimè suo consuluit nomini, pietatis, & reuerentiæ specimina edens, defectus operiendo cum modestis filijs Noe, non cum Cham verenda discooperiendo, imò, & ornamenta omnium Ordinum, & supellectilem diuitem demonstrando à vasis crateratum vsque ad vasa musicorum, hoc est, omni genere illustrium virorum refertam religionum gloriam: indifferenter omnes religiones laudauit, ex qua indifferentia inuidiæ, & dissensionis omnis materia præciditur; legantur singula capita Turturis, & vera dici comprobabis. Angelicum suum ordinem, non præ cæteris, sed cum cæteris commendauit absque vlla comparatione. Tu contentiosus, & inuidus, & susurro, qui Pharisaico stigmate notandum Grauinam insimulas, in fronte notandus.

§. VI.

VIND. Lubrica lingua sistere nesciens adhuc obloqui non cessat, subdit namque. *Quam anxie Grauina metuit Catholicis, & hæreticis ob pauculas in columba pagellas, quæ regularium excessus rudi carbone potius, quàm penicillo depinxerant? Contra Grauinam totam Turturis machinam aduersus Cardinalem Bellarminum, & Societatis Ordinem inuexit, & vt passim in linguas Nationum verteretur, optauit. Quid expetibilius æmulis, & hæreticis, eo ipso tēpore, quo cœlum terræ miscebatur, Grauina obtrusisset? nimirum Daniel ad Leones postulandus erat, quod Draconem neci dedisset.*

TVRT. Merito ob paucas pagellas plus metuit Turtur de malis Catholicis, & hæreticis, ne obloquerentur, quàm si integrum opus aduersus regulares editum esset. Hic enim apertum venenum cauetur; Ibi si sola stilla dolosa manu, vel incautè delicato cibo misceatur, suauius, at perniciosius, virus ebibitur, vt egregiè Nazianzenus ponderauit. Et quid obstat rudi carbone lineatos defectus religiosorum ad intuendum propositos, non penicillo completos, si alij inferioris notæ lineas coloribus possint implere? Architectorum est lineas primas carbone ducere, & ob id primatum in arte tenent; Vnde Tertullianus hac similitudine probauit Christum Dominum primatum tenere in prodigijs, Antichristum incomparabiliter excedere, *quia prior virtutum documenta signauit. Idcirco fidem occupauit, posteris quibuscumque præripuit*: è contra in vitijs grauius peccant, qui mala designant, quam qui imitantur. vnde Alcuinus in Gen. Angelus grauius deliquit, *quia sui sceleris author fuit, homo eiusdem sceleris imitator*: & Theodoretus, studiosè quæsitā iniquitatem eorum pronunciat, *qui subseruire faciunt affectionibus rationem, vt etiam excogitent alias nequitiæ Ideas.* Satis ergo fuit hæreticis lineas illis propositas, vt eas colorarent, & alias subsumendi in religiosos Ideas excogitarent: contra vero Grauina lineas laudum Religiosorum à SS. Patribus ductas pro modulo suo implere conatus est, vmbras quoque defectuum admisit in omnibus religionibus, sed quæ adderent picturæ venustatem, nec enim lineamenta virtutum exprimi poterant, nisi vmbris quoque vitiorum expositis; sed plures colores

Tra. I. de fid. ad Nic. *Lib. 5. in Marcion.* *In Gen.*

lores denotauit, quàm vmbras, plures bonos, quàm malos, & in hac pia concertatione, & scholastica pugna, cum Bellarmino modestè contendit, nequaquam illi, vt nec Ordini pientissimo detrahens, vt pluries ostensum est. Quod vero optauit in linguas nationum verteretur Turtur, non studiosè procurauit, doletq; Columbam in vernaculas linguas cõuersam, quia dum manibus deliræ anus, vel garruli senis, vel muliercularum teritur, si oculi ad illas paucas pagellas deflectant, vbi de scandalis religionum differitur, fugient à monachis tamquam à terriculamentis puerorum. Non esset id Hæreticis modernis gratum, si ad vulgares quoque sectarios materna Turtur verteretur lingua, quinimo Catholicam doctrinam legens, Donatistarum, quorum ipsi sequũtur positionem de impermixtione bonorum cum malis, se solos de puritate gloriantes, abiurarent. Quare tantum abest, vt Bellarminus ad leonem sit expostulatus, pro eo quod draconem neci dedit (hæc sim puto te dicere, non religiosum cœtum, ne alio stigmate inuraris) vt potius sit excusatus, atque defensus, vt passim in Turture in multis capitibus à Grauina factum est; sed liberè dicitur, tua (Vindiciane) potius sunt, quæ nunc perficis, non sanctorum Ordinũ, quæ Bellarmini carpebat zelus; tuis, non regulariũ excessibus succensebat; in solam tuam personam, non in Ordinem spicula vibrauit. Te immutato, & *libro retractante, mox omnis tumultus concideret, quiesceret strepitus.* (Ex Bern. Ep. 78.) discursus vltimam periodum audiamus.

§. VII.

VIND. *Male igitur Grauina se ipsum conscientiæ laqueis irretiuit, & peiori consilio inuoluit; valido eget patrono, qui vndique constrictum discingat, enodet, efibret, efibulet, ac pristinæ immunitati redonet. quisquis ille fuerit Dauidem mihi repræsentabat, qui delinquentibus dixit: nolite exaltare cornu vestrum, nolite loqui aduersus Deũ iniquitatem: si fecistis iniquitatem per cupiditatem, nolite eam defendere per elationem.* (Psal. 74.) *Confitemini si fecistis, qui enim non confitetur iniquus est, & cornu exaltat, exaltabitur in vobis cornu Christi, si non exaltetur cornu vestrum.* (S. Aug. ibid.)

TVRT. Non conscientiæ laqueis irretitus monstratur Grauina, sed illis potius funibus, de quibus dixit Dauid: *Funes peccatorum circumplexi sunt me, & legem tuam non sum oblitus*, (Psal. 118.) hoc est ex Ambros. *Funibus me circumdederunt peccatores, vt mea implicarẽt vestigia, ne possim incursus eorum præcidendi celeritate euitare. His funibus* (ait idem) Nemroth, vel Esau, qui erant venatores ligare solebant: Nemroth amaritudo; Esau terrenus, & callidus interpretantur (ex eod. Ambros.) qui subdit. *Isti enim venatores erant, qui feras laqueis captare consueuerunt, & muta animantia vinculis alligare; inutiles venatores, qui capiunt bestias, quæ in pompam spectaculo populari præbeant ministerium crudelitatis. Iidem* (subdit postea Ambrosius) *quando prosperorum euentu, animum relaxamus, ac secundis rebus remittimus, nec excubias cautionis habemus intentas, tunc plus iactant laqueos suos, aut in via, qua ambulamus abscondunt, vt cum fuerint eorum laqueis innexa vestigia trahant, quò securum supplantẽt viantem, vel collo adstricto strãgulent commeantes.* Timuit Vindicianus de aperta feritate, & laqueis, quibus capiuntur aues, ausus est ad capiendum Turturem, dum prosperorum euentu, Religiosorum videlicet, florenti statu, animum in illo æstiuo otio relaxabat; & post septennium ab elaboratis retibus, funium complicatione auiculam cepit, quam captam, & implicatam ad ostentationem, vt venatores Caueæ inclusit, à qua nullus extrahere possit, nec pristinę immunitati à laqueis, & Cauea solutam redonare queat. Crede, Vindiciane, non Grauinæ, sed Ambr. dicenti pro Turture in cauea reclusa. *Etiam*

qui ligatus est, si sibi sit conscius libertatis, obli- In ea verba Ps. cit. *uisci libertatem suam non desinit, & causam nonnunquam dicit è vinculis, eamque sibi legum perscripto defendit, ac iudicio frequenter absoluit.* E cauea congeminat voces florentium Religionum, in cauea ligatus absoluit à te constrictus. Noli ergo extollere in altum cornu tuum, noli loqui aduersus Deum iniquitatem: quia Deus quem humiliat, hunc exaltat. Noli te putare iustum iactantem merita tua, sed plorantem peccata tua; *Calix enim in manu Domini vini meri* In Ps. 74. *plenus mixto. Merum* (ait Augustinus) *propter sinceritatem, mixtum propter fæcem: inclinauit ex hoc in hoc, hunc humiliando, nempe Pharisæum, significantem populum Iudaicum, illum exaltando, nempe publicanum significantem Gentilem, & subdit: de hoc calice bibere peccatores terræ, Iudæos quidem, & Gentiles, sed diuersimode; Iudæi enim peccatores erant, sed superbi, Gentiles peccatores, sed humiles; illi bibendo fæcem euomuerunt, isti bibendo vinum iustificati sunt. Nolite ergo extollere in altum cornu vestrum*, propriam iustitiam defendendo cum *Pharisæo*, sed peccata cum publicano confitendo, quia tandem omnia peccatorum cornua constringentur, & exaltabuntur iustorum cornua. Vis cornua peccatorum (ait Augustin.) dignitates superborum cornua iusti, munera Christi. Confidit Turtur, & cum Dauid cantare sperat: *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium: laqueus contritus est, & nos liberati sumus*, non in sua virtute confidens, sed in diuino adiutorio dicens: *Adiutorium nostrum in nomine Domini*, ne superbiendo in peiorem laqueum cadat; tibi verò Muri Pontico iustitiam tuam commendanti, & proprijs viribus confidenti, alienas virtutes comedenti, muscipula parata est: tua superbia tibi ipsi pœna, & sicut, te istum fœtum parturiente, tamquam monte illo omnes colles exuperante, illud locum habuit,

Parturiunt montes nascetur ridiculus mus, perinde in lucem edito, ne famam Religiosorum comederes, expediens fuit te in muscipula adiudicari.

OPERIS CONCLVSIO,

Nempe Vindiciani.

VOx Turturis Grauiniana in Apostrophen desinit, qua Societatem Iesu enixius hortatur, vt elationis spiritum fugiat, & concordiam cum alijs Ordinibus seruet, præsertim cum S. Dominici, & Francisci familijs. Iusta, & salutaria monet, neque dubito quin sancto, & religioso fine. Duo tamen quærenda occurrunt.

Primum, cur vnum huius officij commonefaciat, non item cæteros, tanquam seniores in Christo, & ipse consenior, vti Princeps Apostolorum fecit, ne velint dominari in cleris, sed forma gregis ex animo fiant? an iuuencula illa, seu vitula Ephraim effrenis, vsque adeò inconditè saltu, cornibus cæteros armentorum greges læsit? enimuerò non raro legimus, & audiuimus quam acres regularium insultus Societas subierit.

Quando vnquam per illam similis magnanimorum excitata contentio fuit? et tamen validè incūbit ne contendat, ne clamet, nec audiat quisque in plateis vocem eius. Alium censorem egit Dominus dispari causa, nocentes præ reliquis corripuit, pro eo, quod lateribus, & humeris impingebatis, & cornibus vestris ventilabatis omnia infirma pecora, donec dispergantur foras.

[Dein-

[*Deinde quaro*, quibus tandem finibus Grauina dictam concordiam circumscribat? si enim illa sufficiant, quæ in Vmberti, & Fidanzæ parænesi ad calcem opusculi referuntur, multa quidem reperiam, quæ Grauina cum suis parum laudabiliter trãsiliuit. Nihil autem, in quo Societatis personæ magnopere impegerint. exempli g. ne propter iniquitatem aliorum alij sic se abominentur, vt hostilitas inter nos, non fraternitas videatur: Ne de vicinitate domorum nimium contendant, sed proprium damnum propter amicitiam diligant. Ne fautores aliorum ad se alliciant, largitionum gratia, neque testatorum voluntatem, potius in se, quàm erga ali⸗s flectant, ne conciones, vel auditores sibi mutuo abstrahant, cum non nostra, sed quæ aliorum sunt quærere Apostolus iubeat. Ne quis statum suum, & Sanctos ita extollat, vt in aliorum depressionem vergat; neque alijs clàm, vel palàm obloquatur, aut latenter defectus prodat, vbi non cogit sperata vtilitas; neque mala aliorum ad se delata leuiter credat, seu in alios spargat; ne per impatientiam acceptæ læsionis innocentes simul in vindictam postulet. Hęc illi sapientes sanxerunt, eorumque curam Prælatis Ordinum suorum, impensè commendarunt, adeoque super omnes irreprehensibiles iudicarunt, si in istorum correctione fuerint negligentes.

Si igitur (vt dixi) Grauina non habet alios lapides, quibus charitatis metas consignet, iam Societatem à crimine absoluit, se autem, & suos iustæ animaduersioni subijcere debet. Mihi insuper B. Vmberti Aphorismi vehementer arriserunt, quos in tractatu illius de virtutibus legi, ac dignos censui, vt pro congressus mei, cum Grauina conclusione cœlitibus benè fauentibus isthic subiungerem. Nullus enim dubito, quin pro præsenti charitatis, & concordiæ se vinculo. non solum memoratis à Grauina tribus Ordinibus, sed vniuersis omnium Ordinum regularibus maxima sint momenta collaturi.

1. In omni actu fratres carissimi studete semper vobis proficere ad meritum, & proximis ad exemplum. circa seruitia fraterna sitis iucundi, spontanei, & parati, nec vlli sitis propter vsum proprij corporis onerosi. Gratiam, quam accepistis, libenter impendatis. Id quod vobis deest, ab habentibus humiliter requiratis.

2. Delictum fraternum non indignatio, sed compassio prosequatur, accusate proprios defectus, & supportate misericorditer alienos; semper cogitantes vos similia, vel maiora perpetrare potuisse, nisi diuina misericordia vos custodiuisset. Et certè licet non aduertatis, iam forsitan magnis defectibus vos *laboratis*, *in quibus*, *& vos indigetis ab* alijs supportari, habet enim quilibet fructus suum vermem.

3. Monete delinquentes humiliter, & arguite patienter, pacem cum hominibus, & bellum cum vitijs habete, in bono seruate concordiam, non in malo, fratris iracundiam etiam sine ratione contra vos conceptã, sicut vestram cõpescere velitis.

4. Quælibet transitoria fraternæ postponite charitati, sic homines diligatis, vt eorum vitia non ametis. dilectio debetur hominibus secundum meritum, sed veneratio secundum officium, vel ætatem. Debetis ergo plus honorare Superiores, & plus diligere meliores.

5. Prælatis obedientiam, æqualibus concordiam, inferioribus beneficium exhibete. contendite maioribus per timorem subijci æqualibus per charitatem obsequi, sed per humilitatem maioribus coæquari. Sitis præcipientibus parati, obedientibus modesti, maledicentibus taciti, laudantibus verecundi.

Negligentes, & reprehensione dignos ita cautè declinate, vt ipsos præsumptuosè non iudicetis, & tamen ea, quæ faciunt fugiatis, quousque feruentiores in bono cernitis, eorum familiaritatem auidius appetatis. Quamlibet virtutem, velut prudens Apis semper è melioribus capite, nec quid aliter minus habeat, sed quid virtutis possideat cogitate.

Vniuersa quæ videritis minus ædificationis habentia, velut cæci transeatis, nunquam eorum, qui malè agunt autoritate, *vel consuetudine animati, vel exemplo id quod deterius est faciatis.*

CONCLVSIO

Defensionis Turturis.

PIa, & sancta exhortatio Turturis, ad humilitatem, & concordiam Societati propositam cum alijs religiosis seruandam, præsertim cum religionibus SS. Dominici, & Francisci, vbi enim humilitas iacet pro fundaméto mox sequitur: *honore inuicem praeuenientes*, quod est glutinum concordię, & vnitatis. Bono fine salutaria hæc monita accipias Vindiciane, etiam si bellum cōtra te motum existimes. *Tunc enim pax est* (ait Chrysostomus) *cum proijcitur, quod erat tabidū, nam ad hunc sensum Christus non venit pacē mittere, sed gladiū.* & ad duo, quæ occurrunt respōdetur ordinatè.

Primo puncto satisfacere non leue est, nam cum Societas super omnes religiones à Bellarmino collocata sit, & in plangentiū ordine reposita, & à Vindiciano nō semel, vt Ioseph præ cæteris dilectus filius commendata, opportunè de humilitate ad cōcordiam sarciendam, monita est. *Quid enim* (ait Ambrosius) *fuisset Ioseph si humilis non fuisset? sciuit sibi ipsi obfuisse quod prælatus erat fratribus: prælatio armauit fratres, humilitas cōciliauit extraneos: prælatio concitauit germanos, humilitas Regem subditum fecit, &c.* vbi maiora merita, & virtutes, ibi maiora propugnacula adhibenda, ne ruant.

In Ps. 118. serm. 14.

Ex prælationis affectatione non nouum fuit oriri contentiones. Vidit id chorus Apostolicus, nam ex ambitu primatus, facta est contentio inter eos. Locus ille Ezechielis, non Grauinam ferit, sed (exponente Hieronymo) *illos Ecclesiasticos viros, qui dogmatum non custodiunt veritatem, sed de suo corde confingunt, magistramque habent præsumptionem. simili errore retinentur. Qui cum populo persuaserint vera esse quæ fingunt, & in theatralem modum plausus eructauerint, & clamores; immemores fiunt imperitiæ suæ, & obducto supercilio, libratisque sermonibus atque trutinatis, magistrorum sibi assumunt authoritatem. Qui* *Ibidem.* *oues quoque dispergere ibidem dicuntur, superbia enim maiorum, & præpositorum iniquitate frequenter* (innocentes oues) *pelluntur ab Ecclesia quas ipse saluauit*, nihil ergo ad rem allata authoritas.

Si illa omnia non sufficiunt, valdè conferunt tamquam remouentia saltem impedimenta, quibus pax scindi potest, atque turbari: ea autem Turtur non suo tantum Ordini, nec Societati, sed vt patet ex eius verbis, ante Epistolam paræneticam Vmberti, omnibus voluit esse communia documenta. Vindicianus solus soli appropriauit, occasionem quærens, vt recederet ab amico, & nullo designante in particulari,

lari, se pro Societate introducit tanquam offensam, dicens [nō sum operata malum] & in Grauinæ ordinem, & cunctos malū contorquet, & reos facit præceptorū, quæ illi Viri venerabiles tradiderunt, & tu cōmemoras, nō fideliter prolatis eorum verbis: vbi enim illi dicunt; *ne loca nimis notabiliter vicina accipiant*; tu Vindicianus legis, *ne de locorum vicinitate contendant*, quæ duo diuersa sunt: Conscius propriæ culpæ de se putat omnia dici, & cum sit pax (dicitur de impio) ipse insidias suspicatur. sed litē quis dirimet? ex communibus difficilè argui potest: in pari altercatione, quis figet gradum? pro quo stet transgressio ignoratur. si quis nostrum, vel tuorum non conuincitur, sit commune mandatum, vtrisq; istorum sapientum, quod in dicto fundatur Apost. Pauli dicentis 1. Cor. 10. *sine offensione estote Iudæis, & Græcis, & Ecclesiæ Dei; sicut & ego per omnia Ecclesijs placeo, non quærens quod meum est vtile, sed multorum, vt saluentur.* Quē locum ponderans Hil. ait. *Nō est autem maius vinculum hominibus placendi, quam vt nemo sui causa velit aliquid, etenim quod propria vtilitati efficitur, non potest non aliquam offensionem interdum ex causis accidentibus excitare, cum quod alij vtile est, alteri sæpe fit incommodum.* inde lites, & iurgia, &c.

In Ps. 52.

Parui non erāt lapides, quibus dilectio proximi firmabatur, sine qua nec charitas potest subsistere: si proximum quem vides non diligis, ait S. Io. quomodo Deum quē non vides amare cōuinceris? Hoc nec Societatem absoluit, quia non à Grauina, vt rea accusata est, nec animaduersioni subditur ipse cum ordinibus, qui nec de culpa euictus est, nō est curandū quod quis iudicetur ab humano die, qui enim nos iudicat Deus est, qui & illuminabit abscondita tenebrarū, & scrutabitur Ierusalē in laternis.

Optima etiam medicamenta, ex tam insigni viro Vmberto tradita amplectimur, & quia omnia perpendere tractatus non patitur; illud sciendum, quod operi Colūbino deseruit. Attendamus nimirum accusare proprios defectus, & supportare misericorditer alienos, ad quod ponderandū est, quod adducit S. Bernardus, *quoties peccantem videris fratrem, continuo præcedere debet compassionis affectus, tamquam cognatus humanitati, quem concipis ex te ipso, vos,* inquit, *qui spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne & tu tenteris: vnde mulieribus dictum est à Christo, nolite flere super me, sed super vos, & filios vestros: temetipsum considera ne & tu tenteris. Sed quia exemplum efficacius persuadet, & altius imprimit animo, mitto vos ad sanctum illum senē, qui cum audisset peccasse* vnum ex Fratribus, *amarissime flebat, inquiens. Ille hodie, Ego cras.* Quod si eum iudicare vis indiscreto zelo, dicā cum Bachiario. *Exquire primum frater, vtrum qui cecidit in pugna inuētus, an in domo fuerit vulneratus? quia plus misericordiæ meretur, quem in certamine hostis percusserit, quam ille quem dormientem latro confoderit. Ego illum certè in prælium vidi constitutum* (loquebatur de lapso Religioso) *pugnabat cum scuto ieiunij aduersus illecebras gulæ, pugnabat cum taciturnitatis lorica aduersus detractionis iacula, sed in eo loco in quo securiorē se arbitrabatur, percussus est.* Si tales in monasterijs vulneratos prodes, certè supra vulnera dolorem addes, quod barbarum est, & ab omni clementia alienum. *Quid tu* (alloquar te cum Gilberto Abbate) *qui fratrum mauis vitia numerare, quam virtutes, damna quā dona, condemnare quam commendare, si te ad commendationem adiuratum non sentias: adiuro vos filiæ Hierusalem, iam non es filia Hierusalem,* sed Babylonis: *filia Babylonis misera, quis retribuet tibi retributionem? retribuetur enim tibi: dediſce Babylonis filia esse, barbaros depone mores.*

Ser. 2. de Resur.

De reci. lapſ.

Ser. 46. in Cant.

Desine in sanctis numerare magis detrimenta, quàm lucra: sufficiat tibi inuriandi malitia: noli saltē foris nunciare, noli prædicare sodalib. tuis, nā

OPERA ADMODVM REVERENDI PATRIS MAGISTRI

F. DOMINICI GRAVINA

Neap. Ord. Prædicatorum, congregationis S. MARIAE ſanitatis prouinciæ regni olim prouincialis, & in Vniuerſitate Neapolitana adhuc Theologicæ cathedræ primarij Profeſſoris.

Catholicæ præſcriptiones aduerſus omnes veteres & noſtri temporis hæreticos, quorum controuerſiæ ex antiquitate, vniuerſitate, Patrum conſenſione, S. Thomæ Aquinatis doctrina, & methodo diſſoluuntur ac confutantur, in octo Tomos diuiſæ.

Primus Tomus *de ſacris Eccleſiæ traditionibus, & de falſis hæreticorum.*

Tomus Secundus *de verbo Dei ſcripto, hoc eſt, S. Scripturæ auctoritate, verſione, interpretatione.*

Tomus Tertius *in quo Patrum auctoritas, præſentium Paſtorum, & Doctorum & ipſius Eccleſiæ ſenſus, ex antiquitate, vniuerſitate, conſenſione, & S. Thomæ doctrina, & methodo defenduntur.*

Tomus Quartus *in quo de Eccleſiæ natura, partibus, ſeu membris, proprietatibus, notis, vel ſignis, dotibus, muneribus, & ornamentis ex antiquitate, vniuerſitate, & conſenſione Patrum, doctrina S. Thomæ, ex methodo diſſeritur.*

Tomus Quintus *de diuino & publico Eccleſiæ Magiſterio.*

Tomus Sextus *de ſupremo iudice controuerſiarum fidei Romano Pontifice.*

Tomus Septimus *de concilijs.*

Tomus Octauus *de euidentia credibilitatis fidei Catholicæ & incredibilitatis ſectarum Lutheri, Caluini &c.*

OPVSCVLA EIVSDEM AVTHORIS.

Pro ſacro depoſito fidei Catholicæ & Apoſtolicæ fideliter à Romanis Pontificibus cuſtodito Apologeticus.

Pro ſacroſancto ordinis ſacramento vindiciæ orthodoxæ; aduerſus Hæreſeologias Marci Antonij de Dominis Archiapoſtatæ Spalatenſis.

Iſagoge Catholicarum inſtitutionum ad curſum controuerſiarum fidei.

Dogmatica Theologia iuxta S. Thomæ Aquinatis partes ſuæ ſummæ diſtributa; aduerſus Matheologiam Hæreticorum noſtri temporis, præſcriptionibus Catholicis ex vniuerſitate, antiquitate, Patrum conſenſione firmata.

Commentaria, & Theoria libelli aurei S. Vincentij Lerinenſis contra prophanas vocum nouitates.

Scholia, & notæ ad ſummam F. Monetæ Cremonenſis S. P. Dominici ſocij editam aduerſus Catharos, & Albigenſes prodromos hæreſum Proteſtantium.

Turris Libani contra Damascum erecta, hoc est, sancti Tribunalis Inquisitionis & Congregationis Indicis, propugnaculis communita aduersus impios murmurantes.

Thronus Dauid, hoc est, De Cathedra, & Pastoralis throni reuerentia.

Biga duarum controuersiarum de Assumptione Deiparae Dominae nostrae, & de Catechesi praemittenda articuli crucifixionis Christi Domini ante baptismaa adulti.

De Choro, & Cantu Ecclesiastico.

Paraenesis ad Euangelicos Praedicatores pro contesseranda Spiritus vnitate in communi Gentium Messe.

Miles delicatus, id est, Gulielmus de S. Amore in M. Antonio de Dominis Spalatensi rediuiuus, in arenam à S. Thomae discipulo expostulatus.

De vero, & nullo modo Analogo, & Metaphorico igne Purgatorij.

Lapis Heraclius pro discernendis veris à falsis visionibus, reuelationibus, & miraculis.

Reiectio memorialis anonymi ad iudices veritatis directi pro venerabilium Patrum defensione.

Anonymus delaruatus, seu incognitus; nunc tamen cognitus pro Angelici Doctoris vindicatione.

Propugnatio vera carnis, & sanguinis, & totius oeconomiae Saluatoris aduersus nouas Neoterici cuiusdam phantasias.

Quinque disputationes dogmaticae in materia Conceptionis Beatiss. Virginis aduersus calumnias Lutheri, Caluini, Kemnitij, Heshusij, & aliorum Protestantium.

Puritas illibata, & immaculata S. Mariae semper Virginis in conceptione Filij Dei defensa cum Nouitiolae Matripaternitatis exclusione.

Harmonia synodica cum doctrina Angelica.

De formali constitutiuo religionis aduersus Spalatensem.

Alij Tractatus contra eundem.

Panarium contra nouissimorum Sectariorum (qui se illuminatos vocabant) errores.

Propositiones nonnullae mysticorum ad limam Theologiae Scholasticae examinatae.

De vita spirituali, & qui nam sint spirituales Vniuoci, AEquiuoci, & Denominatiui.

Diuina Prouidentia ab impijs vindicata.

Pudicitia emollita, & curata suo candori restituta.

De simplicitate, & Prudentia Christiana in columba, & serpente designata aduersus Atheos, & filios huius saeculi.

Homiliae diuersae.

Consultationes variae.

De practicabilibus opinionibus in foro Poenitentiali.

Consolatio peregrinationis humanae.

HÆC OPERA OMNIA BREVI COLONIÆ EX PARTE recudentur, ex parte vero primo lucem videbunt, vt tantae Sapientiae thesauris vti & frui possint Catholici: addiscere, seu confundi haeretici. Pro sacro deposito fidei Catholicae & Apostolicae Apologeticus iam sub praelo sudat, quem statim sequentur vindiciae orthodoxae pro sacrosancto ordinis Sacramento.

PRO SYNCERA LECTIONE AD LECTOREM.

SI LEGENDO IN ALIQVOT MENDVM AVT MINVTISSImum erratum incides, ad hunc Indiculum recurrito, in quo prior numerus paginam, ſecundus lineam vel verſum, A columnam primam, B vero ſecundam deſignabit.

IN VOCE TVRTVRIS.

IN *Epiſt. Dedic. pag.* 3. lin. antepenult. inſpirantem, lege, ſpirantem. pagina 4. linea 16 caſtræ, lege, caſtra. 5. ib. ſenſura, lege, cenſura, 6. 23. ſacrorum, lege, ſacrarum, 7. linea penultima æternitate, lege, æternitati.

In argumento ad Lectorem, pagina 1. linea 11. deſeruiſſet, lege, diſſeruiſſet. pagina vlt. linea 15. indui, lege, induci, & linea 21. Bethel, lege, Libani.

In epiſt. Grauinæ Lectoribus diuerſorum ordinum, pagina 2. linea 3. deſertiores, lege, diſertiores.

IN OPERE.

PAgina 1, col. a, linea 19 innoſcunt, lege, innoteſcunt, 5. b, lin. 5. ad, lege, ab, 6. a, 35. præteruolante, lege, præteruolantem. b, 31, legs, lege, leges. 7, b, 12, ambulan, lege, ambulaui. 11. a, 4, à fine, præponibus, lege, prædonibus. 13, a, in tit. capitis, paſſum, lege, paſſam. 17 a, 14, à fine, illo, lege, ille 18 a, 4, media, lege, modio. 27 b, 19 fruere, lege, feruere. 38 a, 3 à fine, perſuaſerat, lege, peruaſerat, 57 b, 19 diſciplinæ, lege, diſciplina. 59 a, 9 nobiſcum, lege, vobiſcum, ibid. linea 18. clericerum, lege, clericorum, ibid. lin. 6. à fine, cōgregationas, lege, cōgregationes. 41 a, 15 obectante, lege, oblectante, & b, 28 humans, lege, humanis. 70 b, 14 à fine, imitari, lege, imitati, 81 a, lin. 4 circuendis, lege, circumeundis. 84 a, 17 obeam, lege, ob eam, ibid. b, 31 comeſtiones, lege, comeſtionis. 85 a, 33 patientiſſima, lege, patentiſſima. 86 a, 26 orationes, lege, orationis. 87 a, 10 acceſſit, lege, exceſſit. 87 a, 37 terrenis, lege, terrenus, 90 a, 6 æſtimabitur, lege, æſtimator, ibid. linea 7 contemptu, lege, contemptor. 95 a, 29 ſolidum, lege, ſol dum, 97 a, 3 patribus, lege partibus. 108 a, 30 demolirent, lege, demolirentur. 109 b, 26 virginitati & auſteritati, lege, virginitate & auſteritate. 114 a, 36 thono, lege, throno. 115 a, 2 furtium, lege, furtum, 115 a, 10 harum quondam locuplete) lege,) horum quendam locupletem in Pinceno &c. ibid. linea 24 vis, lege, vos, ibid. b, 8 impauid, lege, impauide, ibid. lin. 11 Reuinctus, lege, Reuinctis. 116 a, 31 Theologiæ vtrique iuri, lege, Theologia vtroque iure, ibid. linea 18 carner, lege, carnes 118 b, 12 ſuperubis, lege, ſuperbis. 121 b, 12 curreri, lege, curreret. 122 a, 32 ſigna, lege, ſignis, 125 a, 5 pluia, lege plures. 126 b, 5 deuinci, lege, deuinciri. 127 a, 10 huſiſtis, lege, hauſiſtis, ibid. linea 28 remetitum, lege, remenſum. 128 b, 26 reluctaſſent, lege, reluctati eſſent, 131 a, 7 iſtos, lege, iuſtos, 132 a, 5 perfidelem, lege, per fidem. ibid. b, 9 à fine, negligendis, lege, negligis. 138, a, 11 à fine, propedit, lege, proponit, 139 b, 9 purgarem, lege, purgare, 139 b, 11 dicamicum, lege, dicam cum.

IN CONGEMINATA VOCE TVRTVRIS.

IN *argumento* pag. 3 lin. 15 conſiliari, lege, conſiliarij, pag. 5 linea 11 ſeingere, lege, ſeiungere.

IN

Pagina 2, col. B, lin. vlt. eorundem, lege, earundem, 10. col. B, 22. vulpe, lege. vulpe. 16 A, 12. labantes, lege, labentes. 23. A, 25. venificos, lege, veneficos. 25. B, 2. Munimem, lege, Munimen. 27. A, 3 à fine circumspectiones, lege, circumspectione. 29. B. 11. calumnia, lege, calumniæ, 32. A, 9. admone, ret. lege, admoneret dicit, 33. B, 1. inducit, lege, inducis. 46. B, 25. cauex, lege, caue?, pagina 50. B, 9. à fine commendantur, lege, commendatur. 114. B, 9. in cæteros actus lege in cæteris actibus, ibid. 3. corporporalibus, lege, corporalibus, 115. B, 5. ioco, lege loco. 129. A, non dum lege, nondum, ibid. B, 35. valantes, lege, valentes, 130. A, 33. delectu, lege, defectu. 132 B, 17. eierarunt, lege, eiurarunt. 133. A, 35. narrante, lege, narrare, ibid. B, 23. insticorum, lege, institutorum, 136. B, 21. fiorentes, lege, florentes, 140. B, 37. conuencam, lege, conuincam, ibid. 5. obnium, lege, obnoxium, 143. A, 24, quid, lege, quod. 144, B, 36, sint, lege, sit. 155, B, 17, delectu, lege, defectu, ibid. 26, nulli, lege, nullo. 156, A, 36, nascio, lege, nescio, ibid. lin. vlt. discutiendos, lege, discutiendas. 158, A, 12, descripte, lege, descripta. 184, A, linea vlt. cœnobia, lege, cœnobio. 185 B, 4, gotio, lege, negotio, 188, B, 11, cademia, lege, Academiæ. 190. A, 24, stulum, lege, stultum, p 195, A, 1, feruero, lege, feruent. 166, B, 32, face, lege, fęce, ibid. col. vlt. pone, lege, pene. 202, A, 9, Grouina, lege, Grauina, ibid. linea 24, remisso, lege, remissa. 205, A, lin. vlt. Clareuallensis, lege, Clarauallensis. 209, A, 27, classe, lege, classem. 214, A, 21, ab vsu, lege, abusu, 222, A, 3, disciplina, lege, disciplinæ, 223, B, 5, tontra, lege, contra, 231, B, 6, scumate, lege, scomate. 242, B, 19, verentur, lege, veretur. 243, A, 4, à fine consumantur, lege, consumatur, 244, A, 13, aliquam, lege, aliquando, 245, B, 1, feuore, lege, feruore. 249, B, 14, extimationem, lege, æstimationem, ibid. lin. 17. ægrimoniam, lege, acrimoniam, 298, B, 12, à fine inopinos, lege, inopi, nos. pagina 300, A, 14, inquiete, lege, in quiete, p. 317, B, 13, temocre, lege, tempore. p. 328, A, 17, niquum, lege, iniquum, 336. A, 8, à fine, semeipsum, lege, semetipsum, 349, A, 17, hoc ex, lege, hoc est, 358, A, 28. ilstres, lege, illustres. pag. 368, A, 16, extimet, lege existimet, ibid. linea 5, à fine misicum, lege, musicum. 373, A. 21, extimari, lege, existimari, & ibid. 22. exstimet, lege, existimet. 377. B. 29. incost.ns, lege, inconstans.

HOc Opus ſcribere incepit Author die 25. Iunij M. DC. XXXI. abſolutum verò eſt die xix. Ianuarij M. DC. XXXII. qui S. THOMÆ AQVINATI, ſacer eſt Neap. ob feſtiuitatem translationis Reliquiarum eius. Et ſi Operæ pretium eſſet ad retundendum illas calumnias in particulari videlicet: ex alijs ordinibus viros in Germania non egregios oriri, ſed pepones, allia, naſturtia &c. ad oculum demonſtrare quot egregij Heroes ex ea exorti ſint, ſed ne plus iuſto volumen excreſcat, totum id reſeruamus in appendice comulatiori quamprimum edenda, vel in alio noſtro opuſculo de ſcriptoribus & alijs viris illuſtribus ſacrorum Ordinum reponendum. Interim candide Lector hoc præſenti noſtro labore vtere & fruere.

AD LAVDEM

D. O. M. Beatiſs. Virginis Deiparæ, Dominæ N. Sanctorum Fundatorum Baſilij, Auguſtini, Benedicti, Dominici, vtriuſque Franciſci, Ignatij. B. Caietani, &c. (quibus Author tota ſe deuotione committit) & in obſequium ſacrorum omnium Ordinum, ſub eorum vexillis militantium: horum enim gloria, Fundatorum gloria eſt.

nis flamma, nec timuit Pharisaici stigmatis notam.

TVRT. Inconstantiam, & veritatem operis Turturis demonstrare, & probare debebas, vt tua assertio fidem mereretur, quare non est vt in suspicionem tuam veniat, an Author Grauina fuerit eius operis, quod tanquam laruata simia imitari gestis. Vna, & eadem facies est eius operis, in omnibus sibi correspondens, per omnia sibi consonans, non pluribus sementibus campos fertiles fœcundauit, nec lana, & lino vestem hanc contexuit, sed vno, & vniformi stylo plangens, & exultans religiones omnes defendit. Quare non malè, sed per quam optimè suo consuluit nomini, pietatis, & reuerentiæ specimina edens, defectus operiendo cum modestis filijs Noe, non cum Cham verenda discooperiendo, imò, & ornamenta omnium Ordinum, & supellectilem diuitem demonstrando à vasis craterarum vsque ad vasa musicorum, hoc est, omni genere illustrium virorum refertam religionum gloriam: indifferenter omnes religiones laudauit, ex qua indifferentia inuidiæ, & dissensionis omnis materia præciditur; legantur singula capita Turturis, & vera dici comprobabis. Angelicum suum ordinem, non præ cæteris, sed cum cæteris commendauit absque vlla comparatione. Tu contentiosus, & inuidus, & susurro, qui Pharisaico stigmate notandum Grauinam insimulas, in fronte notandus.

§. VI.

VIND. Lubrica lingua sistere nesciens adhuc obloqui non cessat, subdit namque. *Quam anxie Grauina metuit Catholicis, & hæreticis ob paucula in columba pagellas, quæ regularium excessus rudi carbone potius, quàm penicillo depinxerant? Contra Grauinam totam Turturis machinam aduersus Cardinalem Bellarminum, & Societatis Ordinem inuexit, & vt passim in linguas Nationum verteretur, optauit. Quid expetibilius æmulis, & hæreticis, eo ipso tēpore, quo cœlum terræ miscebatur, Grauina obtrusisset? nimirum Daniel ad Leones postulandus erat, quod Draconem neci dedisset.*

Merito ob paucas pagellas plus metuit Turtur de malis Catholicis, & hæreticis, ne obloquerentur, quàm si integrum opus aduersus regulares editum esset. Hic enim apertum venenum cauetur; Ibi si sola stilla dolosa manu, vel incautè delicato cibo misceatur, suauius, at perniciosius, virus ebibitur, vt egregiè Nazianzenus ponderauit. Et quid obstat rudi carbone lineatos defectus religiosorum ad intuendum propositos, non penicillo completos, si alij inferioris notæ lineas coloribus possint implere? Architectorum est lineas primas carbone ducere, & ob id primatum in arte tenent; Vnde Tertullianus hac similitudine probauit Christum Dominum primatum tenere in prodigijs, Antichristum incomparabiliter excedere, *quia prior virtutum documenta signauit. Idcirco fidem occupauit, posteris quibuscumque præripuit*: è contra in vitijs grauius peccant, qui mala designant, quam qui imitantur. vnde Alcuinus in Gen. Angelus grauius deliquit, *quia sui sceleris author fuit, homo eiusdem sceleris imitator*: & Theodoretus, studiosè quæsitā iniquitatem eorum pronunciat, *qui subseruire faciunt affectionibus rationem, vt etiam excogitent alias nequitiæ Ideas*. Satis ergo fuit hæreticis lineas illis propositas, vt eas colorarent, & alias subsumendi in religiosos Ideas excogitarent: contra vero Grauina lineas laudum Religiosorum à SS. Patribus ductas pro modulo suo implere conatus est, vmbras quoque defectuum admisit in omnibus religionibus, sed quæ adderent picturæ venustatem, nec enim lineamenta virtutum exprimi poterant, nisi vmbris quoque vitiorum expositis; sed plures colores

Margin notes: TVRT. — *Tra. de fid. aduer.* — *Lib. 5 in Marcion.* — *In Gen.*

lores denotauit, quàm vmbras, plures bonos, quàm malos, & in hac pia concertatione, & scholastica pugna, cum Bellarmino modestè contendit, nequaquam illi, vt nec Ordini pientissimo detrahens, vt pluries ostensum est. Quod vero optauit in linguas nationum verteretur Turtur, non studiosè procurauit, doletq; Columbam in vernaculas linguas cōuersam, quia dum manibus deliræ anus, vel garruli senis, vel mulierculatum teritur, si oculi ad illas paucas pagellas deflectant, vbi de scandalis religionum disseritur, fugient à monachis tamquam à terriculamentis puerorum. Non esset id Hęreticis modernis gratum, si ad vulgares quoque sectarios materna Turtur verteretur lingua, quinimo Catholicam doctrinam legens, Donatistarum, quorum ipsi sequūtur positionem de impermixtione bonorum cum malis, se solos de puritate gloriantes, abiurarent. Quare tantum abest, vt Bellarminus ad leonem sit expostulatus, pro eo quod draconem neci dedit (hære sim puto te dicere, non religiosum cœtum, ne alio stigmate inuraris) vt potius sit excusatus, atque defensus, vt passim in Turture in multis capitibus à Grauina factum est; sed liberè dicitur, tua (Vindiciane) potius sunt, quæ nunc perficis, non sanctorum Ordinū, quæ Bellarmini carpebat zelus; tuis, non regulariū excessibus succensebat; in solam tuam personam, non in Ordinem spicula vibrauit. Ex Bern. Ep. 78. Te immutato, & *libro retractante, mox omnis tumultus concideret, quiesceret strepitus.* discursus vltimam periodum audiamus.

§. VII.

VIND. *Male igitur Grauina se ipsum conscientiæ laqueis irretiuit, & peiori consilio inuoluit; valido eget patrono, qui vndique constrictum distingat, enodet, efibret, efibulet, ac pristinæ immunitati redonet. quisquis ille fuerit Dauidem mihi repræsentabat, qui delinquentibus dixit: nolite exaltare cornu vestrum, nolite loqui aduersus Deū iniquitatem: si fecistis iniquitatem per cupiditatem, nolite eam defendere per elationem. Confitemini si fecistis, qui enim non confitetur iniquus est, & cornu exaltat, exaltabitur in vobis cornu Christi, si non exaltetur cornu vestrum.* Psal. 74. S. Aug. ibid.

TVRT. Non conscientiæ laqueis irretitus monstratur Grauina, sed illis potius funibus, de quibus dixit Dauid: *Funes peccatorum circumplexi sunt me, & legem tuam non sum oblitus,* Psal. 118. hoc est ex Ambros. *Funibus me circumdederunt peccatores, vt mea implicarēt vestigia, ne possim incursus eorum præcidendi celeritate euitare. His funibus* (ait idem) Nemroth, vel Esau, qui erant venatores ligare solebant: Nemroth amaritudo; Esau terrenus, & callidus interpretantur (ex eod. Ambros.) qui subdit. *Isti enim venatores erant, qui feras laqueis captare consueuerunt, & muta animantia vinculis alligare; inutiles venatores, qui capiunt bestias, quæ in pompam spectaculo populari præbeant ministerium crudelitati. Iidem* (subdit postea Ambrosius) *quando prosperorum euentu, animum relaxamus, ac secundis rebus remittimus, nec excubias cautionis habemus intentas, tunc plus iactant laqueos suos, aut in via, qua ambulamus abscondunt, vt cum fuerint eorum laqueis innexa vestigia trahant, quò securum supplantēt viantem, vel collo adstricto strāgulent commeantes.* Timuit Vindicianus de aperta feritate, & laqueis, quibus capiuntur aues, ausus est ad capiendum Turturem, dum prosperorum euentu, Religiosorum videlicet, florenti statu, animum in illo æstiuo otio relaxabat; & post septennium ab elaboratis retibus, funium complicatione auiculam cepit, quam captam, & implicatam ad ostentationem, vt venatores Caueæ inclusit, à qua nullus extrahere possit, nec pristinę immunitati à laqueis, & Cauea solutam redonare queat. Crede, Vindiciane, non Grauinæ, sed Ambr. dicenti pro Turture in cauea reclusa. *Etiam*

In ea verba Ps. cit. *qui ligatus est, si sibi sit conscius libertatis, obliuisci libertatem suam non desinit, & causam nonnunquam dicit è vinculis, eamque sibi legum perscripto defendit, ac iudicio frequenter absoluit.* E cauea congeminat voces florentium Religionum, in cauea ligatus absoluit à te constrictus. Noli ergo extollere in altum cornu tuum, noli loqui aduersus Deum iniquitatem: quia Deus quem humiliat, hunc exaltat. Noli te putare iustum iactantem merita tua, sed plorantem peccata tua; *Calix enim in manu Domini vini meri*
in Ps. 74. *plenus mixto. Merum* (ait Augustinus) *propter sinceritatem, mixtum propter fæcem: inclinauit ex hoc in hoc, hunc humiliando, nempe Pharisæum, significantem populum Iudaicum, illum exaltando, nempe publicanum significantem Gentilem, & subdit: de hoc calice bibere peccatores terræ; Iudæos quidem, & Gentiles, sed diuersimode; Iudæi enim peccatores erant, sed superbi, Gentiles peccatores, sed humiles; illi bibendo fæcem euomuerunt, isti bibendo vinum iustificati sunt. Nolite ergo extollere in altum cornu vestrum, propriam iustitiam defendendo cum Pharisæo,* sed peccata cum publicano confitendo, quia tandem omnia peccatorum cornua constringentur, & exaltabuntur iustorum cornua. Vis cornua peccatorum (ait Augustin.) dignitates superborum cornua iusti, munera Christi. Confidit Turtur, & cum Dauid cantare sperat: *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium: laqueus contritus est, & nos liberati sumus*, non in sua virtute confidens, sed in diuino adiutorio dicens: *Adiutorium nostrum in nomine Domini*, ne superbiendo in peiorem laqueum cadat; tibi verò Muri Pontico iustitiam tuam commendanti, & proprijs viribus confidenti, alienas virtutes comedenti, muscipula parata est: tua superbia tibi ipsi pœna, & sicut, te istum fœtum parturiente, tamquam monte illo omnes colles exuperante, illud locum habuit,

Parturiunt montes nascetur ridiculus mus, perinde in lucem edito, ne famam Religiosorum comederes, expediens fuit te in muscipula adiudicari.

OPERIS CONCLVSIO,

Nempe Vindiciani.

Vox Turturis Grauiniana in Apostrophen desinit, qua Societatem Iesu enixius hortatur, vt elationis spiritum fugiat, & concordiam cum alijs Ordinibus seruet, præsertim cum S. Dominici, & Francisci familijs. Iusta, & salutaria monet, neque dubito quin sancto, & religioso fine. Duo tamen quærenda occurrunt.

Primum, cur vnum huius officij commonefaciat, non item cæteros, tanquam seniores in Christo, & ipse consenior, vti Princeps Apostolorum fecit, ne velint dominari in cleris, sed forma gregis ex animo fiant? an iuuencula illa, ceu vitula Ephraim effrenis, vsque adeò inconditè saltu, cornibus cæteros armentorum greges læsit? enimuerò non raro legimus, & audiuimus quam acres regularium insultus Societas subiuerit.

Quando vnquam per illam similis magnanimorum excitata contentio fuit? et tamen validè incũbit ne contendat, ne clamet, nec audiat quisque in plateis vocem eius. Alium censorem egit Dominus dispari causa, nocentes præ reliquis corripuit, pro eo, quod lateribus, & humeris impingebatis, & cornibus vestris ventilabatis omnia infirma pecora, donec dispergantur foras.

[Dein-

[*Deinde quæro*, quibus tandem finibus Grauina dictam concordiam circumscribat? si enim illa sufficiant, quæ in Vmberti, & Fidanzæ parænesi ad calcem opusculi referuntur, multa quidem reperiam, quæ Grauina cum suis parum laudabiliter transiliuit. Nihil autem, in quo Societatis personæ magnopere impegerint. exempli g. ne propter iniquitatem aliorum alij sic se abominentur, vt hostilitas inter nos, non fraternitas videatur: Ne de vicinitate domorum nimium contendant, sed proprium damnum propter amicitiam diligant. Ne fautores aliorum ad se alliciant, largitionum gratia, neque testatorum voluntatem, potius in se, quàm erga ali s flectant, ne conciones, vel auditores sibi mutuo abstrahant, cum non nostra, sed quæ aliorum sunt quærere Apostolus iubeat. Ne quis statum suum, & Sanctos ita extollat, vt in aliorum depressionem vergat; neque alijs clàm, vel palàm obloquatur, aut latenter defectus prodat, vbi non cogit sperata vtilitas; neque mala aliorum ad se delata leuiter credat, seu in alios spargat; ne per impatientiam acceptæ læsionis innocentes simul in vindictam postulet. Hęc illi sapientes sanxerunt, eorumque curam Prælatis Ordinum suorum, impensè commendarunt, adeoque super omnes irreprehensibiles iudicarunt, si in istorum correctione fuerint negligentes.

Si igitur (vt dixi) Grauina non habet alios lapides, quibus charitatis metas consignet, iam Societatem à crimine absoluit, se autem, & suos iustæ animaduersioni subijcere debet. Mihi insuper B. Vmberti Aphorismi vehementer arriserunt, quos in tractatu illius de virtutibus legi, ac dignos censui, vt pro congressus mei, cum Grauina conclusione cœlitibus benè fauentibus isthic subiungerem. Nullus enim dubito, quin pro præsenti charitatis, & concordiæ se vinculo, non solum memoratis à Grauina tribus Ordinibus, sed vniuersis omnium Ordinum regularibus maxima sint momenta collaturi.

1. In omni actu fratres carissimi studete semper vobis proficere ad meritum, & proximis ad exemplum. circa seruitia fraterna sitis iucundi, spontanei, & parati, nec vlli sitis propter vsum proprij corporis onerosi. Gratiam, quam accepistis, libenter impendatis. Id quod vobis deest, ab habentibus humiliter requiratis.

2. Delictum fraternum non indignatio, sed compassio prosequatur, accusate proprios defectus, & supportate misericorditer alienos; semper cogitantes vos similia, vel maiora perpetrare potuisse, nisi diuina misericordia vos custodiuisset. Et certè licet non aduertatis, iam forsitan magnis defectibus vos *laboratis, in quibus, & vos indigetis ab* alijs supportari, habet enim quilibet fructus suum vermem.

3. Monete delinquentes humiliter, & arguite patienter, pacem cum hominibus, & bellum cum vitijs habete, in bono seruate concordiam, non in malo, fratris iracundiam etiam sine ratione contra vos conceptā, sicut vestram cōpescere velitis.

4. Quælibet transitoria fraternæ postponite charitati, sic homines diligatis, vt eorum vitia non ametis. dilectio debetur hominibus secundum meritum, sed veneratio secundum officium, vel ætatem. Debetis ergo plus honorare Superiores, & plus diligere meliores.

5. Prælatis obedientiam, æqualibus concordiam, inferioribus beneficium exhibete. contendite maioribus per timorem subijci æqualibus per charitatem obsequi, sed per humilitatem maioribus coæquari. Sitis præcipientibus parati, obedientibus modesti, maledicentibus taciti, laudantibus verecundi.

Negligentes, & reprehensione dignos ita cautè declinate, vt ipsos præsumptuosè non iudicetis, & tamen ea, quæ faciunt fugiatis, quousque feruentiores in bono cernitis, eorum familiaritatem auidius appetatis. Quamlibet virtutem, velut prudens Apis semper è melioribus capite, nec quid aliter minus habeat, sed quid virtutis possideat cogitate.

Vniuersa quæ videritis minus ædificationis habentia, velut cæci transeatis, nunquam eorum, qui malè agunt autoritate, *vel consuetudine animati, vel exemplo id quod deterius est faciatis.*

CONCLVSIO

Defensionis Turturis.

PIa, & sancta exhortatio Turturis, ad humilitatem, & concordiam Societati propositam cum alijs religiosis seruandam, præsertim cum religionibus SS. Dominici, & Francisci, vbi enim humilitas iacet pro fundaméto mox sequitur: *honore inuicem præuenientes*, quod est glutinum concordię, & vnitatis. Bono fine salutaria hæc monita accipias Vindiciane, etiam si bellum cótra te motum existimes. *Tunc enim pax est* (ait Chrysostomus) *cum proijcitur, quod erat tabidũ, nam ad hunc sensum Christus non venit pacẽ mittere, sed gladiũ.* & ad duo, quæ occurrunt respódetur ordinatè.

Primo puncto satisfacere non leue est, nam cum Societas super omnes religiones à Bellarmino collocata sit, & in plangentiũ ordine reposita, & à Vindiciano nó semel, vt Ioseph præ cæteris dilectus filius commendata, opportunè de humilitate ad cócordiam sarciendam, monita est. *Quid enim* (ait Ambrosius) *fuisset Ioseph si humilis non*
In Ps. 118. serm. 14. *fuisset? sciuit sibi ipsi obfuisse quod prælatus erat fratribus: prælatio animauit fratres, humilitas cóciliauit extraneos: prælatio concitauit germanos, humilitas Regem subditum fecit, &c.* vbi maiora merita, & virtutes, ibi maiora propugnacula adhibenda, ne ruant.

Ex prælationis affectatione non nouum fuit oriri contentiones. Vidit id chorus Apostolicus, nam ex ambitu primatus, facta est contentio inter eos. Locus ille Ezechielis, non Grauinam ferit, sed (exponente Hieronymo) *illos Ecclesiasticos viros, qui dogmatum non custodiunt veritatem, sed de suo corde confingunt, magistramque habent præsumptionem. simili errore retinentur. Qui cùm populo persuaserint vera esse quæ fingunt, & in theatralem modum plausus eructauerint, & clamores, immemores fiunt imperitiæ suæ, & obducto supercilio, libratisque sermonibus atque trutinatis, magistrorum sibi assumunt authoritatem. Qui* *Ibidem.*
oues quoque dispergere ibidem dicuntur, superbia enim maiorum, & præpositorum iniquitate frequenter (innocentes oues) *pelluntur ab Ecclesia quas ipse saluauit*, nihil ergo ad rem allata authoritas.

Si illa omnia non sufficiunt, valdè conferunt tamquam remouentia saltem impedimenta, quibus pax scindi potest, atque turbari: ea autem Turtur non suo tantum Ordini, nec Societati, sed vt patet ex eius verbis, ante Epistolam paræneticam Vmberti, omnibus voluit esse communia documenta. Vindicianus solus soli approprianit, occasionem quærens, vt recederet ab amico, & nullo designante in particulari,

lari, se pro Societate introducit tanquam offensam, dicens [nō sum operata malum] & in Grauinæ ordinem, & cunctos malū contorquet, & reos facit præceptorū, quæ illi Viri venerabiles tradiderunt, & tu cōmemoras, nō fideliter prolatis eorum verbis: vbi enim illi dicunt: *ne loca nimis notabiliter ruina accipiant*; tu Vindicianus legis, *ne de locorum vicinitate contendant*, quæ duo diuersa sunt: Conscius propriæ culpæ de se putat omnia dici, & cum sit pax (dicitur de impio) ipse insidias suspicatur. sed litē quis dirimet? ex communibus difficilè argui potest: in pari altercatione, quis figet gradum? pro quo stet transgressio ignoratur. si quis nostrum, vel tuorum non conuincitur, sit commune mandatum, vtrisq; istorum sapientum, quod in dicto fundatur Apost. Pauli dicentis 1. Cor. 10. *sine offensione estote Iudæis, & Græcis, & Ecclesiæ Dei, sicut & ego per omnia Ecclesijs placeo, non quærens quod meum est vtile, sed multorum, vt saluentur.* Quē locum ponderans Hil. ait. *Nō est autem maius vinculum hominibus placendi, quam vt nemo sui causa velit aliquid, etenim quod propria vtilitati efficitur, non potest non aliquam offensionem interdum ex causis accidentibus excitare, cum quod alij vtile est, alteri sæpe fit incommodum.* inde lites, & iurgia, &c. In Ps. 52.

Parui non erāt lapides, quibus dilectio proximi firmabatur, sine qua nec charitas potest subsistere: si proximum quem vides non diligis, ait S. Io. quomodo Deum quē non vides amare cōuinceris? Hoc nec Societatem absoluit, quia non à Grauina, vt rea accusata est, nec animaduersioni subditur ipse cum ordinibus, qui nec de culpa euictus est, nō est curandū quod quis iudicetur ab humano die, qui enim nos iudicat Deus est, qui & illuminabit abscondita tenebrarū, & scrutabitur Ierusalē in laternis.

Optima etiam medicamenta, ex tam insigni viro Vmberto tradita amplectimur, & quia omnia perpendere tractatus non patitur; illud sciendum, quod operi Colūbino deseruit. Attendamus nimirum accusare proprios defectus, & supportare misericorditer alienos, ad quod ponderandū est, quod adducit S. Bernardus, *quoties peccantem videris fratrem continuo præcedere debet compassionis affectus, tamquam cognatus humanitatis, quem concipis ex te ipso, vos*, inquit, *qui spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne & tu tenteris: vnde mulieribus dictum est à Christo, nolite flere super me, sed super vos, & filios vestros: temetipsum considera ne & tu tenteris. Sed quia exemplum efficacius persuadet, & altius imprimit animo, mitto vos ad sanctum illum senē, qui cum audisset peccasse* vnum ex Fratribus, *amarissime flebat, inquiens. Ille hodie, Ego cras.* Quod si eum iudicare vis indiscreto zelo, dicā cum Bachiario. *Exquire primum frater, vtrum qui cecidit in pugna inuictus, an in domo fuerit vulneratus? quia plus misericordiæ meretur, quem in certamine hostis percusserit, quam ille quem dormientem latro confoderit. Ego illum certè in prælium vidi constitutum* (loquebatur de lapso Religioso) *pugnabat cum scuto ieiunij aduersus illecebras gulæ, pugnabat cum taciturnitatis lorica aduersus detractionis iacula, sed in eo loco in quo securiorē se arbitrabatur, percussus est.* Si tales in monasterijs vulneratos prodes, certè supra vulnera dolorem addes, quod barbarum est, & ab omni clementia alienum. *Quid tu* (alloquar te cum Gilberto Abbate) *qui fratrum mauis vitia numerare, quam virtutes, damna quā dona, condemnare quam commendare, si te ad commendationem adiuratum non sentias: adiuro vos filiæ Hierusalem, iam non es filia Hierusalem,* sed Babylonis: *filia Babylonis misera, quis retribuet tibi retributionem? retribuetur enim tibi: dedisce Babylonis filia esse, barbaros depone mores.* Ser. 2. de Resur. De reci. lapsi. Ser. 46. in Cant.

Desine in sanctis numerare magis detrimenta, quàm lucra: sufficiat tibi inuriandi malitia: noli saltē foris nunciare, noli prædicare sodalib. tuis, nā sodales

OPERA ADMODVM REVERENDI PATRIS MAGISTRI

F. DOMINICI GRAVINA

Neap. Ord. Prædicatorum, congregationis S. MARIAE ſanitatis prouinciæ regni olim prouincialis, & in Vniuerſitate Neapolitana adhuc Theologicæ cathedræ primarij Profeſſoris.

Catholicæ præſcriptiones aduerſus omnes veteres & noſtri temporis hæreticos, quorum controuerſiæ ex antiquitate, vniuerſitate, Patrum conſenſione, S. Thomæ Aquinatis doctrina, & methodo diſſoluuntur ac confutantur, in octo Tomos diuiſæ.

Primus Tomus *de ſacris Eccleſiæ traditionibus, & de falſis hæreticorum.*

Tomus Secundus *de verbo Dei ſcripto, hoc eſt, S. Scripturæ auctoritate, verſione, interpretatione.*

Tomus Tertius *in quo Patrum auctoritas, præſentium Paſtorum, & Doctorum & ipſius Eccleſiæ ſenſus, ex antiquitate, vniuerſitate, conſenſione, & S. Thomæ doctrina, & methodo defenduntur.*

Tomus Quartus *in quo de Eccleſiæ natura, partibus, ſeu membris, proprietatibus, notis, vel ſignis, dotibus, muneribus, & ornamentis ex antiquitate, vniuerſitate, & conſenſione Patrum, doctrina S. Thomæ, ex methodo diſſeritur.*

Tomus Quintus *de diuino & publico Eccleſiæ Magiſterio.*

Tomus Sextus *de ſupremo iudice controuerſiarum fidei Romano Pontifice.*

Tomus Septimus *de concilijs.*

Tomus Octauus *de euidentia credibilitatis fidei Catholicæ & incredibilitatis ſectarum Lutheri, Caluini &c.*

OPVSCVLA EIVSDEM AVTHORIS.

Pro ſacro depoſito fidei Catholicæ & Apoſtolicæ fideliter à Romanis Pontificibus cuſtodito Apologeticus.

Pro ſacroſancto ordinis ſacramento vindiciæ orthodoxæ; aduerſus Hæreſeologias Marci Antonij de Dominis Archiapoſtatæ Spalatenſis.

Iſagoge Catholicarum inſtitutionum ad curſum controuerſiarum fidei.

Dogmatica Theologia iuxta S. Thomæ Aquinatis partes ſuæ ſummæ diſtributa; aduerſus Matheologiam Hæreticorum noſtri temporis, præſcriptionibus Catholicis ex vniuerſitate, antiquitate, Patrum conſenſione firmata.

Commentaria, & Theoriæ libelli aurei S. Vincentij Lerinenſis contra prophanas vocum nouitates.

Scholia, & notæ ad ſummam F. Monetæ Cremonenſis S. P. Dominici ſocij editam aduerſus Catharos, & Albigenſes prodromos hæreſum Proteſtantium.

Turris

PRO SYNCERA LECTIONE AD LECTOREM.

SI LEGENDO IN ALIQVOT MENDVM AVT MINVTISSImum erratum incides, ad hunc Indiculum recurrito, in quo prior numerus paginam, secundus lineam vel versum, A columnam primam, B vero secundam designabit.

IN VOCE TVRTVRIS.

IN *Epist. Dedic. pag.* 3. lin. antepenult. inspirantem, lege, spirantem. pagina 4. linea 16 castræ, lege, castra. 5. ib. lensura, lege, censura, 6. 23. sacrorum, lege, sacrarum, 7. linea penultima æternitate, lege, æternitati.

In argumento ad Lectorem, pagina 1. linea 11. deseruisser, lege, disseruisset, pagina vlt. linea 15. indui, lege, induci, & linea 21. Bethel, lege, Libani.

In epist. Grauina Lectoribus diuersorum ordinum, pagina 2. linea 3. desertiores, lege, disertiores.

IN OPERE.

PAgina 1, col. a, linea 19 innoscunt, lege, innotescunt, 5. b, lin. 8. ad, lege, ab, 6. a, 35. præteruolante, lege, præteruolantem. b, 31, legs, lege, leges. 7, b, 12, ambulan, lege, ambulaui. 11. a, 4, à fine, præponibus, lege, prædonibus. 13, a, in tit. capitis, passum, lege, passam. 17 a, 14, à fine, illo, lege, ille 18 a, 4, media, lege, medio. 27 b, 19 fruete, lege, feruete. 36 a, 3 a fine, persuaserat, lege, peruaserat, 57 b, 19 disciplinæ, lege, disciplina. 39 a, 9 nobiscum, lege, vobiscum, ibid. linea 18. clericerum, lege, clericorum, ibid. lin. 6. a fine, cõgregarionas, lege, cõgregationes. 41 a, 15 obectante, lege, oblectante, & b, 28 humans, lege, humanis. 70 b, 14 à fine, imitari, lege, imitati, 81 a, lin. 4 circuendis, lege, circumeundis. 84 a, 17 obeam, lege, ob eam, ibid. b, 31 comestiones, lege, comestionis. 85 a, 33 patientissima, lege, patentissima. 86 a, 26 orationes, lege, orationis. 87 a, 10 accessit, lege, excessit. 87 a, 37 terrenis, lege, terrenus, 90 a, 6 æstimabitur, lege, æstimator, ibid. linea 7 contemptu, lege, contemptor. 95 a, 29 solidum, lege, sol dum. 97 a, 3 patribus, lege partibus. 108 a, 30 demolirent, lege, demolirentur. 109 b, 16 virginitati & austeritati, lege, virginitate & austeritate. 114 a, 36 thono, lege, throno. 115 a, 2 furtium, lege, furtum, 115 a, 10 harum quondam locuplete) lege,) horum quendam locupletem in Pinceno &c. ibid. linea 24 vis, lege, vos, ibid. b, 8 impauid, lege, impauide, ibid. lin. 11 Reuinctus, lege, Reuinctis. 116 a, 31 Theologiæ vtrique iuri, lege, Theologia vtroque iure, ibid. linea 18 carner, lege, carnes 118 b, 12 superubis, lege, superbis. 121 b, 12 curreris, lege, curreret. 122 a, 32 signa, lege, signis, 125 a, 5 plura, lege plures. 126 b, 5 deuinci, lege, deuinciri. 127 a, 16 husistis, lege, hausistis, ibid. linea 28 remetiium, lege, remensum. 128 b, 26 reluctassent, lege, reluctati essent, 131 a, 7 istos, lege, iustos, 132 a, 5 per fidelem, lege, per fidem. ibid. b, 9 à fine, negligendis, lege, negligis. 136, a, 11 a fine, propedit, lege, proponit, 139 b, 9 purgarem, lege, purgare; 139 b, 11 dic amicum, lege, dicam cum.

IN CONGEMINATA VOCE TVRTVRIS.

IN *argumento* pag. 3 lin. 15 consiliari, lege, consiliarij, pag. 5 linea 11 scingere, lege, seiungere.

IN

HOc Opus ſcribere incepit Author die 25. Iunij M. DC. XXXI. abſolutum verò eſt die xix. Ianuarij M. DC. XXXII. qui S. THOMÆ AQVINATI, ſacer eſt Neap. ob feſtiuitatem translationis Reliquiarum eius. Et ſi Operæ pretium eſſet ad retundendum illas calumnias in particulari videlicet: ex alijs ordinibus viros in Germania non egregios oriri, ſed pepones, allia, naſturtia &c. ad oculum demonſtrare quot egregij Heroes ex ea exorti ſint, ſed ne plus iuſto volumen excreſcat, totum id reſeruamus in appendice comulatiori quamprimum edenda, vel in alio noſtro opuſculo de ſcriptoribus & alijs viris illuſtribus ſacrorum Ordinum reponendum. Interim candide Lector hoc præſenti noſtro labore vtere & fruere.

AD LAVDEM

D. O. M. Beatiſs. Virginis Deiparæ, Dominæ N. Sanctorum Fundatorum Baſilij, Auguſtini, Benedicti, Dominici, vtriuſque Franciſci, Ignatij. B. Caietani, &c. (quibus Author tota ſe deuotione committit) & in obſequium ſacrorum omnium Ordinum, ſub eorum vexillis militantium: horum enim gloria, Fundatorum gloria eſt.

SPONSÆ PERORATIO AD CHRISTVM DOMINVM

In perſona Religioſorum Ordinum.

Ex G. Abb. Ser. 4. in Cant.

LOQVERE *Domine, loquere mihi, & loquere pro me. Increpa pro me filias non Hieruſalem, ſed Babylonis, dic vt taceat filia Chaldæorum*, *compeſce* animas diabolica fraude deceptas, ab Eccleſia aberrantes. *Deus bone quanta ſunt hodie filiæ Babylonis, quæ neſciunt cantica Sion, propter quas organa noſtra ſuſpendimus? Quantæ ſunt filiæ Edom, quæ nos exinaniunt, & exhauriunt lætitia ſpirituali?* ſunt hi manifeſti hæretici, cantum, pſalmodiam, ieiunia, & alia ſpiritualia Religioſorum exercitia ablegantes. *Compeſcas etiam filias Hieruſalem ab infeſtatione dilectæ*, infirmas illas animas detractionibus Religioſos impetentes; *Vtinam mihi Domine à filiabus parcas Babylonis, diſpar enim eſt, & ſatis moleſtior vexatio malignantium, quàm amantium*: ſed tertij generis ſunt filiæ Edom, fingentes ſe Hieroſolymitas, cum filijs Babylonis conſpirantes, amicas ſe fingentes, repletæ iniquitate, & dolo, odio iniquo dicatas Deo perſonas inſectantes, vnde & ipſæ quoque, (*hæc eſt temporis huius miſeria*) *amantes factæ ſunt malignantes.* Quanta malignatus eſt apertus inimicus in Sancto, quanta amicus, quanta occultus inimicus, ſpecie tamen amicus, Abſalon veſtigia inſectando, qui affectauit Dauidis Regnum, cubile inceſtauit. *An non quaſi Abſalones ſunt quidam*, qui (ſicut ſcriptum eſt) *prædicant, & mordent dentibus, affectant locum patris, ſcandunt cubile, dum prauis ſuſurris, ſocios corrumpunt, & ſubuertunt corda innocentiũ, in quib. patris ſpiritus ſuauiter quieſcebat?* Quãta malignatus eſt inimicus præcipuè in Sancto, *cũ quæ non vidit ſuſpicatur? poſuerunt* (inquit) *ſigna ſua ſigna, & non cognouerunt. Ponunt quæ non inueniunt. Ponunt quæ praue exponunt: ſigna* (inquit) *ſua: ſe ipſos enim in ſignum ponunt cum ex ſuæ prauitatis regula, alios metiuntur. Signa* (inquit) *quaſi dicat, tantum ſigna non veritatem: ſigna non certitudinis, ſed ſuſpicionis, & non cognouerunt, non enim cognitione, ſed coniectura nituntur. Malignatur inimicus in Sancto. In quo Sancto? in Sancto Sanctorum. in Sancto qui dicit. Qui vos ſpernit me ſpernit. Temerarium eſt, vt dicit Apoſtolus: alienum ſeruum iudicare. Tu ergo quis es, qui Dominum tuum iudices? qui enim poteſtatem dijudicat, ordinationem Dei dijudicat. Denique conqueritur, & dicit. Tulerunt à me homines iudicium meum. Filij hominum vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Vanitatem vtique diligitis prælationis, & ideo quæritis* in Religionibus *mendacium praua ſuſpicionis. Vani enim filij hominum, mendaces in ſtateris, mendaces in iudicijs: & vtinam pro minimo mihi ſit ab humano die iudicari, dum æterni Dei expecto iudicium. Cum,* inquit, *accepero tempus, ego iuſtitias iudicabo.*

Ipse iustus iudex, tempus expectare se dicit, vt iustitias iudicet, & ante tempus VINDICIANVS assumit iudicium. *Pater omne iudicium dedit filio, & tu quod non accepisti iudicium assumis, & hoc in patrem? vide ne fortè in eum patrem, à quo omnis paternitas in cælis, & in terra nominatur.* Viperæ *generatio matrem suam comedit, & dente venenato Doctorū* Religiosi *vitam corrodit. Non sunt istæ (Domine) filiæ Hierusalem pacis & filiæ, sed Babylonis. Quando increpabis illas, & dices. Filiæ Babylonis nolite flere super me, sed super vos ipsas flete: siquidem improperia eorum, qui vices tuas gerunt,* & perfectionis statum in Religionibus profitentur, *redundant: nec est murmur eorum contra eos, sed contra* Dominum. *Parcite ergo à murmuratione, quæ non prodest vobis, & aliis nocet. Tu Domine, tu potius obstrue os loquentium iniqua, & ne claudas ora canentium te* quos ad laudem tuam formasti: iugiter tibi psallant nunc in terris, & in cœlis in perpetuas æternitates.

FINIS.

TVRTVRIS
TRIVMPHVS.

SI (Anonymus) in nos dixit, vel scripsit, quod non decuit, vel quomodo non decuit, non tam nos læsit, quàm seipsum: namque ita scribendo suam prodidit potius leuitatem, quàm nostrum deprehendit errorem.

Ex Bernard. Ep. 234. & Chrysost. hom. 12. in Matth.

Doctri-

Fran-

Homi-

P.

Q.

R.

Refor-

P.


Q.

R.

Refor-

 tione

F I N I S.


ualet
cum presulem
quo